
DES. ERASMI
ROTER:
COLLOQUIA
Ulmæ apud Dan. Bartholom.

DESIDERII ERASMI
ROTERODAMI

COLLOQUIA FAMILIARIA,

Ex Recensione & cum Notis perpetuis
PETRI RABI, Roterod.

Accedunt
Ejusdem Erasmi Conflictus Thaliæ & Barbariei, Apologia & Utilitas Colloquiorum, nec non Laus Morias.

1807 g 288

ULMÆ,
Sumptibus Danielis Bartholomæi, & Filii,
Litteris Christiani Ulrici Wagneri,
M DCC XLVII.

KOEN. BIBL.
DER
UNIVERS.
HALLE.

PETRUS RABUS

SUAVISSIMO FILIOLO
SUO UNICO,

GUILIELMO RABO,

OPTIMÆ SPEI PUERULO
SEPTENNI,

HÆC

DESIDERII ERASMI
ROTERODAMENSIS

COLLOQUIA FAMILIARIA
DEDICAT.

PETRUS RABUS

Lectori S.

ERASMI Colloquia exhibentur hic tibi, Lector, Notis meis illustrata, tum in gratiam eorum, qui magnum hunc politioris literaturæ vindicem in pretio habent; tum in usum Scholarum, in quibus utilissimus liber studiosæ pubi prælegitur.

Sex anni sunt, cum Typographus mecum egit de nova editione adornanda, sed varia fuere in mora, quo minus jamdudum prodierit in lucem. Interim exempla bonæ notæ cœperunt desiderari; atque ita nunc demum quod cessatum est, novis ac nitidissimis typis sarcitur.

Adjunxi THALIAM, Germanum Erasmi fœtum (de quo plenius in Præfatiuncula ei præfixa) à me primum ante annos ferme decem una cum Belgica versione, nunquam vero antehac cum Latinis Colloquiis editum.

Tu fruere hisce meis laboribus, & secundis curis recensitum Erasmum Belgicum exspecta. Vale, Roterodami, Kal. April. CIↃ IↃC XCIII.

JUL.

JUL. CÆS. SCALIGER,

post graviſſimas cum ERASMO ſimultates, in ejus obitum.

TUne etiam moreris? ah quid me linquis,
ERASME,
Ante meus quam ſit conciliatus amor!
Tune etiam? cui tam parvus fuit orbis, ut altæ
Expleres mentis fulmina torvæ tuæ?
Ergo ſidereis poſtquam eſt invecta quadrigis,
Atque Dei læto lingua recepta ſinu,
Ille ego qui inſanæ ridebam vulnera mortis,
Conditaque Ætnea tela triſulca manu,
Ad quodvis ſtupeo momentum, ac territus aſto;
Maxima cum videam numina poſſe mori.

OWENUS
IN
ERASMUM.

NUnc Deſiderium deſiderat orbis ERASMUM,
Cui ſoli licuit ſcribere quod libuit.

NICOLAI HEINSII

Hexaſtichon, in ſtatuam D. ERASMI ROTERODAMI.

BArbariæ talem ſe debellator ERASMUS,
Maxima laus Batavi nominis, ore tulit.

Reddidit, en, fatis ars obluctata ſiniſtris
De tanto ſpolium nacta quod urna viro eſt.
Ingenii cœleſte jubar, majuſque caduco
Tempore, qui reddat ſolus ERASMUS *erit*

Ejusdem Epigraphe in ſtatuam eandem.

Hoſpes, perſimili quod in metallo
Magni hic conſpicuum vides ERASMI,
Mors pridem ſibi cruda vindicavit,
Fluxosque in cinerem redegit artus.
Ære at ſcripta perenniora quovis
Vivam mentis imaginem ſtupendæ
Ne ſperet manus artifex referre,
Aut depaſcere dens edacis ævi,
Orbis cum capiat nec univerſus.

In eandem J. S.

Ξεῖν' ἐπιθάμβει, ὁρᾷς πολυΐδμονα εἰκόν' Ἐράσμε,
Τῷ ποτὲ δῶκε πνοὴν καὶ βίον ἥδε πόλις.
Δῶκε βίον δ' αὐτὸς γεγαὼς Μέσηισι νεκρῆσιν.
Αὐτὰρ αἰ ἀΐδιον τῷ βίον ἀντέδοσαν.
Ζῇ ἄρα ψυχήν. Ἐν Βασιλείῃ σῶμα τέθαπται.
Ὧδε δὲ ζώει ἀεὶ χάλκεον ἰξάμενον.

VITA

VITA ERASMI,

Erasmo Autore.

NAtus Roterodami, in vigilia * Simonis & Judæ Apostolorum. Mater dicta est Margareta, medici cujusdam Petri filia, è Septimontio, vulgo *Sevenbergen*, oriunda. Fratres illius duos Dordraci, pene nonagenarios, vidit. Pater dictus est Gerardus. Is cum dicta Margareta, spe conjugii (& sunt qui interceſſisse verba dicunt) vixit. Eam rem indigne tulerunt & parentes Gerardi & fratres. Pater erat Helias, mater Catharina. Uterque pervenit ad extremam senectutem: Catharina pene usque ad nonagesimum quintum annum. Fratres erant decem, nulla soror ex eodem patre & matre; omnes conjugati, excepto uno. Gerardus erat natu minimus. Visum est omnibus ut ex tanto numero unus Deo consecraretur, (nosti affectus senum) & fratres volvebant rem animo. Scilicet sic fore apud quem convivarentur. Gerardus, videns se modis omnibus excludi à matrimonio magno consensu omnium, fecit quod solent deplorati: clam fugit, & ex itinere misit parentibus & fratribus epistolam, cum manu manum complexa, addito elogio, Valete, nunquam vos videbo. Interim relicta est sperata conjux gravida. Puer alitus est apud aviam. Gerardus Romam se contulit. Illic scribendo (nam tum nondum ars typographorum erat) rem affatim paravit. Erat autem manu felicissima, vixitque juveniliter: mox applicuit animum ad honesta studia. Græce & Latine pulchre calluit. Quin & in Jurisperitia non vulgariter profecerat: nam Roma tum doctis viris mire floruit. Audivit Guarinum. Omnes autores sua manu descripserat. Parentes ubi resciverunt esse Romæ, scripserunt puellam (cujus matrimonium ambierat) esse vita functam. Id ille credens, præmœrore factus est Presbyter, totumque animum ad religionem applicuit. Reversus domum, comperit fraudem: nec illa tamen unquam post nubere voluit, nec ille unquam post sollicitavit eam. Puerum autem curavit liberaliter educandum, vixque quatuor annos egressum, in ludum literarium misit. Ac primis annis minimum in literis illis profecit inamœnis, quibus natus non erat. Ubi nonum ageret annum, misit Daventriam. Mater se-

quuta

* Quæ est ad V. Calend. Novemb. anno ↀↃ cccc Lxvii. quamquam de hoc inter scriptores non convenit: sunt enim, qui eum anno ↀↃ cccc Lxvi. natum volunt.

quuta est, custos & curatrix teneræ ætatis. Ea schola tunc erat barbara. Prælegebatur * *Pater meus:* exigebantur tempora. Prælegebatur Ebrardus & Johannes de Garlandia: nisi quod Alexander Hegius & Zinthius cœperant aliquid melioris litteraturæ invehere. Tandem ex pueris colluforibus, qui grandiores natu audiebant Zinthium, primum cœpit odorem melioris litteraturæ. Post aliquoties audivit Hegium, sed non nisi diebus festis, quibus legebat omnibus. Hic pervenit ad classem tertiam. Tum pestis ibi vehementer sæviens sustulit matrem relicto filio jam annum decimum tertium agente. Quum pestis indies magis increbresceret, tota domo, in qua agebat desolata, reversus est in patriam. Gerardus, accepto tristi nuntio, cœpit ægrotare, ac paulo post mortuus est. Uterque decessit non multo supra annum quadragesimum. Tres tutores instituit, quos habebat fidissimos: quorum præcipuus erat Petrus Winckel, tum ludi litterarii magister Goudæ. Legavit rem mediocrem, si tutores bona fide administrassent. Ita Buscumducis ablegatus est, quum jam satis maturus esset Academiæ. Verum illi Academiam metuebant, quod alere religioni statuissent puerum. Illic vixit (hoc est perdidit) annos ferme tres, in ædibus Fratrum, ut vocant, in quibus tum docebat Romboldus, qui mire adamabat ingenium pueri. Qui & sollicitare illum cœpit, ut suo gregi accederet. Puer inscitiam ætatis excusabat. Hic exorta peste, quum diu laborasset febri quartana, ad tutores reversus est; jam stilo quoque satis prompto, ex aliquot autoribus bonis formato. Unus tutor perierat peste: cæteri duo re non admodum bene gesta, agere de monasterio cœperunt. Adolescens languens febri, quæ supra annum illum tenuerat, non à pietate abhorrebat: cæterum à monasterio abhorrebat. Itaque diem ad cogitandum sumit. Interim tutor subornat qui pelliciant, qui minitentur, qui imbecillem animum perpellant. Atque interea locum in monasterio Canonicorum repererat, qui vulgo Regulares dicuntur, in Collegio, quod est juxta Delft, dicto Syon, quæ domus est principalis ejus Capituli. Ubi dies venisset respondendi, respondit prudenter adolescens, se nondum, neque quid esset mundus scire, neque quid esset monasterium, neque quid esset ipse. Proinde videri consultius, ut adhuc annos aliquot in scholis ageret, donec sibi notior esset. Hæc quum videret constanter ab adolescente dici, statim infremuit Petrus Winckel. En ego, inquit, frustra laboravi, qui talem locum tibi magnis precibus pararam. Tu ne-

* Ita incipit libellus quidam Grammaticus, illo ævo in scholis prælegi solitus.

nebulo es: spiritum bonum non habes. Abdico tutelam meam, vide unde alaris. Adolescens respondit, se accipere abdicationem, & ea esse ætate, ut non opus tutoribus esset. Ubi videt se minis nihil proficere, subornat fratrem, qui & ipse tutor erat, negotiatorem. Is blanditiis agit. Accedunt instigatores undique. Habebat sodalem, qui prodidit amicum: & urgebat febris, nec tamen arridebat monasterium: donec forte fortuna monasterium ejusdem ordinis in Emaus, sive *Stein*, juxta Goudam viseret. Ibi reperit Cornelium, quem Daventriæ sodalem in eodem cubiculo habuerat. Is nondum sacrum illum cultum acceperat. Viderat Italiam, sed parum doctus redierat. Hic suum agens negotium, cœpit mira eloquentia depingere vitæ genus sanctissimum: copiam librorum, otium, tranquillitatem, sodalitatem angelicam. Alii alliciebant, alii propellebant. Onerabat febris. Hunc deligit locum fastidito altero. Lactabatur interim, donec haberet sacram vestē. Interea, tametsi adolescens sensit suo proposito quam non omnia illic responderent, tamen totum illum gregem excitavit ad studia. Parantem abire ante professionem, partim pudor humanus, partim minæ, partim necessitas coërcuit. Professus est. Tandem per occasionem Episcopo Cameracensi Henrico à Bergis innotuit. Is Cardinalitium galerum sperabat: quem & impetrasset, nisi præsentes defuissent nummi. Ad hoc iter optabat hominem Latine doctum. Itaque per hunc evocatus est cum autoritate Episcopi Trajectensis: quæ sola sufficiebat. Autoritatem tamen Prioris & Generalis adjunxit. Concessit in familiam Episcopi, servato tamen habitu. Quum Episcopus esset destitutus spe galeri, sentiretque illum in amore parum constantem erga omnes, id egit, ut Lutetiam studiorum mitteretur gratia. Promissum est stipendium annuum. * Illic in Collegio Montis acuti, ex putridis ovis & cubiculo infecto morbum concepit. Itaque ad Episcopum rediit. Acceptus est honorifice. Recreatus est à morbo Bergis. Revisit Hollandiam: hoc animo, ut maneret apud suos. Sed ipsis ultro hortantibus, Lutetiam rediit. Ubi destitutus auxilio Mecænatis, vixit verius quam studuit, & ob pestilentiam, ibi multis annis perpetuam, per singulos annos redeundum erat in patriam. Tandem ubi totum annum sæviret pestis, Lovanium commigrare coactus est. Ante inviserat Angliam, in gratiam Montigii, tunc discipuli, nunc Mecænatis; sed amici verius quam benigni. Id temporis omnium bonorum apud Anglos benevolentiam sibi conciliavit; ob id præsertim, quod profecturus in Galliam, spoliatus in littore Dovariensi, non solum non ultus injuriam esset, sed mox libellum in laudem regis totiusque

* Vide Colloq. de piscium esu.

tiusque Angliæ edidisset. Tandem è Gallia magnis promissis in Angliam revocatus est. Quo tempore amicitia Archiepiscopi Cantuarienſis auctus est. Ubi promissa non respondérent, petiit Italiam; cujus adeundæ desiderio semper arserat. Egit paulo plus quam annum Bononiæ. Inde Venetias se contulit, ediditque Adagia. Inde Patavium, ubi hybernavit. Mox Romam, quo jam fama celebris ac plausibilis præcesserat. Raphaëli Cardinali S. Georgii præcipue charus fuit. Non defuisset ampla fortuna, nisi mortuo Rege Henrico septimo, & successore Octavo, amicorum literis ampliſſima pollicentibus in Angliam revocatus esset. Illic reliquum ætatis peragere decreverat. Verum ubi ne tum quidem præstarentur promissa, in Brabantiam se subduxit; invitatus in aulam Caroli Cæsaris, cui Consiliarius factus est; opera Joannis Silvagii Cancellarii magni. Mutati cultus rationem reddit in libello primo, quo respondit Laicis. Valetudo semper fuit tenera, unde crebro tentabatur febribus; præsertim in quadragesima, ob piscium esum, quorum solo odore solebat offendi. Ingenium erat simplex, adeo abhorrens à mendacio, ut puellus etiam odisset pueros mentientes, & senex ad illorum aspectum, etiam corpore, commoveretur. Linguæ inter amicos liberioris, nonnunquam plus quam sat esset. Et sæpe falsus, amicis tamen diffidere non poterat. Nec putidulus erat, neque quicquam unquam scripsit, quod ipsi placeret. Ac ne facie quidem propria delectabatur, vixque extortum est amicorum precibus, ut se pingi pateretur. Dignitatum ac divitiarum perpetuus contemptor fuit; neque quicquam prius otio ac libertate habuit. Candidus alienæ doctrinæ æstimator: fautorque ingeniorum unicus si fortuna suppetisset. In provehendis bonis literis nemo magis profecit: gravemque ob hanc rem invidiam sustinuit à barbaris. Usque ad annum quinquagesimum, nec impetiit quenquam, nec impetitus est à quoquam stilo. Idque habebat sibi propositum, omnino stilum ineruentum servare. A Fabro primum est impetitus. Nam Dorpiana orsa suppressa sunt. In respondendo semper civilis erat. Lutherana Tragœdia intolerabili illum oneravit invidia. Discerptus est ab utraque parte, dum utrique studet consulere. *

EPI-

* Videat curiosus Lector Epistolam ab Erasmo ad M. Conr. Goclenium scriptam, in qua hoc vitæ suæ compendium illi commendat. Ea præfixa est ejus Epist. Londini a. 1642. editis; atque inter alia habet hæc verba: *Quum autem subinde periculiter de vita, super est ut tibi amicorum sincerissimo commendem, id quod habeo charissimum, memoriam mei, quam suspicor multis calumniis fore obnoxiam. Ita* totius vitæ meæ compendium *tibi mitto, hoc est,* ἰλιάδα κακῶν. *Nihil enim unquam natum est infelicius*, &c.

EPITAPHIUM,

Quod Exstat Basileæ.

CHRISTO SERVATORI S.

DES. ERASMO ROTERODAMO, VIRO OMNIBUS MODIS MAXIMO, CUJUS INCOMPARABILEM IN OMNI DISCIPLINARUM GENERE ERUDITIONEM, PARI CONJUNCTAM PRUDENTIA, POSTERI ET ADMIRABUNTUR, ET PRÆDICABUNT, BONIFACIUS AMERBACHIUS HÆRES, HIER. FROBENIUS ET NIC. EPISCOPIUS NUNCUPATI SUPREMÆ SUÆ VOLUNTATIS VINDICES, PATRONO OPTIMO, NON MEMORIÆ, QUAM IMMORTALEM SIBI EDITIS LUCUBRATIONIBUS COMPARAVIT, IIS TANTISPER DUM ORBIS TERRARUM STABIT SUPERFUTURO, AC ERUDITIS UBIQUE GENTIUM COLLOQUUTURO, SED CORPORIS MORTALIS, QUO RECONDITUM SIT ERGO, HOC SAXUM POSUERE.

MORTUUS EST IV. EID. JUL. JAM SEPTUAGENARIUS, ANNO A CHRISTO NATO M D XXXVI.

D. ERAS-

D. ERASMUS ROTEROD.
optimæ ſpei puero,
JOHANNI ERASMIO FROBENIO,
S. D.

VIcit libellus tibi dicatus exſpectationem noſtram, Eraſmi *mellitiſſime: tuum erit videre, ne fallas exſpectationem noſtram. Ille ſic adamatur, ſic rapitur, ſic teritur manibus ſtudioſæ juventis, ut & patri tuo fuerit ſubinde typis excudendus, & mihi novis acceſſionibus identidem locupletandus: dicas & illum* * *Ἐράσμιον quempiam eſſe, deliciasque Muſarum ſacra colentium. Quo magis adnitendum erit, ut tu quoque ſis, quod diceris, hoc eſt, ut literis & morum probitate ſis omnibus bonis chariſſimus. Vehementer autem pudendum fuerit, ſi cum tam multos hic libellus & Latiniores reddiderit, & meliores, tu commiſeris, ut ad teipſum non redierit eadem utilitas, quæ per te pervenerit ad omnes. Cumque tam multi ſint adoleſcentes, qui tibi nomine Colloquiorum gratias agunt; nonne merito cenſeatur abſurdum, ſi tua culpa factum videatur, quo minus mihi poſſis eodem nomine gratias agere? Accrevit libellus ad juſtam voluminis magnitudinem: tibi quoque conandum eſt, ut quantum accreſcit ætas, tantum accedat & honeſtæ eruditioni & morum integritati. Suſtines non vulgarem exſpectationem, cui reſpondere neceſſarium, vincere pulcherrimum fuerit: certe fallere ſine ſummo dedecore non potes. Nec hoc dico, quod hactenus pœniteat profectus tui, ſed ut currenti calcar addam, quo curras alacrius: præſertim cum eam ætatem ingreſſus ſis, qua non alia continget felicior ad imbibenda literarum ac pietatis ſemina. Fac igitur, ut hæc Colloquia vere tua dici poſſint. Dominus Jeſus ſervet iſtam ætatem tuam puram ab omnibus inquinamentis, ſemperque ad meliora provehat. Vale, Baſileæ, Kal. Auguſt. Anno MDXXIV.*

COL-

* *Id eſt, amabilem.*

[1] FAMILIARIA COLLOQUIA.

In primo congressu.

NON temere docet [2] quidam, ut salutemus libenter. Comis enim & blanda salutatio sæpè [3] conciliat amicitiam, inimicitiam diluit: [4] certè mutuam benevolentiam alit, augetque. Quidam usque adeo [5] Demeæ sunt, ingenioque agresti, ut vix salutati resalutent.

Nonnullis hoc vitii [6] conciliavit educatio veriùs, quam natura.

[7] Urbanitatis est salutare obvios, aut eos qui nos adeunt, aut quos adimus ipsi colloquendi gratia. Item operis aliquid agentes, cœnantes, oscitantes, singultientes, [8] sternutantes, tussientes. In [9] ructu, crepitu ve ventris salutare, hominis est plus satis urbani.

Sed incivilius etiam eum salutare, qui reddit urinam, aut alvum exonerat.

Salve

1 Ita dicta, quod familiares ubique ferè introducantur colloquentes. Sic Cicero scripsit *Epistolas ad familiares.*

2 In libello, cui titulus *D. Catonis disticha de moribus ad filium.*

3 Parit.

4 Saltem.

5 Morosi. In Terentii Adelphis Demea senex admodum difficilis est. Non raro autem utimur propriis pro appellativis, per Antonomasiam.

6 *Conciliare* sumitur & pro comparare, contrahere; & hoc tam in malum, quàm in bonum.

7 Civilitatis. Vrbanus proprie opponitur rustico. Hinc per translationem pro comi & lepido sumitur. *Urbanum os* vocat Quintilianus, in quo neque rusticitas, neque peregrinitas resonet.

8 Sternutare frequentativum verbi sternuere.

9 Ructus est cibi & potus in stomacho concocti, vel nondum satis cocti, per os efflatio.

Salve pater, salve matercula, salve mi frater, salve præceptor obſervande, salve multum mi patrue, salve dulciſſime nepos,

Urbanum eſt reddere cognationis aut affinitatis titulum, niſi cum habent aliquid odii: tum enim præſtat abuti minus quidem propriis, ſed [1] plauſibilioribus: [2] veluti, cum novercam ſalutamus matrem: privignum, filium: vitricum, patrem: ſororis maritum, fratrem: fratris uxorem, ſororem. Idem in ætatis aut officiorum titulis faciendum. Gratius enim fuerit, ſi ſenem, patrem, aut virum eximium ſalutes, quam ætatis cognomine; etiamſi olim honoris cauſa dicebatur, [3] ὦ γέρον. Salve præfecte, ſalve tribune. Non autem, ſalve caligarie, aut calcearie. Salve adoleſcens, ſalve juvenis. Senes ignotos adoleſcentes filiorum cognomento ſalutant, adoleſcentes viciſſim illos patres aut dominos.

Salve { [4] *Blandior ſalutatio inter amantes.*
mea Corneliola.
mea vita.
mea lux.
meum delicium.
meum ſuavium.
mel merum.
mea voluptas unica.
meum corculum.
mea ſpes.
meum ſolatium.
meum decus.

Hono-

1 Magis blandis & gratis.

2 Ex præſcripto Horatii Epiſt. 6 *Frater, pater, adde. Ut cuique eſt ætas, ita quemque facetus adopta.*

3 O ſenex. Ut ſæpe in Homero. Et olim apud Lacedæmonios Senatores vocabantur γέροντες, i. e. *ſenes.*

4 Quære apud Poëtas, præſertim Comicos, innumera alia, quibus amantes uti conſueverunt, blanda vocabula.

1 Fuit

Honoris gratia, aut secus.

Salve here. Ohe, salve tu quoque bone vir. Salve vir ornatissime, clarissime. Salve etiam atque etiam literarum decus. Salve plurimum amicorum optime. Salve mi [1] Mæcenas. Salve [2] patrone singularis. Salve vir spectatissime. Salve unicum hujus ætatis ornamentum. Salve Germaniæ delicium. Salvete quotquot estis una salute omnes. Salvete pariter omnes. Salvete belli homunculi. Salve [3] congerro lepidissime. Salve [4] vini pernicies. *Resp.* Salve & tu [5] gurges, helluoque placentarum. Salve multum virtutis omnis [6] antistes. *Resp.* Salve tantundem totius probitatis exemplar. Salve [7] anicula annos nata quindecim. *Resp.* Salve [8] puella annorum octoginta. Bene sit tibi cum tuo calvitio. *Resp.* Bene tibi cum lacero naso. Ut salutaris, ita resalutaberis. Si male dixeris, pejus audies. Salve iterum atque iterum. *Resp.* Et tu salve perpetuum. Salve plus millies. *Resp.* Equidem malim salvere semel. Salve quantum vis. *Resp.* Et tu quantum mereris. Salvere te jubeo. Quid si nolim? Equidem ægrotare malim, quàm tua salute salvere.

Salva sit tua { Sanctitas. / Amplitudo. / Celsitudo. / Majestas. / Beatitudo. / Sublimitas. } [9] magis vulgò recepta sunt, quàm probata doctis.

1 Fuit Mæcenas eques Romanus ditissimus, Cæsari Augusto familiaris, & summus ingeniorum fautor. Undè synecdochicè doctorum virorum patroni & fautores *Mæcenates* vocantur.

2 Patronus proprie dicitur, qui ac cusati causam agit.

3 Qui varios rumusculos congerit, & aliis narrat. Gerrones enim φλύαροι, sic dicti à gerris, i. e. nugis.

4 Id est, ô vinose.

5 Proverbialis est hyperbole, ut supra: *Gurgites* enim, & *helluones* vocantur homines maximè edaces. Helluones litteratum, seu librorum, dicuntur viri litterarum peritissimi, & qui multos libros legunt.

6 A verbo Antisto, antiquè pro antesto, i. e. antecello.

7 Ironice pro puella.

8 Ita hic pro anu.

9 Sic omnes sentiunt docti. Invenias tamen in prologo Val. Maximi ad Tiberium, *mea parvitas*.

In tertia persona.

Sapidus Erasmo suo [1] salutem dicit.
Sapidus Beatum suum plurima salute impertit.

Alia forma.

Salvus sis Crito. Bene tibi sit vir optime. *Resp.* Et tibi melius. [2] Pax tibi frater: Christiana salutatio est, à Judæis profecta, neque tamen repudianda. Similis est, [3] Bona vita. [4] Ave præceptor. *Resp.* Equidem malim habere, quam [5] avere. [6] χαῖρε. *Resp.* [7] Memento te [8] Basileæ esse, non [9] Athenis. *Resp.* Cur tu igitur audes Romanè loqui, quum Romæ non sis?

Bene precandi formulæ.

Et bene precari salutationis genus est.

Gravidæ.

Faxit Deus ut feliciter parias: [10] ut maritum pulchra prole facias parentem. Faxit [11] illa virgo mater, ut feliciter fias mater. Precor ut hic tumor uteri feliciter subsidat. Velint superi, ut non majore molestia elabatur, quàm illapsum est, quidquid est hoc oneris, quod gestas. Donet tibi Deus felix puerperium.

Convivis.

1 Usitatissimum hoc est in litteris.

2 Hebræi, aliique populi Orientales utebantur olim hac formula salutandi, & bene precandi, qua omne prospetitatis genus iis exoptabant, quos salutabant. Jud 19, 20. 1. Sam. 25, 6. Est quoque locutio, qua victis animum addebant Gen. 43, 23.

3 Est hæc salutatio minus usitata.

4 Id est, salve.

5 Jocus est ex ambigua significatione verbi avere, quod etiam significat *percupere.*

6 Imperat. mod. verbi χαίρω, gaudeo, delector. Est hæc autem Græcorum salutantis, & aliquando valedicentis vox.

7 Alludit ad id, quod refert Cicero ex Lucilio de Scævola ridente Albucium Græcissantem Romæ, l. 1. de Finib.

8 Quæ est nobilissima Helvetiæ civitas, in qua autor noster mortuus & sepultus est.

9 Quæ fuit olim Græciæ urbs nobilissima, & non minus armorum quàm litterarum gloria clarissima.

10 Desumptum est ex primo lib. Æneid. vers 75.

11 Intellige Mariam matrem D. Jesu. Hanc enim Pontificii adorant.

Convivis.

Sit felix convivium. Bene sit universo [1] cœtui. Precor omnia læta vobis omnibus. Deus bene fortunet vestrum convivium.

Sternutanti.

Sit faustum ac felix. Servet te Deus. Sit [2] salutiferum. Bene vertat Deus.

[3] *Auspicanti quippiam.*

Sit felix & faustum Reipublicæ. Bono sit omnibus, quod instituis. Bene vertat, quod agis. Bene fortunet Deus tuos labores. Faveant superi tuis conatibus. Quæso, ut quod instituisti, superis bene fortunantibus, feliciter absolvas. Bene fortunet Christus [4] Opt. Max. quod in manibus est. Feliciter cedat, quod instituisti. Feliciter [5] exeat quod aggressus es. Rem sanctam aggressus es, precor ut felix sit exitus, ac prosperum numen [6] adspiret pulcherrimis cœptis. Christus bene cœpta secundet. Prospere succedat, quod auspicatus es. Deum Opt. Maximumque precor, ut istud consilium quam est honestum, tam sit & felix. [7] Bonis avibus cœpta res, melioribus exeat. Precor ut bonis avibus Italiam adeas, melioribus redeas. Opto tibi felicem cursum, & recursum feliciorem. Faxit Deus, ut itinere hoc feliciter peracto, brevi

1 A coëundo dictus cœtus, i. e. conventus.

2 Prosit.

3 Incipienti vel congratulanti. Auspicari usitatum est pro incipere, quia Veteres nil nisi auspicato gerebant. Est enim auspicium quasi avispicium. Vide infrà *bonis avibus*.

4 Ab Ethnicis profecta sunt hæc Dei epitheta. Iovem enim suum vocabant *Optimum Maximum*, quod esset cæterorum Deorum Rex.

5 Succedat.

6 Spiritum ac favorem immittat. Metaphora à ventis sumta, qui, dum navium vela implent, propriè adspirare dicuntur. Ovid. Metamorph. lib. 1. *Adspirate cœptis meis.*

7 Modus loquendi ab Auguribus, qui ex avium volatu, pastu, & cantu futura prædicebant. Hinc *bonis vel malis avibus*, id est, *feliciter aut secus rem cedere* dicimus. De *Auguribus* vide infrà notas in Coll. *Procl & Puellæ.*

brevi tibi prosperum reditum gratulemur. [1] Contingat tibi feliciter & navigare, & renavigare. Sit iter lætum, reditus lætior. Utinam ista profectio tibi succedat ex animi tui sententia. Utinam tibi tam jucunda sit ista profectio, quàm nobis erit interim molestum tui desiderium. Bonis [2] auspiciis solvas ancoram. Precor ut ex utriusque votis succedat hoc iter. Precor ut hic contractus commodo, bonoque sit utriusque. Precor ut hoc matrimonium voluptati sit omnibus nobis. Sospitet te Jesus Opt. Max. Superi propitii te nobis incolumem restituant. Servet Deus [3] animæ dimidium meæ. Opto tibi reditum incolumem. Precor ut hic annus tibi lætis auspiciis ineat, lætioribus procedat, lætissimis exeat, ac sæpius recurrat semper felicior. *Resp.* At ego vicissim tibi multa secula felicissima precor, ne tu gratis sis nobis bene precatus. Precor ut hic dies tibi [4] candidus illuxerit. Precor ut hic sol tibi felix surrexerit. *Resp.* Tantundem tibi reprecor. Sit felix exortus hujus diei, & sit utrique nostrum prosperrimus. Opto tibi noctem prosperam pater. Precor tibi noctem placidam. Contingat tibi felix somnus. Det Deus placidam quietem. Det somnum absque somniis. Faxit Deus, ut aut placide dormias, aut feliciter somnies. Sit tibi fausta nox. *Resp.* At ego tibi, quando gaudere soles lucro, pro una fausta mille precor faustissimas.

Vale,

1 Contingunt nobis bona, vel mala, quæ sumus veriti. Obtingunt optata. Accidunt inopinata, tam bona, quàm mala.

2 Idem fere quod *bonis avibus*. Vide suprà. Nam quia olim *Auspices* divinationibus suis de rebus suscipiendis & gerendis cum autoritate consilia dabant, ideo pro *auctoribus* ponuntur, & qui rebus præsunt. Sic *auspicium* pro principio, ductu, dispositione & summa potestate.

3 Ita vocat Horatius Od. 3. Virgilium suum, & rogat Venerem, ut eum Athenas proficiscentem servet.

4 Felix. Solebant, ut ajunt, Thraces diem prosperum albo, inprosperum verò atro lapillo notare. Horat. Od 36. *Cressa nec carcat pulchra dies nota*. Cressa, i. e. candida. Alii legunt *Thressa*.

1 Id

Vale, in digressu.

Valete omnes. Bene vale. Cura ut quàm rectissime valeas. Valetudinem tuam cura diligenter. Jubeo te bene valere. Jam me tempus aliò vocat; tu valebis. Valeto quàm optime. Vale [1] pancratice, aut si mavis, [2] athletice. Vale ut dignus es. Vale ut meritus. [3] In hoc biduum valebis. Si me dimittis, valebis in crastinum. Nunquid vis? Est aliud, quod me velis? *Resp.* Nihil, nisi ut prospere valeas. Da operam, ut sis prospera valetudine. Age curam valetudinis tuæ. Habe curam salutis tuæ. Fac ut proximo congressu te lætum ac nitidum videamus. Jubeo te [4] curare cuticulam. Cura ut sit mens sana in corpore sano. Da operam, ut totus valeas, tum corpore tum animo. *Resp.* Dabitur quidem opera. Valebis tu quoque. Tibi vicissim precor prosperam valetudinem.

Salutare per alium.

Frobenium jubebis [5] meo nomine salvere plurimum. [6] Erasmiolum item mea causa salutabis diligenter. Tum matri Gertrudi quam potes officiosissime ex me salutem dicito. Dic me omnibus omnia læta precari. Salutabis mihi sodalitatem diligenter. Amicos omnes meis verbis salutato. Uxori salutem ex me annunciabis. Fratri tuo in literis tuis meo nomine salutem adscribes. Mei vice salutabis affinem meum. Num quid tuis mandas per me? *Resp.* Ut recte valeant.

1 Id est, firma valetudine. Erat apud veteres certamen gymnicum, constans quinque certandi generibus, cursu nempe, disco, saltu, luctâ, & pugilatu; quique in iis victor evaserat, dicebatur *Pancratiastes*, ἀπὸ τῦ πάνλα κρατεῖν. Talibus igitur prodest esse robustos & validos.

2 Id est, valide. Athletarum (à verbo ἀθλέω, certo) sive luctatorum habitus in summo sanitatis gradu consistebat.

3 Terent. Eunuch. Act. 1. Sc. 2. *In hoc biduum Thais vale.*

4 Id est, vivere lautè, splendidè. Dicitur de delicatulis iis, qui se voluptati dedunt, unum hoc curantes, ut cutis niteat.

5 Idem quod infrà *meis verbis.*

6 Amantium more utitur diminutivo.

valeant. Estne quod velis ad tuos perferri me nuncio? *Resp.* Multam salutem omnibus, sed præcipuè patri. Sunt quos per me tuo nomine velis salutatos? *Resp.* Omnes qui de me percontabuntur, salutem quam mihi ab amicis attulisti, illis multo cum fœnore referes. Quorum nomine mihi salutem attulisti, hos omneis mea gratia vicissim salutabis accurate. In amicis salutandus sis quæso mihi [1] vicarius. Salutassem generum meum per litteras, sed tu mihi apud illū epistolæ vice fueris. Heus heus, quo properas? *Resp.* Recta [2] Lovanium. Resiste paulisper, est quod tibi mandem. *Resp.* Atqui peditī non convenit sarcina. Quid rei est? *Resp.* Ut Goclenium, Rutgerum, Joannem Campensem, totumque [3] chorum trilinguem mihi salutes. *Resp.* Si nihil aliud imponis sarcinæ præter [4] salutes, facile perferā. Atqui ne gratis istud facias, precor ut tibi quoque eunti ac redeunti salus sit comes.

Reducem quomodo salutare oporteat.

Salvum te advenire gaudemus. Sospitem adesse volupe est. Te nobis redditum esse voluptati est. Gratulamur tibi felicem reditum. Gratia superis quod nobis incolumis redieris. Quo molestius fuit nobis tui desiderium, hoc reditus conspectus tui jucundior est. Gratulamur & tibi, & nobis, quod vivus ac valens nobis restitutus sis. Hoc reditus tuus est nobis jucundior, quo minus expectatus. *Resp.* Ego vicissim lætor, quod incolumis vos incolumes offenderim. Quod te salvum repererim, vehementer gaudeo. Non viderer mihi rediisse salvus, nisi vos salvos reperissem. Nunc demum mihi videor sospes, cum vos incolumes ac pulchre valentes conspicio.

Percon-

1 Qui alicujus vicem gerit.

2 Est hæc Brabantiæ urbs.

3 Erasmi amicos, Hebraicæ, Græcæ, & Latinæ linguæ doctos.

4 Salutationes.

1 Cors

Percontandi forma in primo congressu.

GEORGIUS, LIVINUS.

GE. EX qua tandem [1] corte aut cavea nobis ades? LI. Quid ita? GE. Quia male saginatus. Quia macie pelluces totus, ariditate crepitas. Undè prodis? LI. E [2] collegio Montis acuti. GE. Ergo ades nobis onustus literis. LI. Imo pediculis. GE. Pulchre comitatus advenis. LI. Sane, nec tutum est nunc viatorem ire incomitatum. GE. Agnosco sodalitium scholasticum. Ecquid novarum rerum adfers è Lutetia? LI. Illud in primis, quod, scio, tibi videbitur incredibile: Lutetiæ [3] Beta sapit, & [3] Quercus concionatur. GE. Quid tu narras? LI. Hoc quod audis. GE. Quid ego audio? LI. Hoc quod narro. GE. [4] Monstri simile. Oportet illic [5] fungos & lapides esse auditores, ubi tales concionentur. LI. Atqui sic res habet. Nec audita narro, sed comperta. GE. Oportet igitur illic plurimum sapere homines, si sapit Beta & Quercus. LI. Recte conjectas.

Alia.

GE. Valesne? LI. Contemplare vultum. GE. Quin potius lotium jubes? An me putas medicum? Non rogo, quid valeas; nam facies ipsa loquitur te belle valere: sed quomodo tibi placeas. LI. Corpus quidem belle habet, sed animo male est. GE. At non valet, qui isthac parte laborat. LI. Sic res habent meæ: Corpus valet, sed ægrotat crumena. GE. Facile

1 Cors (q. d. cohors) est locus cinctus parietibus, ad custodiam gallinarum, anserum &c.

2 Collegium Montis acuti fuit Lutetiæ, in quo Erasmus juvenis vixit, sed ex putridis ovis (curi ipse in vita sua refert) & cubiculo infecto morbum concepit. Vide infra Ἰχθυοφαγίαν. In eo colloquio tota fabula narrabitur.

3 Herba est admodum insipida, (hinc proverb. Betâ insipidior) sed notantur hic duo Parisienses Magistri, & Theologi maledici, *Beta* & *Quercetanus*.

4 Proverb. valdè mirum.

5 Fungi dicuntur homines insulsi, stupidi.

cile isti morbo medebitur mater. Ut valuisti usque? LI. Varie, ut sunt res mortalium. GE. Satin' recte vales? Salvane res? Satin' salvæ res? Fuistin' semper prospera valetudine? LI. Prosperrima, gratia [1] superis. Ego Dei beneficio perpetuo bellissime valui. Semper prospera valetudine sum usus. Hactenus bona valetudine fui, fausta, incolumi, felici, prospera, secunda, integra, [2] basilica, [3] athletica, [3] pancratica valetudine. GE. Faxint superi ut isthuc sit perpetuum ac propriũ. Lætus isthuc audio. Voluptatem mihi nuntias. Est isthuc mihi auditu perquã jucundum. Sermonem istum ex te audire supra modum gaudeo. Isthuc haut invitus audio. [4] Oppido lætor isthuc audire ex te. Ut idem semper facias, opto. Ut ad istum modum quam diutissime valeas, opto. Tibi gratulor, mihi gaudeo. Gratia superis. Gratiam habeo superis. LI. Equidem pulchre valeo, si tu vales. GE. Nihil interim molestiæ fuit? LI. Nihil, nisi quod vestra consuetudine frui non licuit. GE. Quo pacto vales? LI. Recte, pulchre, belle, perbelle, bellissime, perpulchrè, feliciter, commode, minime male. Valeo ut volo potius, quàm ut mereor, basilice, pancratice, athletice. GE. Expectabam ut diceres etiam [5] taurice.

Male valere.

GE. Rectene vales? LI. Vellem quidem. Non admodum ex sententia. Equidem utcunque valeo. Sic satis. Valeo [6] ut possum, quando ut volo non licet. Ut soleo. Ita ut superis visum est. Non optime sane. Sic ut antehac pejus nunquam. Valeo ut solitus

1 Dii, qui hominibus in terris viventibus superiores sunt.

2 Regia, i.e. egregia, optanda. Vivere βασιλικῶς, (i.e. regiè) idem quod athleticè, pancraticè, i.e. splendidè, optimè.

3 Respice pag. 7.

4 Pro *valde, sane, multum.* Ortum est (teste Festo) ex sermone fabulantium, quantum quisque frugum faceret: utque multitudo innueretur, sæpe respondebatur, *quantum vel oppido satis.* Hinc in consuetudinem venisse ait, ut pro *valde* diceretur *oppido.*

5 Q. d. instar tauri.

6 Prov. Ut possumus, quando ut volumus non licet.

1 Est

tus sum. Valeo ut solent, quibus cum medicis res est. GE. Ut vales? LI. Secus quam vellem. GE. Qua valetudine es? LI. Haud sanè commoda, incommoda, perquam incommoda, infelici, parum prospera, parum secunda, mala, adversa, infausta, imbecilli, dubia, mediocri, vix mediocri, longe alia quam vellem, tolerabili, qualem optem hostibus meis. GE. Rem mihi sane quam acerbam narras. Prohibeant superi. Avertat Deus. [1] Bona verba. Hic cupiam te vanum esse. Bono sis animo oportet. Forti infractoque sis animo. Multum juvat animus in re mala bonus. Fulciendus est animus spe fortunæ secundioris. Quid morbi est? Quod mali genus est? Quis te morbus habet? Quo morbo teneris? Quid habes morbi: Quis te tenet morbus? LI. Nescio, & hoc laboro periculosius. GE. Verum. Nam ad sanitatem gradus est, novisse morbum. Nullosne consuluisti medicos? LI. Et quidem permultos. GE. Quid respondent? LI. Id quod advocati [2] Demiphoni apud Comicum: alius negat, alius ait, alius deliberandum censet. In hoc consentiunt omnes, me miserum esse. GE. Quam pridem habet te hoc mali? Diu est quod teneris isto morbo? Quantum temporis est quod te malum hoc corripuit? LI. Dies plus minus viginti. Ferme mensis est. Jam tertius est mensis. Mihi quidem seculum videtur, quòd ægrotare cœpi. GE. Adnitendum censeo ne morbus fiat familiaris. LI. Jam nimium assuevit. GE. Num est [3] hydrops? LI. Negant. GE. Num [4] dysen-

1 Est Ironiæ species, quam Charientismum Rhetores vocant, ubi quis acerba dictu gratiosis verbis studet mollire. Davus apud Terentium, cum ei pistrinum herus minaretur, inquit, *Bona verba quæso.* Q. d. melius ominare.

2 Vide Terentii Phormionem Act. 2. Sc. 4. de tribus illis quos Demipho consulebat. Unus suadebat Demiphoni, alter dissuadebat, tertius dicebat sententiam, ut rursus deliberatione opus esset. Ita Demipho incertior erat multo, quam dudum.

3 Latinis. *aqua intercus*, quod sub cute aqua nascatur qua corpus distenditur. Corrupti jecoris vitio, vel splenis, acerbus crescit hydrops. *Seren.*

4 Cruenta alvi dejectio, cum intestinorum torminibus.

dysenteria? LI. Non arbitror. GE. Num febris? LI. Opinor febris esse speciem, sed novam, ut nunc novi subinde morbi exoriuntur, antehac incogniti. GE. At plus satis erat veterum. LI. Ita visum est naturæ nimium novercæ. GE. Quoto die recurrit dolor? LI. Quoto die narras, imo quotidie: sæpius, quàm [1] Euripus. GE. Papæ! malum abominandum. Unde contraxisti morbum? Unde suspicaris hoc esse collectum mali? LI. Ex inedia. GE. At non soles usque adeo superstitiosus esse, ut te jejunio maceres. LI. Non erat religio, sed inopia. GE. Quænam? LI. Quia non dabatur cibus. E frigore natum arbitror. E [2] putribus ovis morbum ortum suspicor. E vino plus satis diluto. E crudis malis contracta est stomachi [3] cruditas. GE. Vide ne ex immodico aut intempestivo studio conciliaris hoc mali, aut ex potatione largiore, aut [4] Venere parum moderata. Quin accersis medicum? LI. Timeo ne citius morbum augeat, quam adimat. Metuo ne pro remedio det venenum. GE. Deligendus est igitur cui tuto fidas. LI. Si moriendum est, malo semel mori, quam tot pharmacis excarnificatus. GE. Fac igitur ut ipse tibi sis medicus. Si diffidis homini medico, precor ut sit tibi medici vice Deus. Sunt qui [5] tecti cuculla Dominicali aut Franciscani revaluerunt. LI. Idem fortassis evenisset, si [6] lenonis pallio tecti fuissent. Verum ista diffidenti nihil conduxi-

1 Fretum angustum inter Bœotiam & Eubœam, septies recurrens de die (ut ajunt) tanto impetu, ut naves repugnantibus velis secum rapiat. Hinc proverb. *Euripus homo*, in inconstantem.

2 Quod Erasmus in vita sua, sibi accidisse narrat, cùm juvenis viveret Lutetiæ in collegio Montis acuti. Vide paulò supra.

3 Gr. ἀπεψία, ventriculi vitium, cibum ægrè concoquentis.

4 Amore, libidine. Metonym. causæ.

5 Tempore quo vixit Erasmus multi ita insanierunt, ut spe valetudinis recuperandæ, sese hujusmodi cucullis induerent. Dicitur autem *cucullus*, quamvis autor noster ubique *cucullam* scribat. De Dominico isto Hispano, & Francisco Assisiensi, quos in Divorum uorum album retulerunt Pontificii, vide inferius annotata in Coll. *Naufrag.* & *Francisc.*

6 Ridet superstitionem Pontificiorum.

conducunt. GE. Fide igitur ut [1] reviviſcas. Alii morbo levati ſunt, [2] nuncupatis alicui divo votis. LI. At ego cum divis non [3] paciſcor. GE. Proinde tu vel à Chriſto, cui fidis, pete ſanitatis beneficium. LI. At ego, an beneficium ſit, neſcio. GE. An non beneficium eſt liberari morbo? LI. Nonnunquam mori felicius eſt. Ab illo nihil peto, [4] niſi ut, quod ſcit optimum eſſe, mihi largiatur. GE. Sume quod alvum [5] dejiciat. LI. Jam ſua ſponte cita eſt. GE. Ciendus eſt alvus, movendus eſt alvus. LI. Imo ſiſtendus eſt magis, nam plus ſatis profluit.

Alia.

GE. Fuitne tibi hoc iter fauſtum & commodum? LI. Sic ſatis: niſi quod nihil uſquam tutum eſt à latronibus. GE. Hic eſt belli ludus. LI. Eſt, ſed ſceleratiſſimus. GE. Pedes advenis, an eques? LI. Partim pedeſtri itinere, partim vehiculo, partim equo, partim navigio. GE. Quo in ſtatu ſunt res Gallicæ? LI. Sane turbulento. Magnæ bellorum minæ ſunt. Quid mali allaturi ſint hoſtibus, neſcio: certe Galli jam ipſi non dicendis malis affliguntur. GE. Unde [6] proficiſcuntur iſti bellorum tumultus? LI. Unde, niſi ex ambitione [7] monarcharum? GE. At horum prudentia conveniebat ſedari rerum humanarum [8] tempeſtates. LI. Sedant illi quidem, ſed ut [9] Auſter mare. Perſuadent ſibi ſe deos eſſe, ſuaque cauſa mundum hunc eſſe conditum.

1 Veluti è morte reſurgas. Convaleſcas, vires reſumas.

2 In Papatu uti ſingulis collegiis, ita ſingulis morbis ſinguli Divi ſunt, quibus vota ſua nuncupant, i. e. hoc vel illud promittunt, ſi convaleſcant, vel è gravi quodam periculo ſerventur.

3 Rectè, & falſe. Vide *Naufragium. Quid eſt enim aliud quàm contractus juxta formulam, Do ſi facias, aut Faciam ſi facias.*

4 Illud petere Chriſtianorum eſt.

5 Purget.

6 Oriuntur.

7 Monarchæ ſunt, penes quos ſolos imperium eſt. à μόνος, ſolus, & ἄρχων, Imperator, princeps.

8 Methaph. turbas.

9 Q. d. Vehementius incitant, u auſter ſolet undas maris extollere.

tum. GE. Imo princeps reipublicæ gratia constituitur, non respublica principis causa. LI. Imo non desunt Theologi,[1] qui frigidam suffundant,& ad hos tumultus[2] classicum canant. GE. Istos ego statuerem in prima acie. LI. At illi sibi cavent[3] post principia. GE. Ista publica fatis curanda relinquamus. Tuæ res quo tandem in statu sunt? LI. Optimo, felici, mediocri, tolerabili. GE. Quo pacto se res habent tuæ? num ex voto? LI. Imo supra votum, supra meritum, supra spem. GE. Satin' ex sententia? Satin' salva omnia? Satisne prospera omnia? LI. Res in pejore statu esse non potest. Pejore in loco negocium non potest esse. GE. Non cepisti igitur quod captabas? non contigit præda quam venabaris? LI. Venabar equidem, sed irata[4] Delia. GE. Nihil reliquum est spei? LI. Spei permultum, sed rei nihil. GE. Episcopus nihil ostendit spei? LI. [5] Tota plaustra, totasque spei naves, sed præterea nihil. GE. Nihil adhuc misit? LI. Promisit quidem largiter, at ne[6] teruncium quidem misit. GE. Ergo spe alendus est animus. LI. Sed hac non saginatur venter. Qui spe aluntur, pendent, non vivunt. GE. Attamen hoc eras ad iter expeditior, quod nihil esset oneris in[7] zona. LI. Fateor; atque etiam tutior. Nulla enim sunt arma certiora adversus latrones. Sed ego malim & onus, & periculum. GE. Nihil ne tibi adem-

1 Proverb. Clam incitent. Tractum videtur à fabris igni frigidam aspergentibus, ut vehementius ardeat.

2 Litem foveant. Proprie signum pugnæ tuba militibus dare. Notat autem Monachos & sacerdotes, bellorum & calamitatum autores.

3 Id est, in tuto. Quasi extra teli ja ctum & periculum, cui in prima acie maxime obnoxii. Vide Terentii Eunuchum, Act. 4. Sc. 7. *hic ego ero post principia.* Fusius annotata vide in *Puerperam.*

4 *Diana* Venationis Dea, sic dicta ab insula patriâ Delo.

5 Id est magnam vim, seu multam copiam. Ita Græci ὅλας ἁμάξας. Vide Erasm. Adag. Chil. 1. cent. 8. Prov. 7.

6 Quem Plinius triuncem vocat, nummulus in vilitatis proverbium versus, est quatta pars assis. Sæpius infra.

7 Milites & viatores olim in zona pecuniam gestabant. Aliam *zonæ* significationem disce infra ex notis in voce *cæstus*, Colloq. de *uxore* μεμψιγάμῳ: Vide & *zonam*, in *Conv. fabul.*

1 Allu-

ademptum est in via? LI. Mihi ne? Quæso quid eripias nudo? Aliis citius periculum erat à me. Licuit mihi vacuo viatori per totum iter [1] canere & esurire. Num quid vis? GE. Quo nunc hinc abis? LI. Recta domum, salutaturus [2] penates jamdiu non visos. GE. Precor ut illic [3] offendas omnia læta. LI. Utinam ita velint superi. Nihil interim extitit novi domi nostræ? GE. Nihil, nisi quod reperies auctam familiam. Nam tua [4] Catulla peperit tibi catulum absenti. Tua gallina peperit tibi ovum. LI. Bene nuncias. Grata nuncias. At ego tibi pro isthoc nuncio polliceor [5] evangelium. GE. Quodnam? secundum Matthæum? LI. Non, sed secundum Homerum. En, accipe. GE. Tibi serva tuum evangelium. Mihi saxorum satis est domi. LI. Ne sperne munusculum. [6] Aëtites est, qui gravidis admotus in [7] nixu, maturat partum. GE. Quid ais? Est mihi sane gratissimum. Dispiciam unde possim hoc donum pensare. LI. Abunde pensatum puta, si boni consulueris. GE. Imo nihil accidere potuit magis in tempore. Nam uxori meæ jampridem tumet uterus. LI. Illud igitur abs te [8] stipulabor, ut si masculum ediderit, me [9] susceptorem ascisças. GE. Polliceor, ac tuum indetur puero nomen. LI. Quod utrisque bene vertat. GE. Imo nobis omnibus.

Personæ.

1 Alludit ad id, *Cantabit vacuus coram latrone viator.* Juven.

2 Deos domesticos (autore Cicerone) quod penes nos nati. Veteres discedentes & revertentes loca salutabant, idque propter Genios, sive Lares, quos locis adesse credebant.

3 Invenias.

4 Locus in Paronomasia. Catulla, & Catulus.

5 Εὐαγγέλιον propriè lætus nuncius, ab εὖ & ἀγγελία. Est autem hic jocus ex ambiguo: nam significat quoque præmium, quod lætum nuncium afferenti datur: ut apud Homerum Odyss. ξ. v. 152. εὐαγγέλιον δ' οἱ μοι ἔσ-ω.

6 Lapidis genus ab aquila nomen habens. Plin. lib. 37. c. 11. ἀετὸς Gr. aquila.

7 Parturientium labore vel dolore.

8 Qui promissum accipit stipulatur: qui vero promittit, & cui promittitur, pacisciturr.

9 Omissis cæteris significationibus, intellige hic qui infantem baptizandum susscipit. Vide infra *Conv. resg.*

1 Ru-

Personæ.

MAURITIUS, CYPRIANUS.

MA. Redisti nobis obesior solito. Redisti procerior. CY. At equidem mallem prudentior, aut doctior. MA. Imberbis abieras, redisti barbatulus. Contraxisti tibi absens nonnihil senii. Quid sibi vult hic pallor? quid macies? quid frons [1] caperata? CY. Ut est fortuna, sic est corporis habitus. MA. Num adversa? CY. Nunquam mihi quidem alias secunda, sed nunquam, quam nunc [2] reflavit odiosius. MA. Doleo, vicem tuam. Dolet mihi tua calamitas. Sed quid isthuc mali est? CY. Universæ pecuniæ [3] naufragium feci. MA. In mari? CY. Non, sed in littore nondum navem ingressus. MA. Ubinam? CY. In littore [4] Britannico. MA. Bene habet quod ipse nobis vivus enatasti. Præstat pecuniæ [5] jacturam facere, quam vitæ. Levius est pecuniæ dispendium, quam famæ. CY. Vita famaque incolumi, periit pecunia. MA. Vita [6] sarciri nullo pacto potest, fama ægre potest, pecunia facile alicunde sarcietur. Qui malum hoc accidit? CY. Nescio, nisi quod sic erat in fatis meis. Sic visum est [7] superis. Sic libuit [8] genio meo malo. MA. Vides igitur doctrinam ac virtutem tutissimas esse divitias, quæ nec eripi possunt, nec gravant circumferentem. CY. Pulchre tu quidem philosopharis, sed interim ego [9] ringor.

Alia.

1 Rugosa. *Caperare*, i. e. asperitatem vultus ostendere, à crispis caprarum frontibus, vel cornuum caprinorum similitudine desumptus modus loquendi est.

2 Metaphora ab adversis ventis.

3 Id est, jacturam feci. Allegoria.

4 Forte Erasmus de se loquitur. Ille enim ex Anglia profecturus in Galliam, spoliatus est in littore Dovarensi.

5 *Iactura* damnum est, & jacturam facere ajunt, quisquis damno afficitur. Vide notas infra coll. *Naufrag. Hoc erat vere jacturam facere.*

6 Semel amissa recuperari.

7 Diis.

8 Græci hunc ἀλάστορα vocant. Veteres non tantum hominibus, sed & locis duos attribuebant genios, quorum alter nocere, alter juvare studet. De Genio alibi.

9 Discrucior animo.

Alia. Personæ.

CLAUDIUS, BALBUS.

CL. Gratulor tibi [1] reduci Balbe. BA. Et ego tibi superstiti Claudi. CL. Gratulor tibi in patriam reverso. BA. Imo gratulare magis è Gallia profugo. CL. Quid ita? BA. Quia illic bellis [2] fervent omnia. CL. [3] Quid Musis cum Marte? BA. Atqui illic ne Musis quidem parcitur. CL. Tu igitur feliciter elapsus es. BA. At non sine periculo. CL. Totus alius nobis redisti. BA. Qui sic? CL. Ex Hollando versus es in Gallum. BA. Quid? [4] an capus eram quum hinc abirem? CL. Vestis indicat te mutatum ex Batavo in Gallum. BA. Hanc [5] metamorphosin malim, quam in gallinam. Sed ut [6] cuculla non facit monachum, ita nec vestis Gallum. CL. Jamne calles Gallice? BA. Sic satis. CL. Quo pacto didicisti? BA. Magistris haudquaquam mutis. CL. Quibus? BA. Mulierculis, quovis [7] turture loquacioribus. CL. In tali ludo facile discimus loqui. Sonasne probe sermonem Gallicum? BA. [8] Imo & Latinum sono Gallice. CL. Nunquam igitur scribes bona carmina. BA. Cur ita? CL. [9] Quia periit tibi syllabarum quantitas. BA. Mihi satis est qualitas. CL. Quid? est ne Lutetia immunis à pestilentia? BA. Non est, sed perpetua non est: aliquando remittit sese, mox [10] recrudescit, nonnunquam intermittitur, deinde recipit sese. CL. Non sat erat malorum ubi bellum est? BA. Erat, nisi secus esset visum [11] superis. CL.

1 Redux dicitur, qui post longam peregrinationem revertitur.

2 Metaphora ab aquis sumpta.

3 Quid eruditis cum bello? Meton. caus. effic.

4 locus est ex ambigua voce *Gallus*.

5 Transformationem.

6 Cucullus. Non semel supra. Respice quoque pag. 12.

7 Proverbium in loquaces.

8 Ridet eos, qui in Gallia discunt linguam Latinam prave pronunciare.

9 Alludit ad hoc, quod vulgus Gallorum perperam accentus pronunciat.

10 Exasperatur, invalescit.

11 Diis.

CL. Annonæ caritatem istic esse oportet. BA. Imo [1] penuriam. Omnium rerum illic inopia est, præterquam sceleratorum militum. Bonorum virorum illic est mira vilitas. CL. Quid accidit Gallis ut bellum suscipiant cum [2] Aquila? BA. Quia movet illos exemplum [3] scarabei, qui non cessit aquilæ. In bello nemo sibi non videtur [4] Hercules. CL. Non te remorabor diutius. Alias latius nugabimur, quum erit utrique commodum. Nunc alio me vocant [5] negotiola quædam.

1. Inopia rerum necessariarum, præcipuè quæ ad penum pertinent.

2. Id est, cum Cæsare Romanorum, cujus insigne est Aquila.

3. Scarabeus aquilam quærit, proverbium est, cum imbecillior longe potentiori malum molitur. Vide infra *Conv. relig.*

4. Vir fortissimus, qualis fuerit Hercules, vel pueris notus.

5. Ταπεινώσει uti solemus arrogantiæ vitandæ causa.

Domestica Confabulatio. Personæ.

PETRUS, MIDA puer, JODOCUS.

PE. HEus, heus puer, nemon' huc prodit? MI. Hic opinor effringet fores. Familiarem oportet esse. O lepidum caput. Quid adfers mi Petre? PE. Me ipsum. MI. Næ tu rem haud magni precii huc attulisti. PE. Atqui magno constiti patri meo. MI. Credo pluris, quam revendi possis. PE. Sed Jodocus estne domi? MI. Incertus sum, sed visam. PE. Quin tu potius abi, & roga ipsum, an velit nunc esse domi. MI. Abi tu potius, sisque tibi ipsi [1] Mercurius. PE. Heus Jodoce, num es domi? JO. Non sum. PE. Impudens, non ego audio te loquentem? JO. Imo tu impudentior. Nuper [2] ancillæ tuæ credidi te non esse domi, & tu

1. Nuncius, & interpres. De Mercurio mercatorum & furum Deo, Deorumque nuncio, non semel infra dicendum.

2. Alludit ad id, quod Cicero refert de Ennio & Nasica, in lib. de Orator. 2. Verba ejus hæc sunt. Nasica, quum ad Poëtam Ennium veniset, eique ab ostio quærenti Ennium ancilla dixisset *domi non esse*. Nasica sensit illam domini jussu dixisse, & illum intus esse. Paucis post diebus, quum ad Nasicam venisset

tu non credis mihi ipsi? PE. Æquum dicis, par pari relatum. JO. Equidem ut [1] non omnibus dormio, ita non omnibus sum domi. Tibi post hac semper ero. PE. Sed tu mihi videre [2] cochleæ vitam agere. JO. Qui sic? PE. Quia perpetuo domi latitas, nec usquam prorepis. Non secus atque [3] claudus sutor, [4] jugiter domi desides. Tu tibi domi [5] situm contrahis. JO. [6] Est quod agam domi; foris nihil est negocii. Et si quid esset, tamen hoc cœlum me dies aliquot à publico [7] cohibuisset. PE. At nunc [8] sudum est, & invitat ad deambulandum. Vide ut blanditur. JO. Si prodeambulare lubet, non recuso. PE. Plane videtur hoc utendum cœlo. JO. Ascisendus est unus aut alter congerro. PE. Fiet, modo dicas quos velis. JO. Quid si Hugonem? PE. Haud multum interest inter Hugonem & [9] nugonem. JO. Age placet. PE. Quid si Alardum? JO. Homo minime mutus est. Quod auribus diminutum est, lingua [10] pensat. PE. Si videtur, Nevium adjungemus. Si quidem dabitur illius [11] copia, nunquam erit fabularum inopia. JO. Placent confabulo-

nisset Ennius, & eum à janua quæreret, exclamat Nasica *se domi non esse*. Tum Ennius, *quid? ego non cognosco vocem*, inquit, *tuam?* Hic Nasica: *Homo es impudens. Ego quum te quærerem, ancillæ tuæ credidi te domi non esse: tu mihi non credis ipsi?* Valde ridentur, quæ à prudentibus, quasi per dissimulationem non intelligendi, subabsurde, falsèque dicuntur.

1 *Non omnibus dormire* dicuntur, qui non omnibus inserviunt, neque per omnia gerunt morem. Adagium hinc natum. Cum Galba quispiam Mæcenatem accepisset convivio, sentiretque jam e nutibus, illum uxoris amore captum, sensim dimisit caput, perinde quasi dormiret. At cum interea famulus ad mensam accedens vinum clam tolleret: ibi jam vigil & oculatus; Infelix, inquit, an nesciebas me soli Mæcenati dormire?

2 Cochleæ vitam agere dicuntur, qui parvo contenti à publicis negotiis abstinent.

3 Plautinum est, Aul. Sc. 1. Act. 1.

4 Assiduè.

5 Squalorem.

6 Forte alludit ad Homeri carmen in Hymn. ad Mercur. Οἶκοι βέλτερον εἶναι ἐπὶ βλαβερὸν τὸ θύρηφι. i. e. *Domi melius est esse; quoniam noxium quod foris.*

7 Detinuisset.

8 Cœlum siccum & serenum.

9 Dic nugatorem.

10 Supplet.

11 Facultas ejus conveniendi.

bulones, supereſt ut locum diſpicias amœnum. PE. Ego vero tibi locum oſtendam, ubi nec nemoris umbram, nec pratorum [1] ſmaragdinum virorem, nec fontium vivas [2] ſcatebras deſiderabis. Dices dignam Muſis ſedem. JO. Magnifice polliceris. PE. Nimium [3] affixus es libris. Nimium aſſides libris. Immodico ſtudio te ipſum maceras. JO. Malim ſtudio marceſcere, quam amore. PE. At non ideo vivimus, ut ſtudeamus: ſed ideo ſtudemus, ut ſuaviter vivamus. JO. Mihi vero vel immori chartis dulce eſt. PE. Equidem immorari probo, immori non probo. Ecquid voluptati fuit hæc deambulatio? JO. Me quidem vehementer oblectavit.

1 Eſt e im ſmaragdus gemma viridis
2 Saturigines aquarum.
3 Pertinaciter litteris operam dare, Hyperbole.

Alia. Perſonæ.

ÆGIDIUS, LEONARDUS.

Æ. [1] Quo noſter Leonardus? LE. Ad te ibam. Æ. Iſtud quidem facis [2] inſolens. LE. Quam ob rem? Æ. Quia jam annus eſt, quod nos non inviſeris. LE. Malo in hanc peccare partem, ut deſiderer, quam ut [3] obtundam. Æ. Imò boni amici nulla eſt apud me ſatietas. Imo quo crebrius venies, hoc mihi venies gratior. LE. Quid interim agitur domi tuæ? Æ. Multa ſane quæ nolim. LE. Non miror. Sed jamne peperit uxor? Æ. Jamdudum, & quidem gemellos. LE. Quid ego audio? Æ. Sic res habet: atque illi jam denuo tumet uterus. LE. Iſthoc pacto ſolet augeri familia. Æ. Sed utinam fortuna ſic augeret pecuniam, ut uxor familiam? LE. Jamne elocaſti filiam? Æ. Nondum.

1 Sup. it.
2 Præter morem ſolitum.
3 Obtundere, eſt ſæpius eadem re petendo alicui moleſtiam & faſtidium afferre. Ita ſæpe in Terentio. Metaphora à pugilibus, qui crebris cæſtuum ictibus antagoniſtarum aures obtundunt; vel etiam a fabris, qui ferrum malleis tundunt, hebetantque.

dum. LE. Vide ne parum tutum sit virginem tam grandem detinere domi. Quærendus est gener aliquis. Æ. Nihil opus. Jam proci complures illam ambiunt sponsam. LE. Quid igitur superest, nisi ut è multis deligas, qui tibi maxime sit [1] accommodus? Æ. Omnes ejusmodi sunt, ut nesciam quem cui præferam: sed abhorret à nuptiis filia. LE. Quid ais? Atqui, ni fallor, jamdudum nubilis est. Jamdudum est apta viro, matura conjugio. Jampridem est tempestiva viro. Æ. Quidni, annum egressa jam decimum septimum? Annum jam agens [2] undevigesimum. Annos nata decem & octo. LE. Cur abhorret igitur à matrimonio? Æ. Ait se velle [3] Christo nubere. LE. Sane multas habet ille sponsas. An [4] malo genio nupsit, quæ caste vivit cum marito? Æ. Mihi quidem non videtur. LE. Quis Deus hunc affectum [5] afflavit filiæ? Æ. Nescio, sed abduci ab hoc proposito nullis rationibus potest. LE. Vide ne sint [6] incantatores, qui instigent & allectent. Æ. Novi ego istos [7] plagiarios. Sedulo arceo hoc hominum genus ab ædibus meis. LE. Quid igitur est in animo? Morem geres animo puellæ? Æ. Equidem obluctabor quoad licebit. Nihil non experiar, quo mutem illius sententiam. Quod si [8] pertendet, ut cœpit, non pugnabo cum illius animo, ne forte videar [9] θεομαχεῖν vel potius [10] μονομαχεῖν. LE. Religiose tu quidem loqueris. Sed etiam atque etiam fac explores virginis constantiam, ne post facti pœniteat,

1 Tuo ingenio accommodatus.

2 Decimum nonum.

3 Ubi virgines Monasterio includuntur, vel perpetuam virginitatem vovent, Papicolæ dicunt eas Christo (si Diis placet) nubere. Vide *Proci & Puellæ* Coll.

4 Respice pag. 16.

5 Afflando indidit.

6 Ab incanto, veneficiis afficio. Intelligit monachos. Vid. Colloq. *Virg. pœnit.*

7 Plagium est furti genus. Hinc plagiarii dicuntur, qui aliena mancipia, aut liberos abducunt.

8 Contendet, ut quod vult ad finem perducat.

9 Cum Deo pugnare.

10 Cum monachis pugnare. Alludit Erasmus, monachorum vitam perosus, ad vocem μονομαχεῖν, quod est singulari certamine congredi.

teat, cum mutare non erit [1] integrum. Æ. Equidem [2] adnitar pro mea [3] virili. LE. Quid rerum gerunt filii? Æ. Natu maximus jamdudum maritus est, brevi pater futurus. Minimum [4] ablegavi Lutetiam. Nam hic nihil aliud quam ludebat. LE. Quid eo? Æ. Ut Magister nobis redeat stultior, quam exierat. LE. [5] Bona verba. Æ. Medius jam cœpit [6] initiari Sacris. LE. Precor ut bene vertat omnibus.

1 Licitum absque damno.
2 Summa ope nitar. Sall.
3 Scil. parte.
4 Ex oculis removi.
5 Vide supra pag. 11.
6 Ab *initio* sacris imbui. Initiatus sacris imbutus. Hinc *initiari* pro auspicari.

Alia. Personæ.

MOPSUS, DROMO.

MO. Quid fit? Quid agitur Dromo? DR. Sedetur. MO. Video. Sed quomodo se res habent tuæ? DR. Ut solent iis, quibus [1] superi sunt parum propitii. MO. [2] Isthuc ominis avertat Deus. Quid agis? DR. Equidem ocium ago. Id quod vides, nimirum nihil. MO. [3] Præstat ociosum esse, quam nihil agere. Ego te fortassis occupatum seriis negociis interpello. DR. Imo maxime vacuum. Jam enim me ceperat ocii tædium, & [4] congerronem desiderabam. MO. Fortassis impedio, interrumpo, interturbo tua negocia. DR. Imo tædium ocii discutis. MO. Da veniam si te [5] parum in tempore interpellavi. DR. Imo ipso in tempore advenis. Opportune te huc attulisti. Optatus ades. Interventus tuus est mihi vehementer gratus.

MO.

1 Dii.
2 *Omen* quasi *Oremen* dictum ab antiquis futuræ rei pronunciatio, hominis ori incidens non sine Deorum instinctu. Generaliter autem est signum futuræ rei vel bonæ vel malæ.
3 Atilii facete dictum apud Plin. lib. 1. Ep. ult *ociosum esse*, pro quiescere, vacare ab officiis, vel esse in ocio literario, *quam nihil agere*, quam rebus inanibus implicari.
4 Revise notas pag. 3.
5 Intempestive, non opportune.

MO. Fortassis aliquid seriæ rei inter vos agitur, cui nolim esse impedimento. DR. Imo [1] lupus, quod ajunt, ades in fabula. Nam de te sermo erat. MO. Facile crediderim: nam mihi huc venienti mire [2] tinniebat auris. DR. Utra? MO. Læva. Unde conjicio nihil magnifice de me fuisse prædicatum. DR. Imo nihil non honorificum. MO. Vanum igitur fuerit oportet. Sed quid est bonæ rei. DR. Ajunt, te venatorem esse factum. MO. Imo jam intra casses meos est [3] præda quam venabar. DR. Quænam? MO. Lepida puella, quam perendie ducturus sum: vosque oro ut meas nuptias vestra præsentia dignemini honestare. DR. Quænam est sponsa? MO. Aloisia Chremetis filia. DR. Egregium [4] spectatorem formarum! Tuis oculis adlubuit illa, nigro capillitio, [5] simis naribus, ore prælargo, ventre [6] prominulo? MO. Desinite. Mihi eam duxi, non vobis. Non sat est, quod suo [7] regi pulchra est regina? Ita demum mihi illa placebit, si vobis non admodum placeat.

1 Cum improviso irrumpit, cujus mentio fit. Vide Chil. 3. cent. 8. Prov. 56 & infra notas pleniores in fine *Conv. fabulos.*

2 Refert Plinius vulgo quandoque creditum fuisse, ut qui laudaretur absens, ei dextra tinniret auris, qui vituperaretur, sinistra. Unde & ad nos proverbium transiit.

3 Respicit ad illud Ovidianum. *Incidit in casses præda petita meos.* De puella loquitur. De Arte Amandi lib. 2.

4 Desumptum ex Terentii Eunucho Act. 3. Sc. 5 *Noru quam egregius formarum spectator siem. Spectator*, i. e. *Explorator, probator.* Gr. δοκιμαστης.

5 *Simis naribus* esse dicuntur, qui sunt *naribus pressis.*

6 Prominente.

7 Proverbium est. Suum cuique pulchrum. Belg. *Elk pryst zyn lieffte, al waar ze besnot.*

Alia.

SYRUS, GETA.

SY. Opto tibi multam felicitatem. GE. Et ego tibi conduplicatum opto, quicquid optas mihi. SY. Quid agis rei? GE. Confabulor. SY. Quid? confabulare solus? GE. Ut vides. SY. Fortasse tecum. Proinde tibi videndum, ut cum homine probo fabuleris. GE. Imo cum lepidissimo congerrone fabulor. SY.

Quo? GE.[1] Apulejo. SY. Iſtud quidem nunquam non facis. Sed [2] amant alterna Camœnæ. Tu perpetuo ſtudes. GE. Non eſt ulla ſtudiorum ſatietas. SY. Verum, ſed[3] eſt tamen modus quidam. Non omittenda quidem ſunt ſtudia, ſed tamen intermittenda nonnunquam. Non abjicienda ſunt, ſed relaxanda. Nihil ſuave quod perpetuum. [4] Voluptates commendat rarior uſus. Tu nihil aliud quam ſtudes. Perpetuo ſtudes. Continenter incumbis literis. Indeſinenter inhæres chartis. Studes noctes ac dies. Nunquam non ſtudes. Aſſiduus es in ſtudio. Jugiter intentus es libris. Nullum facis ſtudendi finem, neque modum. Nullam ſtudiis tuis requiem intermiſces. Nunquam ſtudendi laborem nec intermittis, nec remittis. GE. Age, tuo more facis. Rides me ut ſoles. Nunc ludis tu quidem me. Salſe me rides. [5] Satyricum agis. [6] Naſo me ſuſpendis adunco. Non me fallit tuum [7] ſcomma. Nunc plane joco mecum agis. Sum tibi riſui. Rideor abs te. Pro delectamento me habes. Nunc me ludos [8] deliciasque facis. Eadem opera aſſue mihi auriculas aſini. Ipſi codices pulvere ſituque obducti loquuntur, quam ſim immodicus in ſtudio. SY. [9] Emoriar, ni loquor ex animo.

[1] Diſpe-

1 Eſt hic autor non ſpernendus, in quem fuſius annotata vide in Colloq. *Inquiſ. de Fide.*

2 Hemiſtichium. Bucol. Virg. 3. 59. *Camœnæ.* Muſæ. Hom II. α. Μουσάων θίαι ἀεὶον ἀμειβόμεναι ἐπὶ καλῇ.

3 Præceptum illud Horatianum protritum. *Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines &c.*

4 Hiſce verbis & quidem veriſſimis claudit Juvenalis Satyram XI. Vide infra *Epicureum.*

5 Qui Satyras conſcribunt, vocantur Satyrici. Eſt enim Satyra carmen acerbum, ad carpenda vitia compoſitum, ita dictum à Satyris petulantibus, aut ridiculis perſonis, qui in antiqua Satyra introducebantur.

6 Naſo adunco aliquem ſuſpendere, eſt ſubdole irridere. Gr. Μυκτηρίζειν. Naſus ſagacem ſapientiam repræſentat; ſimilitudine ſumpta à beſtiis, olfactu indagantibus. Hinc *Naſuti* dicuntur, qui alios docte ſolent irridere. *Ut plerique ſolent, naſo ſuſpendis adunco ignotos.* Horat. lib. 1 Satyr. 6.

7 Gr. σκῶμμα. Lat. cavillum, vel cavillatio. Macrobio eſt morſus figuratus, qui ſæpe fraude vel urbanitate tegitur, ut aliud ſonet, aliud intelligat, nec tamen ſemper ad amaritudinem pergat.

8 Petulanter me animi tui gratia rides. Adde *Tu*, & videbis integrum pentametrum. *Nunc tu me ludos, deliciasque facis.*

9 Iurantium voces.

1 Id

[1]Dispeream, si quid fingo. Ne vivam, si quid simulo. Loquor id quod sentio. Quod res est dico. Serio loquor. Ex animo loquor. Non secus sentio, quam loquor.

Cur non visis?

GE. Quid causæ est, quod tam diu nos non inviseris? Quid rei est, quod nos tam raro visis? Quid accidit, quod tanto tempore nos non adieris? Quare tam rarus es salutator? Quid sibi vult, quod nos tam diu non conveneris? Quid obstitit, quo minus visas nos frequentius? Quid impedimento fuit, quo minus jam diu feceris nobis tui videndi [2] copiam?

Non licuit per occupationes.

SY. Non licuit per ocium. Volui quidem, at non licuit mihi per mea negocia. Hactenus non sinebant negocia, ut te viserem. Non patiebantur[3] undæ negociorum, quibus involvebar, ut te salutarem. Occupatior fui, quam ut potuerim. Tam variis distringebar curis, ut mihi non fuerit liberum adire te: vix ipsi mihi fuit copia mei, sic me totum molesta quædam negocia possidebant. Negociis meis imputabis, non mihi. Non defuit voluntas, sed vetuit necessitas. Hactenus non vacavit. Hactenus non contigit ociũ. Hactenus non fuit vacuum. Non licuit per valetudinem. Non licuit per tempestatem. GE. Equidem accipio tuam excusationem, sed hac lege, ne sæpius utaris. Excusatio tua justior est, quam vellem, si quidem valetudo fuit in causa. Hac lege mihi purgatus eris, si quod cessatum est, officio [4] sarcias: si superiorem cessationem crebra visitatione penses. SY. Tu nihil moraris

1 Id est, male peream.

2 Facultatem.

3 Immensa negotia. Ita Catullus. *Undæ curarum* pro immensis curis. Et apud Ciceronem *unda comitiorum* pro varia sententiarum multitudine, quibus velut undis mare, ita etiam comitia, fervent.

4 Corrigas, vel, ut mox subjungit crebra visitatione penses.

raris istius modi officia nimium vulgaria. Amicitia nostra firmior est, quam ut sit officiis istis vulgaribus alenda. Satis crebro visit, qui constanter amat. GE. Male sit istis curis, quæ te nobis adimunt. Quin imprecer istis negociis, quæ talem amicum nobis invident. Pessime sit isti febri, quæ nos tam gravi desiderio torsit tui. Male pereat ista febris, te quidem incolumi.

Mandandi ac pollicendi.

JACOBUS, SAPIDUS.

JA. Quæso ut hæc res tibi cordi sit. Etiam atque etiam rogo ut hoc negocium tibi sit curæ. Hac in re velim ut totum Sapidum exeras. Si me amas, causam hanc tractabis diligenter. Hac in re quæso ut advigiles. Curabis hanc rem mea causa diligenter. Si vere is es, quem semper esse te mihi persuasi, fac ut sentiam hac in causa, quanti me facias. SA. Desine, ego tibi hoc effectum reddam, & quidem propediem. Eventum præstare non possum: illud polliceor, mihi nec fidem, nec studium defuturum. Curabo diligentius, quam si mea res ageretur: quamquam meam esse duco, quæ sit amici. Faciam ut in me quidvis desideres citius, quam fidem ac diligentiam. Tu fac [1] in utramque dormias aurem: ego tibi hoc confectum dabo. Tu quietus esto, in me recipio [2] provinciam omnem. Gaudeo mihi datam occasionem, qua declarem animum in te meum. Equidem oratione nihil polliceor, sed

1 Desumptum, ut plurima alia, ex Terentio in Heautont. *Ademptum tibi jam faxo omnem metum, in aurem utramvis otiose ut dormias.* Id est. Sis animo otioso, securo & vacuo. Idem quod Juvenalis vocat *altum dormire*, quem vide Satyr. 1. l. 1. -- *Consilium dedimus Syllæ, privatus ut altum dormiret.*

2 Intellige hic Metaphorice onus rei gerendæ ut in Terent Phorm. *O Geta provinciam cepisti duram.* Nam regiones longe ab Italia bello acquisitæ Provinciæ nuncupatæ, à *procul vincendo*: ad quas quia Prætores cum officio mittebantur, officia quoque provinciæ nominata sunt. Fusius de Provincia dictum sumus infra in *Conv. Relig.*

sed re præstabo, quidquid est amici sinceri, & ex animo bene volentis. Nolim te [1] lactare vanâ spe. Illud efficiam, ut dicas hoc negocii mandatum amico.

1 *Lactare* pro producere, habet significationem frustrationis. *Lactare*, inquit Donatus, est inducere in aliquam voluptatem. A *Lactando*, unde *oblectare*: nisi forte sit Metaph. à matribus. Terent. in Andria, Act. 4 Sc. 1. *Nisi me lactassis amantem*, infra.

Successus.

SA. Res succesſit opinione melius, Fortuna votis utriusque favit. Si fortuna tibi nupsisset, non potuisset esse obsequentior. Res tua [1] & ventis, & amne secundo processit. Vicit etiam vota nostra fortunæ faventis afflatus. Opinor te [2] litasse Rhamnusiæ, cui sic ex sententia cadunt omnia. Plus impetravi quam fuissem ausus optare. Ventis per omnia secundis hic cursus nobis peractus est. Res omnis cecidit ex sententia. Pulchre nobis cecidit hæc [3] alea. Opinor [4] volasse noctuam, adeo feliciter exiit nobis parum sapienter institutum.

Gratiarum actio.

JA. Equidem & [5] gratiam habeo, & habiturus sum, quoad vivam, maximam. Pro isto tuo in me officio pares agere gratias vix possim, referre nequaquam. Video quantum debeam tuo in me studio. Nihil miror, neque enim tu quicquam novi fecisti, & hoc magis debeo. De isthoc tuo in me officio, amo te mi Sapide, ut par est, maxime. Quod hac in causa præstiteris

1 Metaph. à navigantibus.

2 *Rhamnusia* Fortunæ cognomentum est à Rhamnunte Atticæ vico, ubi simulachrum ejus colebatur. Est & eadem quæ *Nemesis* dicitur. i. e. Dea vindictæ. Litat autem, non qui sacrificat sed cujus sacrum Deo placuit.

3 *Alea*, quæ proprie significat omne ludi genus, quod in sortis varietate consistit, hoc loco sumitur, ut frequenter apud probos auctores, pro quavis fortuna & periculi dubitatione. Hinc *aleam jacere* pro periculum facere.

4 Γλαῦξ ἵπταται. Athenienſibus olim noctuæ volatus victoriæ symbolum habebatur, quod hæc avis Minervæ sacra crederetur. Hinc rebus ex voto fluentibus dicitur *Noctua volat*. Nec illepide dici potest *volasse noctuam* quoties res non viribus sed pecunia confecta est, quia Athenienſium nummi noctuam haberent insculptam.

5 Vide infra annotata in formulas agendi gratias.

1. Non

ris amicum[1] minime aulicum, & habetur à me gratia, & semper habebitur. Quod meum negocium tibi cordi fuerit, amo te, & habeo gratiam. Isthoc officio gratiam inisti apud me maximam. Pergratum est, quod causam meam egeris bona fide. Ex omnibus officiis, quæ tu plurima in me contulisti, hoc est longe gratissimum. Referre gratiam parem nequaquam possum: agere accuratius inter nos supervacaneum sit: quod unum possum, habebo dum vixero. Isthoc beneficio fateor tibi me magnopere devinctum esse. Hoc nomine plus tibi debeo, quam unquam[2] solvendo esse queam. Hoc beneficio arctius me tibi[3] devinxisti, quam ut possim dissolvere. Obligatiorem me tibi reddidisti, quam ut nomen meum è tuo[4] diario possim unquam[5] expungere. Hoc officio me sic tuum reddidisti, ut nullum[6] mancipium æque sit in rebus heri sui. Hac re me tibi devinctiorem reddidisti, quam ut unquam[7] æs alienum possim resolvere.[8] Plurimis nominibus tibi debeo, sed non alio plus quam hoc. Pro mediocribus beneficiis agendæ sunt gratiæ: hoc majus est, quam ut conveniat verbis gratias agere.

Responsio.

SA. Auferm ihi ista. Major est nostra[9] necessitudo, quam ut vel tu mihi, vel ego tibi pro ullo officio debeam gratias agere. Non contuli hoc in te beneficium, sed retuli. Mihi quidem abunde relatam gratiam arbitror, si gratum est quod feci sedulo. Non est cur mihi gratias agas, si pro tot tuis in me beneficiis non

1 Non fallentem, quia fere aulici verbo tenus amant, re ipsa vero nihil minus præstant quam promissa.

2 Solvendo non esse dicuntur, qui quod debent solvere nequeunt.

3 Eleganter manet in Metaphora.

4 *Diaria* codicilli sunt, sive Commentioli rerum agendarum in singulos dies. Alioquin & diarium significat mercem vel cibum unius diei.

5 Delere scriptum.

6 Mancipium dicitur homo in bello captus, & servituti subjectus. Varroni quod manu capiatur.

7 Debitum.

8 Plurimis de causis.

9 Amicitiæ vinculum.

1 Dimu-

non vulgaribus hoc[1] officioli rependi. Equidem nihil laudis mereor: ingratissimus habendus, si defuissem amico. Quicquid est in rebus meis, quicquid mea cura præstari potest, hoc tam tuum esse ducito, quam id quod est maxime tuum. Videor mihi beneficium accepisse, quod nostrum officium boni consulis. Pro tantillo officio mihi tam accurate gratias agis, quasi non multo majora tibi debeam. [2] Sibi bene facit, qui bene facit amico. Qui bene meretur de amico, non dat beneficium, sed fœnerat. Si ex animo probas officium in te meum, fac utare sæpius. Ita credam tibi gratum esse quod feci, si quoties desiderabis[3] operam meam, non roges, sed imperes quod voles.

1 Diminutivum. Arrogantiæ vitandæ causa.
2 Est enim amicus tanquam alter idem. Et amicorum omnia sunt communia.
3 Auxilium.

Alia in congressu.

ARNOLDUS, CORNELIUS.

AR. SAlve multum Corneli, jam toto seculo desiderate. CO. Salve & tu sodalis exoptatissime. AR. Jam desperabamus reditum tuum. Ubi tamdiu peregrinatus es? CO. Apud inferos. AR. Non admodum veri dissimile dicis, adeo nobis redisti squalidus, macilentus, ac pallidus. CO. Imo[1] ab Hierosolymis adsum tibi, non à [2] profundis manibus. AR. Quis Deus, aut quis ventus te illuc adegit? CO. Quæ res adigit alios innumeros? AR. Stultitia, ni fallor. CO. Igitur hoc convicii non in me solum competet. AR. Quid illic venabare? CO. Ut miser essem. AR. Isthuc licet-

1 Ridet Erasmus superstitionem quorundam, qui solebant, susceptis votis, grandi pietatis opinione, præcipuquidem ante aliquot secula, ad illam urbem ultro citroque commeare; qua si divinitus damnato loco quicquam sanctitatis inhæreret.
2 Id est. *inferu.* Alludit vero ad Polydorum, quem Euripides in Hecuba inducit loquentem. *Adsum profectus e profundis manibus* ἥκω νεκρῶν κευθμῶνα κ᾽ σκότε πύλας λιπών.

1 Ita

licebat domi. Estne illic, quod tu putes spectatu dignum? CO. Ut ingenue fatear tibi, propemodum nihil. Ostenduntur quædam monumenta vetustatis, quorum mihi nihil non videbatur commentitium, &[1] excogitatũ ad alliciendos simplices & credulos. Imo nec hoc arbitror illos certo scire,[2] quo loco sita fuerit olim Hierosolyma. AR. Quid igitur vidisti? CO. Magnam ubique[3] barbariem. AR. Nihilo sanctior redis? CO. Imo multis partibus[4] deterior. AR. Nummatior ergo? CO. Imo[5] nudior leberide. AR. An non pœnitet igitur tam longinquæ peregrinationis frustra susceptæ? CO. Nec pudet, quia tam multos habeo stultitiæ meæ sodales: nec pœnitet, quia frustra jam sit pœnitere. AR. Nihil ergo fructus refers è tam difficili peregrinatione? CO. Multum. AR. Quid tandem? CO. Quia posthac vivam suavius. AR. An quia jucundum est[6] meminisse laborum actorum? CO. Est isthuc quidem nonnihil, sed non in hoc sunt omnia. AR. Estne aliud præmium? CO. Est sane. AR. Quod?[7] effare. CO. Magna voluptate, quoties libebit, & ipse me afficiam, & alios mentiendo, quoties itinerarium meum recitabo in[8] conciliabulis aut in conviviis. AR. Profecto[9] non tu procul aberras à scopo. CO. Deinde non minus capiam voluptatis, cum alios audiam

1 Ita est. Multa enim illic mendacia monachi peregrinantibus pro miraculis obtrudunt.

2 Nam postquam Titus Vespasianus urbem solo æquasset, deinde Adrianus Imperator Judæorum defectione exacerbatus, ruinas Hierosolymæ è fundamentis eruit, & in minutissima frusta contudit, ut cum disjectis reliquiis ipsa civitatis vestigia aboleret.

3 Nihil mirum equidem: utpote cum urbs Ælia (hæc est, quam Adrianus prope montem Githon ædificaverat, & quæ nunc Hierosolymæ nomine insignitur) post varias expugnationes tandem in Barbarorum Turcarum manus devenerit, nihil prisci illius splendoris retinens quam falsum Hierosolymæ nomen.

4 Juxta proverbium nostrum.

5 Proverbium est in vehementer tenues. Nam *Leberis* significat serpentis exuvium, quo nihil potest esse inanius.

6 Vide Prov. *Acti labores.* Ex ipsa natura sumtum. Insitum enim hoc est omnibus, ut jucunda sit cuique ante actorum malorum secunda recordatio.

7 Eloquere.

8 Locus, quo in cœtum convenitur.

9 *Non aberrare à scopo*, est rem ipsam conjectura assequi. *Scopus* est, ad quem sagitta dirigitur. Hinc illa Metaphora.

diam mentientes de rebus, quas nec audierunt unquam, nec viderunt. Idque faciunt tanta confidentia, ut cum narrent [1] Siculis gerris vaniora, tamen sibi etiam persuadeant se vera loqui. AR. Mira voluptas! Non omnino tibi periit [2] oleum & opera quod ajunt. CO. Imo hoc arbitror aliquanto consultius, quam quod faciunt isti, qui paullo pecuniæ conducti proficiscuntur in militiam, omnium scelerum scholam. AR. Sed illiberalis est voluptas, ex mendaciis voluptatem capere. CO. Verum hoc aliquanto liberalius, quam obtrectatione vel delectare, vel delectari, aut aleâ tempus & rem perdere. AR. Cogor equidem [3] pedibus in tuam ire sententiam. CO. Verum est & alius fructus. AR. Quis? CO. Si quis erit amicus egregie charus, [4] affinis huic insaniæ, eum admonebo domi maneat: ut nautæ solent ejecti naufragio, monere navigaturos, quid periculi sit vitandum. AR. Utinam mihi monitor adfuisses in tempore! CO. Quid? num similis morbus te quoque corripuit? Num afflavit & te hujus mali contagium? AR. Visi Romam & [5] Compostellam. CO. Deum immortalem, quanto mihi solatio est, te contigisse stultitiæ meæ socium! Quæ Pallas isthuc tibi misit in mentem? AR. Non [6] Pallas, sed ipsa [7] Moria,

1 *Gerræ Siculæ* sunt nugæ, & res leviculæ. Græci autem gerras crates vimineas appellant. Proverbium inde otrum est, quia cum Athenienses Syracusas obsiderent, & crebro gerras posecrent, irridentes Siculi gerras clamitabant

2 Proverbium est *Oleum & operam perdere*, i. e. Rem aut laborem fine fructu impendere. Metaphora ducta videtur à gladiatoribus & luctatoribus, qui certaturi oleo & unguento sese perungebant. Cicero illud vult quoque referre ad lucubrantium lucernas.

3 Id est, *sententiam tuam comprobare*. Ortum est adagium è more Senatorum, qui in postremis scripti, non rogabantur sententias, sed quas principes dixerant, in eas discedebant. Hinc *Senatores pedarii*. Vide infra *Senatulum*.

4 Particeps.

5 Compostella est urbs Hispaniæ, & caput Galæciæ. Vulgò *S. Jago*. Ita dicta à D. Jacobo, cujus corpus illic sepultum narrant Pontificii, ex diversis regionibus huc confluentes. Peregrinatores concha insigniuntur. Vide Coll. *Peregrinatio religionis ergo*.

6 Allusio ad Homerum, qui sæpe Palladem, Sapientiæ deam, facit huic aut illi suggerentem quod factu opus sit.

7 *Stultitia*, vox Græca. Hujus encomium festivissimum conscripsit Erasmus.

1 Fa-

Moria, præsertim cum domi haberem uxorem integrâ adhuc ætate, liberos aliquot, & familiam, quæ pendebat ex me, & opera mea quotidiana alitur. CO. Oportuit fuisse seriæ rei quippiam, quod te à charissimis tuis distraxerit. Narra obsecro. AR. Pudet, dicere. CO. Non apud me, qui, ut scis, eodem tenear malo. Ar. Compotabamus aliquot vicini. Ubi vino incaluerat animus, erat qui prædicabat, sibi esse in animo salutare divum Jacobum: erat alter qui divum Petrum. Illico non defuit unus aut alter, qui sponderent se comites fore. Tandem visum est, ut omnes irent simul. Ego, ne viderer parum [1] commodus compotor, pollicitus sum & ipse. Mox agitari cœptum, utro potius iremus, [2] Romam, an Compostellam. Factum est [3] senatus consultum, ut bonis [4] auspiciis utroque postridie proficisceremur omnes. CO. O grave decretum, dignius quod vino [5] inscriberetur quam æri. AR. Ac mox ingens obambulat patera, quam ubi suo quisque ordine ebibisset, votum factum est inviolabile. CO. Nova religio; sed num omnibus contigit reditus incolumis? AR. Omnibus præterquam tribus, quorum unus in profectione moriens, mandavit nobis ut [6] suis verbis salutem diceremus Petro & Jacobo. Alter periit Romæ, jussitque ut suo nomine salutaremus uxorem ac liberos. Tertium reliquimus [7] Florentiæ, valetudinis plane [8] deploratæ. Opinor jam esse apud [9] superos. CO. Adeone pius erat? AR. Imo nugator maximus. CO. Unde igitur isthuc suspicare? AR. Quia peram

1 Facilis.

2 Romæ Petrus, Compostellæ Jacobus divus tutelaris habetur.

3 Romani sententiam Senatus vocabant *Senatus consultum*. Id fiebat aut perrogationem, cum singuli sententiam verbis efferrent, aut per discessionem, quando idem sentientes in unam partem pedibus irent. Vide supra pag. 31. *Pedibus in sententiam ire.*

4 Vide supra pag. 5.

5 Imputaretur. Est amphibolia in hac voce, quia leges priscæ olim æri inscribebantur, i. e. insculpebantur.

6 Suo nomine.

7 Quæ est Hetruriæ Metropolis.

8 Id est, laborantem morbo insanabili.

9 Deos.

1. Pon-

ram habebat [1] indulgentiis largissimis distentam. CO. Audio: sed iter est longum in cælum, nec satis, ut audio, tutum, ob [2] latrunculos qui obsident regionem aëris mediam. AR. Verum: sed ille sat erat munitus [3] diplomatibus. CO. Qua lingua descriptis? AR. Romana. CO. In tuto est igitur? AR. Est, nisi forte incidat in [4] genium aliquem qui Latine nesciat: tum esset illi redeundum Romam, & novum diploma impetrandum. CO. [5] Bullæ venduntur illic & mortuis? AR. Maxime. CO. Sed interim illud mihi monendus es, ne quid effutias incogitantius: jam enim [6] corycæis plena sunt omnia. AR. Ego vero nihil [7] elevo Indulgentias, sed combibonis mei stultitiã rideo, qui quũ esset alioqui nugator nugacissimus, salutis suæ [8] prorã, ut ajunt, ac puppim in [9] membrana collocavit potius, quã in correctis affectibus. Sed quando fruemur illa voluptate quam modo prædicabas? CO. Quum erit commodũ, adornabimus compotatiunculã aliquã, vocabim[9] nostri ordinis homines, ibi certabim[9] mentiendo, nosq; affatim mutuis mendaciis oblectabimus. AR. Age fiat.

1 Pontificiis.

2 Parvos latrones. Ridiculo utitur diminutivo.

3 Bullis Pontificiis, ut vocant. Vide infra *Conv. relig. Conv. fabul.* & alibi.

4 Veteres Genium vocarunt uniuscujusque loci & hominis peculiarem Deum, Dæmonem, vel Angelum.

5 Ita vocant obsignata diplomata, imprimis litteras Pontificis autoritate editas. Qua vero longe alia significatione fuerit *bulla* apud Romanos disce infra in Colloq. *de Funere.*

6 I. e. Observatoribus. Proverbium est: *Corycæus auscultavit:* Inde ortum quod Corycæi, per portus Coryci montis dispersi, negotiatoribusque immixti, eorum propositi itineris cursum, aliaque inquirebant, quæ deinde piratis, quibus cum societatem inietant, significabant.

7 Imminuo.

8 *Proram ac puppim* dicimus, cum totius negotii momentum & præsidium indicamus. Propterea quod à prora & puppi tota pendeat navis.

9 Bullâ membraneâ.

Alia. Personæ.

1 PAMPHAGUS, 2 COCLES.

PA. AUt parum prospiciunt oculi, aut Coclitem veterem proprium est, antiquis etiam dictus fuit luscus, sive qui unum tantum oculum haberet.

1 Παμφαγος. Helluo, qui omnia devorat.

2 *Cocles*, præterquam quod nomen

terem compotorem meum video. CO. Imo nihil te fallunt oculi tui: vides sodalem ex animo tuum. Nulla cuiquam erat spes reditus tui, qui tot annos abfueris, ignaris omnibus quæ te terrarum haberet regio. Sed unde? dic, quæso. PA. Ab [1] Antipodibus. CO. Imo ab [2] insulis, opinor, Fortunatis. PA. Gaudeo quod agnoveris sodalem tuum: nam verebar ne sic domum redirem, quemadmodum rediit Ulysses. CO. Quonam pacto rediit ille? PA. Nec ab uxore est agnitus. Solus canis jam vetulus, motâ caudâ dominum agnovit. CO. Quot annos ille domo abfuerat? PA. Viginti. CO. Tu plures abfuisti: nec tamen fefellit me tua facies. Sed quis isthuc narrat de Ulysse? PA. Homerus. CO. Oh, ille, ut ajunt, [3] pater est omnium fabularum. Fortassis [4] uxor interim asciverat [5] taurum alium, & idcirco non agnovit Ulyssem suum. PA. Imo nihil illa [6] castius: Sed Pallas addiderat Ulysси senium, ne posset agnosci. CO. Qui tandem agnitus est. PA. E [7] tuberculo, quod habebat in digito pedis: id animadvertit nutrix jam admodum anus, dum illi pedes lavat. CO. O curiosam [8] lamiam! Et tu miraris, si ego te agnovi ex isto tam [9] insigni naso? PA. Nihil me pœnitet hujus nasi. CO. Nec est cur pœniteat, cum [10] organum tibi sit ad res tam multas utile. PA. Ad quas? CO. Primum ad extinguendas lucernas erit cornu vice. PA. Perge. CO. Deinde si quid hauriendum erit è cavo

1 Qui pedes habent nostris opposi os: ab ἀντὶ, contra, & πὰς, pes.

2 De Insulis Fortunatis (ita dictæ a fructuum ubertate) vide Lucianum in vera historia: & quæ nos ex Mureto annotavimus infra in *Convivii sobrium*.

3 Hinc insignia commenta, per excellentiam Homerica dicuntur. Vide infra *Ichthuophagiam*.

4 Penelope.

5 Adulterum, robustum in venere. Horat. Epod. 12. *Pervicat male quæ te Lesbia, quærenti taurum monstravit inertem.*

6 Ita volunt Poëtæ. Nam Penelope hæc, ut ajunt, viro absente nec a parentibus, nec a procis adduci potuit, ut fidem marito datam secundis nuptiis violaret.

7 Parvo tubere.

8 Antiquis *Lamiæ* dicebantur mulieres maleficæ, quæ oculos habent foris, domi vero cœcutiunt.

9 Eminenti.

10 Instrumentum.

vo profundiore, fuerit loco [1] promuscidis. PA. Papæ! CO. Si manus erunt occupatæ, licebit uti vice paxilli. PA. Etiam ne amplius? CO. Conducet excitando foculo, si defuerit follis. PA. Belle narras. Quid præterea? CO. Si lumen officiat scribenti, præbebit [2] umbraculum. PA. Hahahe: est præterea quod dicas? CO. In bello navali præbebit usum [3] harpagonis. PA. Quid in bello terrestri? CO. Erit loco clypei. PA. Quid deinde? CO. Findendis lignis erit cuneus. PA. Probe. CO. Si præconem agas, erit tuba: si [4] classicum canas, cornu: si fodias, ligo: si metas, falx: si naviges, ancora: in popina fuerit fuscina: in piscando hamus. PA. O me felicem! Nesciebam me circumferre tam ad multa [5] conducibilem supellectilem. CO. Sed quis interim terrarum angulus te habuit? PA. Roma. CO. At qui fieri potuit, ut in tanta luce nemo te sciret vivum? PA. Imo nusquam magis latent boni viri; adeo ut sæpe [6] clarissima luce neminem videas in frequenti foro. CO. Redis igitur nobis onustus Sacerdotiis. PA. Venatus equidem sum sedulo: at parum favit [7] Delia. Nam complures illic [8] piscantur hamo, quod dici solet, aureo. CO. Stultum piscandi genus. PA. Et tamen [9] pulchre succedit nonnullis. Sed non omnibus feliciter cadit hæc [10] alea. CO. An non insigniter

1 *Promuscis*, id, quod *proboscis*. Elephanti rostrum.

2 Velum adversus umbram.

3 Harpago instrumentum navale est quo injecto attrahunt navem, bellum commissuri. Item pertica ferro adunco præmunita, quâ naves tenentur.

4 Classicum canere, est signum militibus ad pugnam dare.

5 Utilem.

6 Alluxit ad factum Diogenis illius Cynici, qui luce meridiana cum laterna venit in forum, quæsitum, ut ajebat, hominem.

7 Diana venationis Dea, sic dicta ab insula patria Delo.

8 *Aureo hamo piscari*, est in proverbio metaphorico pro parvi commodi cupiditate adire periculum, quo maximarum rerum jacturam facias. Refertur à Suetonio inter Augusti Cæsaris facete dicta. Fit enim non raro ut piscis & ipsum hamum secum auferat.

9 *Alea* pro quovis periculo. Vide fusius annotata infra in colloq. *Proci & puellæ*.

10 Feliciter evenit.

gniter ſtulti ſunt, qui plumbum commutant auro? PA. Sed non intelligis, in plumbo ſacro venas auri ſubeſſe. CO. Quid igitur, rediſti nobis nihil aliud quam [1] Pamphagus? PA. Non. CO. Quid igitur? PA. [2] Lupus hians. CO. Felicius redeunt, qui aſini redeunt ſacerdotiorum ſarcina graves. Cur mavis ſacerdotium quam uxorem? PA. Quia mihi placet ocium. Arridet [3] Epicurea vita. CO. At meâ ſententia ſuavius vivunt, quibus eſt lepida puella domi, quam complectantur quoties libet. PA. Sed adde, nonnunquam quum non libet. Amo voluptatem perpetuam. Qui ducit uxorem, uno menſe felix eſt: cui contingit optimum [4] ſacerdotium, in omnem uſque vitam fruitur gaudio. CO. Sed triſtis eſt ſolitudo; adeo ut nec Adam ſuaviter victurus fuerit in [5] Paradiſo, niſi Deus illi adjunxiſſet Evam. PA. Non [6] deerit Eva, cui ſit opulentum ſacerdotium. CO. Sed voluptas non eſt voluptas, quæ cum mala fama, malaque conſcientia conjuncta eſt. PA. Verum dicis: & idcirco mihi in animo eſt, confabulatione librorum ſolitudinis tædium fallere. CO. Iſtis quidem ſodalibus nihil jucundius. Sed redisne ad tuam piſcationem? PA. Redeo, ſi liceat parare novam eſcam. CO. Aureamne, an argenteam? PA. Utramlibet. CO. Bono animo es, pater ſuppeditabit. PA. Nihil illo [7] tenacius. Nec crediturus eſt denuo, quum intellexerit, mihi [8] ſortem etiam periſſe.

CO.

1 Vide ſupra Παμφάγος. *Omnia comedens.*

2 *Lupus hians* dicitur, qui re multum ſperata & petita fruſtratus diſcedit.

3 Vulgo pro *voluptuaria.* Fuit Epicurus circa tempora Alexandri Magni continentiſſimæ vitæ Philoſophus, qui tamen, opinione ejus male vulgo intellectâ, peſſimè audit, ſtatuebat quippe ſummum bonum in voluptate. Seneca eum ſæpe laudat. De vita beata c. 13 Hinc *Epicuri de grege porci.* Vide infra Coll. *Epicureum.*

4 Cujus ingentes ſunt annui reditus.

5 *Paradiſus* vox Perſica amœniſſimum ſignificat locum: in litteris vero ſacris præcipue hortum illum, quem Deus primis parentibus noſtris inhabitandum dedit.

6 Taxat voluptuoſos ſacerdotes, quibus puellæ non deſunt.

7 Ad rem avidius, ut dicam cum Terentio Eun. act. 1. ſc. 2.

8 Summam. Vide infra Coll. *Senile.*

1 Fortuna

CO. Verum ista lex est aleæ. PA. Sed ille non delectatur hac [1] aleâ. CO. Si pernegabit ille, commonstrabo tibi unde possis quantum voles pecuniæ sumere. PA. Tu vero mihi voluptatem narras: age monstra, jam cor mihi [2] salit. CO. In promptu est. PA. Nactus es thesaurum aliquem? CO. Si nactus essem, mihi nactus essem, non tibi. PA. Si queam corradere centum [3] ducatos, revixerit spes. CO. At ego tibi commonstro, unde possis haurire centum millia. PA. Quin tu igitur me [4] beas? Ne diutius [5] eneca. Dic, unde? CO. Ex [6] Asse Budæi. Illic reperias innumeras [7] myriades, sive auream malis monetam, sive argenteam. PA. Abi quo dignus es cum tuo joco. Illinc tibi resolvam, quod debuero pecuniæ. CO. Resolves, sed quod illinc tibi numeraro. PA. Age, novi [8] nasum tuum. CO. At mihi præ te nasus est nullus. PA. Imo nihil te nasutius. Nihil es nisi nasus, ludis in re seria. Hac in re [9] ringi possim citius, quam ridere. Res gravior est quam ut ridere libeat. Tu si hic esses non luderes. Sum tibi ludibrio. Illudis mihi, & illudis me. Joco me tractas in re neutiquam jocosa. CO. Minime rideo, id, quod res est, dico. Non rideo quidem; imo rem ipsam dico. Serio loquor. Ex animo loquor. Simpliciter loquor. Vera loquor. PA. Ita tibi semper [10] stet in capite pileum, ut ista tu simpliciter loqueris. Sed cesso abire domum, cogniturus quo statu sint illic omnia? CO. [11] Offendes nova

1 Fortunâ, periculo. Sic *aleam jactare* pro periclitari. Contra: *Extra omnem aleam*, id est, extra omne periculû.

2 Præ gaudio.

3 Aureos rectius dixeris.

4 Felicem reddis.

5 Excrucia me. Vox Terentiana.

6 Vixit Erasmi tempore Guilj. Budæus Gallus, qui doctissimum librum *de asse* scripsit.

7 Gr. numerus decem millium 10000.

8 Irrisionem. Vide supra pag. 24. in notis.

9 Iratus ringitur, non ridet. Rictus igitur est diductio labiorum, sed præ dolore. Risus enim ex gaudio.

10 Proverbium in eos, qui aliud animo, aliud linguâ promptum habent.

11 Invenies.

nova permulta. PA. Credo; sed utinam omnia ex animi sententia. CO. Isthuc optare licet omnibus; sed hactenus obtigit nemini. PA. Hoc quoque commoditatis adferet utrique nostrum sua peregrinatio, quod dulcior erit posthac domus. CO. Nescio: nam video, quosdam septies illo recurrere. Adeo [1] scabies illa sine fine solet prurire, si quem semel invaserit.

1 Desiderium instar scabiei pruriens.

Alia. Militaria.

HAMNO, [1] THRASYMACHUS.

HA. UNde redis nobis [2] Vulcanus, qui Mercurius hinc abieras? TH. Quos Vulcanos aut quos Mercurios mihi narras? HA. Quia alatus videbare quum abires, nunc claudicas. TH. Sic à bello rediri solet. HA. Quid tibi cum bello, homo quovis [3] damâ fugacior? TH. Spes prædæ reddiderat fortem. HA. Multum igitur refers [4] manubiarum? TH. Imo [5] zonam inanem. HA. Tanto minus gravare sarcinâ. TH. Atqui sceleribus onustus redeo. HA. Gravis profecto sarcina, si verum dicit [6] Propheta, qui peccatum appellat plumbum. TH. Plus illic scelerum & vidi, & patravi, quam unquam antehac in omni vitâ. HA. Ecquid igitur arridet vita militaris? TH. Nihil neque sceleſtius, neque calamitosius. HA. Quid igitur in mentem venit istis, qui nummo conducti, nonnulli gratis, currunt ad bellum, non aliter quam ad convivium? TH. Ego nihil aliud conjectare possim, quam illos

1 Θρασύμαχος, id est, audax in pugna. Θρασὺς, audax; μάχη, pugna.

2 Vulcanus fingitur claudus. Mercurius vero alatus.

3 Animal timidum, ita ut proverbio nomen dederit.

4 Manubiæ sunt pecuniæ è spoliis collectæ.

5 Romani milites quicquid nummorum habebant in zonis secum portabant. Vid. prov. *Zonam perdidit.*

6 Vide Ezech. 22: 18, 20. Zach. 5: 7, 8.

1 Tres

illos agi malis[1] furiis, seseque totos malo dæmoni, ac miseriæ devoviſſe, nec aliud quam hic[2] manes suos anticipare. HA. Ita quidem videtur. Nam ad res honestas vix ullo precio conduci queant. Sed[3] expone nobis, quomodo gestum sit prælium, & utro sese inclinarit victoria. TH. Tantus erat strepitus, tumultus, tubarum[4] bombi, cornuum tonitrua, hinnitus equorum, clamor virorum, ut neque videre potuerim quid gereretur, adeo ut vix scirem ubi essem ipse. HA. Unde igitur cæteri, qui ex bello veniunt, sic depingunt singula, quid quisque dixerit aut gesserit, quasi nusquam non adfuissent ocioſi spectatores? TH. Ego credo istos mentiri splendide. In tentorio meo quod gestum sit, scio: quid in prælio, prorsus ignoro. HA. An ne hoc quidem scis, unde tibi venerit claudicatio? TH. Vix, ita me[5] Mavors posthac male amet: suspicor aut saxo, aut equi calce læsum genu. HA. At ego scio. TH. Scis? an tibi narravit aliquis? HA. Non, sed[6] divino. TH. Dic igitur. HA. Quum fugeres pavidus, collapsus humi offendisti in silicem. TH. [7]Dispeream, nisi[8] rem acu tetigisti. Adeo verisimile est quod divinasti. HA. Ab idomum, & uxori narra tuas victorias. TH. Illa mihi occinet haud suave[9] encomium, qui nudus redeam. HA. Sed unde restitues, quod rapuisti? TH. Jam pridem restitui. HA. Cui? TH.

1 Tres furiæ Acherontis & Noctis filiæ nominantur à Poëtis: *Alecto*, *Tysiphone*, & *Megæra*, quæ sceleratorum mentes vexant.

2 Id est, mortem suam prævenire, & occupare. *Manes* vulgo pro mortuorum animis, seu umbris.

3 Declara.

4 Sonus raucus. Est & apum sonus.

5 Deus belli. Alio nomine *Mars*, *Gradivus*.

6 Conjicio.

7 Emoriar, male peream. Jurantis vox.

8 Ipsam rem divinasti, & quasi ipsissimum punctum contigisti. Metaphora sumpta à lusu quopiam, in quo divinator, id quod alius notasset, summâ acu tangebat: puta aut lineam, aut calculum, aut aliquid simile. Nam minutissima puncta denotantur acu.

9 Encomio laudari solent, qui fortiter se in bello gesserunt.

TH. Scortis, [1] œnopolis, & iis qui me vicerunt aleâ. HA. Satis militariter. Par est, ut quod male [2] partum est, pejus dispereat. Verum à sacrilegiis, opinor, temperatum est. TH. Imò [3] illic erat [4] sacrũ nihil. Nec profanis parcitum est, nec [5] sanis. HA. Quo pacto [6] sarcies? TH. Negant oportere sarciri, quod in bello commissum sit: jure fit, quod illic fit. HA. Jure belli fortassis. TH. Tenes. HA. At istud jus summa est injuria. Te non patriæ pietas, sed prædæ spes pertraxit in bellum. TH. Fateor, & arbitror paucos illuc ire sanctiore proposito. HA. Est aliquid insanire cum multis. TH. Concionator è [7] suggesto pronunciavit, bellum esse justum. HA. Suggestum illud non solet mentiri. Sed ut justum sit Principi, non continuo justum est tibi. TH. Audivi ex [8] Rabbinis, quod licet suâ cuique arte vivere. HA. Præclara ars, incendere domos, diripere templa, violare sacras virgines, spoliare miseros, occidere innoxios. TH. Lanii conducantur ad mactandum bovem; cur nostra ars reprehenditur, quod conducimur ad mactandos homines? HA. Non eras sollicitus, quonam esset migratura anima tua, si contigisset in bello cadere? TH. Non admodum. Bona spes habebat animum meum. Nam divæ [9] Barbaræ me semel commendaram. HA. Receperat illa tutelam tui? TH. Sic mihi visa est [10] annuere capite aliquantulum. HA. Quando isthuc tibi visum est? mane? TH. Non,

1 Qui vinum vendunt: ex οἶνος, vinum, & πωλέω, vendo.

2 Comparatum.

3 In bello scil.

4 Utpote juxta tritum illud. *Nulla fides, pietasque viris, qui castra sequuntur.*

5 *Fanum*, id est, templum. Hinc *profanus*, irreligiosus, qui à fanis & sacris remotus est.

6 Expiabis, emendabis.

7 A nominativo *suggestum*. Dicitur & *suggestus*, ûs.

8 Rabbinos vocant Hebræi, quos nostri *Magistros nostros* Rabbi enim (vox Syriaca ex Hebræo *Rabb*) cognomen est, quod doctoribus verbi divini tribuebant Hebræi.

9 De Barbara hac virgine Nicomediensi, Christianæ Religionis martyrio coronata, & à Pontificiis Divis adscripta, splendide mentiri sunt male feriati monachi.

10 Quod & Ethnicis bonum indicium erat. Ita Junonis simulachrum Romanis annuere visum est, quando Vejis Romam transportaretur.

1 Ma-

Non, sed à cœna. HA. Sed tum, ut arbitror, etiam arbores tibi visæ sunt ambulare. TH. Ut hic divinat omnia! sed præcipua spes erat in divo [1] Christophoro, cujus imaginem quotidie contemplabar. HA. In tentoriis? Unde illic divi? TH. Carbone pinxeramus illum in velo. HA. Nimirum haudquaquam [2] ficulnum, ut ajunt, præsidium erat [3] carbonarius ille Christophorus. Sed extra jocum; non video qui possis [4] expiari à tantis flagitiis, nisi te conferas Romam. TH. Imo novi viam breviorem. HA. Quam? TH. Ibo ad [5] Dominicales; illic paullo transigam cum [6] commissariis. HA. Etiam de sacrilegiis? TH. Etiam si Christum ipsum spoliassem, ac decollassem etiam; tam largas habent indulgentias, & autoritatem [7] componendi. HA. Bene habet, si vestram compositionem Deus [8] ratam habuerit. TH. Imo magis metuo ne Diabolus non habeat ratã. Nam Deus naturâ placabilis est. HA. Quem tibi sacerdotem deliges? TH. Cui cognovero quam minimum esse [9] frontis ac bonæ mentis. HA. Ne non habeant [10] similes labra lactucas. Ab illo purus abibis ad corpus dominicum? TH. Quid ni? Posteaquam semel effudero [11] sentinam in illius [12] cucullam, ego me exone-

1 Magno illo Divo, cujus simulachrum Lutetiæ est. Vide *Naufragium*. Hic fingitur à Papicolis Christum humeri per aquas portasse, sæpius infra notandus.

2 *Ficulnus*, seu *ficulneus*, quod est ex fieu. Sed *præsidium ficulnum* hic intellige proverb. pro præsidio inutili, & invalido. Alusit forte ad illud Horatii satyr. 8. l. 2. *Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum.*

3 Carbone depictus.

4 Purgari.

5 Monachos ita dictos à Dominico Calaguritano, quos ut sceleslos hic notat Erasmus. Ex his eliguntur execrandi illi inquisitores quos vocant. Vide infra *Naufrag.* & *Exseq. Seraph.*

6 Ita barbare vocantur hi barbari inquisitores.

7 Conciliandi.

8 Approbaverit.

9 Pudoris. Sed vide infra *de Luxu*, in principio.

10 Cum similia similibus, digna dignis eveniunt. Natum adagium ab asino carduos pascente, quæ lactuca asininis labris digna fuit.

11 Scil. omnium scelerum meorum. Metaphora à navibus desumpta. *Sentina* locus est quo colluvies aquarum, & navis sordes confluunt.

12 *Cucullus*, vestis genus est Juvenal. Sumitur & pro tegmine capitis monachi. Verum an hæc *Cuculla* dicatur, Erasmus viderit.

exoneravero sarcina: ipse viderit, qui absolvit. HA. Qui scis, an absolvat? TH. Scio. HA. Quonam indicio? TH. Quia manus imponit capiti, admurmurans nescio quid. HA. Quid si reddat tibi omnia peccata tua, quum manum imponit, hæc admurmurans: absolvo te ab omnibus benefactis, quæ nulla in te comperio: & restituo te tuis moribus, talemque dimitto, qualem accepi? TH. Viderit ille quid dicat: mihi satis est, quod me credo absolutum. HA. Sed isthuc tuo periculo credis. Fortasse non fuerit satis Deo, cui debes. TH. Unde tu mihi obvius, qui mihi conscientiam è [1] serena [2] nubilam redderes? HA. Felix occursus. [3] Bona avis est obvius amicus, qui bene moneat. TH. Nescio quam bona, certe parum suavis.

1 Metaphorice pro quieta, & læta.
2 Metaphorice pro turbata.
3 Vide supra pag. 5. & infra in fine *Inquis. de fide.*

Herilia.

[1] RABINUS, SYRUS.

RA. HEus heus [2] furcifer, jamdudum rauceſco clamore, nec tu tamen expergiſceris: videre mihi vel cum [3] gliribus certare poſſe. Aut ocyus ſurge, aut ego tibi fuſte ſomnum iſtum excutiam. Quando crapulam heſternam edormieris? Non te pudet, [4] ſomnium hominis, in multam lucem ſtertere? Qui frugi ſunt famuli, ſolent exortum ſolis [5] antevertere, curareque ut herus ſurgens reperiat omnia parata. Ut ægre divellitur à nido tepefacto [6] cuculus! Dum ſcalpit caput, dum diſtendit nervos, dum oſcitat, tota abit

1 Aptum heri nomen, ut Syrus ſervi, apud Terentium aliosque comicos. Syrorum gens, teſte Cicerone, ſervituti nata.
2 Servi nequam cum deliquiſſent furcam collo ſuſtinentes vapulabant. Hinc *furcifer* pro nebulonibus.
3 Glis animal dicitur admodum ſomniculoſum, juxta illud Martial. *Tota mihi dormitur hyems, & pinguior illo Tempore ſum, quo me nil niſi ſomnus alit.* Hinc *glire ſomnolentiores* vocantur ſtupidi, qui cum ſtudiis nihil commune habent. Vide Eraſmi Adagia.
4 Somnioloſe.
5 Prævenire.
6 Qui diutiſſime nidum ſervat, & ſerius vere prodit.

abit hora. SY. Vix dum diluxit. RA. Credo tibi. Nam tuis oculis adhuc multa nox est. Tibi nox adhuc est[1] concubia. SY. Quid me jubes facere? RA. Fac ut luceat foculus: verre pileum ac pallium: exterge calceos & crepidas. Inversas caligas primum intus purga scopis, mox foris. Deinde[2] suffitum aliquem facito purgando aëri. Accende lucernam. Muta mihi lineum indusium, ac ad ignem fumi expertem sicca lotum. SY. Fiet. RA. Atqui move te ocyus. Jam hæc feciſſe oportuit. SY. Moveo. RA. Video; sed nihil promoves. Ut incedit[3] testudo; SY. Non possum[4] simul sorbere, & flare. RA. Etiam sententiis loqueris, carnifex? Tolle matulam. Compone lecti stragulas, revolve cortinas. Verre pavimentum. Verre solum cubiculi. Adfer aquam lavandis manibus. Quid cessas asine? Annus est priusquam accendas candelam. SY. Vix reperio scintillam ignis. RA. Sic heri[5] condidisti. SY. Nec follem habeo. RA. Ut responsat nebulo, quasi qui te habeat, careat folle. SY. Quam imperiosum habeo dominum! vix hujus jussis decem expediti famuli fecerint satis. RA. Quid ais, cessator? SY, Nihil; omnia recte. RA. Non ego te audio murmurantem? SY. Equidem precor. RA. Credo Pater noster inversum. Precationem, opinor, Dominicam præpostere. Quid gannis de imperio? SY. Precor tibi ut fias Imperator. RA. Et ego tibi, ut fias homo ex caudice. Sequere me ad templum usque. Mox domum recurrito, lectos concinnato. Hæc confusa, suo quæque loco[6] digerito. Fac ut niteat tota domus. Matulam defricato. Hæc sordida submoveto ab oculis,

1 Noctis primus somnus, cum omnes cubant.

2 *Suffitus*, vel *suffitio*, à verbo suffire: idem quod suffumigare, id est, fumum aliquem excitare. Sed intellige hic fumum quendam odoriferum.

3 Proverbium est. *Testudine tardior.*

4 Desumptum est ex Plauti Mostellaria. Adagium usui venit cum indicamus negotia id genus esse, ut pariter ab iisdem perfici nequeant.

5 Cineri suppositi.

6 Quæque in ordinem dirigito.

lis, fortassis invisent me quidam aulici. Si quid senseró prætermissum, vapulabis largiter. SY. Hic sane novi[1] benignitatem tuam. RA. Proinde cave, si sapis. SY. At interim de prandio nulla[2] mentio. RA. Vah, ut hic mentem habet furcifer! Non prandeo domi. Itaque sub horam decimam ad me transcurrito, adducturus me eo, ubi sum pransurus. SY. Tibi quidem prospectum, sed hic interim nihil est quod edam. RA. Si non est quod edas, est quod esurias. SY. Nemo fit esuriendo satur. RA. Est panis. SY. Est, sed ater & [3] furfuraceus. RA. [4] Delicias hominis! Te quidem fœnum [5] esse oportuit, si pabulum detur te dignum. An postulas ut te asinum tantum placentis saginem? Si fastidis panem citra [6] obsonium, adde porrum, aut, si mavis, cepe.

Alia.

RA. Est tibi abeundum in forum. SY. Tam procul? RA. Non sunt nisi sex passus; tibi pigro sunt bis mille. Consulam autem tuæ pigritiæ. Eadem legatione multa conficies negocia: tu supputa in digitos, ut memineris. Primum deflectes ad[7] vestiarium, ac thoracem[8] undulatum, si jam perfectus est, ab eo recipies. Hic quæres Cornelium[9] veredarium. Is plerumque est in[10] cervo; ibi potitat. Rogabis, si quid habet litterarum ad me, & ad quem diem sit profecturus. Deinde convenies mercatorem pannarium: rogabis meis verbis, ne quid solicitus sit quod pecuniam non miserim ad diem præscriptum; numerabitur propediem.

1 Ironice.
2 Supple *fit*.
3 Ex furfuribus confectus.
4 Pro, O delicatum hominem.
5 Edere. Edo enim, præterquam quod regulariter conjugatur, etiam sic inflectitur, *Edo, Es, Est*, plur. *Estis*.
6 Obsonium dicitur, quicquid ultra panem manducamus. Græce ὀψώνιον. Vide infra *Ichthuophagiam* in principio.
7 Qui vestes conficit, aut vendit.
8 Ad undarum similitudinem plectum.
9 Vulgo *cursorem*; à *Veredo* velocissimi cursus equo.
10 In divertorio, cujus signum Cervus.

1 Id

pediem. SY. Quando? ad [1] calendas Græcas? RA. Rides [2] ganeo; imo ante calendas [3] Martias. In reditu deflectes ad lævam, & ex bibliopolis disces, si quid advectum sit novorum libellorum è Germania. Cognosce qui sint, & quanti venales. Post hæc rogabis Goclenium, ut mihi dignetur esse conviva, alioqui cœnaturo soli. SY. Etiam convivas vocas? non habes domi unde vel murem pascas. RA. Proinde tu, confectis cæteris, abi ad macellum, & eme nobis [4] armum ovillum: eum curabis eleganter assum. Audin hæc? SY. Plura quam vellem. RA. At vide, ut memineris. SY. Vix potero dimidium. RA. Etiam hic stas, cessator? Jam rediisse oportuit. SY. Quis possit unus tot rebus obeundis sufficere? Deduco, ac reduco. Sum illi à scopis, à matula, à pedibus, à manibus, à poculis, à bellis, à rationibus, à jurgiis, à legationibus: postremo non videor illi sat occupatus, nisi sim & coquus.

Alia.

RA. Profer ocreas: nam equitandum est. SY. En adsunt. RA. [5] Probe quidem abs te curatæ: totæ albent [6] situ. Opinor nec extersas, nec unctas hoc anno, adeo rigent præsiccitate. Exterge [7] subuvido panno: mox unge ad ignem diligenter, ac [8] macera, donec mollescant.

1 Id est, nunquam, quia Græci Calendas non habebant, ut Latini, sed νουμηνίας, seu novilunia, & ad lunæ recursus usuras solvebant. Huc itaque respexit Augustus, cum diceret, ad Græca Calendas soluturos, quos nunquam reddituros mutuum significabat.

2 Qui ganeâ seu lupanâria frequentat.

3 Mensis Martii, dicimus autem Calendas Januarias, & Januarii, Martias adjective, & Martii, &c.

4 Armos bestiæ, humeros homines habent.

5 Ironice. *Bene vir curasti probe. Terent.*

6 Intellige languinem illam fœdam, quæ ex humore oritur, præsertim in locis sole carentibus.

7 *Sub* in compositione diminuit aliquando significationem simplicis; *uvidum* autem quod pingue, & humorem intus habet.

8 *Macerare* cum ad corpus defertur, sumitur pro *attenuare*. Cum ad animum pro *affligere*. Cum vero ad res inanimatas, ut hic, pro *mollificare*, aut etiam *madefacere*.

1 Te-

mollescant. SY. Curabitur. RA. Ubi calcaria? SY. Adsunt. RA. Verum, sed obducta rubigine. Ubi frœnum & [1] ephippia? SY. Sunt in promptu. RA. Vide ne quid desit, aut ne quid ruptum, aut mox rumpendum, ne quid nobis sit in morâ, cum erimus in cursu. Propera ad [2] sellarium, & hoc lorum cura sarciendum. Reversus inspice soleas, sive calceos equorum, num qui clavi desint, aut vacillent. Quam macilenti sunt equi, quamque [3] strigosi! Quoties abstergis, aut pectis illos in anno? SY. Imo quotidie. RA. Nimirum res ipsa loquitur. Jejunant, opinor, nonnunquam totum triduum. SY. Minime. RA. Negas tu quidem, sed aliud dicturi sunt equi, si loqui liceat: quamquam satis loquuntur ipsa macie. SY. Curo sedulo. RA. Cur igitur [4] tu habitior equis? SY. Quia non pascor fœno. RA. Hoc igitur restat. Adorna manticam celeriter. SY. Fiet.

1 Tegmina quibus equi sternuntur, vel sellæ equis ad insidendum impositæ, ex ἐπὶ & ἵππος.

2 Qui ephippia consuit.

3 Quasi *stringosi*. Fame & vitio quodam restricti.

4 Id est pinguior. Comparativus participii *habitus*, invenias hanc vocem apud Plautum in Epidico, & Terentium in Eunucho.

Monitoria Pædagogica.

1 PÆDAGOGUS, PUER.

PÆ. TU mihi videre non in aula natus, sed in [2] caula, adeo moribus es agrestibus. Puerum ingenuum decent ingenui mores. Quoties alloquitur te quispiam, cui debes honorem, compone te in rectum corporis statum, aperi caput. Vultus sit nec tristis, nec torvus, nec impudens, nec protervus, nec instabilis, sed hilari modestiâ temperatus: oculi verecundi

1 Cui puerorum cura commissa est, à παῖς *puer*, & ἀγωγὸς *ductor*: olim servi sic dicti, qui dominorum suorum filios in scholam ducebant.

2 Ludit in paronomasia. Aula & Caula. Est autem *Caula* stabulum ovium, seu ovile, à Cavo, ut inquit Varro. Virgil. *Lupus — qui fremit ad caulas.*

1 Mal-

cundi semper intenti in eum cui loqueris: juncti pedes, quietæ manus. Nec vacilles alternis tibiis, nec sint [1] gesticulosæ manus, nec mordeto labrum, nec scabito caput, nec fodito aures. Vestis item ad decorum componatur, ut totus cultus, gestus, & habitus corporis ingenuam modestiam, & verecundam indolem præ se ferat. PU. Quid si [2] mediter? PÆ. Fac. PU. Siccine satis? PÆ. Nondum. PU. Quid si sic? PÆ. Propemodum. PU. Quid si sic? PÆ. Hem satis est, isthuc tene, ne sis inepte loquax, aut præceps. Nec vagetur animus interim, sed sis attentus quid ille dicat. Si quid erit respondendum id facito paucis, ac prudenter, subinde præfatus honorem, nonnunquam & addito cognomento honoris gratia: atque identidem modice flectas alterum genu, præsertim ubi responsum absolveris. Nec abeas, nisi præfatus veniam, aut ab ipso dimissus. Nunc age, specimen aliquod hujus rei nobis præbe. Quantum temporis abfuisti à maternis ædibus? PU. Jam sex ferme menses, domine. PÆ. Non tangeris desiderio matris? PU. Nonnunquam sane. PÆ. Cupis eam revisere? PU. Cupio, domine, si id [3] pace liceat tua. PÆ. Nunc flectendum erat genu. Bene habet. Sic pergito. Cum loqueris cave ne [4] præcipites sermonem, aut hæsites lingua, aut palato immurmures, sed distincte, clare, articulate consuescito proferre verba tua. Si quem præteribis natu grandem, magistratum, sacerdotem, doctorem, aut alioqui virum [5] gravem, memento aperire caput, nec pigeat inflectere genu. Itidem facito cum præteribis ædem sacram, aut [6] imaginem crucis. In convivio sic te præbebis hilarem, ut semper memineris

1 Mallem *gestuosæ.*
2 Tentem, experiar.
3 Venia.
4 Nimiâ celeritate effundas.
5 Venerabilem. Virg. lib. Æneid. 1. *Tum pietate gravem, ac meritis si forte virum quem conspexere, silent.*
6 Etiamnum, vos papistæ, odistis Erasmum, qui imaginem crucis vult à pueris salutari?

ris quid deceat ætatem tuam: postremus omnium admoveto manum patinæ. Si quid datur lautius, recusato modeste: si instabitur, accipe, & age gratias: mox decerptâ portiunculâ: quod reliquum est, illi reddito, aut alicui proxime accumbenti. Si quis præbibet, hilariter illi[1] bene precator, sed ipse bibito modice. Si non sitis, tamen admoveto cyathum labiis. Arride loquentibus: ipse ne quid loquaris, nisi rogatus. Si quid obscœni dicetur, ne arride, sed compone vultū, quasi non intelligas.[2] Ne cui obtrectato, ne cui temet anteponito, ne tua jactato, ne aliena[3] despicito. Esto comis etiam erga tenuis fortunæ sodales. Neminem deferto. Ne sis lingua[4] futili. Ita fiet, ut[5] sine invidia laudem invenias, & amicos pares. Si videris convivium esse prolixius, precatus veniam, ac salutatis convivis, subducito te à mensa. Vide ut horū memineris. PU. Dabitur opera, mi præceptor. Nunquid aliud vis? PÆ. Adito nunc libros tuos. PU. Fiet.

1 Precare ut ei prosit.
2 Nil mali de alio dicas.
3 Contemnito.
4 Garrula. Vocis originem plenius annotatam vide infra sub finem Coll. *Adolesc. & scorti.*
5 Ex Terentii Andria, Act. 1. Sc. 1.

De lusu.

NICOLAUS, HIERONYMUS, COCLES, PÆDAGOGUS.

NI. JAmdudum & animus, & cœlum, & dies invitat ad ludendum. HI. Invitant quidem hæc omnia, sed solus præceptor non invitat. NI. Subornandus orator quispiam, qui veniam extorqueat. HI. Apte quidem dictum, extorqueat. Nam citius[1] clavam extorseris è manu Herculis, quam ab[2] hoc ludendi veniam. At olim illo nemo fuit ludendi avidior. NI. Verum,

1 Herculem clava armatum nemo ignorat. *Clavam Herculi velle extorquere* non infacete quadrat in illum, qui sibi vendicare conatur, quod alius potentior jam tenet.
2 Sc. Præceptore.

1 In

Verum, sed jam olim ille oblitus est, se fuisse puerum. Ad verbera facillimus est & liberalis; [1] hic parcissimus, idemque difficillimus. HI. Attamen protrudendus est aliquis legatus, [2] non admodum verecundæ frontis, quem non illico [3] protelet suis sævis dictis. NI. Eat qui volet; ego carere malo, quam rogare. HI. Nemo magis accommodus ad hanc legationem, quam Cocles. NI. Nemo profecto. Nam [4] perfrictæ frontis est, ac bene linguax. Deinde sensum hominis pulchre callet. HI. I Cocles, ab omnibus nobis magnam initurus gratiam. CO. Equidem experiar sedulo. Verum si non successerit, ne conferte culpam in oratorem vestrum. HI. [5] Bene ominare: si te satis novimus, impetrabis. Abi orator, redibis [6] exorator. CO. Eo. Bene fortunet legationem meam [7] Mercurius. Salve præceptor. PÆ. Quid sibi vult [8] nugamentum hominis? CO. Salve præceptor observande. PÆ. Insidiosa civilitas. Satis jam salveo. Dic quid velis. CO. Totus discipulorum tuorum grex orat ludendi veniam. PÆ. Nihil aliud quam luditis, etiam absque venia. CO. Scit tua prudentia, vigorem ingeniorum excitari moderato lusu, quemadmodum nos docuisti ex Quintiliano. PÆ. Sane ut isthuc tenes, quod pro te facit. [9] Laxamento opus est iis, qui vehementer laborant: vobis qui segniter studetis, & acriter luditis, fræno magis opus est, quam laxatis habenis. CO. Adnitimur pro viribus. Et si quid hactenus cessatum est, post

1 In concedenda venia ludendi.

2 Cui non multum pudoris, frons enim habita est antiquitus pudori sacra. Hinc *perfrictæ frontis homines* dicuntur, qui omnem pudorem dediderunt.

3 Longe propellat, & perturbet. Desumptum ex Terentii Phormione. Act. 1. Sc. 4.

4 Insigniter impudens, sed vide paulo superius.

5 Cape bonum omen. De omine vide supra pag. 27.

6 *Orator*, qui orat ut impetret, *Exorator*, qui orando impetrat.

7 Ut qui Deorum nuncius, & nunciorum præses.

8 *Nugamentum hominis* pro homine mere nugaci: ita supra pag. 31. *Somnium hominis* pro somniculoso.

9 Remissione.

post diligentia [1] sarcietur. PÆ. Oh sartores! Quis erit [2] fidejussor aut sponsor, isthuc futurum? CO. Ego capitis mei periculo non dubitem esse sponsor. PÆ. Imo [3] culi periculo potius. Scio quam non sit tutum tibi credere, tamen hic periculum faciam, quam sis bonæ fidei. Si [4] dederis verba, posthac nequicquam mecum egeris. Ludant, sed gregatim in campis. Ne divertant ad compotationes, aut alia nequiora. Mature se recipiant domum ante solis [5] occubitum. CO. Fiet. Exoravi, quamquam ægre. HI. O lepidum caput, omnes amamus te plurimum. CO. Sed interim cavendum ne quid peccemus, alioqui de meo tergo dependendum foret. Fidejussi vestro omnium nomine. Quod si quid accidat, non est quod me posthac utamini legato. HI. Cavebitur. Sed quod lusus genus potissimum placet? CO. De hoc in campo [6] consultabimus.

Pila.

NI. Nulla res melius exercet omnes corporis partes, quam pila palmaria, sed aptior hyemi, quam æstati. HI. Nullum anni tempus nobis parum accommodum est ad ludendum. NI. Minus sudabitur, si ludamus reticulo. HI. Imo [7] reticulum piscatoribus relinquamus; elegantius est palma uti. NI. Age, nihil moror: sed quanti certabimus? HI. [8] Talitro; sic parcetur pecuniæ. NI. At ego malo fronti parci, quam pecuniæ. HI. Et mihi frons charior est pecunia. Aliquo periculo certandum est, alioqui [9] friget ludus. NI. Sic res habet, ut dicis. HI. Utra pars prior evicerit tres

1 Emendabitur, sæpius supra.

2 Qui suâ fide & periculo promittit alium ali quid datutum, aut facturum.

3 Natium.

4 Fefelleris mendaciis.

5 Occasum

6 Consilium capiemus.

7 Ludit in ambigua significatione vocis *reticuli*, quod proprie significat *parvum rete*, verum etiam instrumentum lusorium, quo pila remittitur. Vide infra *Francisc.*

8 Talitrum est percussio inflicta ungue.

9 *Frigere* hic pro languere, contrarium est *fervere*: sic Virgil. *Fervet* opus. Vide infra *Diversor.*

1 Intel-

tres lusus, ei victa pendet sextam [1] drachmæ partem: sed hac lege, ut quicquid è victoriis collectum fuerit, insumatur in convivium, ad quod pariter vocentur omnes. NI. Placet lex; & [2] rata esto. Superest igitur ut [3] sortiamur partes. Nam sumus ferme pares omnes, ut non admodum referat, quis cui conjungatur. HI. Tu tamen me longe peritior es. NI. [4] Ut sim; sed tu felicior. HI. Etiam hic valet fortuna? NI. Illa nusquam non regnat. HI. Age fiat sortitio. [5] Euge; bene cecidit: contigere quos volebam. NI. Et nos nostræ sodalitatis non pœnitet. HI. Agedum, simus viri. Amat victoria curam. Suum quisque locum gnaviter tueatur. Tu mihi consiste à tergo, excepturus pilam si me transvolet. Tu isthic observa, repulsurus huc ab adversariis revolantem. NI. Ne musca quidem hac prætervolarit impune. HI. Agite [6] bonis avibus; mittite pilam in tectum. Qui miserit nihil præfatus, frustra miserit. NI. [7] Hem, accipe igitur. HI. Mittito. Si miseris extra lineas, aut infra suprave tectum, vestro damno fuerit, aut certe nobis fraudi esse nolim. Tu sane parum commode mittis. NI. Tibi quidem, at nobis commode. HI. Ut miseris, ita remittam. Par pari referam. Sed præstat ingenue legitimeque ludere. NI. In ludo pulchrum est arte vincere. HI. Fateor; atque etiam in bello. Sed habet utraque pars suas leges. Et sunt artes illiberales. NI. Credo, plures [8] septem. Signa terminum testula, aut rudere, aut, si mavis, pileo tuo. HI. Tuo malim. NI. Rursus accipe pilam. HI. Mitte. Pone notam. NI. Habemus duos termi-

1 Intelligt hic drachmam Æginæam, quæ nostratis monetæ valet 6. stuferos, ut ajunt.
2 Firma. Contrarium est *irrita*.
3 Quisque partis suæ socium eligat.
4 Quamvis.
5 Interjectio, laudantis, & gaudentis.
6 Vide pag. 5.
7 Est hæc interjectio corripientis, indignantis, vel admirantis. Hic vero demonstrantis.
8 Septem artes liberales vulgo esse dicuntur.

terminos satis longinquos. HI. Utcumque; sed tamen vincibiles. NI. Plane vincibiles, si nemo repugnet. HI. Euge priorem metam prætercurrimus. Vicimus quindecim. Heus, præbete vos viros: viceramus & hic, si tu tuo constitisses loco. Sumus igitur pares. NI. Non diu futuri. Vicimus triginta, vicimus quadraginta quinque. HI. [1] Sestertia? NI. Non. HI. Quid igitur? NI. Numeros. HI. Quo pertinent numeri, si nihil est quod numeres? NI. Noster hic ludus est. HI. Præpropere tu quidem [2] ante victoriam canis triumphum. Vidi qui vincerent ab hoc numero, qui nihil habebant. Varia est ut Martis, ita lusus [3] alea. Habemus triginta. Jam rursum pares sumus. NI. Nunc serio res agitur. Euge, successit: habemus potiores. HI. Non diu habituri. Dixin'? Rursum æquali fortuna sumus. NI. Diu nutat fortuna velut anceps, utris velit addicere victoriam. O [4] fors fortuna, si nobis faveris, dabimus tibi maritum. Euge, audivit votum. Penes nos est hujus certaminis victoria. Pone notam cretaceam, ne excidat. HI. Jam [5] appetit vespera, & sudatum est satis: præstat à ludendo desistere, ne [6] quid nimis. Supputemus lucrum. NI. Nos evicimus tres [7] drachmas, vos duas. Restat igitur una ad compotationculam. Sed interim quis solvet pretium pilarum? HI. Omnes ex æquo, pro sua quisque portione.

1 Sestertiorum varia genera, eorumque supputandorum varii fuere apud veteres modi, quos hic referre longum foret, intelligé hic Stuferum, aut Stuferum cum dimidio. De Sestertiis prolixius agemus infra in æstimandi formulis

2 Proverbium est, in eos, qui gloriantur præpropere re nondum confecta. Romanis victoribus triumphus decernebatur, Græci oratione aut carmine laudabantur. De triumphis, vide annotata in *Conv. Relig.*

3 Alea pro quovis periculo.

4 Fortuna incerti eventus Dea, quæ & absolute *Fors* dicta & ab infimæ sortis hominibus culta fuit in fano secundum Tiberim extra urbem Romam, ut ait Varro.

5 Appetit pro instat, quoties est verbum neutrum.

6 Supple *agas*. Græcè μηδὲν ἄγαν. Proverbium docet, in omnibus esse servandum modum, quod veteres tanti fecere, ut ad autorem Apollinem referrent. Vide infra *Conv. dispar.* in fine, & *Philodox.* in principio.

7 Respice pag. 51.

1 Ada-

ne. Nam lucrum exilius est, quam ut inde possit aliquid decidi.

Ludus Globorum missilium.

ADOLPHUS, BERNARDUS.

AD. TU toties apud me gloriatus es, te mirum quendam esse artificem in certamine mittendorum globorum. Age, libet experiri, qui vir sies. BE. Nihil detrecto, huc si quid libet. Nunc tu plane, quod dici solet,[1] in planiciem provocas equum. AD. Et tu senties me non esse asinum. BE. Placetne[2] monomachia, ut unus cum uno congrediatur, an mavis adjungi socios periculi? AD. Malo μονομαχεῖν, ne qua pars victoriæ decidatur alteri. BE. Isthuc & ipse malo, ut laus[3] in solidum sit mea. AD. Hi spectatores erunt & [4] arbitri. BE. Recipio. Sed quod erit victori [5] bravium, aut quæ victo pœna? AD. Quid si victo amputetur auricula? BE. Imo [6] testium alter exsecetur potius. Non est magnificum certare pro pecunia. Tu Gallus es, ego Germanus; decertemus pro suæ uterque gentis gloria. AD. Si vicero, tu ter exclamabis, Floreat Gallia: si victus, quod absit, fuero, totidem verbis celebrabo tuam Germaniam. BE. Age placet conditio. Adsit fortuna. Quando periclitantur hoc ludo duæ maximæ nationes, sint æquales sphæræ. AD. Nosti saxum illud prominens haut procul à porta? BE. Novi. AD. Ea erit meta, & hæc linea. BE. Esto: sed sint, inquam, pares

1 Adagium hoc usurpamus, cum quis provocatur ad id, in quo plurimum valet. Equus enim magis valet in campis, quam in locis impeditioribus.

2 Μονομαχία singulare certamen, & μονομαχεῖν, singulari certamine congredi.

3 i. e. Tota, integra, cui nihil detrahi potest. Sic dicimus gaudium & beneficium solidum. Et *in solidum debere* juri peritorum sermo est.

4 Judices non lege, sed à litigantibus electi, qui de re arbitrentur, & pro arbitrio judicent.

5 Sive mavis *brabium*, à Græco βραβεῖον, id est præmium certaminis.

6 Testiculorum, qui & testes dicuntur.

pares globi. AD. [1] Minus discernas ovum ab ovo, aut ficum à ficu. Sed mea non refert, utrum malis; elige. BE. Mitte. AD. Heus, tu mihi non brachium, sed [2] balistam habere videris, ita torques globum. BE. Satis momordisti labrum, satis rotasti brachium; tandem mitte. O vires [3] Herculeas! sed tamen vinco. AD. Nisi sceleratus ille laterculus obstitisset, præverteram te. BE. Consiste in sphæræ tuæ vestigio. AD. Non utar dolo malo. Cupio virtute, non fraude vincere: quandoquidem de gloria certamen est. Bene [4] vertat. BE. Ingens profecto jactus. AD. Ne ride prius quam viceris. Adhuc pene sumus pares. BE. Nunc res agitur. Uter prior metam contigerit is vicerit. Vici, canta. AD. Sed definiendum erat, quoto ludo constaret victoria. Nam primo nondum incaluerunt vires. BE. Quid ais? Agnoscis ne victorem? AD. Tibi fortuna magis [5] aspiravit: viribus & arte non tibi cessero. Sed quod arbitri pronunciaverint, id sequar. AD. Germanus vicis; & hoc gloriosior est victoria, quod talem artificem vicerit. BE. Nunc canta, Galle. [6] AD. Sum raucus. BE. Hoc Gallis novum non est: sed tamen coccyssa. AD. Floreat Germania ter. BE. Imo ter hoc erat canendum. Contraximus siticulam; eamus ad compotatiunculam; ibi perficietur cantio. AD. Non recuso, si ita videtur arbitris. BE. Ita commodius est. Melius canet Gallus [7] colluto gutture.

Ludus

1 Proverbia similitudinis.

2 Balista, vel si mavis, ballista (à βάλλω *jaculor*) machina bellica est, qua lapides vel tela torquentur.

3 i. e. Validas. Cui enim non nota Herculis celebrata fortitudo?

4 Scil. Deus aliquis. Hoc est, precor ut res prospere succedat.

5 Favit.

6 Allusit ad gallos gallinaceos, quibus natura adest vox rauca. Hi proprie dicuntur *coccyssare*. Forte Galli vulgo hinc gallum vocant *un cocq*.

7 Persius inquit, *guttur mobile colluere*. Medicamentis vox solet fieri clarior & guttur mollius, quod hic fit vino.

Ludus Sphæræ per Annulum ferreum.

GASPAR, ERASMUS.

GA. AGe, nos[1] auspicabimur. Victo succedet Marcolphus. ER. Sed quod erit victori præmium? GA. Victus ex tempore faciet & recitabit[2] distichon in laudem victoris. ER. Accipio legem. GA. Vis ne sortiamur, uter prior incipiat? ER. Esto tu[3] Prior si libet; ego malim esse Abbas. GA. Hoc tua conditio potior est, quod tibi nota est area. ER. Versaris in tua[4] harena. GA. In hac exercitatior sum, quam in libris. Tamen istud perquam exigui momenti est. Æquum est, ut tantus artifex, in hoc certamine mihi largiare nonnihil. GA. Imo isthuc abs te peterem justius: sed parum est honesta[5] precaria victoria. Is demum vincit, qui[6] suo Marte vincit. Ita sumus pares, ut non melius commissus fuerit olim[7] cum Bitho Bacchius. ER. Tua sphæra commodior est mea. GA. Et tua vola vincit meam. ER. Ludito legitime, absque technis, ac dolo malo. GA. Dices tibi rem esse cum homine probo. ER. Sed prius audire cupio hujus[8] sphæristerii[9] plebiscita. GA.[10] Quaternio ludum absolvit. Qui hanc lineam præterierit, in damno est, reliquos limites si transilias, sine fraude fiet. Qui globum

1 Incipiemus, Respice pag. 5.

2 Carmen duorum versuum.

3 Ludit in ambiguitate vocis. *Prior*, vel *Superior*. *Abbas* vero monasterii vel collegii moderator. Vide infra. *Peregrin. Relig. ergo.*

4 Vel arena. i e. in tua ipsius arte. Alludit ad gladiatores, qui in arena dimicare solebant.

5 Quæ precibus petenti conceditur.

6 Translatum a belli ducibus, suis copiis pugnantibus, in eos qui suo ingenio, & propriis viribus, absque aliorum auxilio, rem peragunt.

7 *Cum Bitho Bacchius pugnat.* Adagium est, quoties duo æquales inter se contendunt, ita ut alter alteri haud concedat. Nam Bithus & Bacchius nobile par gladiatorum fuit, arte & audacia pares, Horat Satyr VII. lib. 2. — *uti non eorum compositus melius cum Bitho Bacchius*, &c.

8 Sphæristerium locus est, in quo sphæris luditur.

9 Leges. Habent enim sphæristeria quoque leges suas.

10 Sphæratum jactus quater repetitus.

bum suo loco moverit, perdit jus feriendi. ER. Intelligo. GA. En occlusi tibi portam. ER. Sed isthinc te excutiam. GA. Id si feceris, cedam tibi hujus certaminis [1] palmam. ER. Bona fide? GA. Optima. Non enim potes alia via, nisi sic mittas sphæram tuam in parietem, ut resiliat in meam. ER. Id experiar. Quid ais, bone vir? Nonne depulsus es? GA. Fateor: utinam tam sapiens esses, quam es felix. Sed isthuc centies tentanti, vix semel successerit. ER. Imo si quid audes deponere pignoris, nisi tertio quoque experimento successerit, vinces. Sed interim redde pactum præmium. GA. Quodnam? ER. Distichon. GA. Reddam. ER. Et quidem ex tempore. Quid [2] arrodis unguem? GA. Habeo. ER. Recita clare. GA. Clarissime.

Plaudite victori juvenes hic quotquot adestis:
Nam me qui vicit, [3] doctior est nebulo.

Non ne distichon habes? ER. Habeo: sed quale abs te allatum est, tale tibi referetur.

1 Victoriam, signum pro re signata.
2 Caput scabere, aut ungues rodere meditabundi hominis est.
3 Alludit ad Philosophum quendam, qui (narrante Laertio) videns alium quem lasciva saltatione gestientem: quo melius, inquit, feceris, hoc deterius facis. In re mala quo melior es artifex, hoc vir es pejor.

Saltus.

VINCENTIUS, LAURENTIUS.

VI. Libetne decertare saltu? LA. Ludus iste non convenit pransis. VI. Quam ob rem? LA. Quia ventris [1] saburra gravat corpus. VI. Non admodum sane, qui pransi sint in [2] pædagogio. Nam ibi plerumque [3] cœnaturiunt prius quam absolverint prandium. LA. Quod igitur saliendi genus placet? VI. Auspi-

1 Prop. onus navis.
2 Locus in quo pueri, & servi commorantur.
3 Cœnam appetunt.

1 Inci-

Auſpicemur ab eo quod eſt ſimpliciſſimum, à ſaltu locuſtarum, ſive magis ranarum, [2] utraque tibia, ſed junctis pedibus. Qui longiſſime promoverit cingulum, [3] coronam feret. Hujus ubi erit ſatietas, aliud atque aliud genus experiemur. LA. Equidem nullum recuſabo genus, niſi quod geritur cum periculo tibiarum: nolim mihi rem eſſe cum chirurgis. VI. Quid ſi certemus unica tibia? LA. Iſte ludus eſt [4] Empuſæ, valeat. VI. Haſtæ innixium ſalire, [5] cum primis eſt elegans. LA. Liberalius eſt certare curſu. Siquidem hoc certaminis genus apud [6] Virgilium propoſuit & Æneas. VI. Verum; ſed idem propoſuit & [7] cæſtuum certamen; [8] quo non delector. LA. Deſigna [9] ſtadium. Hoc loco ſit [10] carcer, quercus iſta ſit [11] meta. VI. Sed utinam adeſſet Æneas, qui proponat & præmia victori. LA. Victori abunde magnum præmium eſt gloria. VI. Victo potius dandum erat præmium, ſolatii gratia. LA. Sit igitur victo præmium, ut [12] lappa coronatus redeat in urbem. VI. Equidem non recuſarim, ſi tu præcedas tibia canens. LA. Eſt ingens æſtus.

1 Incipiamus.

2 Illud ſaliendi genus nos Belgæ vocamus *dribbelen*.

3 Apud veteres victoribus in prælio vel ſtadio coronæ diſtribui ſolebant.

4 Luſus Empuſæ eſt quem nos vocamus *hinken*. Eſt enim Empuſa apud Ariſtophanem ſpectrum, quod unica tibia apparet.

5 In primis, præcipue.

6 Lib. 5. Æneid.

7 *Cæſtus, ûs*, 4. declin. quibus antiqui certabant, erant chirothecæ è corio bubulo, eæque ferro & plumbo adfixo & inſuto graves, quæ foris alligabantur brachiis, & cubitis, ne exciderent. Hisce armati pugiles (pugnis enim res agebatur) inter ſe decertabant. Virgil. lib. 5. Æneid.

8 Non mirum equidem. Nam Virgilius exhibet nobis Daren, ab Entello cæſtuum certamine victum, *genua agra trahentem. Jactantemque utroque caput, craſſumque cruorem Ore ejectantem, miſtoque in ſanguine dentes.* Adeo vapulaverat.

9 *Stadium* hic ſignificat locum, in quo curritur. Alias eſt certa loci diſtantia. Fuſius annotata vide infra in Coll. *Problema*.

10 Locus, unde ſigno dato equi in Circo emittebantur.

11 Finis ſtadii.

12 Herba acuta & ſpinoſa.

stus. VI. Nec mirum, cum sit [1] solstitium æstivum. LA. Præstiterat natare. VI. Mihi non placet ranarum vita. Animal sum terrestre, non [2] amphibion. LA. Sed tamen hoc exercitamenti genus olim cum primis habebatur [3] liberale. VI. Imo etiam utile. LA. Ad quid? VI. Si fugiendum sit in bello, ibi potissimum valent, qui sese cursu pedum & natatu exercuerunt. LA. Artem narras haud quaquam aspernandam. Neque enim minus laudis est aliquando bene fugere, quam fortiter pugnare. VI. Sum plane rudis & imperitus natandi, nec sine periculo versamur in alieno elemento. LA. Sed assuescere oportet: nemo nascitur artifex. VI. At ego istius generis artifices permultos audio natasse, sed non enatasse. LA. Experieris primum innixus suberi. VI. Nec [4] suberi fido magis quam pedibus: si vobis cordi est natatio, spectator esse malo, quam certator.

1 *Solstitium æstivum* dicitur, cum longissimus est dies, qui incidit IX. Kal. Julii, quia tum Sol quasi sistitur ad Tropicum Cancri. Vide infra notas in *Diversor.*

2 Animalia amphibia dicuntur, quæ simul & in aqua vivunt, & in terra, ut Crocodilus, Anates, & similia.

3 Verum est. Ita ut Græcis & præcipue Latinis natatio inter rudimenta juventutis habita fuerit, immo & in proverbium abierit de iis, qui nihil didicissent; *neque natare, neque literas norunt.*

4 *Suber*, Gr. φέλλος, corticis genus, semper fluitans, quod qui olim natare discebant, pectori subjiciebant. Horatius *Nabis sine cortice.*

Confabulatio pia.

ERASMUS, GASPAR.

ER. UNde nobis prodis? E [1] popina quapiam? GA. Bona verba. ER. E [2] sphæristerio? GA. Ne hoc quidem. ER. Ex [3] œnopolio? GA. Nequaquam. ER. Quando non assequor divinando dic ipse. GA. Ex

1 Locus est, ubi caro cocta, vel assa, & delicata opsonia venduntur, & comeduntur, ita dictus à *popa.* i. e. qui victimas mactat, & eas venales habet.

2 Vide supra pag. 55.

3 Taberna vinaria, ab οἶνος, *Vinum*, & πωλέω, *vendo.*

1 Respice

Ex æde Virgini matri sacra. ER. Quid illic tibi negocii est? GA. Salutem dixi nonnullis. ER. Quibus? GA. Christo, ac divis aliquot. ER. Religiosior tu quidem es, quam pro ætate. GA. Imo nullam ætatem non decet religio. ER. Si cupiam esse religiosus, patiar mihi injici[1] cucullam. GA. Atque ego idem facerem, si, quantum caloris adfert, tantundem pietatis adferret cuculla. ER. Ajunt vulgo, pueros angelicos in[2] Satanam verti, ubi consenuerint. GA. Sed ego proverbium istuc ab autore Satana natum arbitror. Imo vix existimo, senem esse vere pium, nisi qui à teneris annis assueverit. Nihil felicius discitur, quam quod ab ipsa statim pueritia, discitur. ER. Quid igitur est religio? GA. Est purus cultus[3] numinis, & observatio præceptorum illius. ER. Quæ sunt illa? GA. Longum est; sed ut[4] in summa dicam, in rebus quatuor est sita. ER. In quibus? GA. Primum, ut recte pieque sentiamus de Deo, de scripturis divinis: atque ut illum non vereamur modo, tanquam dominum, verum etiam amemus ex intimis affectibus, ut patrem beneficentissimum. Secundum, ut summa cura tueamur innocentiam: ea est, ne quem lædamus. Tertium, ut teneamus charitatem, hoc est, ut de omnibus, quantum datur, bene mereamur. Quartum, ut servemus patientiam. Ea[5] præstat, ut mala nobis illata, si mederi nequeamus, patienter toleremus, non ulciscentes, nec malum malo referentes. ER. Næ tu probus es concionator. Sed præstas ista, quæ doces? GA. Equidem adnitor pro mea[6] virili. ER. Qui potes pro virili, cum sis puer? GA. Meditor pro viribus, & quotidie mecum ineo rationem: si quid cessatum fuerit, corrigo: illud præter decorum, hoc dictum petulantius, hoc factum

1 Respice quæ diximus ad pag. 41.
2 *Satan* Hebr. *adversarius*. Nunc vulgo hoc nomine malorum angelorum princeps appellatur.
3 Dei.
4 Breviter.
5 Efficit.
6 Scil. parte, i. e. pro viribus.

factum[1] incircumspectius, hoc taceri præstiterat, illud omissum. ER. Quando[2] subducitur ista ratio? GA. Ferme sub noctem, aut si quando magis vacat. ER. Sed age, dic mihi, quibus studiis totum transigis diem? GA. Nihil celabo tam fidum sodalem. Mane, simul atque sum expergefactus, (id fere fit ad sextam, aut quintam) pollice signum crucis pingo in fronte & in pectore. ER. Quid deinde? GA.[3] Auspicor initium diei, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. ER. Pie sane. GA. Mox paucis saluto Christum. ER. Quid illi narras? GA. Ago gratias, quod eam noctem mihi voluerit esse prosperam, precorque ut diem itidem illum totum mihi bene fortunet, ad ipsius gloriam, & animæ meæ salutem: utque is, qui est vera lux occasum nescius, sol æternus, omnia vivificans, alens, exhilarans, dignetur illucescere menti meæ, ne usquam[4] impingam in ullum peccatum, sed ipsius ductu perveniam ad vitam æternam. ER. Haud[5] inauspicatum diei exordium. GA. Deinde salutatis parentibus, quibus secundum Deum primam debeo pietatem, cum tempus est, confero me ad[6] ludum literarium, sed ut per templum, si commodum est, sit mihi transitus. ER. Quid illic? GA. Rursus tribus verbis saluto Jesum, ac[7] divos divasque omnes, sed nominatim Virginem matrem, tum eos quos habeo mihi[8] peculiares. ER. Næ

1 Non satis caute.

2 Dixerat alter: *ineo mecum rationem*: hic ergo rogat *quando subducitur ista ratio*, manens in eadem metaphora ducta ab Arithmeticis.

3 De hoc verbo vide quæ diximus pag. 6.

4 Metaphora ab offendentibus ad lapidem, aut aliud quippiam.

5 Infelix.

6 *Ludus* sæpe significat locum, in quo fit aliquid exercitii, ut *ludus gladiatorius*, in quo gladiatores decertabant. Ita *ludus litterarius* schola est, in qua pueri literis imbuuntur. Et *Ludimagister*, qui scholæ præest.

7 Quorum imaginibus templa Pontificiorum scatent.

8 Habent enim Papicolæ peculiares suos sanctos, singulis personis, rebus, vel collegiis assignatos, more Ethnicorum, quibus Divorum, Deorumque ingens olim fuit turba.

Næ tu mihi probe legisse videris illud [1] Catonis, Salutа libenter. Non sat erat mane salutasse, nisi mox denuo salutares? An non vereris ne molestus sis immodico officio? GA. Amat Christus subinde appellari. ER. Sed ineptum videtur alloqui, quem non vides. GA. Nec eam mei partem video, qua illi loquor. ER. Qua? GA. Animo. ER. Sed ociosum est salutare non resalutantem. GA. Resalutat frequenter arcano afflatu. Denique abunde resalutat, qui dat, quod petitur. ER. Quid hic ab illo flagitas? Nam video tuas salutationes esse petaces, cujusmodi fere sunt mendicorũ. GA. Sane non procul [2] aberras à scopo. Precor enim, ut qui puer duodecim annos natus, sedens in templo docuit ipsos doctores, cuique Pater [3] cœlitus emissa voce dedit autoritatem docendi mortalium genus, quum diceret: *Hic est filius meus, dilectus, in quo mihi complacitum est; ipsum audite:* quique est æterna sapientia summi Patris, illustrare dignetur ingenium meum ad perdiscendas honestas literas, quibus utar ad ipsius gloriam. ER. Quos autem habes divos tibi peculiares? GA. Ex Apostolis Paulum, ex Martyribus [4] Cyprianum, ex doctoribus [5] Hieronymum, è virginibus [6] Agnetem. ER. Quæ res istos tibi conciliavit? electio, an casus? GA. Sortito obvenerunt. ER. Atque istos nihil aliud quam salutas? An ab his quoque mendicas aliquid? GA. Precor ut me suis [7] suffragiis Christo commendent, efficiantque ut illius munere aliquando contingat in ipsorum venire [8] contuberniũ.

ER.

1 In præceptis præfixis libello, cui tit. *Disticha moralia.*

2 Adag. attingere scopum, pro voti compotem fieri, aut conjectura rem ipsam assequi, notatum est supra. Metaphora sumpta à sagittariis, qui sagittam ad scopum dirigunt.

3 E cœlo.

4 Qui Carthaginensium Episcopus anno 250. post Christum natum martyrio affectus est.

5 Qui sub Theodosio anno J. C. 422, nonagenario major in Judæa obiit.

6 Virginem hanc ordini divarum adscripserunt Papicolæ.

7 Vide infra *Conv. Fabulos.* in principio

8 Convictum, Sodalitatem. Proprie autem decem milites sub uno tentorio degentes dicebantur *contubernium*, nomen castrense.

1 Auxi-

ER. Sane rem non vulgarem petis. Quid tum postea? GA. Ad ludum propero, & quod is locus postulat, toto ago pectore. Sic enim imploro Christi [1] præsidium, quasi citra illius opem nihil efficiat nostrum studium: sic studeo, quasi ille nihil auxilii sit laturus, nisi gnaviter laboranti. Ac modis omnibus do operam, ne merito vapulem, ne quid dicto factove vel præceptorem offendam, vel sodales meos. ER. Probus es, quum ista cogitas. GA. Quum dimissus à ludo domum propero, rursus, si licet, per ædem sacram iter facio, rursusque tribus verbis saluto Jesum. Si quid est obsequii præstandum parentibus, [2] obeo. Quod si quid etiam supereſt temporis, mecum aut cum sodali repeto quod prælectum est in schola. ER. Næ tu perparcus es temporis. GA. Nec mirum, si parcus sum rei, ut multo precioſissimæ, ita irrecuperabilis. ER. At Hesiodus docet, in medio parcendum esse: in principio præproperam, [3] in fine seram esse parsimoniam. GA. Recte [4] Hesiodus de vino; sed ætatis nulla est intempestiva parsimonia. Dolium si sinas, non exhauritur. At ætas nunquam non defluit, sive dormias sive vigiles. ER. Fateor: sed quid deinde rei geritur? GA. Adornata parentibus mensa, recito consecrationem; deinde prandentibus ministro, donec jubeor & ipse prandiū sumere. Actis gratiis si quid vacat, lusu quopiam honesto laxo animum cum sodalibus, donec hora revocat in [5] ludum à lusu. ER. Ac rursum salutatur Jesus? GA. Salutatur, si commodum est. Sin est, cur aut [6] non vacet, aut non sit tempestivum, tamen præteriens templum, cogitatiuncula saluto. Rursus in ludo totis viribus hoc agitur, quod locus postulat. Domum reversus,

1 Auxilium.
2 Perficio, fungor.
3 Proverbium est: *Sera in fundo parsimonia.* Quo admonemur ut in tempore rebus necessariis parcamus.
4 Poeta Græcus, in Ascra Bœotiæ vico natus, hinc vulgo dictus Ascræus. Dictum Hesiodæum infra notatum vide in *Diluculo.*
5 Sup. litterarium. Respice pag. 60.
6 Non sit mihi otium.

versus, idem ago quod ante prandium. A cœna suavibus fabulis memet oblecto: mox prosperam noctem precatus parentibus ac familiæ, mature [1]me confero ad nidum: illic flexis ante lectum genibus, mecum, ut dixi, reputo, quibus studiis is dies [2]peractus sit. Si quid est gravioris admissi, Christi clementiam imploro ut ignoscat, polliceorque meliora: si nihil est, ago gratias illius beneficentiæ, quod me servarit ab omni vitio. Deinde me totum illi toto pectore commendo, ut me protegat ab insidiis [3]mali genii, & ab obscœnis somniis. His factis, lectū ingressus, frontem ac pectus signo crucis imagine, ac me compono ad somnum. ER. Quo pacto te componis? GA. Nec pronus cubo, nec supinus, sed primum lateri dextro innitens, brachiis ita transversim seu [4]decussatim complicatis, ut pectus muniam figura crucis, dextra manu sinistro admota humero, leva dextro. Ita dormio suaviter, donec aut expergiscar ipse, aut exciter. ER. [5]Sanctulus es, qui ista possis. GA. Imo stultulus es, qui ista dicas. ER. Laudo institutum, si queam assequi. GA. Velis tantummodo. Nam ubi assueveris pauculos menses, erunt hæc etiam suavia; adeo vertentur in naturam. ER. Sed nihil audio de sacris. GA. Nec hac parte mihi desum, diebus præcipue festis. ER. In his quomodo te geris? GA. Primum omnium [6]excutio me ipsum, num qua labe peccati sit animus contaminatus. ER. Id si comperias, quid tum? subducis te ab altari? GA. Nequaquam corpore, sed animo me submoveo, ac veluti procul stans, nec audens attollere oculos ad patrem Deum, quem offendi, tundo pectus meum, dicens illud ex [7]Evangelio cum [8]publicano: Domine, pro-

1 Eo cubitum.
2 Transactus.
3 Satanæ, Diaboli.
4 Ad figuram decussis, instar literæ X.
5 Μείωσις cum ironia.
6 Inquiro.
7 Vide hujus vocis significationem pag. 15.
8 Evang. Luc. cap. 18.

propitius esto mihi peccatori. Deinde, si sensero quempiam offensum à me, eum curo placandum [1] è vestigio, si licet: sin minus, statuo in animo, mihi cum primum licebit, reconciliare proximum. Si quis [2] offendit me, remitto vindictam, doque operam, ut qui læsit, agnoscat errorem suum, & resipiscat. Sin ejus rei nulla spes est, vindictam omnem Deo relinquo. ER. Isthuc durum est. GA. An hoc durum, condonare levem [3] noxiam fratri tuo, cujus ignoscentia tibi mutua sit frequenter opus, cum Christus omnia commissa nostra nobis semel condonarit, & quotidie condonet? Imo mihi videtur hæc non esse liberalitas in proximum, sed fœneratio apud Deum: perinde quasi conservus ex pacto remittat conservo tres [4] drachmas, ut ipsi dominus condonet [5] talenta decem. ER. Perpulchre tu quidem philosopharis, si modo certũ sit quod ais. GA. An postulas aliquid certius Evangelica cautione? ER. Non est æquum. Sed sunt qui se non credant esse Christianos, nisi quotidie [6] Missam, ut appellant, audierint. GA. Horum institutum equidem non damno: præsertim in his, qui abundant ocio, quive totos dies occupantur profanis negociis. Tantum illos non approbo, qui superstitiose sibi persuaserunt, diem fore parum faustum, nisi fuerint eum auspicati à Missa: & statim à sacro se conferunt vel ad negociationem, vel ad prædam, vel ad aulam: ubi si, quod per fas nefasque gerunt, successerit, Missæ imputant. ER. Sunt-

1 Statim, sine mora.
2 Lædit.
3 Culpam.
4 Respice pag. 51.
5 Continet Talentum 60. libras, libra autem valebat decem coronatos, ergo Talentum sexcenti coronati. Talentum, quod magnum vocabant, erat 80. librarum.
6 Recte ait, ut appellant; ea enim vox nihil aliud voluit significare, quam dimissionem, eratque duplex, Catechumenorum ante actionem sacramentorum, & fidelium post confectionem, & participationem eorum sacramentorum. Clamabat itaque Diaconus *ite, missa est.* Morem hunc mutuati sunt Latini Christiani ab Ethnicis: olim enim post celebrata Isidis mysteria dicebat Scriba λαοῖς ἄφεσις, hoc est, *populis missio.*

1 Mecum

Suntne qui sic desipiant. GA. Magna pars hominum. ER. Sed redi ad sacrum. GA. Si licet, adsto vicinus altari sacro, quo percipere queam ea quæ sacrificus recitat, præsertim Epistolam & Evangelium. Ex his aliquid conor decerpere, quod infigam animo meo: id mecum aliquandiu [1] rumino. ER. Nihil interim oras? GA. Oro, sed cogitatione magis quam strepitu labiorum. Ex his, quæ recitat sacerdos, arripio precandi occasionem. ER. Dic istud explanatius: nam non satis [2] assequor quid velis. GA. Dicam. Finge recitari Epistolam, [3] *Expurgate vetus* [4] *fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis* [5] *azymi.* Ad hæc verba sic mecum loquor Christo: Utinam vere sim azymus, purus ab omni fermento malitiæ. Sed tu, Domine Jesu, qui solus es ab omni malitia purus ac sincerus, largire ut indies & ipse magis ac magis expurgem vetus fermentū. Rursum, si forte legatur Evangelium [6] de seminante semen suum, sic oro mecum: Felix illē, qui meretur esse terra bona: precorque, ut me ex terra parum frugifera, sua benignitate faciat terram bonam, sine cujus beneficio nihil omnino bonum est. Sint hæc exempli causa dicta: nam singula persequi prolixum sit. Sed, si contingat sacrificus mutus, [7] quales multos habet Germania, aut non detur adesse propius altari, fere libellum paro, in quo descriptum sit [8] ejus diei Evangelium & Epistola; inde ipse aut pronuncio aut oculis lego. ER. Intelligo: sed quibus cogitationibus potissi

[1] Mecum revolvo; tacitus repeto. Est vero apta translatio à pecoribus ruminantibus.

[2] Sc. mente, i. e. intelligo.

[3] Locus est in prima epistola Pauli ad Corinth. Cap. 5. v. 7.

[4] Græce ζύμη. Quia olim impurus habebatur apud Judæos, qui Pascha celebraturus fermentum degustaverat, hinc in novo Testamento fermentum sæpius metaphorice sumitur pro falsa doctrina, vel vitiosis affectibus.

[5] Azymus, i. e. *fermenti expers*, ex ἀ priv. & ζύμη. Metaphorice pro puro, & sincero.

[6] Luc. 8. 5.

[7] Notat stupidos ævi sui ecclesiasticos, ut vocant.

[8] Id est, quod eo die prælegi solet.

potissimum transmittis hoc tempus? GA. Ago gratias Jesu Christo pro ineffabili charitate, quod genus humanum sua morte redimere dignatus est; & oro, ne patiatur suum sacrosanctum sanguinem pro me frustra fusum esse, sed suo corpore semper pascat animũ meum, suo sanguine vivificet spiritum meum, ut paulatim adolescens virtutum ductibus, efficiar idoneum membrum corporis illius [1] mystici, quod est Ecclesia, nec unquam deficiam ab illo sanctissimo fœdere, quod in extrema cœna distributo pane, & porrecto poculo pepigit cum discipulis suis electis, & per hos cum omnibus, qui per [2] baptismum in societatem illius insiti sunt. Quod si sensero vagari cogitationem, lego [3] psalmos aliquot, aut aliud quippiam pium quod animum ab evagando cohibeat. ER. Habes in hoc psalmos certos? GA. Habeo; sed quos non ita mihi ipsi indixi, quin omittam, si cogitatio quæpiam incidat, quæ magis reficiat animum meum, quam illa psalmorum recitatio. ER. Quid de [4] jejunando? GA. Cum jejunio mihi nihil est negocii. Sic enim me docuit Hieronymus, non esse valetudinem atterendam jejuniis, donec corpus ætate robur justũ collegerit. Nondum autem egressus sum annum decimum septimum. Sed tamen si sensero opus, prandeo, cœnoque parcius, quo me præbeam alacriorem studiis pietatis per diem festum. ER. Posteaquam cœpi semel, [5] expiscabor omnia. Quomodo affectus es erga conciones? GA.

1 Cui mysterium subest, hoc est, arcanum quid

2 Mersionem, lotionem, à Græco verbo βαπτίζω, mergo. Apud Christianos βαπτίζειν dicitur de solemni illo Sacramento initiationis, qua Christo inniantur.

3 Ita Regis Davidis aliorumque Hymni vocantur à ψάλλω, fidibus cano.

4 Jejuniorum genera sunt varia: aliud enim est naturale ad tuendam valetudinem: aliud civile, ad obeunda promtius negotia: aliud religiosum, quod fit abstinendo non tantum à cibo, sed omnibus, quæ corpus oblectant, quo melius vacent precibus, quibus Dei clementiam propter instantes aut prementes calamitates exorent. *Jejunare* vox ecclesiastica.

5 Diligenter inquiram.

1 Συνάξις

GA. Optime. Ad has non minus religiose accedo, quam ad sacram [1] synaxim. Et tamen deligo, quos audiam. Sunt enim quos præstat non audisse. Quod si talis contingit, aut si nemo contingit, tempus hoc transigo sacra lectione: lego Evangelium & [2] Epistolam cum interpretatione Chrysostomi aut Hieronymi, aut si quis alius occurrit pius ac doctus interpres. ER. Sed magis afficit viva vox. GA. Fateor; & audire malo, si detur concionator tolerabilis: sed non videor omnino caruisse concione, si [3] Chrysostomum aut Hieronymum scripto loquentem audiero. ER. Non opinor. Sed quid te delectat [4] confessio? GA. Magnopere: nam confiteor quotidie. ER. Quotidie? GA. Sic est. ER. Alendus est igitur tibi [5] proprie sacerdos. GA. Sed illi confiteor, qui vere solus remittit peccata, cui est potestas universa. ER. Cuinam? GA. Christo. ER. An istud sat esse putas? GA. Mihi quidem sat esset, si sat esset proceribus ecclesiæ & consuetudini receptæ. ER. Sed quos tandem appellas ecclesiæ proceres? GA. Pontifices, Episcopos, Apostolos. ER. Et inter hos annumeras Christum? GA. Is est omnium sine controversia [6] colophon. ER. Et hujus receptæ confessionis autor? GA. Is quidem autor est omnis boni: sed an ipse instituerit hanc [7] confessionem, qualis

1 Συνάξις *Collectio*, à verb. συνάγω congrego. Intellige congregationem solemnem apud Christianos institutam ad celebrandam cœnam Dominicam, uti vocant.

2 Apostolicam.

3 Ita dictus quasi χρυσὸς στόμα, i. e. *os aureum* ob insignem eloquentiam. Nomen illi Joannes Antiochenus, fuit Episcopus Constantinopolitanus. Vixit tempore Honorii & Arcadii Imp. obiit in Armenia exul anno post Christum natum 411.

4 In papatu confessionem vulgi audiunt sacerdotes.

5 Peculiares & proprios suos sacerdotes habent Reges & Magnates, quibus peccata sua confitentur in aurem.

6 Princeps & caput. Proprie fastigium, apex: seu summa manus, finis. Colophon (Gr. Κολοφὼν) celeberrima Joniæ urbs est, cujus incolæ in equestri certamine tantum excelluere, ut in quovis bello ancipiti, ceriam sibi victoriam pollicerentur, quibus Colophonius equitatus esset auxilio. Hinc *colophonem* (id est *summam manum*) *imponere*, proverbium est.

7 Auricularem nempe.

lis nunc est in usu ecclesiæ, Theologis excutiendum relinquo: mihi puero &[1] idiotæ sufficit majorum autoritas. Hæc est certe præcipua confessio: nec est facile confiteri Christo. Non confitetur illi, nisi qui ex animo irascitur suo peccato. Apud illum expono, deploroque, si quid admisi gravius; clamo, lachrymor, ploro, me ipsum execror, illius imploro misericordiam: nec finem facio, donec sensero peccandi affectum penitus expurgatum è medullis animi, & succedere tranquillitatem aliquam & alacritatem, condonati criminis argumentum. Atque ubi tempus invitat, ut adeam sacrosanctam mensam corporis & sanguinis dominici, confiteor & sacerdoti, sed paucis, & non nisi ea, quæ certo videntur crimina: aut ejusmodi, ut vehemens suspicio sit crimen esse. Neque vero protinus arbitror esse piaculum, hoc est, enorme crimen, quod admittitur adversus quaslibet constitutiones humanas, nisi contemptus accesserit malitiosus. Imo vix arbitror crimen capitale, cui non sit adjuncta malitia, hoc est, perversa voluntas. ER. Laudo, quod sic es religiosus, ut tamen superstitiosus non sis. Hic quoque puto locum esse proverbio, [2] *Nec omnia, nec passim, nec quibuslibet.* GA. Deligo mihi sacerdotem, cui credam arcana pectoris. ER. [3] Isthuc est sapere. Sunt enim permulti, quod compertum est, qui, quod accipiunt in confessionibus, [4] effutiunt. Sunt improbi quidam & impudentes, qui percontantur à confitente, quæ [5] præ-

1 Indocto. Fusius notata vide infra in *Conv Relig.*

2 Proverbium Græcorum est Οὔτε πάντα, ὅτε πάντῃ, ὅτε παρὰ πάντων, quo monemur, ut in accipiendis muneribus non solum verecundiam adhibeamus, verum etiam delectum: sunt enim quædam quæ neutiquam decorum sit accipere. Est item locus, est tempus quo pulchrum sit oblatum munus recusare.

3 Terent. Eun. Act. 4. Sc. 7. Sed si eodem animo hæc dicat Erasmus, quo parasitus iste Gnatho apud Comicum, egregia mehercules, ironia est.

4 Hujusmodi sacerdotum impudentiam refert Erasmus in jucundissimo suo libello De lingua. Quid sit effutio disce infra sub finem Coll. *Adolesc. & Scorti.*

5 Satius fuerat.

1 Vene-

præstiterat tacuisse. Sunt indocti & stolidi, qui ob sordidum quæstum præbent aurem verius quam animũ, cum nec dijudicent inter noxiam & recte factum, nec docere possint, nec consolari, nec consulere. Hæc sic habere, frequenter audivi ex multis, & ipse partim expertus sum. GA. Et ego nimium. Proinde deligo mihi virum non indoctum, [1] gravem, spectatæ integritatis, linguæ continentis. ER. Profecto felix es, qui ista mature sapere cœperis. GA. Denique illa prima mihi curarum est, ne quid committam, quod cum periculo credam sacerdoti. ER. Nihil melius, siquidem possis cavere. GA. Nobis quidem difficillimum est; sed, auxiliante Christo, facile est. Primum est, ut adsit bona voluntas. Eam mihi subinde renovo, præsertim diebus dominicis. Deinde [2] subduco meipsum pro viribus ab improborum consortio; & sodalibus integerrimis me adjungo, quorum convictu fiam melior. ER. Recte tibi consulis. [3] Corrumpunt enim mores bonos colloquia prava. GA. Ocium ceu pestem quandam fugio. ER. Nec mirum: nam nihil malorum non docet ocium. Sed ut nunc sunt hominum mores, solus vivat oportet, qui velit abesse à malorum consortio. GA. Non omnino vanum est quod dicis. Plures enim mali, ut [4] Græcus ille sapiens dixit. Sed ex paucis optimos deligo. Et probus sodalis nonnunquam sodalem reddit meliorem. Vito lusus, qui provocant ad nequitiam: utor innoxiis. Comem me præbeo omnibus: sed familiarem non nisi bonis. Quod si quando incidero in malos, aut corrigo blande monendo, aut dissimulo, toleroque: si videor non profecturus, certe cum

1 Venerandum.

2 Vide infra *suffuror me ab illis.*

3 Eodem pertinet Menandri senarius, quem S. Paulus non gravatus est in prima ad Corinth. Epistola citare. Ei certe sumuntur à conversantibus mores.

4 Bias, unus (ut volunt) è septem Græciæ sapientibus dixit οἱ πλείονες κακοί.

cum primum licet, memet ab illis [1] suffuror. ER. Nunquam ne titillavit animum tuum libido [2] capiundæ cucullæ? GA. Nunquam; sed crebro sollicitatus sum à quibusdam, ab hoc seculo, velut à naufragio, ad portum monasteriorum vocantibus. ER. Quid ego audio? Captabant prædam? GA. Miris [3] technis adorti sunt & me, & parentes. Sed mihi [4] stat sententia, non addicere me vel matrimonio, vel sacerdotio, vel instituto monachorum, aut ulli vitæ generi, unde post me non queam [5] extricare, [6] priusquam mihi fuero pulchre notus. ER. Quando isthuc erit? GA. Fortasse nunquam. Sed ante annum vigesimum octavum nihil statuetur. ER. Cur ita? GA. Quia audio passim tam multos sacerdotes, monachos, & maritos deplorantes, quod sese temere [7] præcipitarint in servitutem. ER. Cautus es, qui capi nolis. GA. Interim tria mihi curæ sunt. ER. Quænam ista? GA. Ut proficiam in probitate morum. Dein, si id nequeam, certe tuear [8] illibatam innocentiam ac famam. Postremo, paro mihi bonas literas ac disciplinas, in quovis vitæ genere futuras usui. ER. Sed interim à poëtis abstines? GA. Non in totum, sed castissimos quosque potissimum lego. Quod si quid inciderit parum verecundum prætercurro, quemadmodum Ulysses obturatis auribus

1 Subduco me ab illis, & clam me furripio ab illorum consortio.

2 Scil. ad professionem vitæ monasticæ. Hoc enim capitis tegumento monachi ab aliis distinguuntur. *Cucullus* non *cuculla* dicitur.

3 Artificiis.

4 Firmum est mihi propositum. Certum est.

5 Expedire, liberare.

6 Ipse Erasmus, admodum adolescens, cum à tutoribus suis vehementer urgeretur ut monasterio Sioni extra urbem Delphos, deinde monasterio Steinnon procul à Gonda, se manciparet, in eandem sententiam tutoribus suis nimium urgentibus respondit; se nondum scire neque quid esset monasterium, aut mundus, aut ipse: proinde consultius, ut adhuc annos aliquot in scholis ageret, donec sibi notior esset. Vide etiam ejus, hisce Colloquiis præfixam.

7 Conjecerint.

8 Integram, puram.

auribus [1] Sirenas præternavigavit. ER. Sed cui interim ſtudiorum generi te potiſſimum addicis? Medicinæ, [2] Juri Cæſareo aut Pontificio, an Theologiæ? Nam linguæ, bonæ literæ, philoſophia, pariter conducunt ad omnem profeſſionem. GA. Nondum ulli me plane addixi, ſed ex omnibus guſtum aliquem capio, ne cujusquam plane ſim rudis: utque deguſtatis ſingulis, certius eligam, cui ſim accommodus. Medicina ubivis terrarum certiſſimum viaticum eſt: Jurisprudentia viam aperit ad dignitates: Theologia mihi cumprimis placeret, niſi me mores quorundam, & moroſæ inter ipſos contentiones offenderent. ER. Non facile labitur, qui ſic pedetentim incedit. Complures hisce temporibus abſtinent à Theologia, quod vereantur, ne vacillent in fide [3] catholica, cum videant nihil non vocari in [4] quæſtionem. GA. Ego quod lego in ſacris literis & in [5] ſymbolo, quod dicitur Apoſtolorum, ſumma fiducia credo, nec ultra ſcrutor. Cætera permitto Theologis diſputanda ac definienda, ſi velint. Si quid tamen receptum eſt uſu populi Chriſtiani, quod non plane pugnet cum ſacris literis, hactenus ſervo, ne cuiquam ſim offendiculo. ER. Quis [6] Thales te docuit iſtam philoſophiam? GA. Fuit mihi admodum puero conſuetudo domeſtica cum integerrimo viro [7] Joanne Coleto. Noſtin' hominem? ER. Quid ni? tanquam te. GA. Is eam ætatem hujusmodi præceptiunculis imbuit. ER. Non invidebis, ſi me

1 Acc. Gr. pro *Sirenes*. Sunt vero monſtra marina, Poëtarum fabulis celebrata: ſuperiore parte virgines, inferiore piſces referentia. Haſce in littore Siculo ſuavitate cantus præternavigantes ad naufragium pellicere veteres fabulati ſunt.

2 Hinc utrumque jus. Civile nempe, & Canonicum.

3 Καθόλικος, i. e. univerſalis.

4 Scil. *Dubiam*.

5 De *Symbolo* notas lege infra in limine Coll. *Inquiſ. de fide*.

6 Primus hic inter ſeptem Græciæ ſapientes numeratur.

7 Cum hoc viro natione Anglo, Erasmus magnam literarum familiaritatem excoluit. Extantque ejus plurimæ ad hunc epiſtolæ.

me præbeam [1] æmulum instituti tui? GA. Imo isthoc nomine mihi futurus es multo charior. Scis enim similitudine morum conglutinari familiaritatem ac benevolentiam. ER. Verum; sed non inter competitores ejusdem magistratus, quum simili laborent morbo. GA. Nec inter ejusdem sponsæ procos, quum pariter laborent amore. ER. Sed extra jocum, experiar imitari rationem istam. GA. Precor ut tibi [2] vertat quam optime. ER. Fortassis assequar te. GA. Utinam & præcurras. Sed interim non operiar te; quin ipse quotidie me ipsum superare contendo: sed tamen adnitere, si potes, ut antevertas.

1 Imitatorem.

2 Eveniat, succedat. q. d. Deus vertat.

Venatio.

PAULUS, THOMAS, VINCENTIUS, LAURENTIUS, BARTHOLUS.

PA. [1] TRahit sua quemque voluptas, mihi placet venatio. TH. Placet & mihi: sed ubi canes, ubi venabula, ubi [2] casses? PA. Valeant apri, ursi, cervi & vulpes; nos insidiabimur cuniculis. VI. At ego laqueos injiciam locustis. Insidiabor [3] gryllis. LA. Ego ranas captabo. BA. Ego [4] papiliones venabor. LA. Difficile est sectari volantia. BA. [5] Difficile; sed pulchrum: nisi pulchrius esse ducis sectari lumbricos aut [6] cochleas, quia carent alis. LA. Equidem malo insidiari piscibus; est mihi hamus elegans. BA. Sed unde parabis escam? LA. Lumbricorum ubique magna est copia. BA. Est, si tibi velint prorepere è terra. LA.

1 Hemistichium Virg. Eclog. 2.

2 Retia venatorum propria.

3 Gryllus est locustæ genus, simile cicadæ, noctu stridens.

4 Insectum alatum.

5 Græcorum proverbium est: χαλεπὰ τὰ καλὰ *difficilia quæ pulchra*, quod docet in difficillimis rebus præcipue spectari virtutem.

6 Intellige hic ipsos limaces. Est vero proprie *Cochlea* testa limacis.

1 *Myrias*

LA. At ego mox efficiam, ut[1] multæ myriades prosiliant. BA. Quo pacto? incantamentis? LA. Videbis artem. Imple hanc situlam aqua. Hos juglandium summos cortices virentes confractos immittito. Hac aqua perfunde[2] solum. Nunc observa paulisper. Vides[3] emergentes? BA. Rem prodigiosam video. Sic olim, opinor, exiliebant[4] armati ex satis serpentis dentibus. Sed plerique pisces delicatioris & elegantioris sunt palati, quam ut esca tam vulgari capiantur. LA. Novi quoddam insecti genus, quo talibus insidiari soleo. BA. Tu vide an possis[5] imponere piscibus; ego ranis facessam negocium. LA. Quomodo? reti? BA. Non; sed arcu. LA. Novum piscandi genus. BA. At non injucundum. Videbis, & fateberis. VI. Quid si nos duo[6] micemus digitis? PA. Ignavum est ac rusticum lusus genus. Ad focum desidentibus magis convenit, quam in campo versantibus. VI. Quid si certemus nucibus? PA. [7] Nuces admodum pueris relinquamus; nos grandiusculi sumus. VI. Et tamen nihil aliud adhuc, quam pueri sumus. PA. Sed quibus decorum est ludere nucibus, iisdem non indecorum est[8] equitare in arundine longa. VI. Tu igitur præscribito lusus genus, sequar quocunque vocaris. PA. Et ego futurus sum[9] omnium horarum homo.

Euntes

1 *Myrias* Gr. est numerus decem millium, pro innumerabili multitudine.

2 Terram.

3 Scil. lumbricos.

4 Ex dentibus serpentis, quos Cadmus humi sparserat. Vide fabulam in Metamorphosi Ovidiana lib. 2. Festiva illustratio ab exemplo.

5 Fallere pisces.

6 Micare digitis & hodie lusus est pueris notus. Cum extentis digitis, alter aversis aut clausis oculis numerum eorum conatur divinare. *Mico* deductũ volunt aliqui à *Mica*, quæ fulget in arena.

7 *Relinquere nuces*, est, omissis nugis, ad graviora converti. Translata est metaphora à veterum nuptiarum ceremonia: nam sponsus uxorem domum ducens, nuces spargebat, utpote jam pueritiæ renuntians.

8 Est hoc quoque puerulorum lusus olim non minus Romanis, quam nunc Belgis notus, ut constat ex Horatio, Serm. 2. Sat. 3. *Ludere par impar, equitare in arundine longa.*

9 Omnium horarum homo dicitur, qui sotiis pariter ac jocis accommodatus est.

Euntes in ludum literarium.

SYLVIUS, JOHANNES.

SY. CUr adeo curris, Johannes? JO. Cur [1] lepus, ut ajunt, pro canibus? SY. Quid hoc proverbii est? JO. Quia nisi [2] adfuero in tempore ante recitatum catalogum, [3] actum est de pelle mea. SY. Hac quidem ex parte nihil est periculi. Modo præterita est quinta. Inspice [4] horologium, [5] manus nondum attigit punctum, quod horam ab hora æquis spaciis dirimit. JO. At ego vix habeo fidem horologiis: mentiuntur nonnunquam. SY. At mihi fide, qui campanæ vocem audivi. JO. Quid loquebatur? SY. Horam esse quintam. JO. Sed est & aliud, unde magis etiam timeam. Reddenda est memoriter hesterna lectio, satis prolixa. Vereor ut possim. SY. Commune periculum narras. Nam & ipse vix satis teneo. JO. Et nosti præceptoris sævitiam. Omnis illi noxia capitalis est. Nec magis parcit nostris natibus, quam si corium esset bubulum. SY. Verum is non aderit in ludo. JO. Quem igitur [6] vicarium constituit? SY. Cornelium. JO. [7] Strabum illum? Væ nostris natibus. Is vel [8] Orbilio [9] plagosior est. SY. Verum dicis; & ideo non raro sum illius brachio precatus [1] para-

1 Sup. currit, aut periclitatur. Quadrat proverbium in eos, qui ob aliquam sui utilitatem in capitis periculo versantur, ideoque acriter decertant. Non enim insectamur lepores quod non ceant, sed quod pulpamentum habeant.

2 Scil. in schola.

3 Largiter vapulabo. *Actum est*, vel *acta res est*, id est, periit. Vide insta notas in *Exeqs. Seraph.*

4 Ex ὥρα & λέγω, quod horam indicat.

5 Index.

6 Qui illius vices gerat. Sc. Hypodidascalum.

7 *Strabus* vel *strabo* dicitur, cujus oculi sunt distorti.

8 Fuit Romæ Orbilius quidam ex milite ludimagister, admodum sævus in discipulos, inde ab Horatio plagosus vocatur, Epist. 1. lib. 2. ad Augustum.

9 Plagosus dicitur, eo quod pueris multas plagas infligat.

[1] Disso-

[1]paralysin. JO. Non est pium, [2] imprecari præceptori. Nobis potius cavendum, ne incidamus in illius tyranni manus. SY. Reddamus inter nos vicissim, altero recitante, altero codicem inspiciente. JO. Pulchre mones. SY. Fac [3] præsenti sis animo. Nam metus officit memoriæ. JO. Facile deponerem pavorem, si non adesset periculum. At in tanto discrimine quis possit esse securus [4] animo? SY. Fateor; attamen non agitur de capite, sed [5] de parte diversa.

1 Dissolutionem nervorum, à παραλύω, dissolvo.
2. Male precari.
3 Parato, promto.
4 Vel animi.
5 Scil. natibus.

Alia.

CORNELIUS, ANDREAS.

CO. SCite tu quidem pingis, sed charta tua perfluit. Charta subhumida est, ac [1] transmittit atramentum. AN. Quæso ut [2] appares mihi pennam hanc. CO. Deest mihi [3] gladiolus scriptorius. AN. En tibi. CO. Hui quam obtusus! AN. Accipe cōtriculam. CO. Utrum amas scribere cuspide duriuscula, an molliore? AN. Attempera ad manum tuam. CO. Ego molliore [4] soleo. AN. Quæso ut mihi describas ordine figuras [5] elementorum. CO. Græcas an Latinas? AN. Latinas primum conabor imitari. CO. Suppedita ergo chartam. AN. Accipe. CO. Sed meum atramentum dilutius est subinde infusa aqua. AN. At meum linteolum prorsus exaruit. CO. Immunge; nisi mavis immeiere. AN. Imo potius rogabo alicunde. CO. Præstat habere domi, quam rogare commodato. AN. Quid

1 Facit ut atramentum perfluat.
2 Aptes ad scribendum.
3 Scalpellum.
4 Scil. Scribere.
5 Elementorum nomine proprie omnium rerum principia significantur; hinc & literarum notæ, quæ principia sunt orationis. Nam ex litteris syllabæ, ex syllabis dictiones formantur.

Quid est scholasticus absque calamo & atramento? CO. Quod miles absque clypeo & gladio. AN. Utinam mihi essent articuli tam celeres. Equidem non possum dictantis vocem scribendo assequi. CO. Prima cura sit, ut bene scribas: proxima, ut celeriter. [1] Sat cito, si sat bene. AN. Belle: sed istam cantionem cane bene præceptori, quum dictat, Sat cito, si sat bene.

1 Catoni adscribit hanc sententiam Hieronymus. Et certe festinationis comites error, & pœnitentia.

Agendi gratias Formula.

PETRUS, CHRISTIANUS.

PE. GRatum mihi fecisti, quod aliquoties ad me scripseris. [1] Habeo gratiam, quod ad me [2] crebrius scripsisti. Amo te, quod interdum ad me literas dare non dedignatus es. Habeo gratiam, quod crebris literis me viseris. Ago tibi gratias, qui literarum fasciculis nos oneraris. Maxima tibi à me habetur gratia, qui nos aliquando litteris [3] lacessiveris. Pergratum mihi fecisti, quod nos dignatus sis tuis litteris. Debeo tibi pro tuis humanissimis ad me literis. Magni beneficii loco duco, quod non es gravatus ad me scribere.

Responsio.

CH. [4] Imo meum est deprecari culpam impudentiæ, qui non veritus sim tibi homini tum occupatissimo, tum doctissimo, meis illiteratis literis obstrepere. Agnosco solitam tuam humanitatem, qui meam audaciam boni consulueris. Verebar ne quid offen-

1 Distinguunt literati inter gratias agere, habere, & referre: *agimus* enim verbis, *habemus* animo, *referimus* facto. Ita Demipho ille Terentianus *Dii magnas merito gratias habeo, atq; ago.* Phorm. Act. 5. Sc. 7. Et Cicero, Epist. ad fam. 4. lib. 14. *Huic utinam aliquando gratiam referre possimus, habebimus quidem semper.*

2 Sæpius.

3 Provocaveris.

4 Petit veniam, sumpto argumento a personæ qualitate.

offendissent te meæ literæ, quod nihil omnino responderes. Non est quod agas gratias; mihi plus satis est, si sedulitatem meam accepisti in bonam partem.

Nova rogandi formula.

PE. Nihilne novarum rerum adfertur è patria? Num quid novi de nostratibus accepisti? Quid novi? Ecquid novarum rerum apportas? Num quid novi fertur? Num quæ res novæ è patria nunciantur.

Responsio.

CH. Novi quidem permultum, at nihil veri. Novarum quidem rerum satis, at nihil comperti. Nova permulta, at explorati nihil. Non parum novi, at veri non multum. Nihil adfertur novi. Novarum rerum nihil prorsus accepi. Certe nihil, novi nonnihil. Rumores adferuntur permulti, sed dubii. Plurima est fama, at rerum nihil, firmi nihil. Si vana te capiunt, adfero [1] tota plaustra mendaciorum. Fabularum totos [2] modios apporto. Tantum mendaciorum adfero, quantum vix una navis vehat. PE. Exonera te quam primum, ne succumbas tanto oneri. CH. Nihil habeo præter ea, quæ jactantur [3] in tonstrinis, in [4] veniculis, & in navibus.

An accepisti literas? Formula.

PE. Nihilne literarum accepisti? Num aliquas è patria recepisti literas? Nullæ tibi sunt redditæ literæ? Num quid scriptorum accepisti? Num quas accepisti epistolas? Ecquas ab [5] amiculis accepisti literas? Nihil epistolarum advolavit è Gallia?

Re-

1 Locutio Hyperbolica, uti quoque narrari solebant. Hinc tritum illud: *Lupus* infra *Modos fabularum.* Respice pag. 14. *pus & Tonsoribus notum.*

2 Modius sexta pars medimni, continens sexdecim sextarios.

3 Tonsores olim apud Romanos ob loquacitatem male audierunt, quod in eorum officinis omnes rumores ferebantur.

4 Re garum jocus est. *Respub. igitur in navibus, & vehiculis.* Otiosi enim considentes nihil non garriunt.

5 Diminutivum blanditiis, & amoribus accommodatum.

Responsio.

CH. Literarum nihil accepi. Ne pilum quidem literarum accepi. Ne tantulum quidem adfertur literarum. Nemo literam[1] ad me. Ne verbum quidem à quoquam redditur. Tantum literarum accepi jam diu, quantum vides in oculo meo. Equidem pecunias, quam literas malim. Argentum accipere malim, quam epistolas. Nummos recipere malim, quam epistolia. Nihil moror literas, modo veniat argentum. Equidem numerari malo mihi, quam scribi.

Credo, Formula.

PE. Facile credo. Haud difficile creditu est. Credi istud perfacile potest. Istud tibi quis non credat? Admodum incredulus fuerit, qui hoc tibi non credat. Profecto habeo tibi fidem. Istius rei mihi facile fidem facis. Credo tibi vel injurato. Verisimile dicis. Adferunt tamen nonnihil solatii literæ. At ego alterutrum malim, quam neutrum.

Utilitatis Formula.

CH. Quorsum spectant literæ sine pecunia? Ad quid tandem inanes conducunt literæ? Quorsum valent, ad quid conferunt, faciunt, prosunt, proficiunt literæ vacuæ? Cui gratæ, cui acceptæ literæ sine nummis? Quid emolumenti adferunt literæ inanes? Cui bono sunt[2] ociosæ literæ? Quid juvant? Cui sunt usui? Ad quid conducibiles sunt? Quid secum adferunt momenti? Cui rei sunt utiles inanes epistolæ?

Responsio.

PE. Podici tergendo utiles, idoneæ, accommodæ. Conducunt natibus tergendis. Si usum nescis earum, ad anum expurgandum valent. Ad

nates

1 Sup. dedit, scripsit.
2 Idem quod inanes. Ita dicimus verba otiosa.

1 Ita

nates tergendas. Ad [1] posticum purgandum. Conferunt ad eam corporis partem mundandam, quæ semet [2] identidem inquinat. Valent [3] convestiendis scombris. [4] Involvendo thuri sunt accommodæ. Quid? Valentne amiculi? Quid uxor agit tua? CH. Recte: eam apud matrem reliqui, & quidem prægnantem.

Bene precandi.

PE. Bene & tibi & illi vertat: tibi, quod pater: illi, quod mater futura sit. Adsit Deus. Ut utrique vestrum faustum felixque sit, precor, optoque. Quæso, oro superos omneis, ut incolumis prolem vobis dignam pariat, & [5] pulchra te faciat prole parentem. Laudo te, quod virum te præstiteris. Gaudeo te virum præstitisse. [6] Gallum te esse declarasti, at non [7] Cybeles Atyn; virum te judico. CH. Ludis; idque facis tuo more. Age age, est tibi jus apud me loquendi quælibet. Audio te patriam nuper revisisse. PE. Sic est factum. Nam diutiuscule jam abfueram; non ferebam tam diuturnum patriæ desiderium. Non poteram à parentum conspectu abesse diutius. Torquebat me diutinum amicorum desiderium. CH. Pie fecisti: humanus es, qui ista cogites. Ducimur enim omnes ad

1 Ita vocat podicem.

2 I. e. subinde. Allusit ad proverb. τȣ̃ πρωκτȣ̃ περιγινομένȣ.

3 Horatius: *Nec scombros metuentia carmina nec thus. Scombrus* piscis marinus.

4 Chartæ, quibus thus & Scombri involvuntur non magni sunt pretii. Horatius. *Deferar in vicum vendentem thus, & odores, & piper, & quidquid chartis amicitur ineptis.*

5 Respice ad pag. 4.

6 Ludit in vocis amphibolia. Sunt enim Galli sacerdotes Cybeles castrati.

7 Cybele magna Deorum mater, fuit uxor Saturni, sic dicta à Cybelo monte & oppido Phrygiæ, ubi primum sacra ejus sunt instituta, vel sic dicta quod ageret homines in furorem; ἀπὸ τȣ̃ κυβιςᾶν in caput saltare. Nam cum hæc Deorum mater Atyn suis sacris præfecisset, ut perpetuo castitatem servaret; ille haud longe post Sangricidem compressit: itaque in furorem versus manus sibi inferre voluit. Commiseratione vero Deæ liberatus, ab interficiendo quidem abstinuit, sed genitalia sibi amputavit. Ideo castrati sunt Cybeles sacerdotes, dicti Galli, à Gallo Phrygiæ flumine, ut volunt.

1 Ovidii

admirabili quodam amore ejus regionis, quæ nos aluit atque edidit. Et,

[1] *Nescio qua natale solum dulcedine cunctos*
Ducit, & immemores non sinit esse sui.

Dic, quæso, quonam in loco illic offendisti omnia?

Nova omnia, Formula.

PE. Nihil non novum. Mutata omnia. Novata singula. Universa nova. Vide quam repente tempus res mutet humanas. Videbar mihi in alium venire mundum. Vixdum decennium abfueram, & non secus omnia admirabar, quam Epimenides, somniatorum princeps, vix tandem expergefactus. CH. Quænam ista est fabula? Quid isthuc est fabulæ? PE. Dicam equidem, si vacat. CH. Nihil fuerit jucundius. PE. Sellam igitur una cum pulvino mihi poni jube. CH. Recte admones; nam sedens commodius mentieris. PE. Fabulantur historici[2] de Epimenide quodam Cretensi, qui deambulandi gratia solus urbem egressus, cum subita pluviæ vi compellente, in quandam speluncam ingressus obdormisset, quadraginta septem perpetuos annos somnum continuarit.

Non credo, Formula.

CH. Quid narras? incredibile dictu. Non verisimile dicis. Somnium mihi narras. Non fit mihi simile veri. Monstri simile narras. Non pudet tam improbæ vanitatis? Digna fabula, quæ addatur veris narrationibus

1 Ovidii distichon est, lib. 1. de Ponto, Eleg. 4.

2 Ex hac, quam pergit autor narrare, fabula ortum est adagium, *Ultra Epimenidis somnium dormis*, quod in eos dicitur, qui se immodico somno saginant: aut qui diuturno in otio versantur, nullis negotiis addicti. Ipsam Epimenidis fabulam narrant Diogenes Laertius, & Aulus Gellius.

nibus [1] Luciani. PE. Imo rem narro à graviſſimis proditam autoribus: niſi forte tibi parum ſpectatæ fidei eſt Aulus Gellius. CH. Mihi vero quæ ſcribit ille, [2] folia Sibyllæ ſunt omnia. PE. Quid tandem theologum tot annos ſomniaſſe reris? Nam [3] theologum fuiſſe proditum eſt. CH. Audire geſtio.

Reſponſio.

PE. Quid aliud, quam quæ poſtea prodidit [4] Scotus, & [5] hujus farinæ ſodales? Sed bene cum Epimenide actum eſt, qui vel tandem ad ſe redierit: multi theologi nunquam expergiſcuntur à ſuis ſomniis. CH. Age, facis ut poëta dignum eſt: ſed perge mentiri. PE. Epimenides igitur ſomno ſolutus, è ſpelunca prodit, circumſpicit, mutata videt omnia, ſylvas, ripas, flumina, arbores, agros, breviter nihil non novum. Accedit ad urbem, percontatur, manet illic aliquandiu, neque novit quenquam, neque à quo-

1 Fuit hic Lucianus Samoſatenſis ſcriptor feſtiviſſimus, qui præter multa alia lectu digna, etiam hiſtoricæ ſcriptionis exempla fícta, duobus libris, quorum titulus ἀληθῶς ἱστορίας λόγοι ſive *veræ narrationes*, poſteris reliquit. Vixit ſub Trajano, & (ſi nonnullis credere licet) de Chriſtiano apoſtata tandem miſere periit.

2 *Eſt mihi folium Sibyllæ.* Adagium eſt, cum rem indubitatam aſſerimus. Quod olim Sibyllæ oracula pro veris habebantur. Hinc Juvenalis *Credite me vobis ſolium recitare Sibyllæ.* Vide infra annotata in *Apotheoſin Capnionis* haud procul ab initio.

3 Theologus & Poëta Epicus Epimenides vulgo audit. Addit hoc autor, ut hic anſam arripiat ſui ſeculi theologos perſtringendi.

4 Notiſſimus ille Joannes Duns Scotus, qui arguiſſimis Philoſophiæ ſpinis, Theologiam involvit, plurimasque nullius utilitatis quæſtiones invexit. Varia feruntur de hujus Sophiſtæ horrendo exitu, alii enim diſcipulorum ſtylis confoſſum periiſſe volunt, alii negant. Quicquid ſit, aliter teſtatur Bodinus in opere ſuo, quod theatrum naturæ vocat. Hujus verba ex libro tertio lubet proferre. *Nota eſt* (ait) *etiam, ac memorabilis Hiſtoria Joannis Duneſii Franciſcani, qui Scotus uſurpatur, cum exſtaſim aliquando paſſus eſſet, omnibus ſenſibus, atque etiam cordis ipſius motu ſpoliatus, pro mortuo elatus eſt ac ſepultus: eodem tamen momento, quo terra obruebatur conſtrictæ cadaver cœpit, & membra collidere ferculo, quod libidinarii ſentientes ſemimortuum ac palpitantem fovea detrahunt, ſed etiam effuſo ſanguine ac cervice confracta, ſerto animam ejecit.* Stupeſce lector.

5 Quos imitatores Scoti vulgo *Scotiſtas* vocant. *Ejusdem farinæ homines* dicuntur, qui ſunt ejusdem generis, & inter quos indiſcreta ſimilitudo eſt.

quopiam agnitus est. Alius hominum cultus, nec idem vultus, mutatus sermo, diversi mores. Nec miror hoc Epimenidi post tantum annorum evenisse, cum mihi idem propemodum evenerit, qui pauculos annos abfuissem. CH. Quid uterque parens? vivuntne? PE. Vivunt ambo, & valent utcunque, senio, morbo, denique bellorum calamitate confecti. CH. Hæc est humanæ vitæ comœdia. Hæc est fatorum lex inevitabilis. PE. Cœnabis hodie domi? CH. Foris cœnaturus sum. Foris cœnandum est mihi. PE. Apud quem? CH. Apud socerum meum, apud generum meum, apud nurum meam, apud affinem meum. Affines dicuntur qui non sanguinis, sed matrimonii conjunctione copulati sunt. PE. Quæ sunt igitur usitata vocabula affinitatum? CH. Maritus & uxor, nota sunt nomina.

Socer uxoris meæ pater est mihi.
Gener filiæ meæ maritus.
Socrus uxoris meæ mater.
Nurus filii mei uxor.
Levir mariti frater. Levir dicitur ab uxore, ut Helena Hectorem levirum vocat, quod esset nupta Paridi.
Fratria fratris mei uxor.
Glos mariti soror.
Vitricus matris meæ maritus.
Noverca patris mei uxor.
Privignus uxoris aut mariti filius.
Privigna filia alterutrius.
Rivalis qui amat eandem.

Pellex quæ amat eundem: ut [1] Thraso [2] rivalis est Phædriæ, & [3] Europe pellex est Junoni.

Cras

1 Thraso (ἀ θράσος audacia) & Phædria (ἀ φαιδρὸς hilaris) personæ sunt in Eunucho Terentii.

2 Uterque enim ambiebat meretricem Thaidem.

3 Regis Agenoris filia, quam Jupiter

Cras mecum prandeas.

PE. Ago gratias. Laudo te. In crastinum igitur te ad cœnam voco. Cras ergo ut mecum cœnes, oro. Cras igitur mecum prandeas, rogo. Cras igitur te mihi convivam volo.

Timeo ne non possim.

CH. At vereor, ne non licuerit. Ut possim, metuo. Veniam, si quidem licebit. At metuo, ne non queam.

Quare?

PE. Cur non licebit? Qui sic? Quid ita? Quam ob rem? Quo pacto? Quid causæ? Quid obstiterit, quo minus possis?

Domi me esse oportet.

CH. Tum quidem mihi domi manendum est. Ut domi nocte sim, necesse est. Tum certe foris esse non licebit. Cras mihi quoquam ire foras, liberum non erit. A prandio abesse mihi integrum non erit. Aliquot ipse convivas eo die operior. Aliquot amiculi constituere ea nocte domi nostræ cœnare. Ipsi mihi convivæ sunt ea nocte [1] tractandi, alioqui lubens venirem. Ni id esset, haud gravatim facerem. Quod ni esset, haud me tibi difficilem præberem. Non excusarem, si liceret. Non paterer bis rogari, si queam. Parce rogare, vel invocatus adessem, si quo pacto liceret. Haut gravate tibi obsequerer, si possim. Frustra rogas eum, cui non est liberum: frustra item rogaturus, si liberum esset. Nunc ut maxime cupiam, non possum: tunc supervacaneum esset rogare volentem. PE. Vel perendie apud me sis, oportet. Saltem perendino die ad cœnam

ter in bovem transformatus rapuit; inque Cretam per mare transvexit. Ovid. in fine lib. 2. Metamorph. Ab hac ter-tiam orbis partem denominatam esse ajunt.

1 Excipiendi.

nam venias, necesse est. Quarto ab hinc die non gravaberis mihi præbere convivam. Die Jovis proximo non potes effugere, quin venias.

Non possum promittere.

CH. Non possum polliceri. Affirmare istud tibi non possum. Promittere certum nequeo. Veniam, ubi utrique nostrum videbitur commodissimum.

Diem dicere debes.

PE. Diem igitur mihi constituas volo, ad quem mecum sis cœnaturus. Diem igitur assignes, oportet. Diem igitur promittas, necesse est. Diem certum mihi præfiniri, præscribi, præstitui, constitui cupio. Ad certum diem condicito. Diem mihi dicas velim.

Nolo te præscire.

CH. Equidem non soleo [1] dicere diem amicis. Cum quibus mihi parum convenit, iis soleo diem dicere. Præscium te esse nolim. Præscire te nolo, de improviso te opprimam. Inopinato te opprimam. Te nec opinantem oppressero. Te nihil suspicantem oppressurus sum. Non expectatus adfuero. Adoriar te nec opinantem. Veniam [2] ultroneus, & insperatus conviva.

Præscire volo.

PE. Biduum præscire volo. Biduum præscius esse cupio. Præmoneto biduo prius, quam venias. Fac me biduo ante certiorem. CH. Si me urges, dico tibi diem [3] Sybariticum, ne desit apparandi spatium. PE. Quid hoc verbi est? CH. Sybaritæ convivas invitabant in annum proximum, ut utrinque

1 Jocus est ex ambigua significatione: nam illis diem dicimus, quos in jus vocamus.

2 Ultro, non vocatus.

3 Fertur Sybaritarum gens luxu deliciisque adeo fuisse effeminata, ut ab illa, quid quid molle aut ambitiosa luxuria paratum esset, Sybariticum diceretur. Hinc *Sybaritica mensa*, & *Sybaritare*.

trinque esset [1] justus apparatus. PE. Valeant Sybaritæ cum suis molestis conviviis: ego [2] congerronem voco, non [3] satrapam.

Tuo malo optas.

CE. Equidem tuo detrimento. Tuopte quidem malo. In damnum tuum istud optas. Incommodo istud precaris tuo. PE. Quid ita? Quam ob rem? CH. Ego instructus accedam. Ego munitus veniam. Aggrediar te paratus. Instructus multa fame accedam; tu vide ut vulturem expleveris. Parabo ventrem, ac dentes exacuam; tu vide quibus modis lupum exsatures. PE. Age ad hoc certamen te provoco. Age fac pro viribus, pro [4] virili, si quid potes. CH. Veniam, sed non incomitatus. PE. Tanto venies gratior. Sed quo comite venies? CH. [5] Umbra. PE. Nec secus possis, si modo luce venias. CH. Sed umbram adducturus sum dentatam unam atque alteram, ne tu me vocaris impune. PE. Age ut libet, modo ne [6] larvas adducas. Sed explana, si libet, quid sibi velit umbræ vocabulum. CH. Apud eruditos [7] umbræ vocantur, qui ipsi non vocati comitantur eum, qui vocatus est ad convivium. PE. Talium umbrarum adduc quantum voles.

Ea lege promitto.

CH. Veniam quidem; at hac lege, ut tu postridie ejus diei vicissim apud me cœnes. Faciam eo quidem pacto,

1 Copiosus, splendidus.

2 A *cum* & *gerro* idem qui nugator, confabulator.

3 Vide infra *Conv. Prof.* & in multis aliis locis.

4 Scil. parte.

5 Comite non vocato. Paulo inferius narrat autor, quos umbras vocare soleamus.

6 Vocantur enim & umbræ τὰ εἴδωλα. Defunctorum animæ, ut volunt.

7 Docet nos Plutarchus, unde hic mos adducendi comites non invitatos originem trahat. Existimant, ait, à Socrate natum, qui Aristodemo persuaserat, ut non vocatus secum ad Agathonis convivium accederet. Acciderat enim Aristodemo ridiculum quiddam. Siquidem cum inter eundum non sentiret Socratem à tergo relictum, prior ingressus est, plane velut umbra corpus præcedens, lumine à tergo sequente.

pacto, ut deinde mihi quoque sis conviva. Ea lege cœnam [1] condico, ut tu rursum mihi sis conviva. Spondeo futurum, sed hac exceptione, si tu postero die itidem apud me sis. [2] Recipio tibi facturum me. Do fidem futurum, his quidem legibus, ut tu mecum postridie prandeas. PE. Age fiat. Esto. Sit ita ut vis. Si jubes, faciam. Novi Gallorum magnificentiam. Non vis gratis apud me cœnare, nisi vices retuleris. At isto quidem pacto redire solent in orbem convivia. Sic nascitur conviviorum longa [3] periodus. Hac vicissitudine fiunt sine fine reciproca convivia. CH. Nihil suavius, si minimum accedat apparatui quotidiano. Cæterum ego te detineo; alio fortassis iturum. PE. Imo ego te opinor. Sed cras latius & familiarius confabulabimur. Verum crastino die plura nugabimur. Interim fac valeas. Interim cura ut bene valeas. Interim valebis.

Quo is? Formula.

CH. Quo tu nunc abis? Quo tu nunc properas? Quo tu tam celeri gradu tendis? Quonam te confers? Quo nunc iter est?

Eo domum. Formula.

PE. Domum me recipio. Domum revertor. Domum repeto. Domum me confero. Viso quid domi agatur. Accerso medicum. Rus hinc concedo. Constitui ad hanc horam cum viro quodam gravissimo colloqui. Statui hac hora congredi cum viro gravissimo. CH. Quonam? PE. Cum [4] Curione multiloquo. CH. Precor igitur tibi præsentem

1 *Condicere* prisca lingua est *denuntiare*: & *condictio*, est *denunciatio*, ut docent veteres Grammatici, & Jurisconsulti. Aliquando vero, uti hic, *consentire*.

2 Spondeo.

3 Circuitus, circumductio.

4 Respicit ad Curionem Tribunum plebis, quem ad dicendum paratissimum, Cæsari in civile bellum Pompejanum, non segnes stimulos addidisse, Lucanus notat, ut & ejusdem loquacitatem: -- *Hos signa petentes Audax venali comitatur Curio lingua.* Pharsal. lib. 1.

sentem [1] Mercurium. PE. Quid opus Mercurio favente? CH. Quia res erit cum linguaci. PE. Atqui hac gratia magis conveniebat, mihi [2] Memoriam precari propitiam. CH. Quid ita? PE. Quia patientissimis auribus opus erit potius quam strenua lingua. At auris Memoriæ dicata est. CH. Quanam iturus es? Qua ibis? PE. Hac ad sinistram, hac, illac, per forum. CH. Comitabor igitur te. Assectabor, ac deducam te ad diverticulum usque. PE. Non patiar te circumagi. Nolim te tantum laboris mea causa capere. Isthuc officii serva cum erit usus, nunc nihil opus est. Ne mea gratia facias viæ tuæ dispendium. CH. Mihi quidem [3] compendium est, frui tantisper amico. Nihil habeo quod agam, & non sum piger, ni tibi sum molestus comes. PE. Nemo jucundior assecla. At non sinam, ut mihi [4] claudas lævum latus: non admittam, ut mihi sinister ambules. Hic te superis commendo. Nolo te longius comitem. Ulterius nolo me comiteris.

Commendandi Formulæ.

CH. Tu me Curioni magnopere commendato. Fac me Curioni multiloquo quam commendatissimum facias. Me Curioni commendatum quam diligentissime curato. Jube ut me sibi commendatissimum habeat. Ego me illi per te commendatum facio. Me tibi etiam atque etiam commendo. Me tuæ humanitati quam possum diligentissime commendo. *Recommendo* pro *commendo*, [5] barbaris relinquito. Vide ne pauca cum multiloquo loquaris. Vide ne cum multiloquo sis pauciloquus.

Obsequii.

1 Quia is non solum mercatorum, & furum, verum etiam eloquentiæ Deus est. Horat. *Mercuri facunde*, &c.

2 Pro Dea memoriæ.

3 *Compendium* & ad viam referri potest, & opponi generaliter dispendio, ita ut utilitatem designet.

4 Adsis lateri sinistro inter eundum. Vide infra notata in *Formulas accusandi.*

5 Qui dicantur Barbari, disce tyro ex notis in *Ichthyopha.*

Obsequii.

PE. Vis me tibi morem gerere? Vis me tibi obsequi? Vis tibi obsecundem? Te igitur imitari me jubes? Quandoquidem ita vis, faciam libentissime. Ne sis mihi diutius in mora, imo ne uterque alteri. CH. Sed priusquam abeas, quæso te, ne graveris me docere, quo pacto [1] his sit utendum, in mora, in causa, in culpa, qui soles elegantiæ studiosus esse. Quare age, doce obsecro, differe [2] amabo.

In culpa, in causa, in mora.

PE. [3] Mos gerendus est tibi. Non est culpa in me, non est culpa in te. [4] Mora est in te. In te causa est, [5] grammatice quidem dicitur; at multo elegantius.

In culpa.

Non sum in culpa. Culpa non est mea. Vaco culpa. Quod nihil proficis, tua desidia in causa fuit, non præceptor, non pater tuus. In culpa omnes estis. Utrique in culpa estis. Utrique culpandi estis. Ambo accusandi estis. Ambo in culpa estis. Incidisti in morbum tuo ipsius vitio, tua ipsius culpa. Itidem dicuntur in vitio esse, quibus culpa debet imputari: & in crimine esse, qui culpandi sunt: & in damno esse, qui damno afficiuntur. Hoc genus sermonis non temere licet invertere. Damnum in illo est, vitium in illo est.

In causa.

Quo minus ad te scripserim, morbus in causa fuit. Quod rarius ad te scripserim, mea negotia in causa fuerunt, non negligentia. Quid in causa fuit? Quid causæ fuit? Ego non sum in causa. Quod nullas à me litteras

1 Vocibus, vel loquendi formulis.

2 Interjectio amantis, Comicis familiaris.

3 *Mos gerundus est Thaidi.* Terent. Act. 1. Sc. 2.

4 Cunctatio. Impedimentum, Tergiversatio.

5 Juxta Grammaticam.

1 Non

litteras acceperis, tabellarius in causa fuit. Quod tam macilentus es, amor, non studium in causa est. Hoc est causæ.

In mora.

[1] Non ero vobis in mora. Quidnam nobis in mora fuit? Tu nobis in mora fuisti. Tu semper in mora es. Quid te remoratum est? Quis te remoratus est? Habes quod petebas; tuum est, memoriæ [2] insculpere. [3] Habes assectatiunculæ tuæ præmium. Vale mi Christiane. CH. Vale in [4] crastinum & tu, mi Petre.

In occursu.

CHRISTIANUS, AUGUSTINUS.

CH. Salve multum jucundissime Augustine. AUG. Salve tantundem mi humanissime Christiane. Felix sit tibi hujus diei exortus. Prosper sit tibi hic dies. Quid tandem agitur? CH. Suaviter, ut nunc res nostræ sunt. Et cupio omnia quæ vis. AUG. Merito te amo. Amo te. Amandus es. Benigne dicis. Comis es. Habeo gratiam.

Irascor tibi, Formula.

CH. At ego nonnihil tibi succenseo. At ego tibi [5] subirascor. Verum ego tibi sum subiratus. Atqui ego sum in te [6] stomachosior. Atque nonnihil est, vel habeo, quod tibi succenseam.

Qua causa, Formula.

AUG. Quidnam est istud, obsecro? Quid ita? Quam

1 Non remorabor vos.

2 Metaphorice pro mandare.

3 Q. d. Jam satisfeci tibi, à me docto, quid sit *in mora, in causa, in culpa*. Et hoc præmium erit tibi laboris, quem contraxisti in me assectando, i. e. comitando. *Assectatiuncula* diminutiv. Erasmo auctore.

4 Scil. diem.

5 *Subirascor*, id est, quodammodo vel leviter irascor. Notavimus autem superius *sub* in compositione quandoquidem notare diminutionem simplicis.

6 *Stomachosior*, i. e. aliquantulum iratus. Terminatio comparativi aliquando minuit significationem. Stomachus autem designat etiam & fastidium, & indignationem.

Quam ob rem tandem, oro? Quid admisi sceleris? Quid commerui? Promereor bona, aut laudem: commereor mala, aut pœnam: illud in bonam, hoc in malam partem sumitur. Demeremur eum, quem nobis beneficio reddimus [1] obnoxium.

Quia non curas me.

CH. Quod nulla mei tibi cura sit. Quod nihil nos respicis. Quod tam raro nos revisas. Quod nihil nos cures. Quod me plane negligis. Quod nostri curam videris abjecisse. AUG. At nihil est causæ, cur succenseas. At præter meritum meum. At immerito succenses. Neque enim mea culpa accidit, quod te rarius visam. Dabis veniam occupationibus meis, per quas mihi non licet toties, quoties cupio, te revisere. CH. Ita demum tibi ignoscam, si hodie [3] apud me cœnes. Ea conditione [4] purgatus mihi eris, si vesperi ad cœnam venias. AUG. Haut iniquas pacis leges præscribis Christiane, quare haud invitus faciam. Equidem faciam volens. Istud quidem fecero perlubenter. Haud gravate faciam. Hic sane non me præbebo difficilem. Nihil hac re fecero libentius. Animo faciam lubenti. CH. Laudo tuam facilitatem, & hac in re, & in cæteris omnibus. AUG. Sic soleo amicis obsequi, præsertim non iniqua petentibus. Ridiculum: an tu me recusaturum putabas oblatum, quod ultro etiam erat rogandum?

Ne fallas me, Formula.

CH. Age, at cave ne me deluseris. Cave fallas. Cave spem frustra foveam. Cave luseris expectantem.

1 Devinctum.

2 *Respicere* proprie retro aspicere. Dein, uti hic, curam gerere, non oblivisci. Sic in Terentii Andria Act. 5. Sc. 6. *Age me in secundis tuis respice*, i. e. ne oblivisearis. Fusius de hoc verbo differentem audi ipsum autorem infra in Colloq. cui Tit. *Concio sive Medardus.*

3 Domi meæ.

4 Excusatus.

tem. Cave mihi [1] verba dederis. Vide ne me frustra habeas. Vide ne me vana spe [2] lactes. AUG. Nihil opus jurejurando. In cæteris, in aliis time perfidiam; hac in re non fallam. Sed heus tu, cave quicquam paraveris præter quotidiana: mea causa [3] diem festum nolo. Scis me convivam minime edacem, bibacem multo minus. Nosti enim me convivam non multi cibi, sed joci plurimi. CH. Curabitur diligenter. Ego te [4] Pythagorica cœna excipiam, aut fortasse frugaliore. AUG. Imo [5] Diogenica, si me delectare voles. CH. Certe [6] Platonica cœna te excipiam, in qua multum sit litteratarum fabularum, cibi minimum, cujus voluptas duret etiam in posterum diem: alioqui qui prolixe fuerit acceptus, fortassis eo die suaviter afficitur, sed postridie dolet caput, crudus est stomachus. Apud Platonem qui cœnabat, unam voluptatem capiebat ex apparatu facili, fabulisque philosophicis: alteram postridie, quod nec [7] capitis gravedinem, nec stomachi cruditatem sentiret. Ita prandebat etiam suaviter ex condimento cœnæ pridianæ. AUG. Placet, fiat ut mones. CH. Tu vide omnes curas tuas, ac [8] rugas etiam istas domi relinquas. Huc præter nugas & risum nihil adferas, &, ut inquit Juvenalis,

[1] *Pro-*

1 *Verba dare* significat fallere. Scil sermone.

2 *Lactare*, id est, lac præbere, quod matres solent. Metaphorice vero sumitur pro delinire, & simplices animos pellicere, & significat frustrationem: ut illud Terentii: *Nisi me lactasses amantem*, Andr. Act. 4. Sc. 1. & ibid. Act. 5. Sc. 4. *Sollicitando & pollicitando eorum animos lactas.*

3 Solebant Veteres diebus festis lautiores epulas apponere.

4 Admodum frugali. Quippe Pythagoras esum carnium prohibebat, & oleribus vescebatur. Vide sis infra *Convivium Fabulosum*.

5 Admodum tenui, quali victitabat Diogenes ille Cynicus, qui ipsa re profitebatur se omnium voluptatum esse contemtorem, in dolio ætatem agens. Sed cui ille non notus?

6 Qualem apparabat Plato Philosophus, à quibusdam divinus dictus.

7 Crapulam.

8 Severitatem, quam rugæ in fronte designant.

[1] *Protinus ante meum, quicquid dolet, exue limen.*

AUG. Quid? literas mecum venire non vis? Musas meas mecum adducam, nisi quid aliter censes. CH. Tetricas Musas una cum negociis domi claudas. Blandas [2] Camœnas omnes, deinde [3] sales tuos, [4] dicteria, [5] scommata, facetias, [6] lepores, ridicula omnia tecum adducito. AUG. Ita fiet. [7] Exporrigemus frontem. Bellos homunculos agemus. Ridebimus affatim. [8] Curabimus cutem. [9] Indulgebimus genio. Genialiter cœnabimus. [10] Epicureos agemus. [11] Bonum vultum faciemus, & erimus boni socii; inelegantium elegantiæ sunt, qui suam habent linguam sibi peculiarem. CH. Quo nunc properas? AUG. Ad generum meum. CH. Quid illuc? quid eo? quid illo? AUG. Audio nescio quid turbæ inter eos [12] natum, ut redigam eos in gratiam, ut reducam in concordiam, ut pacem inter eos componam. CH. Benigne facis, quanquam nihil te opus esse arbitror. Nam ipsi inter se melius hoc bellum composuerint. AUG. Fortassis & [13] induciæ jam indictæ sunt; noctu de pacis legibus agetur. Sed nunquid me alius vis? CH. [14] Vocabo te per puerum meum. AUG. Ubi voles, domi ero. Bene vale. CH. Bene sit tibi. Fac hic ad quintam horam adsis. Heus Petre, accerse ad

1 Extat versus Juvenal. Satyr. XI.

2 Musas, quæ hoc nomine apud Poëtas insigniuntur.

3 Jocos.

4 Salse, & acute dicta.

5 Jocosas irrisiones. Respice pag. 31.

6 Venustas loquendi formulas.

7 Id est, exhilarabimus nos. Frons enim præ mœrore, vel ira contrahitur. Sic Horat. Satyr. 2. lib. 2. *Explicuit vino contractæ seria frontis.* Terent. Adelph. Act. 5. Sc. 3. *Exporrige frontem.*

8 *Curare cutem, seu cuticulam*, dicuntur illi, qui solis voluptatibus student. Respice ad pag. 7.

9 Idem est quod sequitur *cœnabimus* vel *vivemus genialiter*. Id est laute, splendide. Hinc *dies genialis*, i. e. lætus, voluptuarius.

10 Voluptarios. Vide notas in pag. 36. supra.

11 Respice ad illud. Exporrigemus frontem.

12 Ortum esse.

13 Vide infra notas fere in medio Coll. *Ichthyoph.*

14 Invitabo.

1 Vulgo

ad cœnam Auguſtinum, qui mihi hodie, ut ſcis, cœnam [1] condixit. PE. Eo. Salve poëta. Cœna jamdudum parata eſt; te herus exſpectat domi; ubi voles, accedas. AUG. Venio. Salve, mi Chriſtiane. CH. Bene factum quod veniſti. Gaudeo te adveniſſe. Gratulor mihi quod veniſti. Nondum quinta ſonuit, credo. PE. Imo jamdudum [2] præterita eſt. Haud longe ſexta abeſt. Inſtat hora ſexta. Mox ſextam audies. AUG. Parvi refert, an poſt quintam venerim, nec ne, modo ne poſt cœnam. Nam [3] poſt feſtum venire, miſerum eſt. At quorſum tantus apparatus? Quorſum tot epulæ? Num me lupum exiſtimas? Num tibi lupus videor? Num me vulturem putas? CH. Non vulturem, tamen nec cicadam, ut [4] rore vivas. Nihil eſt luxus. Mundities mihi ſemper placuit, ſordes deteſtor. Nec [5] Apitius mihi placet, nec [6] Diogenes. Præſtat aliquid ſupereſſe, quam deeſſe. Si præter cicer nihil apponeretur, & fuligo forte illapſa in ollam, condiret legumen, quid tum ederetur? Nec omnia ſapiunt omnibus. Itaque mihi placet moderata varietas. AUG. Non tu metuis leges [7] ſumptuarias. CH. Imo peccavi frequenter in diverſum. Nihil

1 Vulgo addixit, promiſit. Sed re ſpice pag. 86.

2 Præteriit.

3 *Poſt feſtum venire.* Proverbium eſt in eos, qui negotio non interfuerunt, propterea quod ſerius, re peracta acceſſerunt.

4 Proverbium eſt; *rore, paſcitur*, in hominem corpore gracili, & macilento. Ironice vero in hominem fartis viſceribus onuſtum.

5 Apitium noſce ex hisce verbis Senecæ Conſol. ad Helv. Cap. X. Apicius noſtra memoria vixit, qui in ea urbe, ex qua aliquando Philoſophi, velut corruptores juventutis, abire juſſi ſunt, ſcientiam popinæ profeſſus, diſciplina ſua ſeculum infecit: cujus exitum noſſe operæ pretium eſt. Cum ſeſtertium millies in culinam congeſſiſſet, cum toties congiaria principum, & ingens Capitolii vectigal ſingulis comeſſationibus exſorpſiſſet, æri alieno oppreſſus, rationes ſuas tunc primum coactus inſpexit: ſuperfuturum ſibi ſeſtertium centies computavit: & velut in ultima fame victurus, ſi in ſeſtertio centies vixiſſet, veneno vitam finivit.

6 De hoc reſpice notas ad pag. 91.

7 Quæ ferebatur de moderandis ſumptibus. C. Orchius Romæ primam de cœnis legem tulit.

1 Lege

Nihil nobis opus lege [1] Fannia. Satis nos docet frugalitatem ipsa tenuitas. AUG. Haud ita convenerat. Longe aliter pollicitus es. CH. Age, inepte, nec ipse conventa servas. Convenerat enim, ne quid præter nugas inferres. Quin hæc missa faciamus. Lavemus, ac discumbamus. Heus tu puer, cape [2] guttum ac patinam, linteum ex humero suspende, ministra aquam; quid cessas? Lava, Augustine. AUG. Lava tu prior. CH. [3] Bona verba: hoc anno perpetuo illotus cœnare mallem. AUG. Ridiculum: non honoratiori, sed turpiori ante alios lavandum est: lava igitur ut immundior. CH. Tu [4] es urbanus plus satis. Es urbanior quam sat sit, quam par est. Quorsum attinet ista urbanitas? Hujus modi ceremonias ineptas mulierculis relinquamus, quæ nunc & ab aulicis fastidiuntur, unde tamen olim profectæ sunt. Lavetis terni aut quaterni simul. Ne teramus tempus hujusmodi moris. Ego nulli designabo locum; sumat sibi quisque quem volet. Qui delectatur igni, hic commodius accumbet. Qui offenditur luce, deligat hunc angulum. Quem delectat prospectus, hic sedeat. Agite, satis morarum. Accumbite. Ego domi sum, vel stans cœnabo, si lubeat, vel obambulans. Cessatis? At interim cœna corrumpitur. AUG. Vivamus nunc, [5] curemusque cuticulã. Simus nunc [6] Epicurei. Nihil nobis cum [7] fronte Stoica.

1 Lege sumtuaria, quam tulit Consul Fannius Romæ, A. XXII. post Orchiam, nempe sub bellum Punicum tertium, cum novæ legis auctorem auctam necessitas imploraret. Non fraudabo te, lector, hoc secreto, tu modo attende, & illius seculi frugalitatem observa. Lex Fannia lata fuit in hæc verba. Permittuntur diebus festis centeni æris: cæteris deni. NB. Centeni illi æris reddunt nobis decem drachmas, deni unam.

2 *Guttus* vel *Gutturnium* vas est angusto collo, ex quo aqua quasi guttatim in manus fluit.

3 Vide notas nostras ad pag. 11.

4 De hac voce vide, quæ diximus in notis ad pag. 1.

5 Respice notas ad pag. 7.

6 Voluptuarii. Respice pag. 36.

7 Gravitate Stoica. De fronte vide pag. 92. Fuerunt Stoici Philosophi severi ac masculi, ita dicti a Stoa porticu, quæ fuit Athenis, in qua Zeno institutor illius sectæ docuit. Vide infra *Ichthyoph.* & *Philodox.*

ca. Valeant curæ. Absit omnis livor, exulet obtrectatio. Sit mens læta, frons hilaris, sermo lepidus. CH. Quinam sunt isti Stoici atque Epicurei, Augustine? AUG. Stoici philosophorum quoddam genus est triste, severum, jejunum, qui hominis summum bonum, honesto nescio quo, metiuntur. Epicurei his longe diversi, felicitatem hominis voluptate terminant. CH. Tu igitur cujus es tandem? Stoicus, an Epicureus? AUG. [1] Zenonem laudo, at Epicurum vivo. CH. Quod tu joco dicis, Augustine, id serio factitant hodie non pauci, [2] pallio tantum & barba philosophi. AUG. Imo isti vel [3] Asotos superant luxu. CH. Heus, Dromo, ades huc. Tuo munere fungere; consecra cœnam. AUG. *Quicquid appositum est, & quicquid apponetur, felix ac sacrum esse jubeat, qui sua benignitate pascit universa. Amen.* CH. Appone epulas. Quid cunctamur capum hunc discerpere, quid trepidamus hunc gallum lacerare? AUG. Ego [4] Herculem præstabo, ac belluam hanc [5] conficiam. Utrum mavis de ala, an de poplitibus? CH. Utrum vis, nihil mea refert. AUG. In hoc genere alis primæ partes tribuuntur; in cæteris poplites lautiores putat vulgus. CH. Tu multum laboris mea causa capis. Tu permultum laborem mea causa sumis. Tu omnibus ministras; ipse nihil edis. Ego tibi hanc alam ministrabo: at ea lege, ut dimidium mihi restituas. AUG. Itane igitur? At istud est tibi ministrare, non mihi. Tu serva: ego enim sum impudentior, quam cui ministrari quicquã debeat. CH. Probe facis. AUG. Eho, tu [6] lupo cibum ministras? Vul-

1 Qui, ut modo diximus, Stoicæ sectæ institutor fuit, & fere centenarius sine morbo sibi mortem intulit.

2 Qui præter pallium & barbam nihil Philosophi habent.

3 Ἀσωτος Græce intemperans. Asoti, luxu perditi.

4 Quis ignorat, Herculem Jovis & Alcmenæ filium, ut Poëtis visum est, domuisse belluas? Hydram Lernam, Cervam æripedem, Leonem Nemæum, aliasque feras. *Præstabo Herculem*, id est, ostendam me validum & ferocem.

5 Cultro dissecabo.

6 Lupi & Vultures sunt admodum voraces.

1 Ταπει-

Vulturem invitas? CH. At jejunas, non cœnas. AUG. Imo me uno nihil edacius. CH. Imo mendacius nihil. Proinde agito ac si domi sis tuæ. AUG. Istud jam plane mihi persuasi. Istud jam in animum induxi. Sic stat sententia. Consilium est istud facere. CH. Quid tibi hoc vinum placet? Quid hoc [1] villi delectat? AUG. Mihi quidem perplacet. Me certe vehementer juvat. Me satis delectat. Me non mediocriter juvat. CH. Utrum mavis? rubrum, an candidum?

Non refert quo sit colore.

AUG. Equidem utroque [2] juxta delector. Nihil refert quo sit colore, modo sapor placeat. Non laboro quantum oculis placeat vinum, modo [3] palatum juvet. Nihil me movet aspectus, si sapor placeat. Parvi refert quo sit colore, quem habeat colorem, si sapiat bene. Non cupio oculos pascere, si palato satisfacere queat, modo palatum juvare possit. Nihil moror colorem, modo gratus sit sapor. CH. Credo. Atqui sunt [4] cœnaticæ Philosophiæ cum primis [5] periti, qui negant vinum esse probandum, nisi quod placeat quatuor sensibus: oculis, colore: naribus, odore: palato, sapore: auribus, fama & nomine. AUG. Ridiculum, quid fama conducit ad potum. CH. Tantum, ut multi non stupidi palati, vehementer probarint villum [6] Lovanio vernaculum, quum crederent esse [7] Belnense. AUG. Fortasse jam larga potatione palatum [8] obsurduerat. CH. Imo nondum attigerant poculum. Tamen judicium tuum audire cupio, hominis his in rebus peritis-

1 Ταπεινωσις.

2 *Juxta* adverbialiter sonat *æque*.

3 Bene sapiat.

4 Quæ ad cœnas & epulas pertinet.

5 Δειπνοσοφίσας vocant, qui inter cœnandum philosophantur. Sed cœnaticæ Philosophiæ peritos appellat autor, qui de cœnis, ferculis & lautitiis apte sciunt disserere, qualis fuit Carius ille, de quo Horatius Serm. lib. 2. Sat. 4.

6 Lovanium urbs Brabantiæ primaria.

7 Ita dictam ab urbe *Belna*, quæ est in Burgundia, Gallice *Beculne*.

8 Quod ebriis solet evenire. Vide infra *Evangelioph.*

peritissimi. AUG. Album nostrates rubro præferunt, quod rubrum paulo sit acerbius, & alterum exilius quidem, sed illud mitius, &, ut arbitror, salubrius. CH. Habemus &[1] subrubrum, & flavum, & purpureum. Hoc mustum est[2] hornum. Hoc[3] bimum est, si quem capit vetustas. Habemus &[4] quadrimum: sed jam[5] vapescit ac desipiscit senio. Ætate vigor evanuit. AUG.[6] Luculli divitias audio. CH. Heus, puer, ubi cessas? Nos hic plane negligis: non vides quanta sit hic siccitas? Quid si hoc rerum statu incendiū contingeret, quo restingueremus? Dato singulis plenos cyathos. Augustine, quid habes, quod parum es hilaris? Quid accidit tibi quod sedes tristior? Quid est tibi, quod minime gaudes? Aut doles, aut carmina condis. Tu nunc[7] Chrysippum agis, [8] Melissa tibi opus est. AUG. Quam hic mihi fabulam narras? CH. Chrysippus adeo fertur intentus fuisse suis[9] argutiis logicis, ut ad mensam etiam fame periturus fuerit, nisi ancilla Melissa cibum in os ingessisset. AUG. Ille vero indignus erat, qui servaretur. Sed si te offendit taciturnitas, placetque convivium vocalius, est quo id efficias. CH. Memini. Recte admones: liberalius bibendum: largius, copiosius, meracius oportet bibere.

Rem attigisti.

AUG. Rem acu tetigisti. Recte judicas. Scopum attigisti.

1 Fere rubrum. De præpositione *sub* in compositione, vide notas ad pag. 89.
2 Unius anni.
3 Duorum annorum.
4 Annorum quatuor.
5 Fit simile vappæ, quæ & vinum fugiens dicitur. *Vapesco* vox Erasmiana.
6 Imperatoris Romani fortissimi, dissimi, simul & luxuriosissimi, cujus opes & luxus in Proverbium abierunt.
7 Qui fuit severus Stoicus.
8 Chrysippi ancilla.
9 Iste enim Chrysippus nimis anxie & subtiliter in Logicis versatus Philosophiam Stoicam spinosis quæstiunculis depravavit. Ajunt eum septuaginta quinque volumina conscripsisse.

attigisti. Nam, [1]Fœcundi calices quem non fecere disertum? CH. Perdocte tu quidem, Augustine, ut omnia; sed quoniam in sermonem vinarium, quando in mentionem incidimus vinorum, libet interrogare quonam consilio veteres illi Bacchum, quem vini autorem videri volebant, Poëtarum Deum dixerint. Quid enim illi [2]temulento Deo cum Poëtis, [3]Musarum virginum cultoribus. AUG. Quæstio, ita me Bacchus amet, poculis digna: verum quorsum tuæ quæstiones spectent, satis intelligo. CH. Quorsum amabo? AUG. Astute de vino disputationem injicis Gallica techna, quam didicisse Parisiis te suspicor, nimirum quo minus interim absumatur vini. Abi, virum te judico; non frustra in tanta schola versatus es. CH. Accipio tua dicta; referam paria [4]scommata, ubi erit commodum. Sed ad rem. AUG. Dissolvam ubi bibero: siquidem absurdum fuerit sicco palato de quæstione vinosa disputare. Præbibo tibi, Christiane. [5] Propino tibi hunc scyphum dimidiatum. CH. Accipio abs te libenter. Sit saluti. Prosit. AUG. Jam accingor, ut me missum facias. Ego meo more præpostere faciam. Quod Baccho pueritiæ effigiem tribuerint, id habet mysterii, quod vinum potum [6]curas & sollicitudines animis nostris eximit, hilaritatemque quandam inducit. Quare senibus quoque ipsis [7]juventam quandam reddere videtur, dum & hilariores facit & formosiores: id quod Horatius, cum multis in locis, tum præcipue his versibus aperte testatur:

[1] *Ad*

1 Versus est Horatii in Epist. 5. lib. 1. ad Torquatum.

2 Ebrioso. *Temetum* prisca lingua vinum.

3 Sunt enim novem Musæ Jovis & Mnemosynes filiæ.

4 *Scomma* vox Græca. Lat. cavilla, vel cavillum.

5 Idem quod præbibo.

6 *Sollicitis animis onus eximit.* Verba sunt Horatii Epist. 5. l. 1.

7 Juventutem, dicitur enim Juventus, & Juventa.

[1] *Ad mare cum veni, generosum & [2] lene requiro,*
Quod curas abigat, quod cum spe divite [3] manet
In venas, animumque meum, quod verba [4] ministret.
Quod me [5] Lucanæ juvenem commendet amicæ.

Nam quod huic poëtas dicarunt [6] Deo, id significatum voluisse suspicor, quod vinum & ingenium excitat, & facundiam ministrat, quæ duo poëtæ sunt aptissima. Unde frigent carmina, quæ scribuntur aquæ [7] potoribus. Est quidem igneus suapte natura Bacchus, sed adhibitis [8] Nymphis redditur temperantior. Habes quod quærebas? CH. Nihil unquam audivi verisimilius dici ab homine poëta. Dignus es qui bibas [9] gemma. Heus puer, tolle hanc patinam, atque appone cetera. AUG. Puerum habes admodum inurbanum. CH. Est [10] veterator nequissimus. AUG. Cur non instituis alio pacto? CH. [11] Difficile est canem vetulum loris assuescere. Difficillimum est veteratoris mutare mores. Vetulus canis non facile assuescit loro. Me quidem dignus est. [12] Dignum patella operculum.

Si

1 Vide Horatii epistolam superius citatam.

2 Molle.

3 A verbo *Manare*, quod proprie significat *distillare*, per translationem vero, uti hic, *diffundi, dispergi.*

4 Suppediter.

5 Amicam Lucanam vocat Horatius meretriculam ex Lucania regione Italiæ.

6 Baccho, i. e. vino.

7 Id est à potoribus. Horatii verba sunt ad Mæcenatem l. 1. Epistol. 19. *Prisco, si credis, Mæcenas docte Cratino: Nulla placere diu, nec vivere carmina possunt. Quæ scribuntur aquæ potoribus*, &c.

8 Aquarum Deabus, id est addita aqua.

9 Id est *è gemma*, seu poculo gemmis ornato, pars pro toto. Gemmatorum poculorum magnus olim apud divites Romanos usus fuit. Vide Juvenal. Sat. 5.

10 Qui varia ac diuturna servitute astutus & vafer evasit.

11 Hoc & sequentia proverbia de iis dicuntur, quorum mores longo usu depravati flecti nequeunt.

12 Proverbium est quoties similia similibus, mala malis, digna dignis eveniunt. Idem fere designat illud: *similes habent labra lactucas*, id quod alibi superius annotavimus.

Si cognoscerem quid te oblectet, tibi ministrarem.
Formulæ.

AUG. Decerperem tibi quidpiam, si palatum tuum [1] tenerem. Ministrarem tibi, si gula tua mihi satis cognita esset. Apponerem tibi, si, quid potissimum juvaret, scirem. Si nossem ingenium palati tui, essem tibi [2] structor. Equidem tantundem palatu, quantum animo sapio. CH. Palatum habes eruditissimum. Nihil tuo palato doctius. Nec eo te puto inferiorem, de cujus singulari peritia testatur [3] Satyricus:

[4] *Ostrea callebat primo deprendere morsu,*
Et semel aspecti dicebat littus Echini.

AUG. Et tu mihi, Christiane, ut par pari referam, ipsum audivisse [5] Epicurum, aut in schola [6] Catiana institutus videris. Quid enim tua gula aut sapientius, aut fastidiosius? CH. Si oratoriam æque artem ut culinariam callerem, nec Cicero ipse me vinceret. AUG. Equidem si alterutra carendum esset, culinariam, quam rhetoricam mallem. CH. [7] Subscribo tuo judicio: graviter, acute, vereque judicas. Quid enim oratorum confert loquacitas, nisi quod aures ociosas inani voluptate demulcet? Culinaria tum palatum, tum ventrem, tum totum hominem, quantus est, pascit ac reficit. [8] Concedat [9] laurea linguæ, inquit

1 Noscerem.

2 Qui cibos apponit, eosque convivis distribuit, & mensam instruit.

3 Juvenalis, Satyrarum scriptor acutissimus.

4 Loquitur Juvenalis Satyra 4. de Montano senatore, qui esset palati tam docti, ut dignosceret primo morsu, an ostrea forent nata circa rupes ad montem Circæum, in littore Campaniæ, an ad scopulos in lacu Lucrino; & primo aspectu dicebat, in quo littore captus esset Echinus, piscis marinus è cancrorū genere.

5 De Epicuro jam sæpius supra dictum est.

6 De Catio Epicureo, eruditissimo cœnarum structore & autore vide Horat. Serm. lib. 2. Sat. 4. *Undè & quo Catius?* &c.

7 Assentior.

8 Verba Ciceronis sunt in Pisonem. *Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ.*

9 Metonymia adjuncti est. Laurea pro triumpho, cujus signum est laurus.

1 Re-

inquit Cicero: at utraque concedat culinæ. Nunquam mihi[1] Stoici illi magnopere placuerunt, qui omnia ad ſuum, neſcio quod, honeſtum referentes, cutis ac palati nullam rationem habendam putant. Dici non poteſt, quanto Diogene ſapientior[2] Ariſtippus mihi fuiſſe videtur. AUG. Ego Stoicos cum ſuis jejuniis contemno. Epicurum magis laudo ac probo, quam Diogenem illum Cynicum, qui crudis oleribus, ac ſimplici aqua victitabat. Quare nihil miror, ſi Alexander Rex fortunatiſſimus, ſe[3] Alexandrum, quam Diogenem eſſe maluit. CH. Nec ego ſane, quamlibet vilis homuncio, cum Diogene meam philoſophiam commutarem: fortaſſis & [4]Catius tuus facere recuſaret. Melius noſtri temporis philoſophi ſentiunt, qui contenti Stoico more diſputare, vivendo ipſum etiam Epicurum vincunt. At ego quidem rem in primis præclaram philoſophiam puto, ſi parce adhibeatur. Nimium philoſophari non laudo. Eſt enim res perquam jejuna, ſterilis atque triſtis. Ubi in calamitatem, aut ægritudinem incidi, tum demum ad philoſophiam, tanquam ad medicum confugio. Ubi convalui, rurſum illi vale renuncio. AUG. Tuam rationem probo. Belle philoſopharis. Salve igitur, Philoſophe, non è [5]Stoa, ſed è culina. CH. Quid tandem habes Eraſme, quod parum ſis hilaris? Quid ſibi vult [6]corrugata frons? quid ſilentium? An mihi ſuccenſes, quod te frugaliore cœna acceperim? ER. Imo tibi ſum iratus,

1 Reſpice quæ notavimus ad pag. 94.

2 Qui maluit ſplendide vivere apud regem, quam cum Diogene mendicare. Huju cum Diogene Cynico (de quo ſupra diximus) feſtiviſſimam diſſertationem refert Horatius lib. 1. Epiſt. XVII. ad Scævam.

3 Hiſtoriola, quam prædicant, hæc eſt, Alexander Diogeni, in ſole apricanti, offerens quæ vellet, reſponſum tulit: Cupio nihil, ô Alexander, niſi ut paulum è ſole diſcedas. Tum rex, miratus humanarum rerum contemtorem, ſubjecit: niſi Alexander eſſem, Diogenes eſſe vellem.

4 Illæ cœnaticæ Philoſophiæ Magiſter peritiſſimus, de quo ſuperius.

5 A Stoa, quæ fuit porticus Athenis, dicti Stoici. Reſpice notas pag. 94.

6 Vultus triſtis. Reſpice notas p. 92.

tus, quod tantum impendii mea causa factum. [1] Interminatus erat Augustinus, ne sua causa [2] diem festum faceres: vis nos posthac redire nunquam. Nam talem cœnam dare solent ii, qui unam duntaxat dare constituissent. Quos tandem convivas videris accepisse? Non amiculis, sed [3] Satrapis cœnam parasse videris. An nos helluones esse credis? Hoc non est dare cœnam, sed triduanam saturitatem. CH. Etiam tu pergis esse [4] Demea? Cras ut lubet disputa: hodie [5] Mitionem te præbeas, oro. De [6] impendio cras sobrii disputabimus; nunc nil nisi meras nugas audire libet. AUG. Christiane, utrum de bubulis an de ovillis carnibus mavis? CH. Bubulis quidem magis delector, at ovillas magis salutares arbitror. Ita ingenium est hominum, ut pernicioſissima quæque appetant vehementissime. AUG. Galli suillas carnes mirum in modum amant. CH. Galli amant, quæ parvo constant. AUG. Hac una in re Judæus sum: nam nihil æque odi atque carnes suillas. CH. Nec injuria, quid enim insalubrius. Ego in hoc non cum Gallis, sed cum Judæis sentio. ER. At ego ovillas pariter amo, & suillas; sed diversa ratione. Nam ovillis, quod amem, libenter vescor. Suillas præ amore non attingo, ne quid offendam. CH. Bellus homo es, Erasme, ac festivus. Equidem mirari mecum soleo, unde tanta in palatis humanis diversitas. Nam, ut Horatiano carmine utar:

[7] *Tres mihi convivæ prope dissentire videntur,*
Poscentes vario multum diversa palato.

ER.

1 Valde minatus erat quid mali. si sua, &c. Terent. And. Act. 3. Sc. 2. *Interminatus sum.*

2 Proverbium, cujus originem vide pag. 91. in notis.

3 *Satrapa* est vox Persica, significans præfectum provinciæ.

4 Morosus, Vide notas ad pag. 1.

5 Quem novimus ex Adelphis Terentii. Per Antonomasiam, quam rhetores vocant, *Mitio* ponitur pro homine mansueto & miti, proprium pro appellativo.

6 Sumptu.

7 Horatius Lib. 2. Epist. 2. v. 61. & 62.

1 Teren-

ER. Quamquam, ut ait [1] Comicus, quot homines, tot sententiæ, & suus cuique mos; tamen nemo me adduxerit ut credam, plus ingeniis in esse varietatis quam palatis. Ita vix duos reperias, quos eadem [2] juvent. Permultos vidi, qui butyri ac casei ne olfactum quidem ferrent. Sunt quibus carnes nauseæ sint: alius elixis, alius assis abstinet. Multi aquam vino præferunt. Et quod incredibile est, vidi hominem, qui nec pane, nec vino uteretur. CH. Et quibus tandem miser ille victitabat? Quibus vescebatur? ER. Cæterorum nihil fastidiebat, non carnes, non pisces, non olera, non poma. CH. Vis ut istud tibi credam? ER. Si lubet. CH. Credo, at ea lege, ut vicissim mihi mentienti fidem sis habiturus. ER. Age faciam: modo verecunde mentiaris. CH. Quasi vero sit quicquam tuo commento impudentius. ER. Quid dicet [3] frons tua, si hominem tibi commonstrem? CH. Macilentum quempiam ac [4] monogrammum esse oportet. ER. Imo diceres [5] athletam. CH. [6] Polyphemum potius. ER. Hoc tibi mirum videri demiror, cum multi sint, puibus [7] pisces vento durati sint panis loco: [8] nonnullis hoc præstent herbarum radices, quod nobis panis. CH. Credo; sed perge mentiri. ER. Quendam in Italia, cum illic agerem, videre memini, qui nullo neque cibo, neque potu adjutus, somno saginabatur. CH. Ut nihil pudet? non possum illud Satyricum non dicere: *Tunc*

1 Terentius in Comœdia Phormione. Act. 2. Sc. 4.

2 Delectant.

3 De fronte dictum est in notis ad pag. 49.

4 *Monogramm* dicuntur homines prætenues, ac pusilli, à Picturis, in quibus unica linea notantur homunculi, velut procul apparentes.

5 Quia athletæ corporibus robustis & vegetis, magnas vires ostentabant. Respice pag. 7.

6 Gigantem, proprium pro appellativo. Fabulantur Poëtæ Polyphemum, qui & Cyclops dicitur, fuisse Neptuni filium ex Thoosa Phorci filia, ingenti corpore & unico in fronte oculo. Vide Virg. & Ovid.

7 Hoc victus genere utuntur populi in extremum Boream remoti.

8 Brasilianis, aliisque.

Tunc immensa [1] *cavi spirant mendacia* [2] *folles.*

Tu poëtaris. Tu nunc poëtam agis. Nam, Mentiris, dicere, mihi [3] religio est. ER. Mentiar, si non [4] Plinius autor certissimus scripsit, ursum quatuordecim dies solo somno mirum in modum saginari: quo tamen ita alte premitur, ut ne vulneribus quidem queat excitari. Imo, quo magis mireris, addam quod [5] Theophrastus scribit, per id tempus ursorum carnes coctas quoque, si asserventur, reviviscere. CH. Vereor ne [6] Parmeno ille Terentianus ista non contineat. Mihi facile fidem facis. Ministrarem tibi de cervinis carnibus, si satis essem urbanus. ER. Unde tibi nunc venatio? Unde [7] ferina? CH. Midas, homo hominum, qui vivunt, liberalissimus, nostrique amantissimus, mihi misit dono: dono quidem, sed sic, ut ego minoris emam sæpe numero. ER. Qui sic? CH. Quia famulis plus dandum quam daretur in macello vendenti. ER. Quæ res cogit hoc facere? CH. Tyrannus omnium violentissimus. ER. Quis iste? CH. Mos. ER. Profecto tyrannus iste frequenter iniquissimas leges obtrudit mortalibus. Idem suo more nudius tertius hunc cervum venatus est. Quid tu, qui soleas istius studii esse amantissimus? AUG. Equidem hoc studio plane relicto, jam præter literas nihil venor. CH. At mihi videntur literæ quovis cervo fugaciores. AUG. Duobus tamen potissimum canibus assequimur,

1 Verba sunt Juvenalis in Satyra 7.

2 Intellige pulmones, quibus inest spirandi vis: vel, si mavis, cavas buccas & fauces rabularum, vento & mendaciis plenas, ut folles credas.

3 Religio, quam nonnulli ita dictam volunt à religandis animis, & quæ vulgo denotat pietatem in Deum, ponitur sæpe pro anxia quadam cura, & metu, seu conscientiæ scrupulo, quem vocant, uti hic: *mihi religio est*, id est, *Conscientia prohibeor. Non fas est.*

4 Lib. 8. cap. 36.

5 Cujus extat hodie liber de plantis. Fuit is Aristotelis discipulus, ob eloquentiam prius Euphrastus, deinde Theophrastus, ante vero Tyrtamus dictus.

6 Is enim in Terentii Eunucho Act. 1. Sc. 2. ita inquit: *quæ vera audivi taceo & contineo oprume; sin falsum, aut vanum, aut fictum est, continuo palam est.* Ergo hæc falsa sunt.

7 Sc. caro.

1 Virgi-

mur, admiratione scilicet, atque improbitate laboris. Nam & admirari plurimum discendi ardorem ministrat; &, ut facundissimus [1] poëta scripsit,

Labor omnia vincit [2] *Improbus.*

CH. Amanter admones, Augustine, ut soles: propterea non desistam, non conquiescam, non defatigabor, donec consequar. AUG. Carnes cervinæ sunt nunc admodum tempestivæ. Meminit [3] Plinius de hoc animante quiddam admirabile. CH. Quidnam obsecro? AUG. Quoties arrexere aures, acerrimi esse auditus: ut contra cum [4] remisere, surdos. CH. Istud ipsum mihi sæpenumero evenit. Nam si quando fiat sermo de recipiendis aureis, nihil tam auritum. Hic enim cum Pamphilo illo Terentiano [5] aures arrigo. Ubi de numerando verba fiunt, illico demitto. AUG. Laudo te, facis ut te decet. CH. Vis de his leporinis clunibus? AUG. Tibi sumito. CH. An de tergo mavis? AUG. Hoc animal præter ilia & clunes nihil habet appetendum. CH. Vidistine unquam leporem candidum? AUG. Sæpenumero. [6] Plinius in [7] Alpibus candidos reperiri scribit, quibus hybernis mensibus nivem pro cibatu esse sit creditum. An verum sit, Plinius ipse viderit. Quod si leporis cutem candidam reddit nix, stomachum habeat candidum necesse est. CH. Mihi verisimile non fit. AUG. Accipe magis admirandum, at fortasse tibi non inauditum. Idem utramque vim singulis inesse testatur, maris & fœminæ, ac fœmellas sine mare æque gignere.

Istud

1 Virgilius Georgic. lib. 1. v. 145.
2 Id est indefessus, assiduus. Quic quid enim modum & normam excedit, Latinis *improbum* dictum est.
3 Histor. natur. l. 8. c. 36.
4 Demisere.
5 Id est avide, ac sitienter auscultо Vide Terentii Andr. Act. 5. Sc. 4. Metaphora ducta à quadrupedibus, quorum plerisque mos est, si quando quid emicat sonitus audiant aures surrigere.
6 Histor. natur. l. 8. c. 55.
7 Altissimis montibus Italiam determinantibus, olim Galliam Cis-Alpinam à Trans-Alpina dividentibus.

Istud ipsum multi asseverant, præsertim venandi studiosi. CH. Est ita ut dicis. Sed hos cuniculos, si placet, tentemus, quia pinguiusculi sunt ac tenelli. Ministrarem illi [1] Nymphæ, si propius assiderem. Augustine, istius tibi vicinæ curam age, si libet: [2] calles enim quo gestu sit ministrandum istis [3] Veneribus. AUG. Teneo quid dicas, [4] nasute. CH. Quid te anserinæ carnes delectant? AUG. Me quidem non mediocriter juvant, ut sum minime fastidiosus. At hic anser, nescio quo pacto, nihil me juvat: nihil enim in vita vidi siccius: siccior est pumice, aut etiam noverca Furii illius, in quem [5] Catullus multum jocatur. Ligneus mihi videtur. Et [6] mehercule, quantum suspicor, veteranus miles immodicis excubiis sese maceravit. Ajunt enim anserem inter omnia animalia longe esse vigilantissimum. Et profecto, nisi conjectura fallor, [7] hic anser ex eorum numero est, qui, canibus una cum excubitoribus somno sopitis, Romanum olim [8] Capitolium defenderunt. CH. Verisimile (ita me Deus amet) dicis: nam ex eo seculo relictum arbitror. AUG. Hæc quoque gallina aut parcum saginatorem habuit, aut amavit, aut certe [9] zelotypa vixit, quo quidem morbo hoc animantis genus maxime laborat. Hic capus longe melius pinguit. Vide curæ quid faciant. Quod si ex Theodorico nostro [10] Gallo faceremus capum, multo citius pingueſceret.

1 Puellæ, virgini.

2 Probe scis.

3 Puellis bellatulis.

4 Quemadmodum nasus pro acrimonia decidendi: ita & nasutus sumitur pro reprehensore, & derisore, qui recte alios novit illudere.

5 In Epigrammate acutissimo, cujus initium: *Furi cui neque*, &c.

6 Adverbium jurandi, alii dicunt *me Hercules*, supple *juvet*, teste Festo.

7 Cum Galli Senones, occupata & incensa Roma, sex menses circa Capitolinum montem hæsissent, tandem canibus & excubitoribus somno sopitis, noctu rupem clam conscendunt, Manlius autem dux, anseris clangore excitatus, hostes de summa rupe dejecit.

8 Capitolium illud fuit templum in monte Tarpejo, qui dein Capitolinus dictus est.

9 Æmula, à ζηλος *æmulatio* & τυπος *forma*. Zelotypus ergo qui sollicitus est, ne quis suo amore perfruatur.

10 Ludit in amphibolia. *Gallus* nomen gentile, & avis.

1 De

sceret. TH. Non sum gallus. AUG. Fateor, non es[1] gallus Cybeles, neque gallus gallinaceus, at forte[2] Gallus gallaceus. CH. Quid hoc verbi est? AUG. Hoc ænigma tibi conjectandum relinquo: ego[3] Sphingem præstiti, tu Oedipus esto. CH. Dic mihi bona fide, Augustine; nulla tibi cum Gallis unquam fuit necessitudo? Nihilne affinitatis tibi cum Gallis contraxisti? Nullum fuit commercium? AUG. Nihil, nihil sane. CH. Tanto es nequior. AUG. Sed cum[4] Gallabus nonnihil. CH. Libetne de jecore anserino? [5] Quod apud veteres in deliciis[6] cum primis habebatur. AUG. Non sum rejecturus, quod à tua manu venerit. CH. Non est quod expectes Romanas delicias. AUG. Quas? CH. [7] Carduos, cochleas, testudines, colubros, fungos,[8] boletos,[9] tubera. AUG. Istis omnibus ego vel rapam præferam. Liberalis es, benignus es Christiane. CH. Has perdices nemo attingit, ne columbos quidem. Cras est dies jejunii ab Ecclesia indicti; adversus hanc esuriem munite vos. Onerate saburra navim adversus imminentem tempestatem. Bellum instat; instruite ventrem commeatu. AUG. Utinam isthuc verbi tacuisses, hilariores surrexissemus à cœna. Miseros nos reddis ante tempus. CH. Quid ita? AUG. Quia minus anguem odi, quam pisces. CH. At non tu solus. AUG. Quis hoc tædii nobis invexit? CH. Quis commonstravit aloen, absynthium, & scammonium dare in remediis? AUG.

1 De Gallis Cybeles vide notas pag. 79.

2 Quid hoc sibi velit aliis divinandum relinquo.

3 Id est: *ego ænigma dixi, tu illius nodum dissolve.* Sphinx enim, ut fabulatur antiquitas, fuit monstrum apud Thebas, cujus caput puellæ, corpus canis, alæ avis, &c. ἀπὸ τῦ σφίγγειν, hoc est à vinciendo, quod prætereuntes suis quæstionibus ita stringeret, ut, se expedire non possent. Ænigma erat hujusmodi; *Quod nam animal mane quadrupes, meridie bipes, vesperi tripes esset.* Nodum hunc dissolvit Oedipus. Vide infra Colloq. *de talorum lusu*, in principio.

4 Per jocum, pro Gallicis puellis.

5 Vide Plinium, lib. 10. cap. 22.

6 Præcipue.

7 Intelligit forte *Carduos altiles.*

8 Fungorum species. Boletus est solus innocuus.

9. *Tuber* Pomi genus est, alii vocant *rapum terræ.*

1 Taxat

AUG. Sed ista dantur ægrotis. CH. Sic hæc dantur nimium recte valentibus. Aliquando præstat ægrotare, quam plus satis valere. AUG. [1] At mihi videtur minus oneris olim impositum Judæis. Equidem ab anguillis & porcis facile temperarim, modo liceat capis & perdicibus expleri. CH. In pleriſque non res, sed animus nos discernit à Judæis. Illi manum abstinebant à certis cibis, velut ab immundis & animum inquinaturis. Nos, cum intelligamus omnia munda esse mundis, tamen carni lascivienti, velut equo ferocienti pabulum subducimus, quo magis dicto sit audiens spiritui. Nonnunquam immoderatum suavium rerum usum abstinentiæ molestia castigamus. AUG. Audio: sed eadem opera defendi posset circumcisio præputii. Moderatur & illa coitus pruritum, & cruciatum adfert. Si omnes itidem abhorrerent à piscibus atque ego, vix à [2] parricida tam atrox supplicium exigerem. CH. Quorundam palato gratior est piscium, quam carnium esus. AUG. Congruunt igitur his, qui gulæ serviunt, non valetudini. CH. Equidem audivi quondam apud [3] Æsopos, & [4] Apitios præcipuum luxum in piscibus fuisse. AUG. Qui conveniunt igitur deliciæ cum supplicio? CH. Non omnibus sunt [5] murænæ, aut scari, aut acipenseres. AUG. Ergo [6] tenues soli discruciantur, quibus satis male est, etiam cum vesci licet carnibus. Fit enim non raro, ut cum licet vesci [7] per Ecclesiam, non liceat per crumenam. CH. Durum [8] mehercle interdictum. AUG. Quod si inter-

1 Taxat autor Papicolarum superstitionem in jejuniis, &c.

2 Qui parentem interfecit, aut Patriæ vim attulit.

3 Id est *luxuriosos*, Nam Æsopi (non Phrygis illius sapientis) & Apitii luxus multorum litteris notatus est. Festiviter autem luxuriosos vocat Æsopos, & Apitios quemadmodum effeminatos dicimus Sardanapalos.

4 Quis fuerit Apitius dixi pag. 93. Vide infra *Convivium dispar*.

5 Muræna, scarus, acipenser pisces sunt olim in deliciis divitum habiti.

6 Pauperes, quibus est res angusta domi.

7 Cum venia Ecclesiæ.

8 Vel *Mehercule*. Respice pag. 106.

1 Ob-

interdictus carnium esus divitibus vertitur in delicias; &, si pauperibus sæpe non licet vesci carnibus etiam cum licet, ac ne piscibus quidem, qui fere carius emuntur; cui igitur bono erit interdictum? CH. Omnibus: nam tenuibus, cochleis, aut ranis licebit vesci, aut cæpe, porrumve arrodere. Mediocres detrahent nonnihil quotidianis [1] obsoniis. Quod si quid divites deliciabuntur hac occasione, suæ gulæ imputent, non incusent Ecclesiæ constitutionem. AUG. Pulchre dixti, sed interim à tenuibus, qui summis [2] sudoribus alunt familiam, & procul absunt ab amnibus ac lacubus, exigere carnium abstinentiam, est indicere famem, aut [3] βȣλιμίαν magis. Atqui si quid [4] Homero credimus, longe miserrimum mortis genus est, perire fame. CH. Sic visum est Homero cæco: at apud Christianos miser non est, qui bene moritur. AUG. Esto sane: sed tamen durum est à quoquam exigere, ut moriatur. CH. Nec [5] hoc animo Pontifices interdicunt esum carnium, ut intereant homines; sed ut vel affligantur moderate, si deliquerunt, vel subducto lætiore pabulo, corpora minus ferociant adversus spiritum. AUG. Isthuc ipsum efficiet moderatus carnium esus. CH. Sed in tanta corporum varietate certus carnium modus præscribi non potest, cibi genus potest. AUG. Sunt & pisces, qui multum addant alimenti: sunt carnes, quæ minimum. CH. Sed in genere plus alunt carnes. AUG. Age, dic mihi, si quo tibi foret iter, utrum malles equum alacriorem

1 *Obsonium* est, quicquid cibi ultra panem comeditur. Vide infra notas in *Ichthyoph.*

2 *Sudoribus* pro laboribus. Meton. effecti.

3 Βȣλιμία est ingens fames, λιμὸς enim fames est, & syllaba βȣ auget, quasi quis totos boves esuriat.

4 Ὀδυσσ. M. Ita sonant verba Poëtæ. Πάντες μὲν ϛυγεροὶ θάνατοι δηιλοῖσι βροτοῖσι, λιμῷ δ' ὄκτισον θανέειν κ̓ πότμον ἐπισπεῖν: Hoc est. *Omnes quidem invisæ mortes miseris mortalibus, Fame autem miserrimum mori, & satum assequi.*

5 Ea mente.

1 Aliquo

criorem ac [1] sublascivum, an morbidum, qui subinde collabens sessorem dejiciat in terram? CH. Quorsum istud? AUG. Quia piscium esus corruptis humoribus corpora nostra reddit magnis morbis obnoxia, ut jam spiritui non possint subservire. CH. Quibus morbis? AUG. [2] Podagræ, febri, lepræ, [3] morbo regio. CH. Qui scis? Aug. Credo medicis: id malim, quam experiri. CH. Id fortassis in paucis accidit. AUG. Equidem arbitror in pluribus. Porro, quoniam animus agit per [4] organa materialia corporis, quæ malis aut bonis humoribus afficiuntur, vitiatis instrumentis non potest, ut vult, exerere vim suam. CH. Scio medicis magnopere damnatum esse piscium esum: sed secus visum est majoribus nostris, quibus obtemperare religiosum est. AUG. Religiosum erat & olim, non violare sabbatum: sed prius erat, servare hominem sabbato. CH. Suæ quisque saluti consulat. AUG. Imo, si Paulo volumus auscultare, nemo, quæ sua sunt, [5] quærat, sed quisque quæ alterius. CH. Sed unde hic novus Theologus in convivio? Unde novus hic ac subitus [6] Magister noster? AUG. Quia mihi male convenit cum piscibus. CH. Quid igitur? An non abstines à carnibus? AUG. Abstineo, sed obmurmurans, nec sine meo magno malo. CH. [7] Charitas omnia suffert. AUG. Verum; sed eadem quam minimum exigit. Si suffert omnia, cur non ferunt nos his vesci cibis, quos indulsit libertas Evangelica? Cur hi, à quibus Christus toties amorem sui stipulatus est, patiuntur tot homi-

num,

1 Aliquo modo lascivientem.

2 *Podagra* est morbus articularis, cum noxius humor pedum articulos quasi captos teneat, & infestet à πὰς pes, & ἄγρα captura. Ita *Chiragra* dicitur cum manus torqueat.

3 Hunc morbum ita dici volunt, quod in aulis regum grassetur.

4 Organum, Græca vox. Lat. instrumentum. In corpore animato per organum intelligitur illa pars, quæ perfectam actionem edere potest, ut cerebrum, cor &c.

5 Divi Pauli verba sunt, 1. Corinth. 10. v. 24.

6 *Magister noster*, & *Magister noster anus*, Erasmi sæculo barbara promotionum vocabula fuerunt, quæ hic ridet.

7 Pauli Apostoli verba habentur, 1. Corinth. 13. v. 7.

num,& corpora periclitari morbis capitalibus,& animas æternæ damnationis periculo, ob rem nec interdictam à Christo, nec per se necessariam? Ubi aliud suadet necessitas, cessat humanæ constitutionis vigor, cessat & voluntas [1] nomothetæ. AUG. At non cessat offendiculum infirmorum. Non cessat [2] scrupulus meticulosæ conscientiæ. Postremo non satis constat, quibus limitibus finiatur ista necessitas. An quum cœperit [3] ichthyophagus agere animam? Sero morienti porriguntur carnes. An cum totum corpus habet [4] epialus? Non tanti erat ciborum delectus. CH. Quid igitur tu velles præscribi? AUG. Scio, si quis mihi credat Ecclesiasticæ rei [5] dictaturam. CH. Quid isthuc verbi est? AUG. Si summus essem Pontifex, hortarer omnes ad perpetuam vitæ sobrietatem, sed præcipue sub diem festum. Cæterum jus facerem cuique vescendi quibus vellet, pro corporis salubritate, dum moderate & cum gratiarum actione: daremque operam, uti hoc, quod detraheretur observationibus hujusmodi carnalibus, accresceret ad studium veræ pietatis. CH. Nimirum istud, mea quidem sententia tanti est, ut te faciamus Pontificem. AUG. Rides: sed tamen cervix hæc sufficeret vel [6] triplici coronæ sustinendæ. CH. At interim vide, ne ista scribantur inter articulos Parisiensium. AUG. Imo quicquid dictum est, scribetur in vino, sicuti par est dicta inter pocula. Sed satis jam Theologiæ in convivio. In cœna sumus, non in [7] Sorbona. CH. Quid vetat dici Sorbonam, ubi bene [8] sorbetur? AUG.

1 I.e. Autoris legis, à νόμος lex, & τίθημι pono.

2 *Scrupulus* proprie calculus ambulantis calceo illapsus, qui pedes torquet. Hinc pro quavis cura & solicitudine.

3 Vox Græca ἰχθυοφάγος qui piscibus vescitur: ἰχθὺς *piscis*, φάγω edo.

4 Febris genus vehemens, ominis causa sic dicta, quasi *placide assidens*: quemadmodum Furiæ dicuntur *Eumenides*; quum tamen nulli bene velint.

5 Summam præfecturam.

6 Romanorum Pontificum diadema triplici corona insignitum est.

7 Gymnasium, seu Collegium à Carolo Magno Parisiis institutum anno post Christum natum 791.

8 Bibitur, ridicule.

1 Sor-

AUG. Sorbeamus igitur, non disputemus; ne nobis à[1] sorbis dicatur Sorbona, sed à sorbendo. CH. Agite, hospites humanissimi, quæso ut cœnulam nostram, licet tenuem, æqui bonique consulatis. Præbete vos hilares, ac lubentes, quamvis convivium tenue sit & frugale: ego vestra facilitate fretus, familiariter vos vocare sum ausus. Et est sane vester mihi adventus, conspectusque, non modo gratissimus, verum etiam jucundissimus. CONVIVÆ. Cœna tua, Christiane optime, multis modis elegans, lautaque nobis videtur. Quod excusas, id unum habet accusandum. Nam magnificentior fuit, quam sat est. Siquidem hoc convivium opiparum in primis ac lautum judicarim, quod primum simplicibus epulis, deinde hilaritate, risu, jocis, salibus sit conditum: quæ omnia nostro convivio non defuerunt. Verum de convivarum numero hic mihi quiddam in mentem venit, quos neque pauciores tribus, neque plures novem esse oportere scripsit[2] Varro. Tres enim sunt[3] Charites, id est, Gratiæ, humanitatis ac benevolentiæ præsides: & novem sunt[4] Musæ, honestiorum studiorum duces. At hic decem convivas esse video, virginibus exceptis. AUG. Nihil convenientius accidere potuit. Nos sumus Varrone ipso paulo sapientiores. Nam tres puellas lepidissimas, tanquam tres Charites adhibuimus. Deinde, quia à novem Musarum Choro Apollo abesse nunquam credendus est, jure decimum adjecimus convivam. CA. Poëtice dixisti. Si mihi

1 *Sorbum* pomi genus est, acerbitate constringens fauces.

2 Ex Satyris Menippeis M. Varronis citat Gell. l. 13. c. 18. Convivarum numerum incipere oportere à gratiarum numero, & progredi ad Musarum: id est proficisci à tribus, & consistere in novem, ut cum pauciss. convivæ sunt, non pauciores sint tribus; cum plurimi non plures quam novem. Nam multos, inquit, esse non convenit, quod turba plerumque est turbulenta. Vide infra *Conviv. dispar.*

3 Numero tres, Veneris & Jovis filiæ *Aglaia, Thalia, Euphrosyne.*

4 Sc. Calliope, Clio, Erato, Thalia, Melpomene, Terpsychore, Euterpe, Polyhymnia, Urania, quarum præses Apollo.

1 Quia

hi laurus adesset, laurea corona caput tuum cingerem, fieresque [1] poëta laureatus. AUG. Si [2] malva coronatus essem, malvatus. Tantum honoris mihi non [3] arrogo. Honor hic major est, quam ut mihi conveniat. Haud equidem tali me dignor honore. CH. Vultisne singuli tantundem mea causa facere, quantum vestra sum facturus. CO. Volumus ac lubentes equidem. CH. Ebibetis igitur ordine suum quisque calicem; à me exemplum capietis. Tibi hoc primum propino, Mida. MIDAS. Accipio abs te libenter. Pro quo vulgus, præstolor, dicit. Equidem non recuso. Nihil tua causa recusabo. CH. Tu deinde cæteris propina. MI. Erasme, præbibo tibi dimidiatam pateram. ER. Precor ut sit tibi bono. Sit tibi bonum atque commodum. Prosit tibi. Proficiat, durius dicitur. CH. Sed cur cessat patera? Cur non obambulat? Defecit nos vinum? [4] Ubi sunt oculi tui, [5] furcifer? Vola, adfer ejusdem generis [6] sextarios duos PUER. Erasme, salve; quidam pro foribus te conventum expetit. ER. Quis nam est? PU. [7] Mori famulum se dicit; herum ejus ex Britannia advenisse: cupere ut se visas, quandoquidem prima luce iter parat in Germaniam. ER. Christiane, subducatur ratio: nam mihi quidem abeundum. CH. Rationem, Erasme doctissime, hujus cœnæ ego confecero. Non est quod [8] calculum frustra teras: gratiam habeo, qui dignatus sis nostro

1 Qui in Poësi, aliisque præclaris artibus apud Romanos excellebant, ab ipsis Imperatoribus coronabantur laurea, hinc & apud Germanos sive ingenii virtute, sive principis favore nonnullis honoris dari solet, ut Poëtæ laureati dicantur.

2 Herba vilissima.

3 Assumo.

4 Quasi diceret; serve nequam, an non vidisti nobis deesse vinum?

5 Vide notas pag. 42.

6 *Sextarius* capit sextam portionem congii, id est octodecim uncias. Congius sextarios sex.

7 Fuit Thomas Morus, Anglus, Erasmo amicissimus, probatæ virtutis & doctrinæ vir: dein jussu Henrici, Regis Britanniæ, ejus nominis octavi (cujus erat Cancellarius, ut vocant) securi percussus.

8 Nam calculis subducebantur olim rationes: immo & apud Græcos suffragia colligebantur. Hinc *Calculus* pro ratione ipsa, & sententia.

nostro adesse convivio. Sed avocari te molestum est, nondum peracta fabula. ER. Quid supereſt, nisi ut dicam, [1] Valete & plaudite? CH. Age, boni consulemus; quando tu non [2] ab equo ad asinos, sed ab amicis ad amicissimos properas. ER. Ego pariter tibi gratias ago, quod pro tua humanitate ad hoc convivium longe suavissimum me vocaris. Valete, sodales optimi. Bibite non segniter, & vivite suaviter. CH. Heus Dromo. Sedetis jamdudum ociosi omnes. Libetne cuiquam quicquam amplius? CO. Nihil omnino. Strenue munus nostrum administravimus. CH. Tolle igitur hæc, ac [3] bellaria appone. Muta quadrulas, atque orbes. Tolle cultrum meum, qui humi decidit. Pira vino perfunde. Adsunt mora [4] præcoqua, etiam domi nostræ nata. CO. Tanto erunt suaviora, quod vernacula. CH. En pruna cerea, en [5] Damascena, rarum apud nos spectaculum. En mitia mala. En mali novum genus, cujus [6] matrem ego hisce manibus consevi. Nuces, castaneæ, omne deliciarum, quas horti benigne effundunt, genus. AUG. Sed flosculi desunt, CH. Isti Gallici sunt apparatus, qui magnificentiam eam potissimum amant, quæ minimo constat. Nobis non est ea mens, aut ingenium. AUG. Non apud Gallos tantum reperies, quibus ea placent quæ minimo constant. CH. Sed heus tu, Augustine, num tu credis te hic immunem bibisse? Egone te meis immunem tinxero

1 Continuat formam dicendi. Alter enim dixerat *nondum peracta fabula* Qui modus locutionis à Comœdiis aut Tragœdiis desumptus est, pro eo quod est extremum finem imponere. Hinc & consuetum illud *Valete & plaudite*: quo tota Histrionum caterva spectatores valere, & signum lætitiæ post peractam fabulam, publice dare jubebat.

2 Ἀφ' ἵππων ἐφ' ὄνους inquiunt Græci. Proverbium quadrat in eos, qui à studiis honestioribus ad parum honesta deflectunt: veluti si quis ex Philosopho cantor, aut ex Mercatore sutor fieret.

3 Mensas secundas, quas & *tragemata* vocant à Τρώγω comedo, in aor. 2. ἔτραγον, intellige ea, quæ in fine mensæ vulgo apponuntur gulæ irritamenta.

4 *Præcoquum* vel *præcox* dicitur, quod ante cætera coctum est, vel ut hoc loco, *Præcoqua* quæ præ cæteris ante solitum tempus maturuerunt.

5 A Damasco monte, non ab oppido. Græcis ῥοδάκινα dicta.

6 Arborem nempe.

1 Facere

tinxero poculis? At interim propinatori tuo dimidium scyphi debes. AUG. Is jamdudum me missum fecit. Is mihi hujus debiti gratiam [1] fecit. CH. Unde ille sibi [2] vendicat tantum autoritatis? Vix Romanus Pontifex hoc vinculi relaxet. Nosti priscam conviviorum legem, [3] Ἢ πίθι, ἢ ἄπιθι. AUG. Remittendi jurisjurandi jus habet, cui factum est, & cujus intererat servari. CH. Sed omnium convivarum interest servari leges inviolabiles. AUG. Age, quando hæc est Germanorum [4] religio, exsorbebo quod reliquū est. Sed quid tibi rei mecum est? CH. [5] Impendium reddas oportet unus nomine omnium. Quid expalluisti? Ne verere, perfacile poteris. Fac quod sæpe feceris, ut aliqua elegantia doctiores à cœna surgamus: neque enim clam te est, veteres illos in [6] secundis mensis hilariora quædam disputare solitos. Age igitur, quibus & quot modis hæc oratio potest enunciari, Indignum auditu?

Indignum auditu, Formula.

AUG. Dixti pulchre per posterius supinū. Auditu minime est dignum. Indignum est audiri. Haud dignū est quod audiatur. Et, ut audiatur, indignum. Levius est, quam quod audiri debeat. Vix operæ precium est referre. Non tanti est ut audiatur. Ineptius est, quam quod audiatur. Non est operæ precium narrare. CH. Quot modis hæc sententia verti potest, Magno mihi constat? *Va-*

1 Facere gratiam, est ex jure strictiori aliquid imminuere, vel remittere aliquid quod sibi debetur.

2 Assumit

3 *Aut bibe, aut abi.* Usitatum erat in priscis Græcorum symposiis talis quempiam sortiri, qui convivio præsideret, ac decreta convivalia, sive νόμους præscriberet. Inter has leges una ferebatur jocosa, *aut bibe, aut abi.*

4 Mos religiose observatus. De *Religione* superius diximus in *Conv. prof.* pag. 104.

5 Impendium, quod ab impendendo ære dicitur: etiam pecunia est, quæ in fœnore sorti accedit; hoc est usura ipsa, quod fœnus, cum sorte conjunctum, unum fiat quasi compendium.

6 Convivia, seu Cœnæ veterum tribus partibus, seu missibus constabant. Primus missus, gustatio, vel ante-cœna, seu gustus. Secundus proprie cœna, & hic præcipue cibi. Tertius, mensæ secundæ dictæ, & hic poma & bellaria apponebantur.

Variandi ratio hanc orationem, Magno mihi constat.

AUG. His verbis, impendo, insumo, [1] impertio, constat, ut: Multum in te docendo insumpsi laboris. Plurimum ea in re operæ insumpsi. Non minus pecuniæ quam curæ in eam rem impendi. Non parum insumpsi pecuniæ, temporis permultum, laboris plurimum, ingenii nonnihil. Multum lucubrationis impendi. Multis vigiliis hæc res mihi constat, multo sudore, multa opera, plurimo labore, sumptu ingenti, pecunia magna. Pluris mihi constat quam credas. Minoris mihi constat uxor, quam equus meus. CH. At quid sibi vult, Augustine, quod verbo illi, Constat, modo ablativum, modo genitivum casum apponis? AUG. Quæstionem perutilem ac late patentem movisti. Verum ne convivas loquacitate mea [2] premam, [3] pauciſſimis absolvam. Sed cupio singulorum hac de re audire sententiam, ne cuiquam, ut dixi, sim molestus. CH. Quidni cupiant idem vel puellæ? AUG. Illæ sane nihil aliud quã audient. [4] Accingar igitur, Grammatica bene fortunante. Scis verba emendi ac vendendi, aliaque esse consimili [5] significatu, quibus apponantur hi genitivi, solidi, tanti, quanti, pluris, minoris, tantidem, quantivis, quanticunque: at ita, si substantiva non apponantur: quæ si accedant, utraque in ablativum casum vertuntur. Quod si precium certum apponatur, pones in ablativo. Si per adjectivum substantive positum, in ablativo pones, nisi per adverbia loqui malis. CH. Quænã verba sunt, de quibus præcipis? AUG. Hæc fere sunt, emo, mercor, redimo, id est, aut captũ, aut perditũ: vendo, venundo: revendo, i.e. rursus vendo, quod mihi venditũ erat. [6] Veneo,

1 Vel impertior.
2 Torqueam.
3 Scil. *Verbis*.
4 Id est, Auspicabor, aggrediar, inciplam.
5 Significatione.
6 Verbum neutropassivum.

1 Bar-

Veneo, id est, vendor: cujus præteritum venivi vel venii, supinum venum: hinc venalis. Ab illo, id est, vendo, vendibilis manat. Mereo, pro inservio, & stipendium facio. Comparo, id est, emo vel committo. Commuto, muto, permuto. [1] Cambire penitus barbarum in hoc sensu. Æstimo, taxo, indico, pro æstimo, censeo. Liceor, liceris: licitor, licitaris: addico. Distrahor, id est, circumferor ut veneam. Metior pro æstimo, aut taxo. Constat, pro emitur. Conducere, locare. Fœnero, ad fœnus do. Fœneror, ad fœnus accipio. Paciscor, pactus sum, pango, pepigi, id est, pactum facio. CH. Da exemplum.

Vendendi & emendi Formulæ.

AUG. Quanti istum agrum in singulos annos locas? Respondebimus: vigenis libris Francicis. Hui, nimio locas. Imo locavi olim multo pluris. At ego tanti non conducam. Si conduxeris minoris, peream. Imo jam vicinus tuus Chremes agrum obtulit, ac rogat. Quanti? Tantidem quantum tu petis. At multo meliorem. Mentiris. Facio, ut solent qui [2] licentur. Tu ipse tanti posside, Quid liceris, vel licitaris, quum nihil sis empturus? Quanticunque addixeris, solvam optima fide.

Alterum Exemplum.

Congrum istum, Syra, quanti vendis? Decem [3] obolis. Nimio, turpissima. Imo minimo: nulla tibi vendet minoris. Emoriar, si non tanti mihi constat, aut certe non multo minoris. Mentiris venefica, quoniam duplo vis vendere, aut triplo. Et centuplo, si queam: sed fatuos non invenio. Quid si liciter te ipsam? Quanti æstimas te? Ut lubet. Quanti te liceris?

1 Barbarum, ut ait author, pro *commutare*. *Cambire* autem antiquis idem fuit quod pugnare. Item inchoare iter; *campso*, iter flecto.

2 Licentur, qui pretium offerunt.

3 Ὀβολὸς sexta pars drachmæ est. Fuit item Athenienſium nummus minutus ex ære: ita dictus, quod obeliſci imagine eſſet notatus. Hinc in vilitatis proverbium abiit.

ris? Quanti indicas te? Dic, quanti te taxas? Quanti teipsam inscribis? Decem [1] scutatis. Hui, tanti? Eho an tu minoris me æstimas? Ego olim non semel pluris in unam noctem sum conducta. Credo: at nunc non paulo minoris æstimo quam piscem. [2] Abi in malam rem ganeo; tantidem te æstimo, quanti tu me. Qui te [3] teruncio emerit, nimio emerit. Aut pluris emar, aut non vendar. Si magno [4] venire cupis, larva tibi opus est: nam rugæ istæ non sinunt, ut carius vendaris. Ei qui tanti me nolit, non sum venalis. Ego ne [5] culmo quidem te emero. Constiti pluris.

Tertium Exemplum.

[6] Auctioni hodiernæ interfui. Ain' tu? Licitatus sum vectigalia. Quanti tandem? [7] Decem millibus. Hui, tanti? Ne mireris, erant qui multo pluris licitarentur, pauci qui minoris. Cui tandem addicta sunt vectigalia? Chremeti uxoris tuæ summo & maximo amico. Sed [8] divina, quanti sunt addicta. Decem. Imo quindecim. Deus bone, ego mihi hominem ipsum cum tota familia dimidio addictum nolim. At ille uxorem tuam duplo emptam cupit. Animadvertistine in his orationibus, ubicunque adsit substantivum precii, id in ablativo poni, cæteris aut in genitivo positis, aut in adverbium mutatis? Comparativum nunquam audisti sine substantivis, exceptis illis duobus,

1 Sicuti olim Romanis fuerunt bigati, & quadrigati à bigis, & quadrigis, ita & neoterici scutatos à scuto denominarunt.

2 Imprecatio irati, cui similis est ea *abi in malam crucem, in exitium, ad Corvos*, &c. Crux servorum supplicium fuit.

3 Teruncius, vel Teruncium, nummus minutus est, ita dictus à tribus unciis.

4 Vendi.

5 Culmus, *sive* frumenti calamus, res nullius precii.

6 Auctio est hic venditio, quæ fit augendo precio. Hinc *Auctionem facere*, quod vide sis infra in *Naufragio*.

7 Supple *nummis*, aut *denariis*. Ellipsis in summis numerariis Latinis frequens.

8 Conjice.

bus, pluris & minoris. Sunt & alia verba, de quibus fumus loquuti, non admodum diſſimilia, ſum, facio, habeo, duco, æſtimo, pendo, quæ idem fere ſignificant: fio itidem. Junguntur autem his fere genitivis, multi, parvi, magni, pluris, plurimi, minoris, minimi, maximi, tanti, quanti, [1] flocci, pili, nihili, [2] nauci, [3] hujus, & ſi qua ſunt his ſimilia. CH. Da exempla.

Æſtimandi Formula.

AUG. Scis quanti te ſemper fecerim. Tanti fies apud homines, quanti virtutem facis. Præceptores meos ſemper feci plurimi. Aurum hac tempeſtate magni venditur, [4] literæ nihil, ſive pro nihilo ducuntur. Aurum minoris habeo, quam credas. Tuas minas flocci facio. Promiſſa tua duco minimi. Non pili te facio. Si tanti ſapientia penderetur, quanti pecunia, nemo auro egeret. Pluris apud nos ſit aurum ſine ſapientia, quam ſapientia ſine auro. Hoc pluris te habeo, quod doctus ſis. Minoris hic fies, quod mentiri minime calleas. Hic multi fiunt, qui [5] nigrum in candida vertunt. Hoc mihi pluris es, quod literas amas. Tanti ubique habeberis, quantum habebis. Non quanti habearis, ſed quanti ſis, intereſt. Tanti Chriſtianum meum facio, quanti alium neminem. Inveniuntur & alia verba cum his genitivis & ablativis, quæ natura ſua non ſignificant emtionem, aut aliud ſimile. Petrus oſculum puellæ [6] ſcutato emit. Sit illi fauſtum; nolim ego baſiare tanti. Quanti luditis?

1 *Flocci facere, & ne quidem flocci facere*, pro eo quod eſt, *ne tantuli quidem facere*. Floccus eſt particula lanæ, quæ inutilis à vellere divellitur.

2 Idem fere quod *nihili*, vel *pili*. Feſtus vult hanc vocem ſignificare membranulam in medio nucis juglandis interſitam.

3 *Hujus non facio* δίκλικῶς dictum eſt, ubi quis ita loquatur demonſtrans floccum, aut aliud quiddam nullius pretii.

4 Eruditio.

5 Verba ſunt Juvenalis Satyr 3. Id eſt, qui falſa in vera, vitia in virtutes vertunt. Al. *Candida de nigris, & de candentibus atra.*

6 Reſpice pag. præced.

ditis? Quanti cœnastis? Quosdam [1] sexcentis sestertiis cœnasse legimus: at Galli sæpenumero [2] liardo cœnitant. Faustus quanti docet? Parvo: at pluris, quam Delius. Quanti igitur? Undeviginti aureis. Non discam mentiri tanti. Phædria apud Terentium & [3] rem, & seipsum perdidit. At nolim ego amare tanti. Quidam magno dormiunt. Demosthenes pluris siluit, quam alii loquebantur. Æqui bonique consulas oro. Est & aliud verborum genus, quæ accusativum una cum genitivo aut ablativo casum exigunt, quæ sunt, Accuso, id est, objicio crimen, aut culpo, etiam absentem. Incuso, culpo extra judicium. Arguo, reprehendo. Insimulo, impingo suspicionem culpæ. Postulo, in jus voco. Accerso, defero, damno, condemno, pronuncio illum esse in culpa. Admoneo, commonefacio. CH. Exempli causa.

Accusandi Formula.

AUG. Scipio accusatus est [4] ambitus, aut de ambitu. Arguis me impudentiæ, ipse impudentissimus. Lepidus postulatus est [5] repetundarum. Accersitus est

1 Dicitur *sestertius*, & *sestertium Sestertia* autem genere neutro in plurali numero significant mille sestertios. His cum adverbium numeri adjungitur, centena sunt intelligenda. E.g. *decem sestertia* sunt decem millia sestertium, sed decies sestertium idem quod decies centena millia sestertium, vel mille sestertia. Hoc loco igitur per *sexcenta sestertia*, ita enim accipias oportet, intellige 600000. sestertios, qui valent (si sestertius ex opinione multorum doctorum numeretur pro nummo, quem Hollandi stuferum vocant,) 30000. florenos, ut vulgo ajunt: vel si juxta recentiorum quorundam computationem, pro Hollandorum uno stufero & dimidio, valebunt 45000 fl.

2 Vox barbara, quam autor ridet est enim Gallis *un liard* quarta pars stuferi (ut vocant) *quatrieme partie d'un sol.* Magnus ergo nugator mihi videtur interpres aliquis, qui hoc loco vult legi *lardo*, quum tamen ipse fatetur omnes editiones, & ipsam Frobenianam habere *liardo*. Quasi indicare vellet Erasmus Gallos mire delectari carnibus suillis. Ridiculum.

3 Opes, censum.

4 Ambitus crimen est male affectati honoris. Lex Calpurnia inter alias lata ad coërcendum.

5 Sc. *pecuniarum*. Repetundarum accusari dicitur is, qui alienas pecunias extorsit, aut vi aut dolo expilavit. *Repetundæ* ergo dicuntur, quicquid magistratus à sociis & provincialibus contra leges extorsit, à *repetendo*, quod Romæ judicio repeterent, & domum reportarent.

1 Nempe

est capitis. Si hominem insimulabis avaritiæ, male audiet. Admoneto eum pristinæ fortunæ. Mortales ipso vocabulo suæ conditionis admonentur. Commonefacito Lepidum promissi. Sunt pleraque quæ accusativum geminum admittant. Doceo te litteras. Exorat te veniam. Dedocebo te istos mores. Poposcit me mutuum. Hic ejus rei mihi admonendus es, quod in his [1] secundum accusativum etiam passiva obtinent, in aliis genitivus manet. A me doctus est literas. Postulant me furti. Postulor furti. Accusas me sacrilegii. Accusor sacrilegii. Scio te nondum expletum. Scio animo tuo nondum esse satisfactum. Quando enim tantus elegantiarum [2] helluo satietur? Sed convivis parcendum est, quos hæc non omnes perinde delectant. A cœna inter deambulandum, id quod rationi deerit, persolvemus, nisi quid aliud censes. CH. Fiat ex tua sententia. Agamus gratias benignitati divinæ, deinde paulisper deambulaturi. MI. Pulchre dicis. Nihil enim hoc vespertino cœlo amœnius, nihil salubrius. CH. Petre adesdum. Tolle suo quæque ordine, ac vinum [3] cyathis infunde. PE. Jubesne agi gratias? CH. Age. PE. Græce mavis, an Latine? CH. Utroque modo. PE. *Gratias agimus tibi pater cœlestis, qui tua ineffabili potentia condidisti omnia, tua inscrutabili sapientia gubernas universa, tua inexhausta bonitate cuncta pascis ac* [4] *vegetas: largire filiis tuis, ut aliquando tecum bibant in regno tuo nectar illud immortalitatis, quod promisisti ac præparasti vere diligentibus te, per Jesum Christum: Amen.* CH. Dic eadem Græce, ne cæteri, quod dicas, intelligant. PE. Ἐυχαριςῶμεν σοι, πάτερ ἐράνιε, ὁ τῇ ἀῤῥήτῳ σῶ δυνάμει κτίσας τὰ πάνλα, ὁ τῇ ἀνεξε-

1 Nempe accusativum rei. Sunt, qui volunt præpositionem intelligi, ut Græci recitent κατὰ.

2 Metaph. Ita Helluo librorum dicitur lector avidus qui legendo satiari nequit.

3 Calicibus.

4 Addito robore recreas.

ἀνεξερευνήτῳ σȣ̃ σοφίᾳ κυβερνῶν ἁπαξάπαντα, ὁ τῇ ἀνεξαντλήτῳ σȣ̃ χρηστότητι ἕκαστα τρεφόμενός τε ϗ ἀυξάνων. χαρίζȣ τοῖς υἱοῖς σȣ̃ τὸ μετά σȣ̃ ποτὲ πιεῖν τὸ τῆς ἀθανασίας νέκταρ, ὃ ὑπέσχȣ ϗ ἡτοίμασας τοῖς ἀληθῶς ἀγαπῶσί σε, διὰ Ἰησȣ̃ Χριστȣ̃ τȣ̃ υἱȣ̃ σȣ̃, τȣ̃ κυρίȣ ἡμῶν, τȣ̃ μετά σȣ̃ ζῶντος, ὡ βασιλεύοντος ἐν ἑνότητι τȣ̃ πνευματος ἁγίȣ εἰς τȣ̀ς αἰῶνας, Ἀμήν. CH. Habeo vobis, hoſpites candidiſſimi, gratiam, qui ad hoc conviviolum venire dignati ſitis; oro æqui bonique conſulatis. CO. Nos viciſſim gratiam [1] referre volumus, non tantum habere. Proinde ne multis agantur gratiæ. Quin potius ſurgamus, & exſpatiemur. AUG. Ducamus nobiſcum virgines; nam eo minus moleſta erit deambulatio. CH. Recte ſentis. Ne deſint nobis [2] floſculi, ſi forte locus flores non habebit. Utrum mavis noſtris in hortis more poëtico [3] reptare, an foris ad amnem exſpatiari? AUG. Habent quidem horti tui amœnitatis permultum, verum eam voluptatem matutinis deambulationibus ſerva. At ſole inclinato amnium aſpectus oculos mirum in modum [4] juvat. CH. Antecede igitur, Auguſtine, ut poëta dignum eſt: [5] latus tuum claudam. AUG. Bone Deus, quantum comitum, quantam pompam nobiſcum ducimus! Dici non poteſt, Chriſtiane, quantum mihi placeam. [6] Satrapes mihi videor. CH. Age, nunc promiſſum præſta. Solve quod [7] recepiſti. AUG. Quid me potiſſimum vis dicere? CH. Ego quondam in

1 Litterati diſtinguunt inter gratias agere, habere, & referre. Agimus enim verbis, habemus animo, referimus factis. Sic Cicero in oratione pro Marcello. *Maximas tibi omnes gratias agimus, C. Cæſar, majores etiam habemus.* Idem in Epiſt. ad famil. 4. lib. 14. *Huic utinam aliquando gratiam referre poſſimus, habebimus quidem ſemper.*

2 Elegantiæ verborum & ſententiarum dicuntur quoque floſculi.

3 Alludit autor ad illud Horatii Epiſt. 4. lib. 1. ad Tibull. *An tacitum ſylvas inter reptare ſalubres.*

4 Delectat.

5 Id eſt, ibo comes inferior à parte ſiniſtra. Vide Horat. Sermon. l. 2. Satyr. 5. *Ut ne tegam ſpurco Damæ latus?*

6 *Satrapa*, vel Satrapes vox Perſica, provinciæ præfectum ſignificans.

7 Promiſiſti.

1 In-

in Pollionis oratione cum multa, tum illud in primis solebam admirari, quod tam facile, tam crebro, tam venuste orationem verteret: quæ res non modo singularis ingenii, verum etiam multi usus mihi videtur. AUG. Haud injuria istud in Pollione admiratus es Christiane. Ille enim tum hac in re divinam quandam vim obtinet, quam quidem illi cum ingenii dexteritate quadam, tum plurimo & dicendi, & legendi, & scribendi usu contigisse opinor, potius quam ratione aliqua, aut præceptione. CH. At ego rationem aliquam istius rei, si fieri potest expecto. AUG. Ita ut dixi, res habet. Verum quia te tantopere video velle, quantum potero morem geram, easque ratiunculas, quas in Pollionis orationibus mihi visus sum animadvertere, ut potero, reddam. CH. Age percupio.

Brevis de Copia Præceptio.

AUG. [1]Accingor. Principio res ipsa puris, electis ac Latinis verbis efferenda est: quod ipsum posse non mediocris artificis est. Sunt enim permulti, qui nescio quo modo copiam & varietatem orationis affectant, cum ne semel quidem rem possint apte explicare. Isti, tanquam semel balbutisse sit parum, balbutiem suam aliis atque aliis modis reddunt balbiorem, tanquam ipsi secum certamen susceperint, ut, quam barbarissime dici possit, dicant. Itaque inepti [2]synonyma quædam congerunt, adeo interdum inter se dissidentia, ut ipsa mirentur, quo pacto convenerint. Quid enim absurdius, quam hominem pannosum, cui ne una quidem, quam sine pudore possit induere, sit vestis, eum tamen subinde suos pannos mutare, ac mendicitatem suam pro opibus ostentare? At nihilo minus ridiculi videntur isti varietatis affectatores, qui cum barbare semel dixerint, repetunt idem multo barbarius, demũ iterum

1 Incipio.
2 Vox Græca συνώνυμα, i. e. quæ sub diversis vocibus idem significant.

iterum atque iterum indoctius. Hoc est non oratione, sed [1] solœcismis abundare. In primis igitur, ut dixi, res ipsa aptis atque electis verbis est explicanda. Deinde mutatoriis verbis utendum, si qua, quæ idem efficiant, reperiantur: reperiuntur enim permulta. Demum ubi propria deficient, translatitiis erit utendum, [2] si modo verecunda sit translatio. Ea quoque ubi deerunt, si per activa dixisti, ad passiva revertendum erit, quæ nobis totidem orationes reddunt, quot ex activis constabant. Postea verba, si licebit, aut in nomina [3] verbalia, aut in participia commutabimus. Postremo, ubi modo adverbia in nomina, modo nomina in alias atque alias partes commutaverimus, per contrarium dicemus: aut affirmativam orationem in negativam commutabimus, aut retrorsum: aut certe quod pronunciative dictum, per interrogationem efferemus. Nunc exempli causa hanc sententiam sumamus.

Literæ tuæ magnopere me delectarunt.

Literæ.

Epistola, epistolium, scripta, schedæ, literulæ.

Magnopere.

Mirum in modum, miris modis, majorem in modum, mirandum in modum, supra modum, plurimum, non mediocriter, summopere, maximopere.

Me.

Animum meum, pectus meum, oculos meos, cor meum, Christianum.

Dele-

1 Est & hæc vox Græca σολοικισμὸς, i. e. male cohærens, vel male composita oratio. Solœcismum committere dicitur, qui contra etymologiam, orthographiam, & syntaxin peccat.

2 Nam si durior vel inæqualior sit translatio rhetoribus καταχρησις (abusio) & Grammaticis ἀκυρολογία (improprius sermo) dicitur.

3 Quæ à verbis derivantur.

1 Utun-

Delectarunt.

Voluptate affecerunt, recreaverunt, exhilararunt, voluptati fuerunt, oblectarunt, voluptate perfuderunt, mellitissimæ fuerunt, jucundissimæ, &c. Habes materiam; tuum erit componere. Experiamur igitur. Faciamus periculum. CH. Tuæ literæ magnopere me delectarunt. Tua epistola mirifice nos exhilaravit. AUG. Verte activum in passivum, alia erit facies, ut: Dici non possit, quam tuis sim scriptis exhilaratus.

Item per alia verba idem efficientia.

Tuis ex literis incredibilem cepi voluptatem. Ex epistola[1] Celsitudinis tuæ plurimum voluptatis accepi. Non mediocrem lætitiam tua mihi scripta attulerunt. Gaudio tua me scripta, quantus eram, perfuderunt. Hic non ita liceret mutare in passiva, nisi in illo postremo, perfusus gaudio, quod usitate dicitur; capiebatur à me voluptas; allatum est gaudium, non perinde usitate dixeris.

Per Afficio.

Singulari voluptate literæ tuæ me affecerunt.

Muta in Passivum.

Tuis scriptis incredibili sum affectus voluptate. Non parum gaudiorum tuum nobis epistolium peperit.

Per Sum, & nomina Adjectiva.

Tuæ mihi literæ multis modis jucundissimæ fuerunt. Fuit tua illa epistola sane quam gratissima.

Per nomina Substantiva.

Ineffabili voluptati tua nobis epistola fuit. Incredibili jucunditati fuerunt tuæ literæ.

Com-

1 Utuntur vulgo hac voce, qui ad ipse in formularum limine dixit magis Principes scribunt. Est autem (ut autor usu recepta, quam doctis probata.

1 Tanta

Commuta in Negationem.

Tua scripta non mediocri lætitiæ fuere. Nihil in vita tuis literis accidit jucundius.

Quanquam hac ratione aliquoties jam usi sumus, quæ non est negligenter prætereunda. Nam quoties multum, plurimum, singulariter, significare volumus, per contrarium verbum idem efficiemus: ut, vehementer te amat Henricus. Haud vulgariter te amat. Multum me juvat vinum. Haud parum juvat. Est vir singulari ingenio. Est vir ingenio non vulgari. Est homo doctrina admiranda. Est homo non contemnenda doctrina. Thomas est summo apud suos loco natus. Non infimo loco natus. Augustinus eloquentissimus fuit. Non ineloquens fuit. [1] Carneades orator fuit [2] nobilis, non ignobilis, non obscurus. Et id genus similia, quæ nunquam non usu veniunt: sed admonuisse rem clarissimam satis est. Nec te lateat, bifariam nos hujusmodi orationum genere uti, modestiæ causa, præsertim si de nobis ipsis loquamur: Tum etiam amplificandi gratia. Nam non ingratum, pro valde grato: non vulgariter, pro singulariter, recte & venuste dicimus.

Modestiæ Causa.

Ego literis meis nonnullam doctrinæ sum opinionem consecutus. Semper curavi, ut in literaria gloria [3] non postremas parteis tenerem.

De amplificatione superiora sunt exempla; nunc ad nostra revertamur. Nihil tua epistola unquam evenit gratius: Nulla res majori unquam voluptati fuit, quam tua scripta. Nulla unquam ex re tantundem

1 Tanta pollebat Carneades dicendi facultate, ut cum ab Athenienſibus Romam miſſus eſſet, Cato in Senatu dixerit, cavendum ab hoc viro eſſe, qui eloquentia facile quod vellet impetraret.

2 Clarus, celeber.

3 Non infimus habitus fuerim. Sic Terentius in Eunucho Act. 1. Sc. 2. *Sine illum priores hoſce aliquot dies apud me habere.* Transl. ab actionibus ſcenicis. Gr. πρότερος εἶναι. 1 Verbis

tundem cepi voluptatis, quantum ex tuis literis amantissimis.

Hoc modo singulæ orationes superiores poterunt variari per interrogationem.

Quid tuis literis in vita jucundius esse potuit? Quid epistola illa tua nobis evenit dulcius? Quid ita oblectavit unquam, ut proximæ tuæ literæ?

Hoc modo rursum singulas fere orationes variare licebit. CH. Quid deinde fiet? AUG. Jã paulo liberius totam orationem vertemus, ut unam dictionem pluribus verbis circumloquamur. CH. Dic exempli causa. AUG. Quod modo per nomen incredibile, modo per adverbium incredibiliter, dictũ erat, unam dictionem aliquot verbis commutabimus. Literis consequi nequeam, quantum tuis literis sum delectatus. Et mihi scriptu, & tibi creditu perdifficile fuerit, quantæ jucunditati tua mihi scripta fuerint. [1] Explicare prorsũ nequeo, quam sim tuis literis gavisus. Et item in infinitum. Rursum alio pacto. Nam hactenus & per negationem, & per interrogationem, postremo per infinitas orationes variavimus. Nunc per subjunctivas sive conditionales variabimus, hoc modo: Moriar, si unquam quicquam fuit tuis literis aut optatius aut dulcius. Peream, si ulla res majori voluptati fuit, quã tuæ literæ. Ita me Deus amet, ut nihil in vita tuis literis accidit jucundius. Et item alia multa in hunc modum excogitare licebit. CH. Quid deinde? AUG. Nunc ad translationes, similitudines, & exempla fugiendũ est.

Translatio est in his.

Accepi literas tuas, quæ mellitæ fuerunt. Nihil nisi meræ deliciæ tua mihi scripta videntur. Mera voluptas sunt tuæ literæ. Et hujusmodi plurima. Sed cavendum ne obsoletis, aut durioribus translationibus utamur, quale est illud. [1] *Jupiter*

[1] Verbis exponere.

[1] Nam

[1] *Jupiter hybernas cana nive conspuit Alpes.*
Et quale est illud: [2] Cœna tuorum scriptorum me suavissimis epulis refecit.

Comparatio à simili.

Tua scripta omni vel [3] ambrosia, vel nectare suaviora fuere. Literæ tuæ quovis melle mihi fuere dulciores. Epistola humanitatis tuæ, & [4] siliquam omnem, [5] & mel Atticum, & saccharum omne, nectar ambrosiamque deorum longe superavit. Hic quicquid dulcedine nobilitatum est, in medium adduci potest.

Ab exemplo.

Nunquam adducar, ut credam [6] Hero Leandri sui literas aut majore voluptate, aut pluribus osculis accepisse, quam tuas accepi. Vix crediderim, aut Scipionem eversa Carthagine, aut Paulum Æmilium capto [7] Perseo magnificentiorem egisse triumphum, quam ego, simul ac suavissima tua scripta tuus mihi tabellarius reddidit. Hujusmodi tum ex fabulis, tum ex historiis infinita possunt inveniri. E [8] Physica vero sumuntur rerum similitudines, quarum

1 Nam in hoc versu durior extat tropus unus & alter, quem Rhetores καλάχρησιν & Grammatici ἀκυρολογίαν vocant, ut *Jupiter* pro Cœlo. *Conspuit* (quod proprie sputo fædare significat) *Alpes*, pro tegit. *Hybernas*, pro Hyberno tempore, &c. Hunc vero versum composuit Furius quidam, describens brumam, quem ridet Horatius Serm. lib. 2. Satyr. 5. ubi sic habetur. *Furius hybernas cana nive conspuit Alpes.*

2 Apud Furium, de quo Gellius l. 18. c. 13.

3 Cibus Deorum *Ambrosia*, potus *Nectar* à Poëtis dicitur.

4 *Siliqua* fructus prædulcis, sed malus stomacho. Arbor Græcis κόμαρος, Latinis arbutus, fructus non absimilis quantitate mespilo, sed rubicundus.

5 Atticum mel olim habitum pretiosissimum: dicitur & mel Hymettium, ab Hymetto Atticæ monte.

6 Fabula protrita. Hero fingitur puella formosissima ex Sesto Thraciæ urbe, Veneris sacerdos; cujus mutuo amore correptus Leander Abydenus noctu Hellespontum tranat, verum aliquando mari tempestate impetuoso submergitur. Hero cadaver amatoris conspiciens, se præcipitem è specula in undas dat. Vide Ovid. Epist.

7 Macedonum rege, quem P. Æmilius Romam in triumphum duxit.

8 Sc. arte vel scientia, φυσικὴ *Scientia naturalis.*

rum quam plurimarum naturas memoriter tenere necesse est. Nunc si libet, in alia sententia tentemus.

Nunquam, dum vivam, tui ero immemor.

Semper dum vivam, tui meminero. Quoad vivam, nunquam me tui capiet oblivio. Prius vivere desinam, quam tui meminisse.

Per comparationem.

Si umbram corpus poterit effugere, & hic animus tui quibit oblivisci. Tui memoriam ne [1] Lethæus quidem amnis poterit abolere.

Præterea per [2] *ἀδυνατὸν aut more poëtico, per contraria.*

[3] *Dum juga montis aper, fluvios dum piscis amabit.*

[4] *Ante leves ergo* &c. quæ non est multi negocii excogitare. Verum ne immodici videamur, his in præsentia contenti simus. Alias, si voles, copiosius hac de re colloquemur. CH. Ego te, Augustine, jam plane exhaustum putabam: sed tu præter exspectationem novum thesaurum indicasti, quam si pergas explicare, nox ante occupaverit, quam tibi eadem de re desint verba. AUG. Si ego hoc mediocri & doctrina & ingenio præsto, quantum Ciceronem ipsum valuisse credis, qui [5] cum Roscio histrione certasse legitur? Sed sol

1 Fluvius est apud inferos, seu fons omnium oblivionum (ut Poëtæ volunt) quæ *Lethe* dicitur, ἀπὸ τῆς λήθης ab oblivione. Hinc adject. Lethæus. Vide infra *Conv. Relig.*

2 Id quod fieri nequit.

3 Versus extat in Ecloga 5. Virgilii in mortem Daphnidis.

4 Virg. Ecl 1: *Ante leves ergo pascentur in æthere cervi*, &c.

5 Verum est. Constat Ciceronem imprimis hunc Roscium nobilissimum histrionem amasse, ejusque gestus studuisse imitari. Nam præterquam quod pro eo habuerit orationem, cujus magna pars merum viri encomium exstat audi, quibus verbis eum mortuum extollat, in Orat pro Archia Poëta *Quis nostrum*, inquit, *tam animo agresti ac duro fuit, ut Roscii morte nuper non commoveretur? qui cum esset senex mortuus, tamen propter excellentem artem ac venustatem videbatur omnino mori non debuisse. Ergo ille corporis motu tantum amorem conciliarat à nobis omnibus.* Hæc mihi adscribere visum est, ut viris ingeniosis suus constet honos. Apage ergo illos, qui honestos histriones atro carbone notant.

sol nos relinquit. Humescit cœlum, præstat imitari aviculas, tectoque ac lecto nos condere. Proinde vale, mi Christiane suavissime, in crastinum. CH. Tu itidem bene valeas, Augustine omnium doctissime.

Convivium [1] *Religiosum.*

[2] EUSEBIUS, [3] TIMOTHEUS, [4] THEOPHILUS, [5] CHRYSOGLOTTUS, [6] URANIUS.

EU. CUm omnia nunc [7] vernent & [8] rideant in agris, demiror esse, qui fumosis urbibus delectentur. TI. Non omnes [9] capiuntur aspectu florum, aut pratorum vernantium, aut fontium amniumve: aut, si capiuntur, est aliud quod magis juvet. Ita voluptas voluptate, veluti clavus clavo, pellitur. EU. Tu mihi fortasse [10] fœneratores narras, aut his simillimos negociatores avaros. TI. Istos

1 In quo de rebus, quæ ad religionem pertinent, varie disseritur.

2 Pius.

3 Charus Deo, vel Deum charum habens.

4 Amans Dei.

5 Aureum habens linguam.

6 Cælestis.

7 Deductum est hoc verbum à vere, quo omnia pullulant, & quasi renascuntur.

8 Quid sit proprie *videre* (ut viri docti verbis utar) quid *risus*, nemo ignorare potest, cui non sit homo ignoratus, qui non ipse sibi. Quippe hominis proprium τὸ γελαστικὸν apud Philosophos. Optimi vero Græci & Latini scriptores transferunt *risum* ad res etiam inanimatas, vel homine superiores. Primum dicitur *videre* (quo sensu & hoc loco intelligendum est) quicquid jucunda specie sensus animumve oblectat, quod præcipue de hortis, pratis &c. usurpatur. Catullus in Epithalamio etiam usurpat de odorum fragrantia, de coronis loquens; *Quem permulsa domus jucundo risit odore.* Occasio translationis, quia, ut risus in homine lætitiæ est signum, sic species illa terræ, variis floribus, tanquam gemmis, distinctæ, & micantis, argumentum est, & fœcunditatis in ipsa, & vigoris in stirpium naturis, quæ earum rerum lætitia esse intelligitur, unde *Lætæ segetes* &c. Mare quoque ridere inquit Lucretius. *Tibi rident æquora ponti.* Cum scilicet undarum superficies levi flatu crispatur. Immo & *Maris cachinnos* dixit Catullus, & simili modo Euripides in Hippolyto. Sed hæc sufficiant.

9 Delectantur.

10 *Fœnerator*, qui dat ad fœnus.

1 Græc.

Istos quidem, sed non solos, ô bone, imo cum his innumeros alios, usque ad ipsos sacerdotes ac monachos, qui fere quæstus gratia malunt in urbibus, iisque frequentissimis versari, [1] dogma secuti [2] non Pythagoricum aut Platonicum, sed cæci cujusdam mendici, cui dulce erat premi turbis hominum, quod diceret, [3] illic esse quæstum, ubi esset populus. EU. Valeant cæci cum suo quæstu: nos philosophi sumus. TI. Et Socrates philosophus urbes præferebat agris, quod esset discendi cupidus, & urbes haberent unde disceret. [4] In agris esse quidem arbores & hortos, fontes & amnes, qui [5] pascerent oculos, cæterum nihil loquerentur, ac proinde nihil docerent. EU. Est nonnihil quod dixit Socrates, si solus obambules in agris. Quanquam, mea [6] sententia, non est muta rerum natura, sed undiquaque loquax est, multaque docet contemplantem, si nacta fuerit hominem attentum ac docilem. Quid aliud clamitat illa tam amœna naturæ vernantis facies, quam opificis Dei sapientiam bonitati parem? Sed Socrates in eo secessu quam multa docet [7] Phædrum suum, ac vicissim ab eo discit. TI. Si tales adessent aliquot, nihil esse possit amœnius [8] rusticatione. EU. Libet igitur hujus rei periculum facere? Est mihi prædiolum suburbanum, non amplum, sed nitide cultum; eo vos in crastinum diem ad prandium voco. TI. Plures sumus; exederemus totum prædium tuum. EU. Imo totum convivium apponetur herbaceum, ex dapibus,

1 Græc. δόγμα, præceptum.

2 De Philosophis hisce dictum est supra pag. 91. Vide infra *Conv. Fabul.*

3 Vide notas infra in hoc Coll. & *Funus.*

4 Supple, *ajebat enim.*

5 *Pascere oculos* per translationem dicitur pro delectare, seu visu alicujus rei gratæ eos oblectare. Virg. Æneid. 1. *Atque animum picturæ pascit inani.*

6 Opinione.

7 Phædrus præcipuus ex Platonis discipulis. Hujus nomine Plato insignem librum edidit.

8 Vita rustica.

bus, ut inquit Flaccus,[1] inemptis apparatum. Vinum ipse locus suppeditat; pepones, melones, ficos, pira, mala, nuces ipsæ pene arbores porrigunt, quemadmodum fit in[2] insulis Fortunatis, si[3] Luciano credimus. Accedet fortassis è[4] corte gallina. TI. Age non recusamus. EU. At suam quisque[5] umbram secum adducat, quam volet. Ita cum sitis quatuor, æquabimus numerum[6] Musarum. TI. Fiet. EU. Unum illud vos præmonitos volo, sibi quisque condimentum suum adferet. Ego cibos duntaxat apponam. TI. Quod condimentum narras? piper an saccharum? EU. Imo aliud vilius, sed suavius. TI. Quodnam? EU.[7] Famem. Eam dabit hodie cœna[8] tenuis; cras acuet stomachum ambulatiuncula. Et hoc quoque commodi[9] rusculo meo debebitur. Verum ad quam horam libet prandere? TI. Ad decimam, priusquam[10] invalescat æstus solis. EU. Curabitur. PUER. Here, adsunt convivæ pro foribus. EU. Bonæ fidei est, quod venistis; sed bis gratum est, quod venistis[11] mature una cum umbris vestris longe gratissimis. Sunt enim quidam inciviliter civiles, qui convivatorem mora sua torquent. TI. Eo maturius venimus, ut[12] esset ocium lustrandi, visendique regiam istam tuam, quam

1 Inemptas dapes. Horatius in venustissimo illo carmine (cujus exordium, *Beatus ille* &c.) vocat, quæ dominatæ, & proprio labore partæ sunt.

2 De insulis fortunatis. Vide infra Colloq νηφάλιον συμπόσιον, in principio.

3 In vera quam vocat historia Quis Lucianus fuerit diximus supra pag. 81.

4 Respice notas pag. 9.

5 Umbra dicitur, non ipse à convivatione vocatus, sed quem vocatus secum adducit comitem, aut, uti autor noster inquit, apud eruditos umbræ vocantur, qui ipsi non vocati comitantur eum, qui vocatus est ad convivium. Respice pag. 85. in notis.

6 Quæ numero sunt novem. Clio, Melpomene, Thalia, Euterpe, Terpsichore, Erato, Calliope, Urania, Polyhymnia

7 Jam olim à Socrate dictum fuit, famem esse condimentum omnium & jucundissimum, & minimo parabile.

8 Vilis, modica.

9 Utitur μείωσει, sive diminutione, modestiæ causa. Notas in *rusculum* lege infra in Coll *Opulent. sordid.*

10 Ingravescat.

11 Tempestive, tempori.

12 Sc. nobis.

1 Amœ-

quam audimus undique miris [1] deliciis variam, nusquam non testari domini sui ingenium. EU. Regiam spectabitis tali dignã rege. Mihi certe nidulus est, quavis regia gratior. Et si regnat, qui libere vivit ex animi sui sententia, hic plane regno. Sed præstat, opinor, interim, dum culinæ præfecta parat [2] holusculum, & adhuc moderatus est solis calor, visere hortos nostros. TI. Est alius præter hunc? Nam hic sane mire cultus blandissimo aspectu statim ingredientes salutat, & comiter excipit. EU. Hinc igitur decerpat sibi quisque flosculos ac frondes aliquot, ne quid offendat domus [3] pædor. Non idem odor æque gratus omnibus. Quare sibi quisque deligat. Nẽ parcite. Nam quicquid hic nascitur, pene publicum esse patior. Neque enim unquam clauditur ostium hujus vestibuli, nisi noctu. TI. En tibi in ostio [4] Petrus. EU. Hunc ego malo janitorem, quam [5] Mercurios, [6] Centauros, aliaque [7] portenta, quæ quidam pingunt in foribus suis. TI. Isthuc homine Christiano dignius est. EU. Nec mutum habeo janitorem; tribus linguis alloquitur ingredientem. TI. Quid loquitur? EU. Quin ipse legis? TI. Intervallum aliquanto longius est, quam ut prospectus oculorum assequatur. EU. En tibi perspicillum, quod te vel [8] lynceum reddet. TI. Latina video.

1 Amœnitatibus.

2 Holus, vel olus.

3 Fœtor.

4 Qui Pontificiis Cœli janitor est.

5 Quis Mercurius fuerit, ne pueri quidem ignorant. Hunc Deorum nuncium & interpretem (ut supra annotavimus) immo & mercatorum, & furum deum, peperit Maja Atlantis filia ex Jove. Horat. *Mercuri facunde nepos. Atlantis* Od. 10. l. 1.

6 Hos finxit antiquitas esse *quadrupedes homines, cum pectore pectora junctos* ut inquit Naso, in Eleg. 7 lib. 4. Trist. Fabulæ originem dedere Thessaliæ populi, Centauri dicti, adeo equitandi, & ex equis pugnandi periti, ut superiora membra humana, inferiora equina habere in velocissimo cursu viderentur.

7 Monstra.

8 Lynx omnium quadrupedum clarissime cernere dicitur. Inde perspicacitas ejus in Proverbum abiit. Alii dicunt proverbium natum ex quodam Lyncæo, qui primus fodinas metallorum repetit. Aristophanes in Pluto Act. 1. Sc. 2. βλέποντ' ἀποδείξω σ' ὀξύτερον τοῦ Λυγκέως. *Faciam te acutius Lyncæo videntem.* Horat. Epist. 1. lib. 1. *Non possis oculo quantum contendere Lynceus.* Sæpius infra.

video. SI VIS AD VITAM INGREDI, SERVA MANDATA. Matthæi cap. 19. EU. Nunc lege Græca. TI. Græca video quidem; at illa[1] non vident me: quare lampadem[2] hanc trado Theophilo, qui nunquam non cantillat Græca. TH.[3] Μετανόησατε καὶ ἐπιστρέψατε. Πράξεων τῷ τρίτῳ. CH. Hebræa mihi sumam; 4 וְצִדְקִיָּהוּ בֶּאֱמוּנָתוֹ יִחְיֶה EU. An vobis videtur incomis janitor, qui statim monet, ut avertamur à vitiis, & convertamus nos ad studium pietatis? Deinde vitam non contingere ex operibus[5] Mosaicis, sed per fidem Evangelicam? Postremo servandis Evangelicis præceptis iter esse ad immortalem vitam? TI. Et ecce mox ad dextram ingressus ostendit[6] sacellum perquam elegans. 7 In altari Jesus Christus, suspiciens in cœlum ad Patrem & Spiritum Sanctum illinc prospicientes, atque eodem dextram porrigens, læva velut invitat & allectat prætereuntem. EU. Nec is[8] elinguis nos excipit: vides Latina? Ego sum via, veritas, & vita. Græca: 9 Ἐγώ εἰμι τὸ ἄλφα καὶ τὸ ὦμέγα. Hebraice, 10 לְכוּ בָנִים שִׁמְעוּ לִי יִרְאַת יְהוָה אֲלַמְּדְכֶם TI. Læto nimirum[11] omine nos salutavit Dominus Jesus. EU. Sed ne videamur inciviles, fortassis par est, ut[12] illum resalu-

1 Id est, non intelligo. Nolunt enim videre, quem non agnoscunt.

2 *Lampadem tradere*, est alteri negotium exequendum dare, vel partes suas quasi successione in alium atque alium transferre. Proverbium deductum volunt à ludorum genere, quod Prometheus primus invenisse dicitur in hunc modum: ut currentes facem ardentem gestarent; eam defatigatus proximis in manum dabat: is item defessus alii atque alii.

3 Id est, *Respicite, & convertite vos*. Actorum tertio. Sunt verba Petri ad Judæos.

4 Id est: Justus autem ex fide sua vivet. Habac. 2. v. 4. Gal. 3. v. 11.

5 Quæ Deus Mosem populo præscribere. & perfici jussit.

6 *Sacrum* dicitur, quicquid Deo sacratum est. Hujus diminutivum *sacellum* significat *aediculam sacram*.

7 Hæc & quæ sequuntur mere Papismum redolent.

8 Absque lingua, aut sermone.

9 Id est: *Ego sum alpha & omega*, i. e. *initium & finis*.

10 Id est, *Venite filii, obedite mihi: timorem Domini docebo vos*.

11 Quid sit omen vide supra p. 22.

12 Itane picto Jesu caput aperire par est? Dormitas Erasme.

reſalutemus, precemurque, ut, quando ex nobis ipſi nihil poſſumus, ille ſua inæſtimabili bonitate non ſinat nos unquam aberrare à via ſalutis, ſed abjectis umbris Judaicis, & hujus mundi [1] præſtigiis, per veritatem Evangelicam perducat nos ad vitam æternam: hoc eſt, ipſe per ſe trahat nos ad ſe. TI. Æquiſſimum eſt, & ipſa loci ſpecies invitat ad precandum. EU. Multos hoſpites allicit hujus horti amœnitas: ſed ita fere apud omnes invaluit conſuetudo, ut nemo præteat [2] Jeſum inſalutatum. Hunc ego, vice fœdiſſimi [3] Priapi, cuſtodem poſui, non ſolum horti mei, ſed omnium quæ poſſideo, denique corporis pariter atque animi. Adeſt, ut videtis, fonticulus ſaluberrimis aquis non inamœne ſcatens, [4] utcunque repræſentans unicum [5] illum fontem, qui cœleſti [6] latice refocillat omnes laborantes & oneratos, & ad quem anhelat anima delaſſata malis hujus mundi, non aliter quam juxta [7] Pſalmiſtam, cervus æſtuans ſiti, guſtatis ſerpentium carnibus. Hunc gratis haurire licet, quisquis ſitit. Nonnulli & [8] religionis gratia ſeſe aſpergunt. Quidam etiam bibunt, non ſitis, ſed religionis cauſa. Video vos invitos avelli ab hoc loco. Sed interim hora monet, ut viſamus hunc cultiorem hortum, quem in quadrum cingunt muri regiæ meæ. Si quid erit viſendum intus, à prandio ſpectabitis, quum ſolis æſtus nos,

1 Præſtigiæ ſunt vanæ, & fallaces rerum ſpecies.

2 Depictam Jeſu imaginem Papicolæ ſalutare ſolent.

3 Vere fœdiſſimi, quippe quem ipſi Ethnici obſcœnum vocarunt, quamvis eum nudum & æquo membroſiorem in hortis tanquam Deum tutelarem conſtituerent, Dictus eſt Liberi & Veneris filius. Patria Lampſacum, urbs ad Helleſpontum ſita: unde Deus Helleſpontiacus, Vide Ovid. Faſtor. 1. *Ar-*

ruber hortorum Deus & tutela Priapus.

4 Aliquo modo.

5 Reſpicit ad id quod Chriſtus mulieri Samaritanæ ſuggeſſit, Joann. 4. v. 14. *Quicquis biberit ex aqua, quam ego dabo*, &c.

6 Aqua.

7 Pſal. 42. v. 2. Juxta vulgatam verſionem, ne quid erres bone lector.

8 Sic ſolent ſtulti Papicolæ, qui quid non ad religionem (ſi Diis placet) referunt?

nos, veluti cochleas, domi [1] cohibebit horis aliquot. TI. Papæ! [2] Epicureos hortos mihi videre videor. EU. Totus hic locus voluptati [3] dicatus est, sed honestæ, pascendis oculis, recreandis naribus, reficiendis animis. Nihil hic nascitur præter odoratas herbas, nec eas quaslibet, sed eximias duntaxat. Unumquodque genus suas habet aręas. TI. Nec herbæ mutæ sunt apud te, quantum video. EU. Probe dicis: alii domus habent opulentas, ego loquacissimam habeo, ne quando solus videri possim: id magis etiam dices, ubi totam videris. Ut herbæ sunt velut in turmas digestæ, ita singulæ [4] turmæ singula habent vexilla cum inscriptione. Velut [5] Amaracus hic: *Abstine*, inquit, *fus; non tibi* [6] *spiro*. Cum enim sit suavissimæ fragrantiæ, sues tamen hoc odore vehementer offenduntur. Itidem singula genera habent suos titulos, aliquid indicantes, quod ad peculiarem ejus herbæ vim pertinet. TI. Nihil adhuc vidi hoc fonticulo [7] festivius, qui medius velut arridet herbis omnibus, ac refrigerium illis pollicetur adversus æstum. Sed [8] alveolus hic, qui tanta gratia totam aquam ostendit oculis hominum, hinc atque hinc æquis spatiis hortum dirimens, in quo sese utrinque herbæ velut in speculo contemplari gestiunt, num [9] marmoreus est? EU. [10] Bona verba; unde huc marmor? E contusis [11] cæmentis factitium marmor est: coloris

1 Una detinebit.

2 Voluptuosos, amœnos. Cur Epicurei voluptuosi sint habiti dixi supra pag. 36. Vide sis infra Coll. *Epicur.*

3 Assignatus.

4 Alludit autor ad turmas equitum (continet turma 30 equites) quæ singulæ suum habent vexillum. Olim equites in turmas & decurias, pedites vero in cohortes, & manipulos distinguebantur.

5 Amaracus, vel Amaracum. Herba fragrantissima, nobis *Mariolein.*

6 Odorem emitto.

7 Amœnius.

8 *Alveus* fossa est, per quam fluvius defluit. Hujus diminutivum *alveolus.*

9 Ex marmore structus.

10 Respice pag. 11.

11 *Cæmenti* vel *cæmentorum* nomine significatur omnis lapidum materia, qua in ædibus extruendis utimur Græce χάλικες. Forte illud est quod nos appellamus *Tras* vel *cement.*

1 *Incru-*

coloris candor additus est[1] incrustamento. TI. Quo tandem sese[2] condit tam amabilis rivus? EU. Vide incivilitatem humanam. Posteaquam hic satis exhilaravit oculos nostros, prosuit culinam, ejusque sordes secum defert in[3] cloacam. TI. [4] Crudele, ita[5] me Deus bene amet. EU. Crudele, ni & in hunc usum parasset æterni numinis benignitas. Tum crudeles sumus, cum fontem divinæ scripturæ longe hoc amœniorem, recreandis simul ac purgandis animis nostris datum, conspurcamus vitiis nostris pravisque cupiditatibus, abutentes tam ineffabili dono Dei. Nam hac aqua non abutimur, si[6] partimur in varios usus, in quos illam dedit[7] is, qui nihil non affatim suppeditat usibus humanis. TI. Verissima sunt quæ narras: sed cur tibi virent etiam horti[8] septa manu facta? EU. Ne quid hic non vireat. Quidam rubra malunt, quod is color additus virentibus gratiam adjungat. Hic mihi magis arridet, ut est sua cuique[9] sententia, etiam in hortis. TI. Sed horti per se amœnissimi jucunditatem propemodum obscurant ambulacra tria. EU. In his vel studeo, vel obambulo solus, aut cum amiculo confabulans, vel cibum capio, si videtur. TI. Columnæ paribus intervallis sustinentes ædificium innitens, miraque colorum varietate blandientes, suntne marmoreæ? EU. Ex eodem marmore, quo factus est hic alveus. TI. Lepida profecto[10] impostura. Vel dejerassem esse marmor. EU. Quare cave, ne vel credas, vel dejeres quicquam temere. Non raro fallit[11] species. Quod opibus deest,

1 *Incrustamentum* est tegumentum, quod parietibus aut calce aut gypso superinducitur.
2 Abscondit, occultat.
3 *Cloaca* omnium purgamentorum & sordium receptaculum est.
4 Sc. est.
5 Affirmandi, seu jurandi formula, ab Ethnicis profecta.
6 Distribuimus.
7 Deus.
8 Septum, sepes, vel sepimentum, à verb. sepio.
9 Opinio. Nam quot homines, tot sententiæ. Proverbium est.
10 Fraus, à verbo impono.
11 Forma.

est, ante[1] sarcimus. TI. Non tibi sat erat hortus tam nitidus, tam excultus, nisi pingeres insuper alios hortos? EU. Non capiebat omnes herbarum species unus hortus. Præterea bis delectamur, cum pictum florem cum vivo decertantem videmus; & in altero miramur artificium naturæ, in altero pictoris ingenium, in utroque benignitatem Dei, qui in usum nostrum largitur hæc omnia, nulla in re non mirabilis pariter & amabilis. Postremo non semper viret hortus, non semper vivunt flosculi. Hic hortus etiam media[2] bruma viret, & adblanditur. TI. At non[3] spirat. EU. Sed rursum non eget cultura. TI. Tantum[4] pascit oculos. EU. Verum; sed hoc perpetuo facit. TI. Habet suum & pictura senium. EU. Habet; nobis tamen est vivacior, & illi fere gratiam addit ætas, quam nobis detrahit. TI. Utinam[5] hic[6] vanus esses. EU. In hoc ambulacro, quod spectat occidentem, sole fruor oriente: in hoc, quod spectat orientem,[7] apricor interdum: in hoc, quod spectat austrum, sed patet ad septentrionem, recreor[8] ab æstu solis. Obambulabimus, si videtur, quo spectetis propius. En vernat ipsum etiam[9] solum: habent enim &[10] tessellæ colorum gratiam, & flosculis pictis[11] adblandiuntur. Hoc nemus quod videtis hoc toto pariete depictum, exhibet mihi varium spectaculum. Primum quot videtis arbores, tot videtis arborum genera, singulis ad nativam imaginem[12] non pessime expressis. Quot

1 Reparamus. Hujus verbi variam significationem respice pag. 16.

2 Hieme.

3 Odorem emittit.

4 Respice quæ in limine hujus Colloquii annotavimus.

5 In hoc dicto.

6 Mendax.

7 *Apricari* esse in loco aprico, i. e. soli exposito versari, & amœnitate aëris frui.

8 Post apricationem.

9 Terra, humus.

10 Laterculi, seu lapides quadrati, quibus pavimenta sternuntur.

11 Sc. oculis, id est: arrident. Vide supra.

12 Non pessime, id est, satis belle. Ejusmodi loquendi formulas, per negationem, modestiæ causa, commendat autor noster supra pag. 126.

1 Id

Quot cernitis aves, tot videtis avium ſpecies, præcipue ſi quæ ſint rariores, & inſignire quapiam nobiles. Nam anſeres, gallinas, & anates quid attinet pingere? Inferne ſunt quadrupedum ſpecies, aut earum avium quæ vivunt humi, more quadrupedum. TI. Mira varietas, nec quicquam eſt ocioſum. Nihil eſt quod non aut agat, aut loquatur aliquid. Quid nobis narrat noctua, pene latitans ſub frondibus? EU. Attice loquitur [1] Attica: [2] σωφρονεῖ inquit, ἐ πᾶσιν ἴσον ἦμι. Jubet nos conſulto agere, quod non omnibus feliciter cedat inconſulta temeritas. Hic aquila diſcerpit leporem fruſtra obteſtante [3] ſcarabeo. Adſtat ſcarabeo [4] trochilus, & ipſe capitalis inimicus aquilæ. TI. Hæc hirundo quid gerit ore? EU. Herbam [5] chelidoniam. Nam hac reſtituit pullis exoculatis viſum. Agnoſcitis herbæ figuram? TI. Quodnam hoc novum lacertæ genus? EU. Non eſt lacerta, ſed [6] chamæleon. TI. Eſt hic ille longo nomine celebratus chamæleon? Belluam eſſe credidi leone majorem, [7] quem vincit etiam vocabulo. EU. Hic ille eſt ſemper hians, & [8] ſemper jejunus chamæleon. Hæc arbor eſt caprificus, apud quam ſolam [9] ſævit, alias innoxius. Nam venenum habet;

1 Id eſt, *Athenienſis*, à regione Attica, in qua urbs Athenæ. Noctua Athenienſium populo quondam erat gratiſſima, ac Minervæ ſacra, propter oculos cæſios, quibus etiam in tenebris perſpicit, quæ vulgus avium non videt. Unde & auſpicata conſiliis credebatur, id quod indicat proverbium, γλαῦξ ἵπταται, id eſt, *Noctua volat*; de rebus ex animi ſententia ſuccedentibus. Dictum eſt illud de Minerva, quod Athenienſium male conſulta in bonum exitum verteret. Vide infra Coll. *Proc. & Puel.*

2 Id eſt, *Prudens eſto. Non omnibus volo.* De proverbio *Noctua* jam ſupra diximus.

3 *Scarabeus aquilam.* Proverbium eſt, cum imbecilliot longe potentiori inimico malum ſtruit.

4 Trochilus, ſeu regulus, teſte Plinio, avicula eſt natura aquilis infeſta.

5 Quæ & hirundinaria dicitur, ita nominata, quod ſub hirundinum adventu floreat. χελιδών Gr. Hirundo.

6 Animal lacertæ inſtar, quod in colorem viſum, mutari dictum eſt ab antiquis. Hinc proverb. *Chamæleonte mutabilior.*

7 Nam vocabulum *Chamæleon* pluribus conſtat ſyllabis quam Leo.

8 Solo enim aëre vivere dicitur.

9 Vites ſuas venenoſas aſſumit.

bet; ne contemnas hiantem bestiolam. TI. At non mutat colorem. EU. Verum; [1] quia non mutat locum: ubi mutarit locum, videbis & colorem alium. TI. Quid hic sibi vult tibicen? EU. Nonne vides in proximo [2] Camelum saltantem? TI. Video novum spectaculum, camelus [3] cinædus est, & simius [4] choraules. EU. Sed his singulatim ac per ocium contemplandis alias dabitur vel totum triduum; nunc satis erit veluti [5] per transennam vidisse. In hac regione depictum est ad nativam effigiem, quicquid est insignium herbarum: quodque jure miremini, hic venena quantumvis [6] præsentanea tuto non solum spectantur, verum etiam [7] contrectantur. TI. En scorpius, rarum in hisce regionibus malum, sed frequens Italiæ. Quamquam color mihi parum respondere videtur in pictura. EU. Qui sic? TI. Quia magis nigrent apud Italos, iste pallidior est. EU. An non agnoscis herbam in cujus folium incidit? TI. Non satis. EU. Nec mirum. Nec enim nascitur in hortis nostratibus. [8] Aconitum est. Ei veneno tanta vis est, ut scorpius ad hujus contactum stupescat, pallescatque, seseque vinci patiatur. Sed offensus veneno, à veneno petet remedium. Videtis in propinquo utrumque genus [9] hellebori. Si scorpius

1 Erat enim depictus.

2 *Camelum saltare* dicimus, ubi quis indecore aliquid facere conatur, & in vita, quod ajunt, Minerva. Veluti si quis natura severus ac tenicus affectat elegans ac festivus haberi.

3 *Cinædus*, q. d. κυνὸς αἰδῶς vacans pudore. *Cinædi* olim dicebantur saltatores, & pantomimi, hinc pro obscœnis & voluptuosis.

4 Choraules q. d. qui ad choreas canit, ab αὐλέω *tibia cano*, & χορὸς *chorus*.

5 *Transenna* cancelli sunt, quos mercatores mercibus objiciunt, ne totæ pateant. Inde *per transennam videre* dicitur quod non propius, & singulatim, sed procul, & summatim inspicimus.

6 Efficacia.

7 Manibus attinguntur.

8 Herba venenata est ita dicta, quod in cautibus (quas Græci ἀκονὰς vocant) nascatur. Vide Plin. l. 21. c. 26. Fabulatur Naso lib. 7. Metamorphoseon, hanc herbam ortam ex tricipitis canis Cerberi spuma, cum eum Hercules in regionem Ponticam perduxisset.

9 *Helleborus*, vel *Elleborus*, alio nomine Latinis *veratrum*. Huic herbæ tanta vis est purgandi, ut melancholicis vel furiosis dare soleat. Unde proverbio dicimus, si quis est cerebro minus sano, ei opus esse Helleboro.

pius sese potuerit explicare à folio aconiti, & [1] album helleborum contingere, recipiet pristinum vigorem, diversi veneni contactu solvente torporem. TI. [2] Actum est igitur de isto scorpio: nam is se nunquam explicabit ab aconiti folio. Etiam loquuntur hic scorpii? EU. Et quidem Græce. TI. Quid ait? [3] Εὗρε Θεὸς τ' ἀλιτρόν. Hic præter herbas videtis omne serpentium genus. En vobis [4] basiliscus, oculis igneis, ipsis etiam nocentissimis venenis formidabilis. TI. Et is loquitur aliquid. EU. *Oderint*, inquit, *dum metuant*. TI. Plane regia vox. EU. Imo nihil minus regium, sed [5] tyrannica vox est. Hic pugnat lacerta cum vipera. Hic [6] dipsas insidiatur, tecta putamine ovi struthiocameli. Hic videtis [7] politiam totam formicarum, ad quarum imitationem nos vocat [8] Hebræus ille sapiens, atque etiam [9] Flaccus noster. Hic videtis formicas Indicas, quæ aurum egerunt, ac servant. TI. Deum immortalem, cui possit [10] obrepere tædium in hoc theatro versanti? EU. Alias, inquam, licebit vel ad satietatem usque spectare. Nunc procul tantum spectate tertium parietem. Is habet lacus, amnes & maria, & in his quicquid est insignium piscium. Hic est [11] Nilus, in quo [12] delphinum illum videtis, [13] hominum amatorem, cum crocodilo depugnantem, quo non alius hostis homini capitalior.

1 Est enim Helleborus duplex: albus vel niger.

2 Periit is scorpius. Vide pag. 74.

3 Id est: *repent Deus nocentem.*

4 Βασιλίσκ. Serpentis genus, quod album quiddam instar diadematis in capite habere dicitur.

5 Vere tyrannica vox est, quam sæpius Imperatorem Caligulam jactasse narrat Suetonius cap. 30. Qui sint *Tyranni* dicturi sumus infra in *Conv. Fabul.*

6 Dipsas viperæ genus, à δίψα *sitis*, quod morsu suo magnam sitim inferat.

7 Rempublicam. Gr. πολιτείαν.

8 Salomon. Prov. 6. v. 6.

9 Horatius in Satyr. 1. l. 1. exemplum formicæ proponit.

10 Vide infra notas in Coll. *Militis & Carthus.*

11 Ægypti Fluvius insignis.

12 Delphin vel Delphinus dicitur.

13 Quod Delphini amatores hominum vulgo dicantur, forte originem traxit ex fabula Arionis, à Delphino sublati, & in littus expositi, & ejusmodi farinæ commentis. Vide infra Colloq. *Amicitia.*

1 Anima-

lior. In ripis ac littoribus videtis ea quæ sunt[1] ἀμφίβια, ut cancri, phocæ, fiber. Hic est[2] polypus captator, captus à concha. TI. Quid loquitur? [3] Αἰρῶν αἱρεθμαι. Mire pictor fecit aquam pellucidam. EU. Aut hoc erat illi faciendum, aut nobis opus erat aliis oculis. In proximo est alter polypus, summa æquoris aqua velificans, [4] liburnicarum gaudens imagine. Videtis [5] torpedinem prostratam in arena [6] concolori, quam hic tuto vel manu contigeris. Sed alio properandum est. Hæc [7] pascunt oculos, at ventrem non explent: properemus ad reliqua. TI. Etiamne amplius? EU. Mox videbitis quid nobis præbeat [8] posticum. Hic videtis hortum satis spaciosum, in duas divisum partes: in altera est, quicquid est herbarum esculentarum, in qua regnant uxor & famula mea: in altera, quicquid est medicarum, præsertim insignium. Ad lævam est pratum liberum, præter virorem graminum nihil habens: septum est [9] sepe perpetua, è spinis implexis, sed vivis, contexta; illic nonnunquam vel ambulo, vel lusito cum sodalibus. Ad dexteram est pomarium, in quo cum erit ocium, videbitis plurimas arbores peregrinas, quas paulatim doceo nostro cœlo assuescere. TI. [10] Papæ, næ tu vincis vel ipsum [11] Alcinoum. EU. Hic aviarium

1 Animalia tam in terris, quam in aquis vivenia.

2 Quod habeat multos pedes à πολὺς & πῦς. Tanta huic pisci adscribitur rapacitas, & tenacitas, ut quicquid brachiorum flagellis nactus fuerit, fugendo attrahat, ac retineat. Hinc Plautus in Aulul. *Novi ego istos polypos, qui ubi quidquid tetigerint, tenent.*

3 Id est: *captans capior. Captator capitur*, dicitur in eum, cui res præposterè evenit, ut ipse circumveniatur ab eo, quem conabatur decipere; atque ita in eas incitat pedicas, quas alii struxerat.

4 Sunt liburnico naviculæ intextæ viminibus.

5 Torpedo, Græce νάρκη; piscis est, ita dictus, quod torporem manibus inducat; id quod ex eo est, quod admodum frigeat.

6 Ejusdem coloris.

7 Respice pag. 131.

8 *Posticum* locus est proximus posticæ. Vel ipsa postica.

9 Respice pag. 137.

10 Interjectio admirantis.

11 Alcinous rex fuit Phæacum, diligens hortorum cultor, ab Homero celebratus.

1 Loco

rium est in [1] confinio adhærens ambulacro superiori, quod videbitis à prandio: videbitis formas varias, variasque linguas audietis. Nec minus varia sunt ingenia. Inter quasdam cognatio est, & mutuus amor, inter nonnullas [2] simultas irreconciliabilis. Sunt autem omnes adeo cicures & mansuetæ, ut si quando cœno illic aperta fenestra, devolent in mensam, cibumque vel è manibus capiant. Si quando ingredior in ponticulo pensili, quem videtis, fabulans cum amico, assident, auscultant, insident humeris aut brachiis, adeo dedidicerunt timere, quia sentiunt neminem lædere. In extremo pomario apum [3] regnum est. Nec illud sane spectaculum inamœnum. In præsentia non sinam vos amplius contemplari, quo sit, quod vos posthac revocet tanquam ad novum spectaculum. A prandio cætera vobis ostendam. PUER. Uxor & famula clamitant corrumpi prandium. EU. Jubeto illas esse æquanimes; nos jam accurremus. Lavemus amici, ut puris manibus & animis ad mensam accedamus. Etenim si ethnicis quoque religiosa erat mensa, quanto magis oportet esse sacram Christianis, quibus habet imaginem quandam illius sacrosancti convivii, quod Dominus Jesus postremum egit cum suis discipulis. Et ob id [4] receptum est, abluere manus, ut si quod odii, [5] livoris, aut turpitudinis alicui forsitan resideat in animo, id ejiciat ante, quam accedat ad cibum capiendum. Sic enim opinor & corpori salubriores esse cibos, si sumantur animo [6] defæcato. TI. Istud verissimum esse credimus. EU. Quoniam hoc exemplum nobis ab ipso Christo traditum est, ut

1 Loco extremo, qui cum altero conjungitur.

2 Proprie occulta quædam & dissimulata inimicitia, quæ quidem gravissima est.

3 Habent enim apes regem.

4 Scil. usu, i. e. usitatum est.

5 Invidiæ.

6 Ab omni fece (id est malitia) purgato.

ut [1] ab hymno cibum [2] auſpicaremur (nam id arbitror, quod frequenter in Evangelio legimus, illum benedixiſſe, aut gratias egiſſe patri prius, quam cibum frangeret) & rurſum hymno finiremus: ſi videtur, recitabo vobis hymnum, quem divus [3] Chryſoſtomus miris laudibus prædicat in [4] Homilia quadam, dignatus etiam interpretari. TI. Imo, ut velis, rogamus. EU. *Benedictus Deus, qui me paſcis à juventute mea, qui cibum præbes omni carni; reple lætitia & gaudio corda noſtra, ut* [5] *affatim quod ſatis eſt habentes, abundemus in omne opus bonum, in Chriſto Jeſu Domino noſtro; cum quo tibi gloria, honor & imperium, cum Sancto Spiritu in omne ævum.* TI. [6] *Amen.* EU. Nunc accumbite, ac ſuam quisque [7] umbram ſibi adjungat. [8] Caniciei tuæ debetur primus locus Timothee. TI. Verbo dignitatem univerſam meam complexus es. Hoc ſolo nomine ſum cæteris anteponendus. EU. Cæterarum dotium æſtimator eſt Deus; nos ea ſequimur quæ videmus. [9] Sophroni, adhære corpori tuo. Tu Theophile & [10] Eulali, dextrum menſæ latus occupate. Chryſoglottus & [11] Theodidactus occupabunt lævum. Uranius & [12] Nephalius, quod ſupereſt. Ego hunc angulum tuebor. TI. Non patiemur: [13] hoſpiti debetur primus locus. EU. Tota domus hæc mea eſt, ſimulque veſtra: quod ſi mihi permittitur jus in regno meo, is locus debetur hoſpiti quemcunque ſibi delegerit. Nunc utinam

1 Ὕμνος carmen, ab ὕδω cano. Sæpius carmen Deo ſacrum.

2 Sc. ſumere, de verbo *auſpicari* dictum eſt pag. 6.

3 Quis hic fuerit, docent notæ ad pag. 67.

4 Concione. Multi ex veteribus Chriſtianis Doctoribus, quos Patres vocamus, hoc nomine conciones ſuas appellarunt, à verbo ὁμιλέω, ſermocinor.

5 Copioſe, abunde.

6 Hebr. veritas. Adverbialiter denotat aſſenſum.

7 Umbræ ſignificationem vide pag. 85.

8 Senectuti, cujus ſignum canities.

9 Σώφρων, temperans, prudens.

10 Eulalius, bene loquens.

11 Theodidactus, divinitus doctus.

12 Nephalius, ſobrius.

13 Convivatori.

1 Con-

utinam Christus ille exhilarator omnium, & sine quo nihil vere suave est, dignetur huic nostro interesse convivio, suaque præsentia exhilarare animos nostros. TI. Spero, dignabitur. Sed ubi sedebit, jam omnibus locis occupatis? EU. Utinam ille se misceat omnibus & patinis, & poculis, ut nihil illū non sapiat, sed potissimum illabatur animis nostris. Id quo magis dignetur, & nos tanti[1] hospitis reddamur capaciores, si molestum non est, auscultabitis paululum[2] è sacra lectione, sed ita, ut interim[3] nihilo secius admoveatis manus[4] ovis & lactucis, si libet. TI. Id faciemus libenter, sed auscultabimus libentius. EU. Is mos mihi multis nominibus videtur amplectendus, quod hac ratione vitentur[5] inanes fabulæ, præbeaturque materia confabulationis frugiferæ. Multum enim ab illis dissentio, qui putant non esse lætum convivium, nisi quod scateat ineptis ac lascivis fabulis, quod perstrepat obscœnis cantiunculis. Vera hilaritas nascitur è pura sinceraque conscientia: atque hi sermones vere læti sunt, quos semper & dixisse[6] juvet, aut audisse, & semper delectet meminisse: non quorum mox pudeat, quique conscientiam pœnitudine discrucient. TI. Utinam ista tam perpenderemus omnes quam sunt vera. EU. Hæc præterquam quod certam & insignem habent utilitatem, etiam jucunda fiunt, ubi vel mensem unum assueveris. TI. Nihil igitur consultius, quam optimis assuescere. EU. Recita, puer, distincte, & clare. PUER. [7] *Sicut divisiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini, quocunque voluerit, inclinabit*

1 Convivæ.

2 Id est, è lectione sacrarum literarum.

3 Nihilominus.

4 Alludit ad veterum Romanorum morem, qui in cœnis suis fere solebant in primis apponere ova. Hinc Horatius lib. 1. Satyr. 3. *ab ovo usque ad mala*, id est, ab initio cœnæ, in quo ova, usque ad finem, in quo poma.

5 Vanæ, & quæ sine fructu sunt: opponuntur enim frugiferis.

6 Delectet.

7 Locus hic juxta versionem vulgatam est ex Salomonis Proverbiis cap. 21. v. 1. 2. 3.

clinabit illud. Omnis via viri recta sibi videtur; appendit autem corda Dominus. Facere misericordiam & judicium, magis placet Domino, quam victimæ. EU. Sit hoc satis. [1]Præstat enim pauca avide discere, quam multa cum tædio [2] devorare. TI. Præstat sane, sed non hic tantum. Plinius [3] scripsit, [4] Officia Ciceronis nunquam de manibus deponenda, & sunt sane digna, quæ cum ab omnibus, tum præcipue ab his qui destinati sunt administrandæ Reipublicæ, ad verbum ediscantur, mea quidem sententia: sed hunc [5] Proverbiorum libellum semper dignum arbitratus sum, qui semper [6] nobis circumferatur. EU. Quoniam sciebam prandium fore [7] dilutum & insipidum, idcirco hanc procuravi nobis condituram. TI. Nihil hic est non lautissimum; & tamen si nihil esset præter [8] betas absque pipere, vino & aceto, talis lectio condiret omnia. EU. Mihi tamen plus adderet gratiæ, si, quod audio, penitus intelligam. Atque utinam adesset aliquis vere Theologus, qui ista non intelligeret solum, verum etiam saperet. Nobis [9] idiotis nescio an fas sit hisce de rebus confabulari. TI. Ego vero puto vel [10] nautis esse fas, modo absit definiendi temeritas. Fortasse & Christus, qui pollicitus est sese adfuturum, ubicunque duo convenirent de ipso tractantes,

1 Melius est.

2 Evolvere. Metaphora à cibis, qui subito & immodice devorati, non bene concoquuntur, sed stomachum reddunt crudum.

3 In præfatione ad Vespasianum Cæsarem.

4 Libellus elegans est, & vere Ciceronе dignus, cujus titulus *Officia*.

5 Scil. Salomonis. Seu quæ Salomon congessit.

6 A nobis.

7 *Dilutum* est temperatum, sed Erasmus forte dixit *dilutum* pro *elutum*, quod Horatius Sermon. lib. 2. Satyr 4. usurpavit pro *insipidum* - - - *Irriguo nihil est elutius horto.*

8 Alluſit ad illud Martialis: *Ut sapiant fatuis fabrorum prandia betæ: O quam sæpe petet vina piperque coquus.*

9 Intellige hic pro *Illiteratis*. Vide infra notas in *Ichthyoph.*

10 Quidni nautis æque ac illis, qui Theologorum nomine gaudent? Sed Pontificii jus interpretandi litteras sacras solis doctoribus, quos vocant, relinquunt.

1 Favebit

ctantes, [1] aspirabit nobis tam multis. EU. Quid si igitur partiamur inter nos novem tres sententias? CONVIVÆ. Non displicet, modo à convivatore incipiat ordo. EU. Non detrectarem [2] provinciam, sed vereor ne hic vos pejus accipiam, quam cibis accipio. Age necubi videar difficilis convivator, omissis variis conjecturis, quæ in hunc locum congerunt interpretes, mihi videtur hic esse sensus moralis: alios [3] mortales posse flecti monitis, [4] increpationibus, legibus ac minis: regis animum, quoniam neminem metuit, si repugnes, magis irritari. Et idcirco quoties principes vehementer contendunt aliquid, [5] suo animo relinquendos, non quod semper velint optima, sed quod illorum stultitia malitiave Deus nonnunquam abutatur ad emendandos eos qui [6] deliquerunt. Quemadmodum vetuit resisti [7] Nabuchodonosor, quod illius ministerio decrevisset castigare populum suum. Fortassis illud est quod ait Job. Qui regnare facit hominem [8] hypocritam propter peccata populi. Atque huc fortasse pertinet quod ait David, deplorans peccatum suum: [9] Tibi soli peccavi, & malum coram te feci. Non quod reges non peccent ingenti populi malo, sed quod non habeant hominem, cujus autoritate condemnentur, quum Dei judicium

1 Favebit ac spiritum immittet. Metaphora à ventis sumpta, qui dum navium vela implent, aspirare proprie dicuntur. Sic Virgil. *Aspirat primo fortuna labori.*

2 Onus, negotium. Provinciæ nomen triplici significatione accipitur. I. Pro regione, quam aut armis devictam, aut quocunque modo in potestatem adductam Populus Romanus magistratui suo administrandam subjecit (nam teste Festo Provinciæ appellantur, quod Populus Romanus eas provicit, i. e. antevicit.) II. Pro quacunque regione, in qua R. Imperator bellum administraret. III. Pro quacunque publici muneris procuratione, vel onere, vel negotio uti hoc loco, & apud Terent. *Provinciam cepisti duram.* Et hæc metaphorica est significatio.

3 Homines.

4 Reprehensionibus.

5 Suo arbitrio, ac voluntati.

6 Peccarunt.

7 Qui & Nebucadnezar dicitur, Rex Babylonis variis rebus gestis, & Dei supplicio in S. Litteris notissimus Dan. 4.

8 Ὑποκριτὴς, simulator.

9 Tibi Deo uni.

dicium nemo, quamlibet potens, possit effugere. TI. Non displicet interpretatio. Sed quid sibi volunt divisiones aquarum? EU. Adhibita est[1] similitudo, quæ rem explanet. Violenta res & impotens est regis animus concitatus, nec huc aut illuc duci potest, sed impetu suo fertur, velut[2] œstro divino[3] percitus, quemadmodum mare sese spargit in terras, ac subinde cursum mutat, contemptis agris, ædificiis, & quicquid obstat, alicubi se condit sub terras: cujus impetum si coneris inhibere, aut alio deflectere, nihil agas. Idem accidit in magnis fluminibus, veluti fabulæ quoque narrant de[4] Acheloo. Minus autem mali capitur, si commode[5] obsecundes, quam si violenter repugnes. TI. Nihil igitur remedii adversus malorum regum[6] impotentiam? EU. Fortasse primum fuerit, [7] leonem in civitatem non recipere: proximum, sic autoritate senatus, magistratuum ac civium moderari potentiam illius, ut non facile erumpat in[8] tyrannidem. Sed omnium potissimum, dum adhuc puer est, & se principem esse nescit, sanctis præceptis formare pectus illius. Prosunt & preces, ac monita, sed blanda ac tempestiva. [9] Extrema ancora est, votis fatigare Deum, ut regis animum[10] inclinet

1 Similitudo hæc est: *Sicut fremitus Leonis, ita & regis ira*, &c Proverb. 19. v. 12.

2 Id est: stimulo, vel furore. Οἶστρος, Latinis *œstrus* ex Græco, seu *Asilus*, vel *Tabanus* dicitur, est musca varia, bobus maxime nocens. Hic apud Græcos prius *Myops* vocabatur: dein magnitudine incommodi œstrum appellarunt, quia Furiam *æstrum* dicunt. De quo Virgilius lib 3. Georg. ita inquit: *Est lucos Silari circa, ilicibusque virentem Plurimus Alburnum volitans (cui nomen asilo Romanum est, æstron Graji vertere vocantes) Asper, acerba sonans: quo tota exterrita sylvis Diffugiunt armenta*, &c. Hinc pro furore, vel stimulo.

3 Commotus. Agitatus.

4 Achelous, qui & quondam Thoas appellatus fuit, Acharnaniæ fluvius est. Ejus cum Hercule luctum vide sis in Ovidii Metamorph. lib 9.

5 Obedias, morem geras.

6 Intemperantiam, i. e. immoderatum animum.

7 Regem instar leonis sævientem.

8 Qui Tyranni dicti vide infra in *Conv. Fabul.*

9 Ancora pro *refugio*. Translatum à nautis, qui ubi necessitas jubet, ad sacram ancoram (quam nos vocamus) confugiunt.

10 Flectat,

1 Vox

clinet ad ea, quæ Christiano rege digna sunt. TI. Quid ais, idiota? Si [1] baccalaureus essem Theologiæ, minime puderet istius interpretationis. EU. An vera sit, nescio; mihi satis est, quod sensus non sit impius, aut hæreticus. [2] Morem gessi voluntati vestræ. Nunc, ut decet in conviviis, vicissim audire cupio. TI. [3] Si quid defertis his quoque canis, mihi videtur hoc dictum, & ad [4] abstrusiorem sententiam accommodari posse. EU. Credo, & audire cupio. TI. Rex intelligi potest vir perfectus, qui domitis carnis affectibus, solo divini spiritus impetu ducitur. Porro qui sit hujusmodi, hunc non convenit fortassis humanis legibus in ordinem cogere, sed suo domino, cujus spiritu agitur, relinquendus est, nec judicandus est ex hisce rebus, quibus imbecillitas imperfectorum utcunque provehitur ad veram pietatem: sed si quid secus facit, dicendum est cum Paulo: [5] *Dominus assumpsit illud: domino suo stat, aut cadit.* Item illud: [6] *Spiritualis homo omnia dijudicat, ipse vero à nemine judicatur.* Talibus igitur nemo præscribat, sed Dominus, qui præscripsit terminos mari & amnibus, habet cor sui regis in manu sua, & quocumque voluerit, inflectit illud. Quid enim opus est præscribere illi, qui suapte sponte [7] præstat meliora, quam exigunt humanæ leges? Aut quæ temeritas sit, illum hominem constitutionibus adstringere, quem certis argumentis constat divini spiritus afflatu gubernari? EU. Tu vero,

1 Vox Barbara. In Academiis, præcipue Pontificiorum, *Baccalaurei* vocantur, qui primum in studiis suis profectus gradum nacti sunt, deinde enim creantur *Licentiati*, *Magistri*, & tandem (si Diis placet) *Doctores*. Sunt, qui volunt, *Baccalaureus* dici corrupte pro *Battalarius*, q. d. Novitius miles, qui jam semel prælio interfuit, à veteri Gallorum *Battalum*, hoc est, prælium. Alii *Baccalaureum*, quasi qui eruditionis suæ primum honoris signum, nempe laurum adeptus est, dictum existimant. Sed de his nugis satis.

2 Parui, obedivi.

3 Sc. honoris

4 Cui mysterium subest, magis arcanam.

5 Rom. 14.

6 1. Corinth. 2.

7 Facit.

ro, Timothee, non solum canos habes capillos, sed pectus etiam habes eruditionis canitie venerabile. Atque utinam inter Christianos, quos omneis oportebat esse reges hujusmodi, plures reperirentur hoc digni cognomine. Sed jam satis est [1] ovatum, & holeribus [2] prælusum: jubete hæc tolli, & apponi quod supereſt. TI. Nobis affatim satisfactum est hac [3] ovatione, etiamsi nihil præterea [4] succesſerit vel [5] supplicationis, vel [6] triumphi. EU. Verum, quoniam [7] aspirante Christo, sicut opinor, succesſit res in prima sententia, velim ut umbra tua nobis enarret alteram, quæ mihi videtur aliquanto obscurior. *Sophronius.* Si boni voletis consulere quicquid dixero, sedulo dicam quod mihi videtur. Alioqui qui fieri potest, ut rebus obscuris lucem adferat [8] umbra? EU. Equidem [9] recipio futurum omnium nomine; & tales umbræ lucem suam habent aptiorem oculis nostris. *Soph.* Idem docere videtur quod Paulus. Diversis vitæ [10] rationibus contenditur ad pietatem. Alii placet sacerdotium,

1 *Ovatum*, q. d. jam satis ovorum edimus. Vide infra de Ovatione.

2 Q. d. & jam satis olerum edimus, quæ fuerunt mensæ præludia.

3 Ludit Erasmus in hac voce. *Ovatio* enim Romanis erat triumpho inferior, seu minor triumphus, ut & *Supplicatio*, namque cum dux bellum, non rite indictum, vel cum hoste non justo, aut parum illustri, ut cum piratis, servis &c. feliciter gesserat, ovans urbem pedibus ingrediebatur, corona myrtea redimitus: nomen habere videtur ab *ovibus*, quas ovans sacrificabat, ut triumphans taurum. Hic verò, inquam, alludit autor ad ova quæ appositа erant.

4 Secutum fuerit

5 *Supplicatio* Romanis erat, cum in honorem ducis absentis, ob rem feliciter gestam, Senatus templa Deorum aperiri, sacra fieri, & imperatoris nomine Diis gratias agi juberet.

6 *Triumphus* Romanis erat summum præmium; quo solebat ornari virtus & fortuna Imperatoris, qui rem feliciter gesserat, justoque prælio hostes ceciderat. Hic non nisi viris illustribus concedebatur, nam lege cautum erat, ne quis triumpharet, qui non Dictator, Consul, aut Prætor res gessisset, aut etiam quinque millia hostium una acie non cecidisset. Imperator vehebatur curru rotundo ad instar turris, ex ebore, magnifice exornato: ipse fulgebat vesti triumphali, corona laurea redimitus, & lauri ramum manu gestans, &c.

7 Favente, respice pag. 147.

8 Ludit in duplici *umbræ* significatione. *Umbra* est aër luce carens, & vocati convivæ comes, quod vide pag. 132. & alibi.

9 Promitto.

10 Modis.

dotium, alii cælibatus, alii conjugium, aiii[1] seceſſus, alii respublica, pro varietate corporum & ingeniorum. Rurſus alius veſcitur quibuslibet, alius diſtinguit inter cibum & cibum, alius judicat inter diem & diem, alius judicat omnem diem. In his Paulus vult, unumquemque ſuo frui affectu citra contumeliam alterius. Nec oportet quemquam ex hujusmodi judicare, ſed judicium deferre Deo, qui expendit corda. Fit enim ſæpenumero, ut veſcens gratior ſit Deo, quam non veſcens, & diem feſtũ violans[2] acceptior ſit Deo, quam is qui videtur obſervare: & matrimonium hujus gratius ſit oculis Dei, quam multorum cælibatus. Dixi umbra. EU. Utinam mihi ſæpe contingat cum talibus umbris colloqui. Rem, ni fallor, non[3] acu, quod ajunt, ſed lingua tetigiſti. Sed[4] adeſt qui[5] cælebs vixit, non de numero beatorũ, [6] qui ſe caſtraverunt propter regnum Dei: ſed hic caſtratus eſt vi, quo magis placeret ventri, donec & hunc & eſcas deſtruxerit Deus. Capus eſt ex[7] corte noſtra. Elixis magis delector. Jus eſt non inelegans: quod in eo natat, lactucæ ſunt ſelectiſſimæ. Sumat ſibi quisque, quod gratum eſt animo. Sed ne quid vos fallam, ſuccedit huic aſſi nonnihil, mox[8] bellaria, deinde fabulæ [9] cataſtrophe. TI. Sed interim excludimus uxorem è convivio. EU. Ubi vos venietis comitati veſtris accumbet & mea. Nunc quid aliud eſſet, quam[10] muta perſona? & illa ſuavius garrit mulier inter mulieres, &

1 Vita privata, & ab hominum frequentia ſeparata.

2 Gratior.

3 Rem acu tangere, id eſt, non errare, fuſius diximus de hac phraſi pag. 39.

4 Scil. Capus, i. e. Gallus caſtratus.

5 *Cælebs* quis? Vide infra notatum in *Conc.* ſive *Medard.*

6 Alludit ad verba Chriſti de caſtratis Math. 19, 12.

7 Reſpice notas pag. 9.

8 Menſæ ſecundæ, tragemata.

9 Prima pars Comœdiæ dicitur Protaſis: ſecunda, Epitaſis, in qua tumultus eſt vehementiſſimus; tertia Cataſtrophe, quæ componit tumultum.

10 Alludit ad mutas perſonas in fabulis, quæ quidem in ſcena apparent, ſed non loquuntur. Horat. *Nec muta loqui perſona laboret.* Vide Proverb.

& nos liberius philosophamur. Alioqui periculum sit, ne nobis accidat, quod accidit Socrati, cui quum essent convivæ Philosophi, quibus magis placent hujusmodi fabulæ, quam cibus, & in longum proferretur disputatio, [1] Xanthippe commota mensam subvertit. TI. Nihil minus à tua metuendum arbitror. Est enim mulier moribus placidissimis. EU. Mihi certe talis, ut commutare non cupiam, etiamsi liceat: atque [2] hoc nomine mihi vel præcipue videor fortunatus. Nec enim mihi placet eorum sententia, qui fortunatum putant, uxorem habuisse nunquam; magis arridet quod ait [3] sapiens Hebræus, ei bonam sortem obtigisse, cui obtigit uxor bona. TI. Sæpe nostro vitio malæ sunt uxores, vel quia tales [4] deligimus, vel quia tales reddimus, vel quia non, ut oportet, formamus & instituimus. EU. Vera prædicas: sed interim exspecto tertiæ sententiæ enarrationem, & jam mihi dicturire videtur [5] Θεόπνευς Theophilus. TH. Imo mihi [6] animus erat in patinis; dicam tamen, quando licet impune. EU. Etiam cum gratia licebit errare, vel sic præbebis occasionem [7] inveniendi. TH. Mihi videtur eadem sententia, quam protulit Dominus apud Osee Prophetam cap. 6. *Misericordiam volui, & non sacrificium, & scientiam Dei plus quam* [8] *holocausta.* Cujus vivus & efficax interpres est Dominus Jesus in Evangelio Matthæi cap. 9. Quum enim

κοφὸν περίσωπον. Quadrabit in eos, qui in cœtu deliberantium, aut disputantium, aut etiam in conviviis, cæteris loquentibus, soli tacent.

1 Socratis uxor, admodum morosa & trixosa, cujus vituperium lege infra in Coll. *Uxor μεμψίμοιρος*: sive *Conjug.* in limine.

2 In ea re, vel ejus rei gratia.

3 Salomon.

4 Oportet ergo prius *deligere*, quam *diligere.*

5 Id est *divinitus afflatus.*

6 I. e. totus edendo occupatus eram. Quanquam Sanga ille Terentianus Eun. Act. 4 Sc 7. hoc dicto significat se jam maximopere epulas desiderare. Vide dictum locum, *jam dudum animus est in patinis.*

7 Supple rectum aut verum sensum.

8 Ὁλόκαυστον sacrificii genus, in quo tota victima cremabatur.

1 Qui

enim convivium agitaret in domo [1] Levi, qui erat publicanus, isque multos sui ordinis, suique quæstus homines invitasset ad convivium, Pharisæi qui tumebant religione Legis, cum ea præcepta negligerent, unde tota Lex pendebat & prophetæ, [2] quo discipulorum animos alienarent à Jesu, rogabant illos, cur dominus admiscereret se convivio [3] peccatorum, à quorum consortio abstinebant Judæi, qui volebant haberi sanctiores, & si quando contigisset cum ejusmodi congredi, reversi domum abluebant corpus. Quumque discipuli [4] rudes adhuc non haberent quod responderent, Dominus & pro se & pro discipulis respondit: *Non est opus*, inquit, *medico* [5] *valentibus, sed* [6] *male habentibus. Euntes autem discite, quid est, Misericordiam volo, & non sacrificium. Non enim veni vocare justos, sed peccatores.* EU. Pulchre tu quidem [7] collatione locorum rem explicas, id quod in divinis literis præcipuum est: sed discere velim, quid appellet sacrificium, quid misericordiam. Nam [8] qui constitit, ut aversetur sacrificia Deus, quæ sibi tot [9] præceptis jusserat exhiberi? TH. Quomodo Deus aversetur sacrificia, docet ipse nos apud Esaiam cap. 1. Sunt enim quædam præscripta Judæis in lege, quæ significant magis sanctimoniam, quam præstant: quod genus sunt, dies festi, [10] sabbatismi, jejunia, sacrificia. Et sunt quæ semper præstanda sint, quæ suapte natura bona sunt, non quia jussa. Judæos autem aversatur Deus, non quod observarent legis ritus, sed quod his stulte

1 Qui est Mattæus dictus, & è publicano Christi discipulus factus est.
2 Ut.
3 Peccatores vulgo vocabantur apud Judæos publicani, ob severam tributorum exactionem: de muliere vero peccatrice vide infrà notas in fine Coll. *Epicur.*
4 Imperiti. Nondum illuminati.
5 Sanis.
6 Ægrotis.
7 Comparatione.
8 Quomodo.
9 Quæ continentur in libris Mosis.
10 Sabbathorum observationes.

stulte [1] tumidi, negligerent ea, quæ Deus maxime vult præstari à nobis: ac [2] madentes avaritia, superbia, rapinis, odio, [3] livore, cæterisque vitiis, existimabant Deum ipsis multum debere, quod diebus festis versarentur in templo, quod immolarent victimas, quod abstinerent à cibis vetitis, quod illi nonnunquam jejunarent: umbras amplectebantur, rem negligebant. Quod autem ait, *Misericordiam volo, & non sacrificium:* opinor ex [4] idiomate sermonis Hebræi dictum, pro eo quod erat, misericordiam volo potius quam sacrificium, quemadmodum illud interpretatur [5] Salomon, quum ait: *Facere misericordiam & judicium, magis placet Domino quam victimæ.* Porro, omne officium, quod impenditur sublevando proximo, scriptura misericordiam vocat & [6] eleemosynam, quæ & ipsa nomen duxit à miserendo. Victimas appellari puto, quicquid pertinet ad ceremonias corporales, & aliquid habet [7] affine cum Judaismo: quod genus sunt delectus ciborum, vestitus præscriptus, jejunium, sacrificium, preces veluti pensum absolutæ, quies diei festi. Hæc enim ut pro tempore non sunt omnino negligenda, ita Deo fiunt ingrata, si quis observationibus hujusmodi confisus, negligat misericordiam, quoties fratris necessitas exigit officium charitatis. Habet speciem sanctimoniæ etiam, colloquia vitare malorum. Sed hoc cessare debet, quoties aliud suadet charitas proximi. Obedientia est quiescere diebus festis, sed impium sit, ob [8] religionem diei sinere fratrem perire. Itaque [9] servare diem dominicum victima est, ut ita loquar: reconciliari fratri, misericordia est.

1 Superbi.
2 Metaph. pro abundantes, scatentes.
3 Invidia.
4 Ἰδίωμα vel ἰδιότης, proprietas.
5 Proverb. 21.
6 Ἐλεημοσύνη, ab ἐλεεῖν *misereri*, significat omne beneficii genus, quo miseros prosequimur.
7 Commune, conjunctum.
8 De Religione diximus in notis ad pag. 104.
9 Observare.

est. Porro judicium, quanquam potest ad potentes referri, qui frequenter vi opprimunt imbecilles, tamen mihi videtur non absurdum, si respondeat illi quod est apud Osee: *Et scientiam Dei plus quam holocausta.* Non servat legem, qui non servat juxta mentem Dei. Judæi sublevabant asinum in foveam collapsum sabbatis: & Christum calumniabantur, qui servaret totum hominem in sabbato. Hic erat præposterum judicium, & aberat scientia Dei: nesciebant enim, quod ista propter hominē essent instituta, non homo propter illa. Sed hæc impudenter dicere viderer, nisi vestro jussu dicerem. Malim ex aliis rectiora discere. EU. Ista mihi videntur adeo dicta impudenter, ut existimem Dominum Jesum loqui per [1] organum oris tui. Sed interim dum largiter pascimus animos nostros, ne negligantur collegæ. TH. Quinam? EU. [2] Corpora nostra, nonne collegæ sunt animorum? Hoc enim malim, quam instrumenta, vel domicilia, vel [3] sepulchra. TI. Hoc nimirum est affatim [4] refici, ubi totus homo reficitur. EU. Video vos segniter attingere: quare, si videtur, jubebo proferri assa, ne pro lauto convivio longum præbeam. Videtis hujus prandioli summam. Armus est ovillus, sed exquisitus, capus, & perdices quatuor. Has solas à mercatu sumsi, reliqua suppeditat hoc prædiolum. TI. [5] Epicureum prandium video, ne dicam [6] Sybariticum. EU. Imo vix [7] Carmeliticum. Sed quale quale est, boni consuletis.

Ani-

1 Ὄργανον Gr. instrumentum.

2 *Corpora* animorum collegas vocat. *Collegæ* proprie dicuntur qui unius sunt collegii.

3 Ita aliqui vocarunt corpora, arbitrantes dictū σῶμα *corpus quasi* σῆμα *sepulchrum.* Vide infra Colloq. *Puerpera.*

4 Delectari.

5 Voluptuosum, respice pag. 36. & alibi.

6 Idem. De Sybaritis, & mensa Sybaritica vide pag. 84. & 85.

7 Quali victitant Carmelitæ, monachi mendicantes. Carmelus Phœniciæ mons excelsus, in S. Litteris Eliæ Prophetæ miraculis celebertimus. Ab hoc monte mendicantes Monachi Carmelitæ originem trahere volunt, qui ab Almerico collecti anno 1121. erexerunt monasterium, seque Carmelitas à loco dixerunt, dein vero deserta relinquentes, in Europam urbesque frequentissimas

Animus certe purus est; si [1] parum lautum est convivium. TI. Adeo non est muta tua domus, ut non solum parietes, sed & [2] cyathus loquatur aliquid. EU. Quid tibi loquitur? TI. *Nemo, nisi à seipso, læditur.* EU. Cyathus patrocinatur vino. Nam vulgus febrim, aut [3] capitis gravedinem è potu contractam, imputare solet vino, quum ipsi sibi malum accersierint immodice bibendo. *Soph.* Meus Græce loquitur [4] ἐν οἴνῳ ἀλήθεια. EU. Admonet non esse tutum [5] sacerdotibus aut regum famulis indulgere vino, quod vinum fere transferat in linguam, quicquid latebat in corde. *Soph.* Apud Ægyptios olim nefas erat sacerdotibus bibere vinum, cum nondum illis mortales sua [6] committerent arcana. EU. Nunc licet quidem omnibus bibere vinum; an [7] expediat, nescio. Eulali, quid libelli profers è crumena? perquam elegans videtur; nam foris etiam totus aureus est. *Eulalius.* Sed idem intus plus quam gemmeus est. Sunt epistolæ Paulinæ, quas ut unicas delicias meas semper mecum circumfero: quas ideo profero, quod ex occasione sermonis tui venit in mentem locus quidam, qui me nuper diu [8] torsit, nec adhuc satis sibi facit animus. Is est in epistolæ prioris ad Corinthios cap. 6. *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. Omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestatem.* Primum [9] si Stoicis credimus, nihil est utile, quod non idem honestum. Quomodo igitur Paulus distinguit

simas migrarunt, quod viderent illic esse quæstum, ubi esset populus, ut inquit noster in hujus colloquii principio. Vide infra *Funus.*

1 Id est, non lautum.

2 Poculum vitreum.

3 Quam *crapulam* vocamus.

4 Id est; *In vino veritas.*

5 Sacerdotes bene potos aliquando effutiisse quæ superstitiosi illis in aurem confessi fuerant, narrat Erasmus in libello musteo *de lingua.* In eo non unum vide exemplum.

6 Sicuti nunc Pontificiis usitatum est.

7 Utile sit.

8 Quia eum non satis poteram intelligere.

9 Stoici quales fuerint, & unde dicti vide pag. 101. & non semel infra.

stinguit id quod licet, ab eo quod expedit? Certe scortari aut inebriari non licet, quomodo igitur licent omnia? Quod si Paulus de certo genere rerum loquitur, quarum omnium vult esse licentiam, non possum satis ex ipso loci tenore [1] divinare, quodnam sit illud genus. Ex iis quæ mox huic loco subjiciuntur, conjicere licet, eum loqui de ciborum delectu. Quidam enim abstinebant ab [2] idolothytis, quidam à cibis per Mosen interdictis, & de idolothytis agit cap. 8. Rursus cap. 10. velut explicans hujus loci sententiam, ait: *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt: omnia mihi licent, sed non omnia ædificant. Nemo quod suum est quærat, sed quod alterius. Omne quod in macello* [3] *venit, manducate.* Hoc quod hic subjicit Paulus, congruere videtur cum eo quod supra dixerat, *Esca ventri, & venter escis, & hunc & has destruet Deus.* Quod autem respexit hic etiam ad Judaicum ciborum delectum, indicat clausula 10. cap. *Sine offensione estote Judæis & gentibus & ecclesiæ Dei, sicut & ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant.* Nam quod ait, gentibus, pertinere videtur ad idolothytum. Quod ait, Judæis, referre videtur ad delectum ciborum. Quod ait, ecclesiæ Dei, pertinet ad infirmos ex utroque genere collectos. Licebat igitur vesci quibuslibet cibis, & omnia [4] munda mundis. Verum incidit casus; ut non expediat. Quod omnia licebant, libertatis erat Evangelicæ: sed charitas ubique spectat, quid conducat ad salutem proximi, eoque frequenter abstinet & à licitis, malens obsecundare commodo proximi, quam sua uti libertate. Sed hic mihi [5] geminus obstrepit [6] scrupulus:

1 Conjicere.

2 Εἰδωλόθυτον, quod idolis immolatum est, ab εἴδωλον idolum, & θύω sacrifico, macto.

3 Venditur, à verbo veneo.

4 Pura, putis.

5 Duplex.

6 *Scrupulus*, qui proprie petrexiguus lapillus; inter ambulandum calceis illapsus, pedesque infestans, pro quavis re anxia, cura, & sollicitudine.

pulus: primum, quod in sermonis contextu nihil præcedat, aut sequatur, quod cum hoc sensu cohæreat. Nam objurgarat Corinthios, quod essent seditiosi, quod scortationibus, adulteriis, atque etiam incestis impuri, quod litigarent apud judices impios. Cum his[1] qui cohæret, *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt?* Et in his quæ sequuntur, redit ad causam impudicitiæ, quam repetierat & ante, intermisso negocio litium. *Corpus autem*, inquit, *non*[2] *fornicationi, sed Domino, & Dominus corpori.* Verum hunc quoque scrupulum possum utcunque discutere, quod paulo superius in catalogo vitiorum meminisset & idololatriæ: Nolite errare, neque[3] fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri. Porro esus idolothytorum vergebat ad speciem idololatriæ. Et ideo mox subdit, *Esca ventri, & venter escis*; significans pro necessitate corporis, pro tempore licere vesci quibuslibet, nisi aliud suaserit charitas proximi: sed impudicitiam semper & ubique detestandam esse. Quod vescimur, necessitatis est, quæ tolletur in[4] resurrectione mortuorum. Quod libidinamur, malitiæ est. Sed alterum scrupulum non queo dissolvere, quomodo[5] ad hæc quadret illud: *Sed ego sub nullius redigar potestatem.* Ait enim sibi potestatem esse omnium, se tamen in nullius potestate fore. Si is dicitur esse in

1 Quomodo.

2 Scortis, sed utraque vox *fornicatio*, & *fornicarius* apud probos linguæ Latinæ scriptores non invenitur. Recentiores ecclesiastici primum usi sunt. Vide quæ sequuntur.

3 *Scortatores* ita dicti à *fornicibus*. *Fornix* proprie *ædificium arcuatum*, & *fornicarius*, opifex aut institor, qui tabernas, in quibus merces suas exponit, sub fornicibus conducit. Quia vero in istis fornicibus Romæ sæpius meretrices habitare consueverunt, fornix quoque pro *lupanari* dici cœpit. Præter Juvenalem, & alios Poetas, vide Horatium Satyra 2. lib. 1. qui meretricem describens, eam vocat *olenti in fornice stantem*, & mox. *Quidam notus homo quum exiret fornice*, &c. Hinc postea ecclesiastici scriptores Christiani *fornicarium* dixere pro *scortatore*, qua vero authoritate, illi viderint.

4 Resurrectio vox Christianis usitata, rectius Græce ἀνάστασις dicta.

5 Cum his conveniat.

1 Episco-

in potestate aliena, qui ne offendat, abstinet, idem capite nono de se prædicat: *Quum liber essem ab omnibus, omnium me servum feci, ut omnes lucrifacerem.* Hoc, opinor, offensus scrupulo sanctus [1] Ambrosius, putat hunc esse [2] germanum Apostoli sensum, ut viam præstruat illi, quod ait cap. 9. sibi quoque potestatem esse faciendi, quod cæteri faciebant, vel Apostoli, vel [3] pseudapostoli, sumendi victum ab his, quibus prædicabat Evangelium. Sed ab hoc, tametsi licebat, temperabat, quod sic [4] expediret Corinthiis, quos de tam multis & insignibus vitiis objurgabat. Porro quisquis accipit, fit quodammodo obnoxius ei à quo accipit, & aliquid decedit de vigore autoritatis. Siquidem qui accipit, minus libere objurgat: & qui dedit, non perinde fert objurgari ab eo, cui benefecit. In hoc igitur Paulus abstinuit ab iis quæ licebant, ut consuleret Apostolicæ libertati, quam in hoc volebat nulli esse obnoxiam, ut liberius, ac majore cum autoritate reprehenderet illorum vitia. Mihi sane non displicet Ambrosiana sententia. Attamen si quis mallet hunc locum ad cibos accommodare, meâ sententiâ, quod ait Paulus, *Sed ego sub nullius redigar potestatem*, sic accipi posset: Tametsi nonnunquam abstineam à cibis [5] immolatitiis, aut lege Mosaica vetitis, ut consulam saluti proximi ac profectui Evangelico, tamen animus meus liber est, qui scit sibi licere vesci cibis quibuslibet, pro necessitate corpusculi. At pseudapostoli conabantur hoc persuadere, quosdam cibos per se impuros esse, nec abstinendū per occasionem, sed semper ab his temperandum, tanquam natura malis, nec aliter quam abstinemus ab homicidio, & adulterio. Hoc quibus erat persuasum, redacti erant sub alie-

1 Episcopus Mediolanensis, qui vixit sub Theodosio Magno, Romano Cæsare.

2 Verum, rectum, genuinum.

3 Ψευδαπόστολοι, qui falso sibi Apostoli nomen usurpant. Ψευδὴς Gr. falsus, mendax.

4 Utile foret.

5 Intelligit *Idolothyta*, de quibus diximus pag. 157.

alienam potestatem, & exciderant ab Evangelica libertate. Solus, quod quidem meminerim,[1] Theophylactus sententiam inducit ab his omnibus diversam. *Licet vesci quibuslibet cibis, sed non expedit immodice. Nam ex luxu nascitur impudicitia.* Hic sensus quanquam impius non est, tamen mihi non videtur hujus loci germanus esse. Ostendi quæ me[2] torqueant: vestræ charitatis erit, me ex his scrupulis eximere. EU. Næ tu probe tuo respondes nomini. Qui sic novit proponere quæstiones, non opus habet alio qui dissolvat. Sic enim proposuisti dubitationem tuam, ut ego dubitare desierim. Tametsi Paulus in ea epistola, quoniam multa simul decrevit agere, sæpe[3] ab uno argumento in aliud devolvitur, & rursum quod intermiserat repetit. CH. Nisi vererer, ne vos mea loquacitate avocem à capiendo cibo, & si crederem fas esse tam sacris colloquiis admiscere quicquam ex[4] profanis autoribus, proponerem & ipse quiddam, quod hodie legentem me non torsit, sed unice delectavit. EU. Imo profanum dici non debet, quicquid pium est, & ad bonos mores conducens. Sacris quidem literis ubique prima debetur autoritas, sed tamen ego nonnunquam[5] offendo quædam vel dicta à veteribus, vel scripta ab ethnicis, etiam Poëtis, tam caste, tam sancte, tam divinitus, ut mihi non possim persuadere, quin pectus illorum, cum illa scriberent, numen aliquod bonum agitaverit. Et fortasse latius se fundit spiritus Christi, quam nos interpretamur. Et multi sunt

1 Bulgariæ Archiepiscopus, recentior inter Græcos Theologos, in Evangelia & Paulinas epistolas commentaria edidit, ut plurimum ex Chrysostomo contracta. Vixit anno Christi 700.

2 Scil. in hoc loco recte intelligendo.

3 Verum est. In epistolis Paulinis (præcipue ad Romanos, & Corinthios) occurrit sæpe sermonis ordo confusus, & oratio hyperbatis hiulca, aut anantapodotis inabsoluta. Operæ pretium est legere Erasmi Argumentum in Pauli Epistolam ad Romanos.

4 Opponuntur fere profani sacris. Irreligiosi & impii dicuntur quoque profani. Hic vero intellige autores ethnicos.

5 Invenio.

sunt in consortio sanctorum, qui non sunt apud nos in [1] catalogo. Fateor affectum meum apud amicos: non possum legere librum Ciceronis de Senectute, de Amicitia, de Officiis, de [2] Tusculanis quæstionibus, quin aliquoties exosculer [3] codicem, ac venerer sanctum illud pectus, [4] afflatum cœlesti numine. Contra cum hos quosdam [5] recentiores lego de [6] republica, [7] œconomica, aut [8] ethica præcipientes, Deum immortalem! quam [9] frigent præ [10] illis, imo quam non videntur sentire quod scribunt, ut ego citius patiar perire totum [11] Scotum cum aliquot sui similibus, quam libros unius Ciceronis, aut Plutarchi: non quod [12] illos in totum damnem, sed quod ex [13] his sentiam me reddi meliorem, cum ex [14] illorum lectione surgam, nescio quomodo, frigidius affectus erga veram virtutem, sed irritatior ad contentionem. Quare ne verere, quicquid istuc est, proponere. CH. Cum plerique libri M. Tullii, quos scripsit de Philosophia, divinitatis quiddam [1] spirare

1 Isto nempe, quem conscribit Pontifex Romanus, cum suis.

2 Ita dictis à villa, quam Cicero habuit in agro Tusculano, ubi cum doctis philosophari solebat. *Tusculum* olim Latii oppidum.

3 Immo Plinius in præfatione ad Vespasianum hæc volumina Ciceronis ediscenda, non modo in manibus quotidie habenda existimat.

4 Imbutum. Metaphor. respice pag. 146.

5 Scil. scriptores, quales Erasmi seculo & legebantur & ab indoctis laudabantur.

6 Supple, *administranda*, aut de iis, quæ ad res civiles tractandas pertinent.

7 *Oeconomica* sunt, quæ ad rem familiarem pertinent. Οἶκος *domus* & νόμος *lex*, docet enim dispensationem administrandæ domus.

8 *Ethica* Latinis illa Philosophiæ pars est, quæ mores spectat. Ἔθος *mos*.

9 Id est, *languent*.

10 Ethnicis scriptoribus.

11 Merito ridet autor noster Scotum istum, qui innumeras spinas philosophicas sevit, unde nulla utilitas. Dictus est Joannes Duns Scotus. Illius sectæ opposita est Thomistarum secta. Miserandum hominis exitum respice pag. 8. Majoragius in Dialogo de Eloquentia: *Quid enim ea populo prosunt, quæ Scotus & ejus farinæ comites somniarunt; quibus ad religionem ne tantillum quidem accendantur; sed ea cum audierint, in divinis rebus multo tardiores efficiantur.*

12 Scriptores recentiores.

13 Antiquis scriptoribus.

14 Recentiorum.

[1] ſpirare videntur, tum ille quem ſenex ſcripſit de Senectute, plane mihi videtur [2] κύκνειον ἆσμα quemadmodum Græcis eſt in proverbio. Eum hodie relegi, atque hæc verba, quoniam præ cæteris arridebant, edidici: *Quod ſi quis Deus mihi largiatur, ut ex hac ætate repueraſcam, & in cunis vagiam, valde recuſem: nec vero velim quaſi* [3] *decurſo ſpacio à calce ad carceres revocari. Quid enim habet hæc vita commodi, quid non potius laboris? Sed non habeat ſane: habet* [4] *certe tamen aut ſatietatem, aut moleſtiam. Non libet enim mihi deplorare vitam, quod multi, & hi docti, ſæpe fecerunt. Nec me vixiſſe pœnitet, quoniam ita vixi, ut fruſtra me natum non exiſtimem. Et ex vita iſta diſcedo, tanquam ex* [5] *hoſpitio, non tanquam è domo. Commorandi enim natura diverſorium nobis, non habitandi dedit. O præclarum illum diem, quum ad illud animorum concilium cœtumque proficiſcar, & cum ex hac turba & colluvione diſcedam!* Hactenus Cato. Quid ab homine Chriſtiano dici potuit ſanctius? Utinam talia eſſent colloquia monachorum omnia, vel [6] cum ſacris virginibus, quale fuit illud ethnici ſenis colloquium cum ethnicis adoleſcentibus. EU. Jam

1 Edere. Metaph. à floſculis, qui ſpirant, i. e. odorem emittunt.

2 Id eſt, *Cygnea cantio.* Fictum eſt à veteribus, Cygnos, quum ſibi ultimum diem inſtare ſentiant, dulcia carmina modulari. Nec deſunt philoſophi, qui hujus rei cauſam etiam reddere conantur, & affirmant id accidere, propter ſpiritus, per collum procerum & anguſtum erumpere laborantes. Sed non accedo credulis illis, qui aliquoties cygnos morientes vidi, nunquam vero canentes audivi. Proverbium Græcum ſignificat ſenilem, & jam morti vicinam eloquentiam, quæ nonnullis ſingularis obvenit & eximia.

3 Terent. Adelph. Act. 5. Sc. 4. *decurſo ſpatio.* Id eſt, vita fere ad finem perducta, ad puerilem ætatem reduci. Metaphora eſt à veterum Romanorum certaminibus ludicris, in quibus curſuri à carcere (is erat locus unde equi dimittebantur) incipiebant. Calx eſt meta, aut finis. Hinc Proverb. *à carcere ad metam*, pro *ab initio ad finem.*

4 Saltem.

5 Diverſorio. Recte vita comparata hoſpitio in quo brevi commoramur, ut hoſpites & peregrini, quibus diſcedendum eſt, ubi vitæ largitor juſſerit.

6 Sacras virgines vocat, quæ perpetuam virginitatem voverunt, aut ſeſe in monaſterium receperunt, quibuscum Monachi non ſemper ſacra tractant. Jam olim enim Barbarus quidem barbare, ſed tamen vere dixit: *Scholaris qui cum puella confabulatur, non præſumitur dicere Pater noſter.*

1 De-

Jam aliquis causabitur colloquium esse confictum à Cicerone. CH. Isthuc mea non magni refert, sive hoc laudis tribuatur Catoni, qui talia senserit, dixeritque: sive Ciceroni, cujus animus sententias tam divinas cogitatione complexus sit, cujus calamus res egregias pari facundia [1] depinxerit. Quamquam equidem arbitror, & Catonem, etiamsi non dixit eadem, tamen similia dicere solitum in colloquiis. Nec enim tam impudens erat M. Tullius, ut alium [2] Catonem finxerit, quam fuerit: & in dialogo parum meminerit decori, quod in primis spectandum est in hoc scripti genere, præsertim quum ejus viri memoria [3] recens adhuc hæreret animis ejus ætatis hominum. TH. Vehementer probabile est quod narras: sed dicam quid mihi venerit in mentem, te recitante. Sæpenumero mecum admiratus sum, quum omnes optent longævitatem, & mortem exhorreant, tamen vix quenquam comperiri tam felicem, non dico senem, sed provectioris ætatis hominem, qui rogatus, an si detur, velit repuerascere, usurus per omnia iisdem bonis ac malis, quæ illi jam contigissent in vita, respondeat idem quod Cato dicit: præsertim si [4] recolat animo, quicquid annis [5] retroactis seu triste, seu lætum obtigisset. Nam frequenter & suavium rerum recordatio, vel cum pudore, vel cum conscientiæ molestia conjuncta est, ut animus ab his etiam recolendis non minus abhorreat, quam à tristibus. Id opinor

1 Descripserit.

2 Est hic ille Cato, quem cum Scipione, & Lælio Cicero loquentem inducit in dialogo de senectute, qui & Ciceroni coætaneus fuit, & cujus egregiam sententiam in Catilinæ socios refert Sallustius in bello Catilinario, cognominatus fuit Uticensis, à fatali illa Utica; nam bello civili Cæsaris & Pompeji, cum Casto staret à partibus Pompeji, ipse Uticæ obsessus sibi manus intulit. Vir moribus severis, quique bonus esse quam videri malebat. Hinc *alterum Catonem* dicimus virum sapientem, & severum.

3 Nam hæc, quæ modo diximus, ævo Ciceronis acta sunt.

4 In memoriam revocet, vel mente revolvat.

5 Præteritis.

nor nobis indicarunt sapientissimi poëtæ, qui scribunt, tum demum animas[1] capi desiderio corporum relictorum, posteaquam ex amne[2] Lethæo longa biberint oblivia. UR. Est isthuc profecto dignum admiratione, & mihi quoque compertum in nonnullis. Verum illud quam mihi[3] blandiebatur; *Nec me vixisse pœnitet!* At quotus quisque Christianorum sic moderatur vitam suam, ut hujus senis vocem sibi possit usurpare? Vulgus hominum existimat se non frustra vixisse, si per fas nefasque congestas divitias relinquant morientes. At Cato ideo non putat se frustra natum, quod integrum & sanctum civem præstiterit reipublicæ, quod incorruptum magistratum, quod posteritati quoque virtutis & industriæ suæ monumenta reliquerit. Jam illo quid dici potuit divinius? *Discedo tanquam ex hospitio, non tanquam è domo.* Hospitio tantisper uti licet, donec hospes jubeat exire. E domo sua nullus facile pellitur. Et tamen hinc quoque sæpenumero propellit vel ruina, vel incendium, vel alius casus quispiam. [4] Ut horum nihil accidat, tamen senio collabens ædificium admonet esse demigrandum. *Nephalius.* Non minus elegans est, quod apud Platonem loquitur Socrates, *Animam humanam in hoc corpore velut in præsidio positam esse,*[5] *unde fas non sit discedere injussu imperatoris, nec diutius in eo immorari, quam visum sit ei qui collocavit.* Illud significantius est in Platone, quod pro *domo* dixerit

[1] præ-

1 Affici, delectari.

2 Fluvius est apud inferos, seu fons omnium oblivionum (ut visum est Poëtis) quæ *Lethe* dicitur ἀπὸ τῆς λήθης, ab oblivione. Hinc adject. *Lethæus.*

3 Arridebat.

4 Quamvis.

5 Errat igitur Seneca, & quidem gravissime, qui in Epist. 70. variis argumentis demonstrare nititur, ut sibi liceat manus inferre, cum inquit. *Ego expectem vel morbi crudelitatem, vel hominis, cum possim per media exire tormenta, & adversa discutere?* & ibid. *Placet? vive. Non placet? licet eo reverti, unde venisti.* Præcipue vero hanc suam opinionem magno sententiarum pondere exclamat in lib. de *Providentia*, cap. 6.

[1] præsidium: siquidem in domo tantum commoramur, in præsidio destinati sumus functioni, quam nobis delegavit imperator noster: non abludens à nostris literis, quæ vitam hominis nunc militiam, nunc certamen esse dicunt. UR. At mihi quidem oratio Catonis pulchre congruere videtur cum oratione Pauli, qui scribens [2] Corinthiis, cœlestem mansionem, quam exspectamus post hanc vitam, οἰκίαν vocat, & οἰκητήριον, hoc est *domum*, sive *domicilium*. Cæterum hoc corpusculum appellat [3] tabernaculum, Græce σκῆνος. *Nam & qui sumus, inquit, in hoc tabernaculo, ingemiscimus gravati.* NEPH. Nec abludit à sermone Petri: *Justum autem*, inquit, *arbitror, quamdiu sum in hoc tabernaculo, suscitare vos in commonitione; certus, quod velox est depositio tabernaculi mei.* Quid autem aliud clamat nobis Christus, quam ut sic vivamus ac vigilemus, tanquam illico morituri? sic incumbamus honestis rebus, tanquam semper victuri? Jam illud quum audiemus, *O præclarum diem!* nonne videmur audire Paulum ipsum loquentem, [4] *Cupio dissolvi, & esse cum Christo?* CH. Quam felices sunt, qui tali animo mortem expectant! Sed in oratione Catonis, quamquam præclara est, tamen fiduciam aliquis [5] taxare posset, ut ab arrogantia profectam, quam multum oportet abesse ab homine Christiano. Proinde mihi nihil unquam legisse videor apud Ethnicos, quod aptius quadret in hominem vere Christianum, quam quod Socrates, paulo

1 *Præsidium* à præsidendo dictum, quia milites custodiæ urbis, vel arcis præsident. Hinc omne auxilium, *præsidium* dicitur.

2 2. Cor. Cap. 5.

3 *Tabernaculum*, Græce σκῆνος, ab Apostolis meraphorice sumitur pro humano corpore, quod ad exiguum tempus animæ inhabitandum datum, morte subita destrui potest.

4 Philip. 2.

5 Reprehendere.

paulo post bibiturus [1] cicutam, dixit [2] Critoni: *An opera*, inquit, *nostra sit probaturus Deus, nescio: certe sedulo conati sumus, ut illi placeremus. Est mihi tamen bona spes, quod ille conatus nostros sit boni consulturus:* vir ille sic diffidit factis suis, ut tamen ob animi propensam voluntatem obtemperandi voluntati divinæ, bonam spem conceperit, fore ut Deus pro sua bonitate boni consulturus esset, quod studuisset bene vivere. NEPH. Profecto mirandus animus in eo, qui Christum ac sacras literas non noverat. Proinde quum hujusmodi quædam lego de talibus viris, vix mihi tempero, quin dicam, [3] Sancte Socrates, ora pro nobis. CH. At ipse mihi sæpenumero non tempero, quin bene ominer [4] sanctæ animæ Maronis & Flacci. NEPH. At ego quot vidi Christianos, quam frigide morientes. Quidam fidunt in his rebus, quibus non est fidendum: quidam ob conscientiam scelerum & scrupulos, quibus [5] indocti quidam obstrepunt morituro, pene desperantes exhalant animam. CH. Nec mirum, eos sic mori, qui per omnem vitam tantum philosophati sunt in [6] cæremoniis. NEPH. Quid isthuc verbi est? CH. Dicam, sed illud etiam atque etiam præfatus, me non damnare, imo vehementer probare [7] sacramenta & ritus Ecclesiæ; sed quosdam vel improbos vel superstitiosos, vel, ut mollissime dicam, simplices & indoctos, qui docent populum hisce rebus fidere, prætermissis his, quæ nos vere reddunt Christianos. NEPH. Nondum satis intelligo quorsum eas. CH. Faxo ut intelligas. Si

1 Cicuta herba venenosa, qua Athenienses Socratem aliosque damnatos e medio sustulerunt.

2 Crito Athenienſis Socratem unice dilexit, eique morienti adfuit.

3 Ex opinione Pontificiorum, qui divorum suorum opem implorant.

4 Quod si Maronem & Flaccum Sanctos appellare liceat, detur equidem hic honos & cæteris Poëtis, qui æque ac illi virtutem verbis commendarunt. Vide quæ notavimus infra in Coll. *Epicur.*

5 Sacerdotes nempe.

6 Ceremoniæ sunt sacrorum ritus. His abundat Papatus. Vide infra *Ux. μεμψίμ.*, sive *Conjug.* fere in fine.

7 Quæ Pontificiis septem sunt.

1 Id

Si vulgus Christianorum spectes, nonne [1] prora & puppis vitæ illis in ceremoniis est? In [2] baptismo quanta religione repræsentantur prisci ritus Ecclesiæ? Commoratur infans extra fores templi, peragitur [3] exorcismus, peragitur [4] catechismus, suscipiuntur [5] vota, abjuratur [6] satanas cum [7] pompis, & voluptatibus suis: tandem ungitur, consignatur, salitur, tingitur: datur negotium [8] susceptoribus, ut puerum curent instituendum. Illi dato nummo redimunt libertatem. Et jam puer Christianus dicitur, & est aliquo modo. Mox rursus ungitur, tandem discit confiteri, sumit [9] Eucharistiam, consuescit quiescere diebus festis, audire sacrum, jejunare nonnunquam, abstinere à carnibus. Et hæc si servat, habetur absolute Christianus. Ducit uxorem, accedit aliud sacramentum: [10] initiatur sacris, rursus ungitur, & consecratur, mutatur vestis, dicuntur preces. Atque hæc quidem omnia, quod fiunt, [11] probo: sed quod hæc fiunt magis ex consuetudine, quam ex animo, non probo: quod nihil aliud adhibetur

1 Id est, omnis spes & præsidium, vel consilii nostri summa. Propterea quod à prora & puppi, tanquam à capite ad calcem tota navis pendeat. Sæpius alibi.

2 A verb. βάπτω vel βαπτίζω. Baptismus Lat. immersio. Christianis signum & sigillum fœderis gratiosi.

3 Ἐξορκισμὸς Gr. adjuratio. Intellige hic obtestationis formulam, qua Papicolæ dæmonia posse ejici credunt. Vide infra Colloq. *Exorcismus*, sive spectrum.

4 *Catechismus* idem quod Catechesis, i. e. Institutio rerum sacrarum, quæ viva voce tradi solet iis, qui sacris mysteriis nomen dant, sed quorsum hæc in Baptismo infantis?

5 Sponsiones quibus Deo vel divis sese obligant Pontificii.

6 Satan vel Satanas Heb. adversarius pro diabolo, seu malorum spirituum principe vulgo sumitur.

7 Omnis apparatus solennis cum ostentatione dicitur Pompa.

8 Qui infantem Baptizandum suscipiunt.

9 Εὐχαριστία proprie grata beneficiorum recordatio, peculiariter vero Christianis Theologis Mysterium cœnæ dominicæ, cujus præcipua pars gratiarum actio. Papicolæ ita vocant panes suos orbiculares quinque verbis in verum corpus & sanguinem Christi conversos, ut volunt.

10 *Initiari*, id est sacris imbui, *ab initio*. Unde *initiatus* sacris imbutus. Est etiam auspicari.

11 Credo, Etasme; probas, ne atro carbone noteris.

betur ad Christianismum, vehementer improbo. Siquidem magna pars hominum dum his fidit, [1] nihilo secius interim per fas nefasque congerit opes, servit iræ, servit libidini, servit [2] livori, servit ambitioni: sic tandem venitur ad mortem. Hic rursus ceremoniæ paratæ. Adhibetur [3] confessio semel atque iterum, additur [4] unctio, datur [5] Eucharistia, adsunt cerei sacri, adest crux, adest aqua [6] sacra, adhibentur [7] indulgentiæ; expromitur, aut illic etiam emitur morienti [8] diploma Pontificis; [9] ordinantur [10] parentalia magnifice celebranda, fit rursus [11] stipulatio solennis, [12] adest qui clamet ad aurem morientis, imo nonnunquam occidit ante tempus, si contingat, ut sæpe fit, vocalior, aut bene potus. Hæc ut recte adhibentur, præsertim quæ nobis tradidit Ecclesiastica consuetudo, ita sunt alia quædam reconditiora, quæ nobis hoc præstant, ut cum alacritate spiritus, ut cum Christiana fiducia migremus [13] hinc. EU. Pie tu quidem ista vereque concionaris, sed interim nullus admovet manum cibis. Caveat quisque ne se fallat. Ego prædixi, nihil exspectandum præter [14] secundas mensas, easque rusticanas, ne quis sibi promittat [15] Phasides aves, aut attagenas, aut [16] Attica bellaria. Hæc [17] amoveto

1 Nihilominus.

2 Invidiæ

3 Scil auricularis, qua peracta sacrificus panem suum orbiculatem morituro in os ingerit pro viatico ad purgatorium. Vide infra *Funus*.

4 Nam hæc papicolis inter sacramenta numeratur.

5 Respice paulo superius,

6 A Sacerdote more magico consecrata.

7 Indulgentiarū litteras, quas pecunia sibi comparant pro delendis peccatis.

8 *Diploma* a διπλόω *duplico*, quod in duas plicas contractum gestetur.

9 Scil. Testamento.

10 Sacrificia pro mortuis. Item justa.

11 Verborum conceptio, quibus is qui interrogatur, facturum vel daturum se id quod interrogatus est respondet.

12 Scil. Monachus unus aut alter. Huc confer acutissimum autoris dialogum de *Funere*, in quo, non minus graphice quam hic, depinguntur scelestissimorum monachorum fumi, quos rudi populo vendunt.

13 Ex hac vita.

14 Respice pag. 114.

15 Quas & *Phasianos* dicunt, à Phasi, Colchorum fluvio.

16 Ita vocantur magnæ lautitiæ, & res mitum in modum suaves. De Attica respice pag. 139.

17 Auferto.

1 Alludit

veto puer; & quod reſtat, apponito. Videtis[1] non copiæ, ſed inopiæ noſtræ cornu. Hic eſt proventus hortulorum quos vidiſtis. Ne parcite, ſi quid arridet. TE. Tanta varietas eſt, ut vel ipſo recreemur aſpectu. EU. Atqui ne plane contemnatis frugalitatem meam, hæc patina exhilaraſſet[2] Hilarionem monachum Evangelicum, comitatum vel centum monachis illius ſeculi. [3] Paulo vero atque[4] Antonio, vel menſtruus commeatus eſſe potuiſſet. TI. Imo nec Petrus ille princeps Apoſtolorum faſtidiſſet, opinor, cum apud[5] Simonem coriarium diverſaretur. EU. Imo nec Paulus, opinor, cum coactus egeſtate[6] ſutoriam nocturnis horis exerceret. TI. Debemus benignitati divinæ. Sed ego malim eſurire cum Petro ac Paulo, modo quod deeſſet corporis[7] alimoniæ, abundaret in delicias animi. EU. Imo diſcamus à Paulo, & abundare, & penuriam pati. Cum deerit, gratias agamus Jeſu Chriſto, qui nobis ſuppeditet & frugalitatis & patientiæ materiam. Quum ſupererit, gratias agamus illius munificentiæ, qui nos ſua liberalitate invitet ac provocet ad amorem ſui; ac modice parceque fruentes iis, quæ largiter præbuit divina benignitas, pauperum memores ſimus, quibus Deus deeſſe voluit, quod nobis ſupereſt, ut utrisque per alteros ſit occaſio virtutis. Siquidem nobis largitur, unde ſub-

1 Alludit ad *Cornu copiæ*, quo vulgò rerum omnium abundantiam ſignificamus. Fabula hæc eſt. Jupiter adultus Nymphis Cretenſibus cornu alterum Amaltheæ capræ, cujus lacte erat educatus, in officii præmium dedit, hoc miraculo addito, ut quicquid optaſſent, ex eo largiter pullularet Græce ἀμαλθείας κέρας.

2 Hunc Hilarionem clariſſimum Monachum in eremo Syriæ habitaſſe ferunt ſcriptores.

3 An hic intelligit autor Apoſtolum Paulum, an Paulū quendam, qui primus anachoreta in deſerto vixiſſe dicitur?

4 Fuit & hic Eremita Pauli illius cœtaneus.

5 Hiſtoriam lege in Actis Apoſtolorum cap. 10.

6 *Sutoriam*, ſcil. *artem*. Non quod Paulus ſutor fuit, ſed tabernacula ex pellibus ſuere non erubuit. *Actor.* 18. 1. Theſſ. 3, 9. & 2. Theſſ. 3, 8.

7 Alimento.

subvenientes egestati fraternæ, misericordiam ipsius promereamur: & illi nostra liberalitate recreati, gratias agunt Deo pro bona mente nostra, nosque precibus suis illi commendant. Et recte venit in mentem. Heus, puer; dic uxori, ut ex assis, quæ superant, mittat Gudulæ nostræ. Est vicina quædam gravida, [1] tenui fortuna, sed animo beatissima. Maritus nuper [2] decessit, homo [3] profusus & [4] ignavus, qui nihil uxori reliquit præter liberorum gregem. TI. Christus jussit dare omni petenti: id si facerem, intra mensem ipsi mihi mendicandum esset. EU. Opinor Christum sentire de his, qui petant [5] necessaria. Nam qui petunt; imo qui flagitant, vel extorquent potius [6] magnas summas, quibus [7] extruant [8] cœnationes [9] Lucullianas, aut quod pejus est, quibus alant luxum ac libidinem suam, iis negare, quod petunt, eleemosyna est: imo rapina est largiri male usuris, quod debebatur præsenti necessitati proximorum. Unde mihi videntur vix excusari posse à peccato capitali, qui sumptibus immodicis aut extruunt, aut ornant monasteria, seu templa, quum interim tot viva Christi templa fame periclitentur, nuditate horreant, rerumque necessariarum inopia discrucientur. Quum essem apud Britannos, vidi [10] tumbam divi [11] Thomæ gemmis innumeris, summique precii onustam,

1 Tenuibus, i. e. parvis opibus, re angusta.

2 Sc. ex hac vita mortali, mortuus est

3 Prodigus.

4 Piger.

5 Sc. ad vitam.

6 Magnam pecuniarum vim.

7 Taxat immodicos sumtus in ædificandis monasteriis &c.

8 *Cœnatio* locus est ubi cœnatur, alticlinium.

9 Luculli imperatoris Romani magnificentia & luxus multorum litteris celebratus est. Vide infra *Opulent. sord.*

10 Sepulcrum concavum.

11 Non hic Thomas Apostolus est, sed quidam *Thomus Becket* Cantuariensis Episcopus, qui vixit sub Henrico secundo Angliæ rege, & anno 1192. ab aulicis in templo trucidatus est, quod se regi pervicaci animo pro Pontificis Romani autoritate opposuisset. Hinc à Pontifice R. in Martyrum album relatus divino honore colitur. Vide infra Colloq. *Peregrinatio religionis ergo.*

ſtam, præter alia miracula divitiarum. Ego malim iſta quæ ſuperflua ſunt, elargiri in uſus pauperum, quam ſervare [1] ſatrapis aliquando ſemel omnia direpturis; ac tumbam ornare frondibus ac floſculis: id opinor gratius eſſet illi [2] ſanctiſſimo viro. Cum eſſem apud [3] Inſubres, vidi [4] monaſterium quoddam ordinis [5] Carthuſiani, [6] non ita procul à Papia: in eo templum eſt, intus ac foris, ab imo uſque ad ſummum, candido marmore conſtructum, & fere quicquid ineſt rerum, marmoreum eſt, velut altaria, columnæ, tumbæ. Quorſum autem attinebat tantum pecuniarum effundere, ut pauci monachi ſolitarii canerent in templo marmoreo? quibus ipſis templum hoc oneri eſt, non uſui, quod frequenter [7] infeſtentur ab hoſpitibus, qui non ob aliud eo ſe conferunt, niſi ut ſpectent templum illud marmoreum. Atque illic cognovi, quod ſtultius eſt, illis [8] legata in ſingulos annos tria millia ducatorum in ſtructuram monaſterii. Et ſunt, qui putent eſſe nefas, eam pecuniam in pios uſus avertere, præter mentem [9] teſtatoris: maluntque [10] demoliri, quod inſtaurent, quam non

1 Provinciarum præfectis, ſæpius ſupra.

2 Immo ſuperſtitioſiſſimo, ſi Angliæ ſcriptoribus fides, & ſeditioſiſſimo, utpote qui Pontificem Romanum adverſus regem ſuum inſtigavit, & patriam ſuam iniquis factionibus vexare non deſiit.

3 Italiæ populos, qui Mediolanum tenent.

4 Exſtructum eſt à quodam Joanne Galeacio primo Inſubrium duce, in formam crucis.

5 Carthuſianorum ordo à Brunone Colonienſi circa annum 1080. inſtitutus. Addunt Pontificii occaſionem: quod nempe Pariſienſis Profeſſoris cadaver tumulo inferendum, ter ſe in feretro erexerit, prædicans flebili voce condemnationem ſuam. Bruno vero rei novitate exterritus, præcipue cum Profeſſor hic pie vixiſſet, de emendanda ſerio vita continuo cogitavit; utque Deo ardentius inſerviret in deſertum locum Carthuſiam in Gallia Celtica ſeceſſit, ubi comitibus aliquot ſtipatus Monaſterium erexit, duroque generi vitæ ſe aſtrinxit.

6 Quinque ſc. milliaria. *Papia* autem Italis *Pavia*, à fluvio cognomine *Ticinum* veteribus, urbs eſt magnifica.

7 Vexentur.

8 Nempe ab illo Joanne Galeacio ſuperius dicto.

9 Teſtator eſt teſtamenti conditor.

10 Deſtruere.

non ædificare. Hæc quoniam insignia sunt, visum est commemorare: quanquam sunt passim in templis nostris exempla permulta similia. Hæc mihi videtur ambitio, non eleemosyna. Divites ambiunt sibi monumentum in templis, in quibus olim nec[1] divis locus erat. Curant se sculpendos ac pingendos, additis etiam nominibus, ac beneficii titulo: atque hisce rebus bonam templi partem occupant, olim opinor postulaturi, ut ipsorum cadavera in ipsis reponantur altaribus. Dicet aliquis; an horum munificentiam existimas rejiciendam? Nequaquam, si templo Dei dignum sit, quod offerunt. Sed ego si sacerdos aut episcopus essem, hortarer crassos illos aulicos, aut negociatores, ut, si vellent sua peccata redimere apud Deum, ista clanculum effunderent in subsidium eorum, qui vere pauperes sunt. Isti putant perire pecuniam, quæ sic[2] frustulatim, & clanculum in præsentem egestatem tenuium sublevandam dissipatur, cujus nullum extet apud posteros monumentum. Ego puto nullam melius collocari ea, quam ipse[3] Christus sibi vult imputari certissimus debitor. TI. An non putas recte collocari quod datur monasteriis? EU. Et his darem nonnihil, si dives essem, sed darem ad necessitatem, non ad luxum: tum his, inter quos sentirem vigere studium veræ religionis. TI. Multi judicant non admodum belle collocari, quod datur istis mendicis publicis. EU. Et istis nonnihil dandum est aliquando, sed cum delectu. At mihi consultum videatur, si singulæ civitates suos alerent, nec ferrentur[4] errones huc & illuc circumcursitantes, præsertim[5] validi, quibus opus suppeditandum sentio potius, quam pecuniam. TI. Quibus igitur potissimum dandum

1 Divorum imaginibus, quæ quarto demum seculo in templa Christianorum introducta sunt.
2 Dicitur frustulatim & frustillatim.
3 Verba Christi extant Matth. 25.
4 Mendici vagabundi.
5 Qui sunt robusto corpore.

dum censes, quantum, & quatenus? EU. Hoc mihi [1] ad unguem describere difficillimum sit. Primum animum adesse oportet, qui cupiat omnibus subvenire. Deinde pro mea tenuitate, quod possum, impertio, quoties sese offert occasio: præsertim his, quorum & paupertas & [2] integritas mihi nota est: hortor & alios ad beneficentiam, si me defecerint [3] facultates. TI. Sed permittisne nobis hic in tuo regno libere loqui? EU. Imo liberius quam si domi vestræ sitis. TI. Non probas in templis sumptus immodicos; & has ædes multo [4] minoris ædificare poteras. EU. Equidem arbitror, has intra mundiciem consistere, aut, si mavis, elegantiam: certe absunt à luxu, ni fallor. Ædificant magnificentius, [5] qui mendicato vivunt. Et tamen hi ipsi horti mei quales quales sunt, vectigal pendunt [6] egenis: & quotidie sumptibus aliquid detraho, in me meosque frugalior, quo possim esse in pauperes munificentior. TI. Si istum animum obtinerent omnes, permulti melius haberent, quos nunc egestas gravat indignos: & ex adverso multi minus essent [7] obesi, digni quos egestas doceat sobrietatem ac modestiam. EU. Fortasse sic res habet. Sed vultisne ut hæc insipida bellaria re quapiam suavi condiamus? TI. Plus satis est deliciarum. EU. At ego hinc depromam, quod ne saturi quidem fastidiatis. TI. Quid est? EU. Codex est Evangeliorum, ut, quod lautissimum habeo, vobis depromam in fine con-

1 *Ad unguem*, id est, perfecte. Phrasis originem habere videtur à marmorariis, qui operis planitiem ungue experiuntur, & cum non sentiunt juncturas, perfectum id esse intelligunt. Persius Satyr. 1. --- *Nisi carmina molli. Nunc demum numero fluere, ut per læve severos Effundat junctura ungues.* --- Et Satyr. 5. --- *Junctura callidus acri.* Hinc Horatius. *Ad unguem factus homo*, id est, *perfectus.*

2 Vitæ probitas.

3 Opes.

4 Id est, minori pretio.

5 Scil. mendicantes monachi, quorum ædificia à luxu non absunt.

6 Pauperibus, qui rebus necessariis egent.

7 Id est *pingues, & nitidi bene curata cute*, ut Horatius inquit Epist. 4. Intelligit autor crassos monachos.

1 Locus

convivii. Recita, puer, ab eo loco, ubi proxime deſtitiſti. PUER. *Nemo*[1] *poteſt duobus dominis ſervire: aut enim unum odio habebit, & alterum diliget: aut unum ſuſtinebit, & alterum contemnet. Non poteſtis Deo ſervire, &*[2] *mammonæ. Ideo dico vobis, ne ſolliciti ſitis animæ veſtræ quid manducetis, neque corpori quid induamini. Nonne anima plus eſt quam*[3] *eſca, & corpus plus quam veſtimentum?* EU. Redde codicem. In hoc loco mihi Jeſus Chriſtus videtur bis idem dixiſſe. Etenim pro eo quod prius dixit, odio habebit, mox ponit, contemnet: & pro eo quod prius poſuerat, diliget, mox vertit, ſuſtinebit: commutatis perſonis exiſtit eadem ſententia. TI. Non ſatis aſſequor quid velis. EU. Demonſtremus igitur ratione[4] mathematica, ſi videtur. In priore parte pro uno pone *A.* pro altero *B.* rurſus in poſteriore pro uno pone *B.* pro altero *A.* verſo ordine. Aut enim *A.* odio habebit, & *B.* diliget: aut *B.* ſuſtinebit & *A.* contemnet. Nonne hic palam eſt, *A.* bis odio haberi, & *B.* bis diligi? TI. Perſpicuum eſt. EU. Atqui hæc conjunctio, aut, præſertim repetita, habet[5] emphaſim ſententiæ contrariæ, aut certe diverſæ. Alioqui nonne abſurde diceretur, aut Petrus me vincet, & ego cedam, aut ego cedam & Petrus me vincet. TI. Lepidum, ita me Deus amet,[6] ſophiſma. EU. At tum demum mihi videbitur lepidum, ſi hoc ex vobis didicero. TH. Animus[7] ſomniat ac parturit mihi neſcio quid: ſi jubetis, quicquid

1 Locus eſt apud Matth. Cap. 6. v. 24 & 25.

2 *Mammona* ſive *Mamona*, vox Hebræa eſt, vel potius Syriaca, ut vult Hieronymus, deſcendens ex Hebræa, ſignificat idem quod Græcis πλοῦτος, *divitiæ*, vel lucrum, omniaque ad rem nummariam pertinentia.

3 Cibus.

4 Id eſt *demonſtratione firma*, qualis eſt in artibus Mathematicis.

5 Ἔμφασις, *repræſentatio*. Eſt hæc quoque figuræ nomen apud rhetores, quum verbis tacita ſubeſt ſignificatio, vel quum plus ſignificatum, quam dictum eſt.

6 Σόφισμα, Oratio ita compoſita, ut vera eſſe videatur.

7 Metaph. pro *meditatur*.

1 Ὀνειρο-

quid est, proferam in medium, vos eritis vel [1] oniropoli, vel [2] obstetrices. EU. Quanquam vulgo mali [3] ominis habetur somniorum meminisse in convivio, & parum sit verecundum coram tot viris fœtum eniti, tamen nos istud somnium, sive mavis partum animi tui, libenter excipiemus. TH. Mihi videtur in hoc sermone res commutari potius, quam persona. Et hanc vocem, unum & unum, non referri ad *A.* & *B.* sed utraque pars refertur ad utrumlibet, ut utrumque delegeris, ei jam opponatur, quod significatur per alterum. Quasi dicas: aut excludes *A.* & admittes *B.* aut *A.* admittes, & excludes *B.* Hic videtis manente persona, rem esse translatam. Atque hoc ita dictum est de *A.* ut nihil referat, si idem enuncies de *B.* hoc pacto: aut *B.* excludes, & admittes *A.* aut admittes *B.* & excludes *A.* EU. Sane argute tu quidem [4] problema nobis explicuisti, neque quisquam mathematicus melius depinxisset [5] in pulvere. *Soph.* Illud me magis movet, quod prohibet esse sollicitos de [6] crastino, quum Paulus ipse [7] laborarit manibus, victus parandi causa, atque idem acriter increpet ociosos, & ex alieno vivere gaudentes, admonens ut laborent, ac manibus operentur quod bonum est, ut sit, unde tribuant aliquid necessitatem patienti. An non pii sanctique labores sunt, quibus maritus [8] tenuis alit uxorem sibi chariſſimam, dulcesque liberos? TI. Ista quæstio, mea sententia, variis modis dissolvi potest. Primum, ut ad illa tempora potissimum pertineat: Apostolis ob Evangelii prædicationem late vagantibus eximenda

1 Ὀνειροπόλοι dicuntur conjectores, seu somniorum interpretes

2 Manet in eadem metaphora parturiendi. Obstetrices dicuntur, quod laborantibus mulierculis obsistant.

3 De omine respice pag. 22.

4 Πρόβλημα, quæstio, propositio.

5 Mathematici, & quidem Geometræ, in arena divisiones suas depingunt, ita magnus ille Mathematicus Archimedes in pulvere formas Geometricas describens, ab ignaro milite captis Syracusis, interfectus est.

6 Scil. die.

7 Respice pag. 169.

8 Tenui fortuna.

menda erat sollicitudo victus undecunque suppeditandi, quibus non [1] vacabat opera manuaria cibum quærere, præsertim cum nullam artem scirent, præter piscationem. Nunc alia ratio temporum est, & ocium amplectimur omnes, laborem fugimus. Altera dissolvendi ratio est: Christus non interdixit industriam, sed sollicitudinem. Et sollicitudinem intelligit juxta vulgarem hominum affectum, qui nulla de re magis anxii sunt, quam de parando victu, ut omnibus rebus omissis, hoc solum agant, huic uni curæ sint addicti. Id propemodum indicat ipse dominus, cum negat eundem duobus dominis servire posse. Servit enim qui toto pectore addictus est. Præcipuam igitur curam vult esse Evangelii propagandi, non solam. Ait enim: *Primum quærite regnum Dei, & hæc adjicientur vobis.* Non dicit solum, *quærite*, sed, *primum quærite.* Cæterum in voce Crastini, puto [2] hyperbolen esse, quum significet, in longinquum; qui mos est avaris hujus mundi, ut posteris etiam anxie parent & quærant. EU. Accipimus tuam interpretationem: sed quid sibi vult, quod ait: *Ne solliciti sitis animæ vestræ, quid edatis.* Corpus veste tegitur, at non edit anima. TI. Animam, ut opinor, hic [3] vitam appellat. Ea periclitatur, si cibum subduxeris: non item, si vestem detraxeris, quæ magis datur pudori, quam necessitati. Et si quem affligit nuditas, non statim occidit: at [4] inedia certissima mors est. EU. Non satis video, quo modo cohæreat cum hac sententia, quod adjecit: *Nonne anima plus est quam esca? & corpus plus est quam vestimentum?* Nam si vita magni precii est, tanto magis

1 Commodum erat.

2 Τπερβολὴ, proprie *superjectio.* Rhetoribus figura est, qua veritas superatur rei augendæ vel minuendæ gratia.

3 Sic est. Non solum in sactis litteris, verum etiam in aliis scriptoribus non semel *anima* pro *vita* ponitur: quicquid alii in hujusmodi locorum interpretationem moliantur.

4 Inopia cibi & potus.

gis advigilandum ne pereat. TI. Hoc argumentum non adimit nobis sollicitudinem, sed auget. EU. At non hoc sentit Christus, quod interpretaris, sed hoc argumento nobis addit fiduciam de patre. Si pater benignus gratis, & de suo dedit id quod carius est: etiam adjiciet id quod vilius est. Qui dedit animam, non negabit alimoniam: qui dedit corpus, adjiciet alicunde vestem. Illius igitur benignitate freti, non est quod discruciemur sollicitudine curaque rerum [1] infirmarum. Quid igitur supereſt, nisi ut utentes hoc mundo, tanquam non utamur, totam curam ac studium nostrum transferamus in amorem rerum cœlestium, atque rejecto [2] mammona, imo toto [3] Satana cum omnibus suis [4] præstigiis, uni Domino toto & alacri pectore serviamus, qui non destituit filios suos. Sed interim nullus attingit bellaria. His certe cum gaudio vesci licet, quæ non magna cura nobis domi proveniunt. TI. Abunde satisfactum est corpusculo. EU. Vellem equidem & animo. TI. Atque uberius etiam animo. EU. Hæc igitur tolle, puer; ac [5] labrum appone. Lavemus, amici; ut si quid forte commissum est in hoc convivio, purgati canamus [6] hymnum Deo. Perficiam, si videtur, quod cœperam ex Chrysostomo. TI. Rogamus. EU. *Gloria tibi, domine; gloria tibi, sancte; gloria tibi, rex; quoniam dedisti nobis escas. Imple nos gaudio & lætitia in Spiritu sancto, ut inveniamur in conspectu tuo* [7] *acceptabiles; nec pudefiamus, quando reddes unicuique secundum opera sua.* PUER. Amen. TI. Profecto pius & elegans est hymnus. EU. Hunc divus [8] Chrysostomus non dedignatur etiam interpretari.

1 Terrenarum & vilium.
2 Respice pag. 174.
3 Satan, seu Satanas, i. e. adversarius. Hinc κατ' ἐξοχὴν hoc nomine in S. literis diabolus, seu malorum angelorum princeps appellatur.
4 Respice pag. 135.
5 *Labrum* à *Lavo*. Vas accommodum ad lavandas manus.
6 Respice pag. 144.
7 Grati.
8 De Chrysostomo respice pag. 67.

pretari. TI. Quonam loco. EU. In Matthæum, [1] homilia LVI. TI. Non omittam quin hodie legam. Sed illud unum interim ex te cupio discere, cur ter optamus Christo gloriam, idque triplici cognomine, domini, sancti, & regis? EU. Quoniam illi debetur omnis gloria. Sed nobis triplici nomine potissimum est glorificandus. Quod suo sacrosancto sanguine redemerit nos à tyrannide [2] diaboli, sibique [3] asseruerit, unde & dominum illum vocamus. Deinde, quod non contentus gratis condonasse nobis omnia peccata, per spiritum suum contulit nobis & justitiam suam, ut sectemur ea quæ sunt sanctimoniæ. Atque ob id sanctum eum vocamus, quod sit sanctificator omnium. Postremo, quod ab eodem speramus præmium regni cœlestis, ubi ille jam sedet ad dextram Dei patris; & hinc nobis rex dicitur. Atque hanc totam felicitatem illius erga nos gratuitæ bonitati debemus, quod pro domino, vel tyranno potius, diabolo, dominum habemus Jesum Christum: pro immunditia & sordibus peccatorum, innocentiam ac sanctimoniam: pro [4] gehenna, gaudia vitæ cœlestis. TI. Pia profecto sententia. EU. Quoniam nunc primum vos hic accepi convivio, non dimittam vos absque [5] xeniis, sed talibus, qualis fuit apparatus. Heus, puer; profer [6] apophoreta nostra. Sive sortiri placet, sive sibi quisque malit deligere, minimum refert; ejusdem

1 Respice pag. 144.

2 Διάβολος, vox Græca significat calumniatorem, à verbo διαβάλλω, hinc διαβολὴ, calumnia. In sacris literis fere pro spiritu malo, seu malorum spirituum principe.

3 Vindicaverit, proprios reddidit.

4 Γέεννα vox origine Hebræa, composita ex *ge* & *hinnom*, i. e. vallis *hinnom*; locus Hierosolymæ vicinus, ubi olim Judæi, vicinatum genitum superstitionibus seducti, horrenda quadam immanitate filios suos Molocho aduebant. Hoc autem loco, ut & sæpius in novo fœdere, accipitur metaphorice pro damnatorum supplicio, & cruciatus æterni loco.

5 *Xenium* munusculum est, quod datur hospitibus amicis. Græce ξένιον vel ξείνιον, aut Poëtice, ut apud Homerum, ξεινήιον.

6 *Apophoreta*, quæ dantur in fine conviviorum auferenda, si cui videatur, à verbo, ἀποφέρω, aufero.

1 Notum

dem fere precii sunt omnia, hoc est, nullius. Non enim sunt sortes [1] Heliogabali, ut huic obveniant equi centum, illi totidem muscæ. Sunt libelli quatuor, horologia duo, lucernula, & theca cum calamis [2] Memphiticis. Hæc arbitror magis convenire vobis, quam [3] opobalsamum, aut [4] dentifricium, aut speculum, si vos novi satis. TI. Adeo bella sunt omnia, ut nobis difficilis sit electio: ipse magis pro tuo arbitratu distribuito; sic gratius etiam erit quicquid obtigerit. EU. Hic libellus in [5] membranis [6] habet proverbia Salomonis: sapientiam docet, & auro pictus est, quod aurum habeat sapientiæ [7] symbolum. Hoc dabitur [8] cano nostro, ut juxta doctrinam evangelicam, habenti sapientiam detur sapientia, & exuberet. TI. Certe curabitur, ut minus egeam. EU. Sophronio congruet horologium, huc ex extrema [9] Dalmatia profectum, ut vel sic commendem munusculum meum. Novi enim, quam ille sit parcus temporis, quam nullam omnino portionem [10] rei preciosissimæ sinat abire sine fructu. *Soph.* Imo pigrum admones diligentiæ. EU. Hic libellus habet in membranis Evangelium

1 Notum est portentosum illud monstrum Antoninus Varius, post Heliogabalus dictus à sacerdotio Dei Heliogabali. Hujus horrenda & inaudita facinora narrant Herodianus & Lampridius. De sortibus quas convivis suis proposuit, his verbis loquitur Lampridius. *Sortes convivales scriptas in cochlearibus habuit tales, ut alius exhiberet decem camelos: alius decem muscas: alius decem libras auri: alius decem plumbi: alius decem struthiones: alius decem ova pullina.* Vide infra *Senatulum.*

2 Calami Memphitici olim probatissimi ad scribendum. Memphis urbs est Ægypti nobilissima, ubi & olim preciosissima papyrus confecta.

3 Opobalsamum, i. e. succus, qui ex Balsamo manat; ὀπὸς Gr. succus, arbor ipsa dicitur *Balsamum.*

4 A *fricandis dentibus* pulvis meditatus ita dictus.

5 *Membrana* proprie est quævis tenuior pellicula. Dicuntur vero quoque membranæ ex pellibus animalium factæ chartæ Pergamenæ ab urbe Pergamo, ubi primum inventæ.

6 Continet, complectitur.

7 Id est hoc loco *signum.* De variis hujus vocis significationibus dicturi sumus in Colloqu. *Inquisitio de fide*, & *Convivium sobrium*, seu συμπόσιον σωφρονικόν.

8 Seni Timotheo.

9 Dalmatia Illyrici pars.

10 Temporis, quod à philosopho quodam pretiosissimum dictum est.

lium ſecundum Matthæum: gemma tegi merebatur, niſi nullum eſſet illi ſcrinium aut [1] theca charior, quam pectus hominis. Illic igitur recondito, Theophile, quo magis [2] hoc ſis, quod diceris. TH. Efficiam ne prorſus male collocaſſe videaris tuum munus. EU. Hic ſunt epiſtolæ Pauli, quas tu libenter tecum circumfers, Eulali; qui Paulum ſemper habere ſoleas in ore: nec haberes in ore, niſi eſſet in pectore: poſthac [3] comodius erit etiam in manibus oculiſque. EUL. Iſthuc non eſt dare munus, ſed dare conſilium. Porro bono conſilio nullum eſt munus precioſius. EU. Lucernula conveniet Chryſoglotto, [4] anagnoſtæ inſatiabili, &, ut M. Tullius inquit, librorum [5] helluoni maximo. CH. Bis habeo gratiam: primum pro munere non vulgariter eleganti: deinde quod ſomniculoſum admones vigilantiæ. EU. Theca calamaria debetur Theodidacto, feliciſſime [6] πολυγράφῳ, atque hos ego calamos feliciſſimos eſſe judico, quibus celebrabitur gloria domini noſtri Jeſu Chriſti, tali præſertim artifice. *Theodidact.* Utinam & pectus ſuppeditare poſſis, quemadmodum ſuppeditas inſtrumenta. EU. Hic codex habet aliquot Plutarchi libellos de moribus, ſed ſelectos, & à quodam Græcæ literaturæ peritiſſimo non inſcite deſcriptos; in quibus tantum reperio ſanctimoniæ, ut mihi prodigio ſimile videatur, in pectus hominis ethnici tam evangelicas potuiſſe venire cogitationes. Hic dabitur Uranio juveni, & [7] φιλέλληνι. Supereſt horologium; id cedat noſtro Nephalio, parciſſimo temporis diſpenſatori. NEPH. Habemus gratiam, non ſolum pro munuſculis,

1 Θήκη, repoſitorium.
2 Scil. amans Dei.
3 Scil. habere.
4 Ἀναγνώστης *lector*, ab ἀναγινώσκω lego
5 *Helluo librorum* metaphorice dicitur pro lectore avido, & qui legendo ſatiari nequit: ſæpius ſupra.
6 *Multa ſcribenti*, à πολὺς & γράφω.
7 *Amatori Græcorum*, à φίλος & Ἕλλην.

nusculis, verum etiam pro testimoniis. Nam isthuc non tam est distribuere [1] xenia, quam [2] elogia. EU. Imo ego vobis habeo gratiam [3] duplici nomine. Primum, quod nostram exilitatem boni consulitis. Deinde, quod eruditis juxta ac piis sermonibus refeciſtis animum meum. Ego vos, quomodo acceptos dimittam, nescio; certe vos relinquam melior ac [4] doctior. Scio vobis non esse cordi [5] fistulas, aut [6] moriones, ac multo minus aleam. Quare si videtur [7] fallemus horulam spectandis reliquis regiæ meæ miraculis. TI. Isthuc eramus abs te flagitaturi. EU. Apud bonæ fidei promissorem non est opus flagitatore. Hanc aulam æstivam opinor vos jam satis contemplatos. Habet triplicem prospectum, &, quoquo versum deflectas oculos, occurrit viror hortorum gratissimus. Vitreis fenestris volubilibus, si videatur, licet excludere cœlum, si nebulis aut ventis sit incommodius; licet & densis valvis, foris admotis ac tenuibus intus, excludere solem, si quid offendat æstus. Hic quum prandeo, videor in horto prandere, non in domo. Nam & parietes virentes suos habent insperſos floſculos. Sunt & picturæ non invenustæ. Hic Christus [8] supremam compotationem agitat cum electis discipulis. Hic [9] natalitia celebrat [1] He-

1 Respice paulo superius.

2 *Elogium*, testificatio de aliquo, quæ plerumque in bonam partem accipitur.

3 Duabus de causis.

4 Supple, *factus*.

5 Quibus canere solebant in fine convivii, apud Romanos, tibicines, & pueri symphoniaci: ad hunc morem antiquum respicit autor.

6 Ficti stulti, qui ad excitandum risum omnem pudorem exuerunt. Hi & in principum aulis versantur: μῶρος & stultus. Vide infra Coll. *Divers.* & *Conv. disp.*

7 *Fallere tempus, vel horam* dicimus, cum ita tempus transigimus, ut ejus tædium non sentiamus. Ita *fallere laborem studio* dicitur pro incumbere studio; quod laboris oblivionem adfert.

8 Cur non *supremum convivium?*

9 *Natalitia*, orum, epulum; quod quis die natali amicis suis præbet, more fere omnibus gentibus usitato, Græci γενέθλια vocant. Memini autem legere in doctis Is. Vossii observationibus ad Catullum nuper editis, hæc verba: *Imprimis observandum est, si qui ad honores olim promoverentur, eos diem quo melior ipsis affulsisset fortuna, pro natali coluisse, ac proinde regum & imperatorum natales*

[1]Herodes [2]funesto convivio. Hic [3]Evangelicus ille dives epulatur splendide, mox descensurus ad inferos. Lazarus repellitur à foribus, mox excipiendus sinu Abrahæ. TI. Hoc argumentum non satis agnoscimus. EU. [4]Cleopatra est cum Antonio luxu decertans: [5]jam unionem ebibit, alteri manum admovit detractura. Hic pugnant [6]Lapithæ. Hic Alexander Magnus hasta [7]transverberat Clitum. Hæc exempla nos admonent sobrietatis in convivio, & à crapula luxuque deterrent. Nunc adeamus bibliothecam, non illam quidem multis instructam libris, sed exquisitis. TI. Locus hic plane divinitatem quandam [8]præ se fert, adeo nitent omnia. EU. Hic videtis præcipuam partem opum mearum. Nam in mensa nihil vidistis nisi vitreum ac stanneum; nec est in tota domo vas ullum argenteum, præter unum poculum inauratum, quod ob amorem ejus, qui dono dedit, religiose servo. Hæc [9]sphæra pensilis totum [10]orbem ponit ob oculos. Hic in parietibus singulæ regiones [11]fusiore spacio depictæ sunt. In reliquis parietibus videtis insignium autorum imagines. Nam omnes depingere fuerat infinitum. Christus primum habet locum, porrecta manu sedens in monte.

Capiti

tales dies habitos potius fuisse, quo imperium essent consecuti, quam quo lucis facti essent participes. Neque aliter accipienda Herodis γενέθλια in Evangeliis.

1 Nempe Herodes Antipas Galilææ Tetrarcha.

2 Vere funesto, in hoc etiam Herodes jussit caput Joannis Baptistæ proferri in patina. Matth. Cap. 14.

3 Parabolam lege Luc. 16.

4 Ægypti regina, cujus nuptias cum M. Antonio, luxum & vitæ exitum, præter alios, narrant Plutarchus & Plinius.

5 Margaritæ genus, ita dictum, quod nunquam duo inveniantur in conchis, sed unus unio tantum.

6 Thessaliæ populi, qui cum Centauris bellum gessere. Prælii descriptionem vide sis apud Ovid. in Metaph. lib 12.

7 Perfodit. Alexander in convivio quodam ebrius charissimum sibi Clitum, optimeque de se meritum, hasta transfixit, quamvis eam crudelitatem sera pœnitentia consecuta sit. Historiam lege in Curtio lib. 8.

8 Exhibet.

9 Σφαῖρα, sphæra, globus, item pila. Sed hic intellige Globum astronomicum.

10 Sc. terrarum.

11 Ampliore.

10 Eo

Capiti imminet[1] pater, dicens: Ipsum audite. Spiritus sanctus expansis alis multa luce complectitur illum. TI. Opus, ita me Deus bene amet,[2] Apelle dignum. EU. Adjunctum est bibliothecæ [3] museion quoddam angustum, sed elegans, quod submota tabula ostendit foculum, si quid offenderit frigus. In æstate videtur solidus paries. TI. Hic mihi gemmea videntur omnia. Est & mira odoris gratia. EU. Hoc mihi præcipue studio est, ut niteat domus, & bene oleat. Utraque res minimo constat. Habet bibliotheca suum ambulacrum pensile, spectans in hortum; & huic adhæret[4] sacellum. TI. Locus numine dignus. EU. Nunc adeamus illa tria ambulacra, quæ imminent iis, quæ vidistis ad hortum domesticum spectantia. In his superioribus utroque prospectus est, sed per fenestras, quæ possunt occludi, præsertim in his parietibus, qui non spectant hortum interiorem, quo domus sit tutior. Hic ad lævam, quia plus est lucis, & paries raris fenestris interruptus, ordine depicta est tota vita Jesu ex narratione quatuor Evangelistarum, usque ad missum Spiritum sanctum, & primam prædicationem Apostolorum ex Actis. Additæ sunt & locis notæ, ut agnoscat spectator, juxta quod stagnum, aut in quo monte res gesta sit. Additi sunt tituli paucis verbis subnotantes totum argumentum: velut illud, quod dicitur à Jesu, [5] *Volo, mundare.* Ex adverso[6] respondent figuræ, & vaticinia Veteris Testamenti, præsertim è Prophetis & Psalmis, qui nihil aliud habent, quam Christi vitam, & Apostolorum, aliter

1 Eo impudentiæ devenere pictores, ut Deum exprimere velint.

2 Vel pueris notus est Apelles pictor eximius, patria Cous, Alexandri M. coætaneus.

3 Μουσεῖον. Locus musis, i. e. studiis destinatus.

4 Ædicula, Deo sacrata. Resp. pag. 134.

5 Sunt verba Christi ad eum, qui laborabat lepra. *Mundare*, i. e. *purificator*, Gr. καθαρίσθητι. Marc. 1, 41.

6 Conveniunt.

liter narratam. Hic nonnunquam obambulo mecum fabulans, & animo contemplans illud ineffabile consilium Dei, quo per filium suum restituere voluit genus humanum. Nonnunquam adest uxor comes, aut amicus quispiam, qui rebus piis delectetur. TI. In hac domo cui posset [1] obrepere tædium? EU. Nulli, qui didicerit secum vivere. In summa ora picturæ, velut extra ordinem, addita sunt [2] capita Pontificum Romanorum cum suis titulis. Ex adverso capita Cæsarum, ob memoriam historiæ. In utroque cornu prominet pensile cubiculum, ubi liceat interquiescere, & unde spectare licet pomarium, & aviculas nostras. Hic in extremo angulo prati videtis aliud ædificiolum, ubi cœnamus nonnunquam æstivis mensibus, & ubi curatur, si quem forte è familiaribus corripuerit morbus ob contagium formidabilis. TI. Quidam negant hujusmodi morbos esse vitandos. EU. Cur ergo vitant foveam, aut venenum? An hoc minus timent, quia non vident? Nec [3] basiliſci venenum videtur, quod afflat oculis. Ubi res poscat, non dubitem pro [4] necessariis venire in vitæ discrimen. Sine caussa subire vitæ periculum, temeritas est: alios in vitæ periculum adducere, crudelitas. Sunt & alia quædam non injucunda spectatu: ea mandabo uxori, ut ostendat. Manete hic vel totum triduum, & hanc domum putate esse vestram. [5] Pascite oculos, pascite animos. Nam me negocia quædam alio vocant. Est equitandum in pagos aliquot vicinos. TI. Ob rem pecuniariam? EU. Ego tales amicos non relinquerem pecuniæ gratia. TI. Fortassis venatio parata

1 Notas vide infra in Coll. *Milit. & Carthus.*

2 Recte extra ordinem sunt capita Pontificum Romanorum, quid enim hi superbi cum Christo, & humilibus Apostolis?

3 Respice pag 141.

4 Amicis familiaribus, vel cognatis. Vide quæ mox annotabimus in vocem *Necessitudo.*

5 *Recreate.* Respice quæ diximus in capite hujus colloquii.

parata est alicubi. EU. Plane venatio est: sed aliud venor, quam apros aut cervos. TI. Quid igitur? EU. Dicam. In uno pago [1] decumbit amicus quidam non sine periculo vitæ. Nam corpori metuit medicus, ego magis metuo animæ illius. Siquidem mihi videtur parum recte compositus ad [2] emigrandum, sicut dignum est Christiano: huic adero meis [3] hortatibus, ut sive moriatur, sive revalescat, [4] bono ipsius fiat. In altero dissidium acre natum est inter duos, non malos quidem illos, sed tamen pervicacis ingenii viros. Quod si exasperetur, vereor ne plures secum trahat in consortium [5] simultatis. Adnitar totis viribus, ut hos redigam in [6] gratiam. Nam utrique sum veteri [7] necessitudine junctus. Hæc sunt quæ venor. Quod si venatio successerit ex animi sententia, simul hic celebrabimus [8] ἐπινίκια. TI. Pia venatio. Precamur, ut tibi pro [9] Delia Christus [10] aspiret. EU. Hanc prædam ego malim, quam obvenire mihi hæreditate bis mille ducatos. TI. Mox rediturus? EU. Non nisi tentatis omnibus: quare certum tempus non possum præscribere. Vos interim meis perinde ac vestris fruamini, & valete. TI. Dominus Jesus te feliciter deducat ac reducat.

APOTHE-

1 Sc. in lecto, i. e. *graviter ægrotat.*

2 Sc ex hac vita, i. e. moriendum.

3 Admonitionibus.

4 Saluti.

5 Respice notas in pag. 143.

6 Amicitiam

7 *Necessitudo* vel *necessitas* non solum significat urgentem quandam vim, verum etiam affinitatis seu religiosæ conjunctionis vinculum, à quo *necessarii* dicuntur, qui jure affinitatis vel amicitiæ conjuncti sunt. Sic Cæsar *Equidem videor mihi pro nostra necessitate non labore, non opera, non industria defuisse.* Teste Gellio.

8 Ἐπινίκια interdum significant carmina de parta victoria, interdum epulum, aut sacra ob victoriam, &c. à νίκη, victoria.

9 Diana, antiquis venationis Dea, ita dicta à patria Delo. Allegoria sumitur à venatoribus ethnicis, qui Dianæ opem implorabant.

10 Faveat. Respice quæ diximus pag. 147.

APOTHEOSIS CAPNIONIS.

De incomparabili heroë Joanne Reuchlino in [1] *divorum numerum relato.*

POMPILIUS, BRASSICANUS.

PO. UNde nobis [2] petasatus. BR. E [3] Tubinga. PO. Nihilne istic rei novæ? BR. Equidem demiror usque adeo mortales omnes teneri [4] siti quadam rerum novarum. At ego [5] Lovanii [6] Camelum quendam audivi concionantem, fugiendum quicquid esset novum. PO. Vocem Camelo dignam. Dignus erat homo, si tamen homo fuit, qui nunquam mutet veteres calceos, aut putre [7] subligar, semper vescatur putribus ovis, nec aliud bibat quam vappam. BR. At idem, ne sis inscius, non usque adeo delectatur rebus veteribus, ut malit jus pridianum quam recens. PO. Sed omisso Camelo, dic, si quid adfers novi. BR. Adfero quidem, sed, ut ille ajebat, malum. PO. Atqui isthuc ipsum olim erit vetus. Ita fieri necesse est, ut si omnia vetera sint bona, omnia nova mala; quæcunque nunc bona sunt, fuerint olim

1 Relatio inter Deos, seu divinorum honorum attributio defluxit ab ethnicis, qui bene meritos de republica post mortem numinibus æquabant; & quidem præcipuè à Romanis, qui Cæsares suos quietis ordinibus Deorum (ut Horatius inquit) adscribebant, eosque Divos vocabant; & hinc ille Pontificiorum mos de referendo quopiam in album sanctorum, quos vocant. Dicitur hæc consecratio Græcis ἀποθέωσις, à verbo ἀποθεόω *ex homine Deum facio*. Omnem pompam prolixe describit Herodianus initio lib. 4. quem nos in Belgicum versum publici juris fecimus, adjuncta in fine de Imperatorum Romanorum consecratione dissertatiuncula. Erasmus hoc colloquio voluit celebrare famam defuncti Joannis Capnionis seu Reuchlini, viri eruditissimi, de quo mox.

2 *Petasatus* dicitur, qui capite fert *Petasum*, i. e. pileum latum atque amplum, à verbo πετάω vel πετάζω, sive πετάννυμι, pando, explico.

3 *Tubinga* urbs est in Ducatu Wirtenbergensi, in Suevia ad Neccarum.

4 Cupidine.

5 Lovanium inclyta Brabantiæ urbs.

6 Ludit forte Erasmus in voce *Camelus*, pro Carmeli, i. e. Carmelitæ. De Monachis Carmelitis diximus supra pag. 155.

7 Subligaculum femorale.

1 Hebrai-

lim mala; & quæ nunc sunt mala, sint olim futura bona. BR. Ita videtur juxta decretum Cameli. Immo consequitur, ut qui olim adolescens fuit malus fatuus, quia recens, idem nunc sit bonus fatuus, quia senuit. PO. Sed age prome quidquid est. BR. Egregius ille [1] trilinguis eruditionis [2] phœnix [3] Joannes Reuchlinus vita defunctus est. PO. Rem certam narras? BR. Certiorem quam vellem. PO. Sed quid istuc mali, relicta posteris honestissimi nominis immortali memoria, ab hujus vitæ malis demigrare in consortium beatorum? BR. Quis isthuc tibi indicavit? PO. Res ipsa. Nec enim potest aliter mori, qui sic vixit. BR. At magis etiam istuc diceres, si scias, quod ego. PO. Quidnam, obsecro? BR. Non est fas referre. PO. Quam ob rem? BR. Quia qui credidit, stipulatus est arcani silentium. PO. Eadem lege committe & mihi: [4] recipio tibi silentium optima fide. BR. Quanquam ista fides me jam sæpenumero sefellit; tamen age, committam: præsertim cum res sit ejus generis, ut [5] expediat etiam esse notam bonis omnibus. Est [6] Tubingæ quidam [7] instituti Franciscani, vir omnibus habitus eximiæ sanctimoniæ, præter-

1 Hebraicæ, Græcæ, & Latinæ linguæ.

2 Illa rarissima avis ex cinere renascens quingentesimo aut sexcentesimo demum anno, ut antiquitas fabulata est, per Antonomasiam vero hoc nomine viros insignes significare solemus.

3 Joannes Reuchlinus Phorcensis (ab oppido Pforzheim prope Durlacum in Marchionatu Badensi in Germania: ubi natus est anno 1455.) uti vir variæ eruditionis, ita Hebraicæ linguæ peritissimus fuit. Dictus est *Reuchlinus*, seu *Capnio*, quia *Reuchlin*, Germanice idem est quod *fumus exiguus*, quam vocem Græce efferri voluit, nam καπνὸς fumum significat. *Melanchthon*, qui unus ex discipulis ejus fuit, cum nomen haberet, quod Germanice *terram nigram* sonat, primus hoc auctore nomen suum fecit Græcum, quasi μέλαν χθὼν *terra nigra*. Floruit circa annum 1500.

4 Promitto.

5 Utile sit.

6 *Tubinga*, vulgo Tubingen, urbs est non ignobilis in ducatu Wirtembergensi.

7 Vel ordinis Franciscani, ut ajunt vulgo. De Monachis Franciscanis mendicantibus, ita dictis ab illo Francisco Assisiensi, de quo incredibilia mentiti sunt Pontificii, sæpius infra dicturi sumus, est enim ipse Franciscus nobis aliquoties vocandus ad partes.

terquam ipsi. PO. Magnum dicis argumentum veræ sanctimoniæ. BR. Agnoscerem hominem, & fatereris verum, si nomen ederem. PO. Quid si [1] divinem? BR. Licet. PO. Admove aurem. BR. Quid opus, cum simus soli? PO. Ita mos est. BR. Is ipse est. PO. Est homo certissimæ fidei. Mihi [2] Sibyllæ folium erit quicquid ille dixerit. BR. Audi igitur totum dialogum bona fide. Ægrotabat noster Reuchlinus, satis quidem periculose, sed ita, ut bona spes esset fore, ut revalesceret, vir dignus, qui nunquam senesceret, ægrotaret, aut moreretur. Mane visebam meum Franciscanum, ut animi mei molestiam oratione sua leniret. Nam ægrotabam una cum ægrotante amico, quem amabam ut patrem. PO. [3] Phy; quis illum usquam non amavit, nisi vir pessimus? BR. Hic Franciscanus meus, Brassicane, inquit, emove penitus ex animo mœrorem omnem: Reuchlinus noster desiit ægrotare. Quid; inquam, an subito revaluit? nam ante biduum non admodum læta promittebant medici. Tum ille, revaluit, inquit, sed ita, ut posthac non sit illi formidanda valetudo adversa. Noli flere, (nam videbat erumpentes lacrymas,) prius quam audias rem omnem. Sex dies sunt, quod hominem non inviseram, sed tamen quotidianis precibus illius salutem Domino commendabam. Hodierna nocte cum me à [4] matutinis hymnis in [5] strato composuissem,

1 Id est, conjiciam. *Divinare* significat etiam prædicere futura; est enim divinum quid, futura prædicere.

2 Erit mihi Sibyllæ folium, id est, *res certissima & indubitata*. Ita Juvenalis *Credite me vobis folium recitare Sibyllæ i. e. rem veram*. Nam Sibylla Cumana scribebat oracula in foliis, quæ vera & indubitata habebantur. De pluribus Sibyllis multa fabulati sunt antiqui, & quidem Christiani, sed omnes Sibyllarum, quotquot fuerint, versus & oracula fuisse meras fraudes, nugasque canoras, ab ethnicis & Christianis fictas, demonstravimus in libello de Græcæ, Latinæ & Belgicæ linguæ amœnitatibus, qui nuper in lucem prodiit.

3 Est hoc loco *Phy* interjectio admirantis.

4 De *Hymno* diximus in convivio religioso; intellige hic monachorum cantus nocturnos quos Belgæ de *Metten* vocant.

5 Lecto.

1 *Mens*

sem, blandus quidam minimeque gravis somnus obrepsit. PO. Nescio quid læti mihi præsagit animus. BR. Non est tibi [1] læva mens. Visus sum mihi, inquit, consistere ad ponticulum quendam, per quem transitus erat in pratum quoddam longe amœnissimum. Adeo blandiebatur oculis graminum & frondium plus quam [2] smaragdinus viror, sic arridebant incredibili colorum varietate flosculorum stellulæ; sic [3] spirabant omnia, ut quod erat pratorum citra rivum, quo dirimebatur felicissimus ille campus, nec vivere, nec virere videretur, sed mortua, inamœna, putidaque omnia. Atque interim dum [4] totus sum in eo spectaculo, commodum præterierat Reuchlinus; præteriens Hebraice precatus est [5] pacem. Jam medium pontis transierat prius, quam sentirem: parantem accurrere, respiciens vetuit. Nondum fas, inquit. Quinto ab hinc anno nos sequeris. Interim eorum quæ aguntur, testis ac spectator assistito. Heic ego: Nudus erat, inquam, Reuchlinus, an vestitus? solus, an comitatus? Vestium, inquit, nihil habebat, præter unam candidissimam; [6] Damascenam esse dixisses, candore mire lucido. Pone sequebatur puer incredibili specie, alatus: suspicabar illius esse [7] genium bonum. PO. Sed nullusne comitabatur genius malus? BR. Imo aliquot, ut Franciscanus ille arbitrabatur. Procul, inquit, a tergo sequebantur aves aliquot pennis [8] cætera, nigris, nisi quod explicatu alarum [1] gil-

1 *Mens læva*, i. e. *perversa*. Sic Virgil. *Si mens non læva fuisset*. *Lævum* itaque cum de humanis dicitur significat infaustum, perversum: cum vero de cœlestibus, prosperum & lætum, quia sinistra numina dextra sunt intuentibus.

2 *Smaragdus* gemma vitidis.

3 Odorem emittebant.

4 Id est omnino occupatus, & intentus. Ita Horatius Sat. 9. l. 1. *Nescio quid meditans nugarum & totus in illis.*

5 Rite. Nam Hebræi, aliique populi Orientales hac formula salutandi, & bene precandi utebantur, *Pax tibi.*

6 A Damasco, Syriæ oppido primatio.

7 Veteres *Genium* putarunt esse uniuscujusque loci & hominis Deum vel angelum.

8 Supp. parte. Sic Horat. in Epistola ad Fuscum. *Excepto quod non simul esses, cætera lætus.*

[1]gilvas verius, quam candidas plumas ostenderent. Picæ, inquit, videri poterant colore & voce, nisi quod singulæ sedecim picas æquarent magnitudine corporis, nihilo minores vulturibus, cristam gestantes vertice, rostris & unguibus aduncis, ventre prominente. [2] Harpyiæ videri poterant, si tres modo fuissent. PO. Quid moliebantur istæ [3] furiæ ? BR. Procul, inquit, obstrepebant [4] heroï Reuchlino, & [5] impetituræ videbantur, si licuisset. PO. Qui minus licuit ? BR. Quia versus Reuchlinus, objecta manu crucis imaginem exprimens : Abite, inquit, quo dignum est, malæ pestes. Satis sit vobis [6] negotium facessere mortalibus : in me jam immortalibus adscriptum, nihil habet juris vestra dementia. Vix ea dixerat, inquit Franciscanus, mox abierant fœdissimæ volucres, sed relicto fœtore, ad quem collatum [7] oletum videri posset [8] samsucinum, aut [9] foliatum. Dejerabat se citius vel ad inferos descensurum, quam sustineret iterum afflari tali [10] thymiamate. PO. Male sit illis pestibus. BR. Sed audi cætera quæ narravit mihi Franciscanus. Dum hæc intentus contemplor, inquit, jam ponti vicinus erat divus [1]Hiero-

1 Color gilvus est medius inter album & rufum.

2 *Harpyiæ*, ut antiquitas finxit, fuere volucres fœdæ, *Aello*, *Ocypete* & *Celæno*, quas Virgilius Æneid. lib. 3. Strophades insulas inhabitare inquit, atque ita describit : *Virginei volucrum vultus, fœdissima ventris Proluvies, uncæque manus, & pallida semper Ora fame.* - - - ita dictæ ab ἁρπάζω, rapio.

3 *Furiæ* à furendo dictæ finguntur tres, *Alecto*, *Megæra* & *Tisiphone*.

4 *Heros* proprie, qui cum mortalis esset, rerum magnitudine immortalitatem adeptus est. Hinc & viri illustres Heroes dicuntur.

5 Aggressuræ.

6 Molestiam exhibere.

7 Non hic intelligendus locus oleis consitus, sed *Oletum*, locus in quo alvum exoneramus aut ipsum stercus, ut Persius Sat 1. *Hoc juvat ; hic, inquis veto quisquam faxit oletum.*

8 Samsucinum, sc. oleum, quod fit ex Samsuco seu Amaraco herba, quæ & Majorana dicitur. Respice Convivium religiosum.

9 Præstantissimi unguenti genus, de quo Juvenalis Sat. 6. *Moechis foliata parantur.*

10 Θυμίαμα, id est, suffitus, à θυμιάω.

[1] Hieronymus, qui Reuchlinum hisce verbis compellabat: Salve, [2] collega sanctissime. Datum est hoc mihi negotium, ut te exceptum deducam in consortium cœlitum, quod tuis sanctissimis laboribus destinavit divina benignitas. Simulque vestem protulit, qua Reuchlinum induit. Tum ego: Dic, inquam, mihi, quo cultu quave specie videbatur Hieronymus? Eratne tam senilis, quam illum pingunt: aut [3] cucullam habebat, aut [4] galerum, ac pallium [5] cardinalitium, aut leonem comitem? Ad hæc ille: Nihil, inquit, istiusmodi. [6] Species erat amœna, quæ sic ætatem testabatur, ut nihil haberet squaloris, dignitatis plurimum. Quorsum autem illis opus erat comite leone, quem illi pictores adjunxerunt? Vestem gerebat ad talos usque demissam; crystallum diceres pellucidum. Ejusdem erat formæ, quam Reuchlino tradidit. Tota undique picta erat linguis triplici colorum varietate. Quædam [7] pyropon præ se ferebant, nonnullæ smaragdum, tertiæ [8] sapphirum. Pellucebant omnia, nec mediocrem gratiam addebat ordo. PO. Conjicio id fuisse insigne [9] trium linguarum, quas calluerunt. BR. Non est dubium. Nam & fimbriæ, ut ajebat, trium linguarum literis triplici colore distinctis videbantur inscriptæ. PO. Num incomitatus aderat Hieronymus? BR. Incomitatus, inquis? Totus ille campus obsidebatur [1] myria-

1 Belle Reuchlino linguarum perito adjungitur Hieronymus, hic enim supra reliquos, quos Patres vocant, in linguis fuit exercitatissimus. Immo tanto studio Hebraicas litteras addidicisse fertur ut magna mercede conductos Hebræorum doctissimos habuerit, qui illum nocte instituerent.

2 Collegæ dicuntur, qui sunt ejusdem collegii.

3 Erasmus utitur passim voce *Cucculla*, qua autoritate ille viderit, mihi notus est *Cucullus*. Respice pag. 41.

4 *Galerus*, seu *Galerum* pilei genus.

5 Quali Cardinales Romani utuntur.

6 Forma.

7 Gemma habens quasi ignis faciem; Gr. πυρὸς ὄπτα.

8 Sapphirus gemma coloris cærulei.

9 Scil. Hebraicæ, Græcæ, & Latinæ.

1 Μυριὰς

[1] myriadibus Geniorum; nec aliter oppleverant aërem totum, quam videmus in solis radiis volitare minuta corpuscula, quæ vocant [2] ἄτομα. si tamen à re tam humili huc ducenda est comparatio. Neque cœlum videre licuisset, neque campum, nisi pellucerent omnia. PO. Euge, Reuchlino gratulor. Quid deinde factum est? BR. Hieronymus, inquit, honoris gratia complexus dextrum Reuchlinum, deduxit in medium pratum. Ibi collis erat in medio prominens. In hujus vertice uterque alterum blando osculo complexus est. Atque interea vasto hiatu cœlum superne [3] diduxit sese; majestatem quandam inenarrabilem exhibens, sic ut ad eam speciem cætera pene sorderent, quæ tamen antea videbantur esse mirifica. PO. Non possis aliquam imaginem nobis depingere? BR. [4] Qui possim ego, qui non vidi? Is qui vidit, negavit se ullis vocibus vel somnium rei posse depingere: tantum hoc ajebat, se vel millies mori paratum, si liceat iterum eo spectaculo quamlibet exiguo momento frui. PO. Quid tandem? BR. Ex hiatu cœli demissa est ingens columna igne pellucido, sed amœno: per eam in complexu duæ sanctissimæ animæ subvectæ sunt in cœlum, choris angelicis tanta melodia delinientibus omnia, ut Franciscanus neget, se unquam ejus voluptatis meminisse posse, quin erumpant lacrymæ. Secuta est mira [5] fragrantia. Ubi somnus reliquit hominem, si tamen ille somnus dicendus est, erat dementi similis; non credebat, sese esse in [6] cellula sua; requirebat pontem ac pratum suum; nec aliud loqui, nec aliud cogitare poterat. Seniores ejus collegii, ubi senserunt rem non esse fabulosam, (nam compertum

1 Μυριὰς decem millium numerus. *Myriades* vulgo pro innumerabilibus.

2 Inseparabilia vel quæ secari nequeunt, a τέμνω seco.

3 Separavit.

4 Quomodo.

5 Odor gratus.

6 Designat habitaculum, quæ multa sunt in monasteriis. Hinc ordo fratrum Cellariorum.

[1] Solent

tum est eadem hora terris excessisse Reuchlinum, qua visio viro illi sanctissimo apparuit;) concordibus animis egerunt gratias Deo, qui benefacta piorum præmiis amplissimis remuneratur. PO. Quid igitur supereſt, nisi ut sanctissimi viri nomen adscribamus[1] calendario sanctorum? BR. Id ego facturus eram, si nihil tale vidisset Franciscanus: & quidem aureis litteris, proxime divum Hieronymum. PO. Emoriar, nisi idem facturus sum in codice meo. BR. Quin & in meo[2] larario stabit aureus inter[3] divos selectos. PO. Stabit & in meo vel gemmeus, si suppetat animo facultas. BR. Ponetur & in bibliotheca Hieronymo proximus. PO. Addetur & meæ. BR. Imo si grati volent esse, idem facient omnes, qui colunt & amant linguas ac bonas literas, præsertim sacras. PO. Dignus est videlicet. Sed nihil te movet ille scrupulus, quod nondum relatus est in numerum divorum auctoritate Romani Pontificis? BR. Quis[4] canonizavit (sic enim vocant) divum Hieronymum? quis Paulum? quis Virginem matrem? Utrorum memoria sanctior apud pios omnes? horum quos insignis pietas, quos ingenii, vitæque monumenta commendant affectibus omnium; an[5] Catharinæ Senensis, quam in divarum numerum retulisse fertur[6] Pius, ejus nominis secundus,

1 Solent Papicolæ nomina eorum, quos sanctos vocant, autoritate Pontificia inscribere Calendario, ut illorum dies festi statо tempore quotannis colantur.

2 Locus ubi ethnici reponebant Lares suos, seu penates, *Lararium* dicitur.

3 Romanis fuere Dii Contentes sive primarii duodecim, sex mares, totidemque fœminæ. His alii octo additi qui cum Consentibus dicti sunt selecti, propter majores in mundo administrationes. Huc respicit Ovid. in Metamorph. l. 1. *Plebs habitat diversa locis: a fronte potentes Cœlicolæ, clarique suos posuere penates.*

4 *Canonizare* vox barbara (ita dicta à Canon, in quo divorum divarumque nomina recensentur) pro eo quod est in numerum divorum referre.

5 Catharina Senensis (ita dicta ab urbe Senis, in qua nata est patre tinctore) magno in honore est apud Papicolas, qui de ea portentosa circumferunt mendacia.

6 Prius Æneas Sylvius dictus, natione Etruscus, patria Senensis, vir multæ doctrinæ, Papa factus anno 1458. Vide Joan. Stellam de vitis ac gestis summorum Pontificum.

cundus, in gratiam ordinis & urbis? PO. Vera prædicas. Ille demum verus cultus est, qui sponte cœlo dignis meritis defunctorum exhibetur, quorum beneficia perpetuo sentiuntur. BR. Quid igitur? Putas tu hujus viri mortem deplorandam? Diu vixit, si quid ea res facit ad felicitatem hominis. Reliquit nunquam intermoritura virtutis suæ monumenta. Benefactis consecravit nomen suum immortalitati. Nunc exemptus [1] malis cœlo fruitur, & cum Hieronymo confabulatur. PO. At multa passus est in vita. BR. Sed plura passus est divus Hieronymus. Felicitas est, ob bona pati à malis. PO. Fateor certe; ob optima à pessimis multa perpessus est Hieronymus. BR. Quod olim fecit Satanas per Scribas & Pharisæos in Dominum Jesum, hoc & nunc facit per Pharisaicos quosdam in optimos quosque viros, ac de genere mortalium suis vigiliis bene merentes. Nunc ille metit optimam messem pro semente, quam fecit. Interim [2] nostræ partes erunt, illius memoriam habere sacrosanctam; illius nomen ferre laudibus; ac subinde illum salutare verbis hujusmodi: *O sancta anima, sis felix linguarum cultoribus, faveto linguis sanctis, perdito malas linguas, infectas veneno* [3] *gehennæ.* PO. Ita faciam; ac sedulo prædicabo cæteris, ut idem faciant. At non dubito, multos futuros, qui precatiunculam aliquam desiderent, quandoquidem hoc receptum, qua sanctissimi heroïs memoriam celebrent. BR. Hoc dicis, quod isti [4] Collectam appellant? PO. Scilicet. BR. Hanc paraveram & ante mortem. PO. Recita, quæso. BR. *Amator humani generis Deus, qui donum linguarum, quo quondam Apostolos tuos ad Evangelii prædicationem per Spiritum*

1 Calamitatibus vitæ humanæ.

2 Officium nostrum. Metaph à ludis scenicis, in quibus singulis agentibus sua pars est demandata.

3 De Gehenna vide, quæ diximus in Convivio religioso pag. 178.

4 Voce Barbara.

1 Aposto-

tum tuum sanctum cœlitus instruxeras, per electum famulum tuum Joannem Reuchlinum mundo renovasti: da, ut omnibus linguis omnes ubique prædicent gloriam filii tui Jesu, ut confundas linguas [1] *pseudoapostolorum, qui conjurati substruunt impiam turrim* [2] *Babel, tuam gloriam obscurare conantes, dum suam student attollere: cum uni tibi debeatur omnis gloria, cum Jesu Filio tuo, Domino nostro, & Spiritu sancto, in æterna sæcula, Amen.* PO. Elegans profecto & pia precatio: dispeream [3] nisi mihi quotidie dicetur. Et hunc occursum mihi felicem duco, qui rem tam lætam ex te didicerim. BR. Isto gaudio diu fruere, ac vale. PO. *Vale tu quoque.* BR. *Valebo, sed non coquus.* **

** *(Cum candidatus quidam, qui coci filius habebatur, coram Cicerone ab alio quopiam suffragium peteret; Cicero cavillans: Ego quoque, inquit, tibi favebo. Focus autem est in dictione ambigua,* quoque & coce, *quod ad pronuntiationem attinet. Unde liquet alium olim fuisse sonum harum literarum q. & c. quam nunc est. Quod si fuisset diversus, non erat jocus ex voce plura significante. Nunc litera c. aliud sonat præcedens, a. o. u. quam e. i. y. Quod idem fit in Græcis, cum ejus varietatis nulli vetusti Grammatici meminerint, quod equidem sciam; & Fabius in primo libro disputat, q. & k. redundare: non redundarent autem, si quid aliud sonarent quam c. nisi quod c. apponitur respiratio, quam rejiciunt q. & k: Cæterum u. adjunctum q. evanescit; alioqui* cotidie & quotidie, *non solum differrent scriptura verum etiam sono, quod secus esse, licet ex Fabii verbis colligere, cap. de Orthographia. Porro jocus Ciceronis ad quem hic alluditur, refertur apud Quintilianum libro sexto, capite de risu.)*

[1] PROCI

1 Apostolorum falsorum. Ψευδὰς Græce falsus, mendax.

2 *Babel* significat *confusio venit.* Nota est historia sacra de hominibus, qui turrim molirentur, cujus apex cælum attingeret.

3 I. e. *prorsus peream*, jurantis vox. Huic simile est *emoriar.*

[1] PROCI ET PUELLÆ.

[2] Pamphilus, Maria.

PA. SAlve crudelis, salve ferrea, salve adamantina.

MA. Salve tandem & tu Pamphile, quoties & quantum voles, & quocunque licet nomine. Sed interim mihi videris oblitus nominis mei; Maria vocor. PA. At[3] Martiam dici oportuit. MA. Quid ita quæso? Quid mihi cum Marte? PA. Quia quemadmodum illi deo pro ludo est, homines interficere, ita & tibi: nisi quod tu Marte crudelior occidis etiam amantem. MA. [4] Bona verba. Ubinam [5] strages ista mortalium, quos ego occidi? Ubi sanguis interfectorum? PA. Unum cadaver vides [6] exanime, si modo me vides. MA. Quid ego audio? Mortuus loqueris, & obambulas? utinam mihi nunquam occurrant umbræ formidabiliores! PA. Ludis tu quidem; tamen interim miserum exanimas, & crudelius occidis, quam si confoderes telo. Nunc longo cruciatu [7] excarnificor miser. MA. [8] Eho, dic, quot gravidæ ad tuum occursum [9] abortierunt? PA. Atque pallor arguit exsanguem magis, quam ulla sit umbra. MA. Atqui iste pallor tinctus est [10] viola. Sic

1 Procus dicitur, qui puellæ, vel mulieris nuptias ambit *Procare* significat vehementer petere.

2 *Pamphilus* quasi πᾶσι φίλος, vel πάντας φιλῶν, i. e. *omnibus charus*, seu *omnium amans*.

3 Tanquam à *Marte* antiquis belli Deo.

4 Ironiæ species, quam Charientismum Rhetores vocant, ubi quis acerba dicto gratiosis verbis studet mollire. Sic Davus apud Terentium, cum ei herus pistrinum minaretur, inquit, *bona verba quæso*, q. d. *melius ominare*.

5 Cædes; clades.

6 *Cadaver exanime* pleonasmus est. Exanimis, i. e. absque anima i. e. vita.

7 Excarnificare est carnem dissecare, more carnificum & lanionum. Metaph. pro excruciare.

8 Est hoc loco particula excitantis.

9 Abortum ediderunt. *Abortus* est fœtus immaturus.

10 Scil purpurea, est enim alia viola lactea, & tertia coloris palliduli.

Sic palles ut cerasum matureſcens, aut uva purpuraſcens. PA. Satis [1] procaciter rides miſerum. MA. Atqui ſi mihi non credis, admove ſpeculum. PA. Non optarim aliud ſpeculum; nec arbitror eſſe clarius ullum, quam in quo me nunc contemplor. MA. Quod ſpeculum mihi narras? PA. Oculos tuos. MA. [2] Argutator, ut ſemper tui ſimilis es! Sed unde doces eſſe exanimem te? An cibum capiunt [3] umbræ? PA. Capiunt, ſed inſipidum, qualem ego. MA. Quibus igitur veſcuntur? PA. Malvis, porris, & [4] lupinis. MA. Atqui tu non abſtines à capis & perdicibus. PA. Verum; ſed interim nihilo plus ſapiunt palato meo, quam ſi malvis veſcerer, aut [5] betis abſque pipere, vino & aceto. MA. O te miſerum! & tamen interim obeſulus es. An & loquuntur exanimes? PA. Sic ut ego, voce perquam [6] exili. MA. Atqui nuper cum audirem te conviciantem rivali tuo, vox non erat admodum exilis. Sed obſecro te num etiam ambulant umbræ? num veſtiuntur? num dormiunt? PA. Etiam [7] coeunt, ſed ſuo more. MA. Næ tu ſuavis nugator es. PA. Sed quid dicis, ſi argumentis [8] Achilleis evincam, & me eſſe mortuum & te eſſe homicidam? MA. Abſit [9] omen, Pamphile: ſed aggredere [10] ſophiſma. PA. Primum illud mihi donabis, opinor, mortem nihil aliud eſſe, quam abductionem animæ à corpore. MA. [11] Largior. PA. Sed ita, ut ne reposcas, quod dederis. MA. Non fiet. PA. Tum haud [1] infi-

1 Laſcive.
2 Sophiſta argutulus.
3 Manes.
4 *Lupinus* viliſſimum leguminis genus. Quare triſti lupinus dicitur à Virgilio in Georg. l. 1.
5 Alludit ad epigramma Martialis:
Ut ſapiant fatuæ fabrorum prandia betæ,
O quam ſæpe petet vina piperque coquus.
6 Tenui.
7 Ambiguitatem in hac voce nota.
8 *Achilleis*, i. e. fortiſſimis. Achillis fortitudo nota eſt ex Homero.
9 *Omen*, quaſi *oremen*, futuræ rei ſignum, quod ex ſermone loquentis capitur. Generaliter ſumitur pro ſigno rei futuræ, vel bonæ, vel malæ.
10 Σόφισμα, argumentum callidum, vel fallax. De ſophiſt. ſæpius infra.
11 Concedo.

[1] inficiaberis, eum qui alteri adimit animam, homicidam esse. MA. [2] Accedo. PA. Concedes & illud, quod à graviſſimis auctoribus dictum, tot ſeculorum ſuffragiis comprobatum eſt, animam hominis non illic eſſe ubi animat, ſed ubi amat. MA. Iſtuc explana craſſius: non enim ſatis aſſequor quid velis. PA. Et hoc ſum infelicior, quod iſthuc non æque ſentis atque ego. MA. Fac ut ſentiam. PA. Eadem opera fac ut ſentiat adamas. MA. Equidem puella ſum, non lapis. PA. Verum: ſed adamante durior. MA. Sed perge [3] colligere. PA. Qui corripiuntur [4] afflatu divino, nec audiunt, nec vident, nec olfaciunt, nec ſentiunt, etiamſi occidas. MA. Audivi ſane. PA. Quid conjectas eſſe in cauſſa? MA. Dic tu, philoſophe. PA. Nimirum quoniam animus eſt in cœlis, ubi habet quod vehementer amat, & abeſt à corpore. MA. Quid tum poſtea? PA. Quid tum, dura? Illud conſequitur, & me eſſe mortuum, & te eſſe homicidam. MA. Ubi eſt igitur anima tua? PA. Illic ubi amat. MA. Quis autem ademit tibi animam? Quid ſuſpiras? Dic libere, dices impune. PA. Crudeliſſima quædam puella, quam ego tamen ne mortuus quidem odiſſe poſſum. MA. Humanum ingenium. Sed cur illi viciſſim non adimis ſuam animam, par pari, quod ajunt, referens? PA. Nihil me felicius, ſiquidem liceat facere permutationem, ſic ut illius animus viciſſim demigret in pectus meum, quemadmodum meus animus totus demigravit in corpus illius. MA. At licetne mihi tecum viciſſim [5] ſophiſtam agere? PA. [6] Sophiſtriam. MA. Num fieri poteſt, ut idem corpus

1 Negabis.

2 Sc in ſententiam tuam, i. e. concedo quod dicis.

3 Sc. argumenta, ſeu demonſtrationes.

4 Reſpice notas in *Conv. relig.*

5 Σοφιστὴς qui ſophiſmatibus utitur. Sophiſtæ qui dicantur, vide infra in Coll. *Diverſor.* & in multis aliis locis.

6 Σοφίστρια Magiſtra Sophiſticæ, ſeu deceptrix, quæ callidis utitur argumentis ad concludendum incautum. Vide infra *Diverſor.*

pus sit animatum,& exanime? PA. Non eodem quidem tempore. MA. Cum abest anima,tum mortuum est corpus? PA. Est. MA. Nec animat, nisi cum adest? PA. Esto sane. MA. Qui fit igitur, ut cum ibi sit,ubi amat,animet tamen corpus unde demigravit? Quod si animat, etiam cum amat alibi, quomodo vocatur exanime corpus,quod animatum est? PA. Argutare tu quidem satis sophistice; sed me talibus [1] pedicis non capies. Anima quæ [2] moderatur utcumque corpus animantis, improprie dicitur anima, cum revera sint tenues quædam animæ reliquiæ; non aliter quam odor rosarum manet in manu, etiam rosa submota. MA. Difficile est, ut video, [3] vulpem capere laqueo. Sed illud responde; Nonne agit, qui occidit? PA. Maxime. MA. Et patitur qui occiditur? PA. Scilicet. MA. [4] Qui fit igitur,ut cum qui amat,agat, quæ amatur,patiatur; occidere dicatur, quæ amatur, cum amans potius occidat seipsum? PA. Imo contra; qui amat, patitur: quæ amatur,agit. MA. Istuc nunquam evinces apud [5] Areopagitas Grammaticos. PA. At evincam apud [6] Amphictyones Dialecticos. MA. Verum ne graveris & illud respondere. Volens amas, an nolens? PA. Volens. MA. Cum igitur liberum sit non amare, videtur homicida quisquis amat; præterque jus accusat puellam. PA. Atqui puella non ideo occidit quod amatur, sed quod non amat [1] mu-

1 Laqueis.

2 Gubernat.

3 Duplex adagium est de vulpe, cujus astutia cui non nota? nempe hoc: *Vulpem capere laqueo difficile est*; deinde illud: *Vulpes, quæ semel effugerit laqueum, non capitur iterum.*

4 Quomodo.

5 Ἀρειοπάγῳ, vicus vel collis Martis, Athenis locus fuit, in quo judices, ab eo Areopagitæ dicti, de capitalibus judicabant: unde ridicule deflectit vocem ad Grammaticos. Mox plenius.

6 Amphictyonicum concilium, ab Amphictyone Heleni filio institutum, teste Strabone lib. 9. ex septem Græciæ civitatibus constabat. Hinc, quia Dialecticorum variæ sunt sectæ, per jocum eos Amphyctiones appellat.

[1] mutuum. Occidit autem quisquis servare potest, nec servat. MA. Quid si juvenis amet inconcessa, hoc est, uxorem alienam, aut [2] virginem Vestalem? num illa amabit mutuum, ut servet amantem? PA. Sed hic juvenis amat, quod amare fas piumque est, atque etiam æquum & bonum, & tamen occiditur. Quod si leve est homicidii crimen, & veneficii [3] ream peragam. MA. Istuc prohibeant superi. An [4] Circen quampiam ex me facies? PA. Aliquid & ista crudelius. Nam [5] porcus aut ursus esse malim, quam id quod nunc sum, exanimis. MA. Quo tandem veneficii genere perdo homines? PA. [6] Fascino. MA. An igitur vis, ut posthac abs te deflectam noxios oculos? PA. [7] Bona verba. Imo magis aflecte. MA. Si mihi sunt oculi fascinatores, qui fit, ut non contabescant & cæteri, quos obtueor? Itaque suspicor, fascinum istud esse in tuis oculis, non in meis. PA. Non sat tibi erat jugulare Pamphilum, ni [8] insultes insuper? MA. O lepidum mortuum! Sed quando parabuntur exsequiæ? PA. Opinione tua celerius, ni tu succurras. MA. Egon' rem tantam possum? PA. Potes vel mortuum ad vitam revocare, idque minimo negotio. MA. Si quis mihi porrigat [9] panacen. PA. Nihil opus herbis; tantum redama. Quid autem facilius, imo quid æquius? Non aliter absolveris ab homicidii crimine.

1 Vicissim eum, qui amat illam.

2 *Vestales virgines* apud Romanos olim fuere virgines sacris deæ Vestæ destinatæ, perpetuæque virginitati devotæ, adeo ut pollutæ primo quidem virgis ad mortem cæderentur, posteriori vero tempore vivæ sepelirentur.

3 Peragam ream, id est accusabo Ovid. Trist. lib. 1. *Et peragar populi publicus ore reus.*

4 *Circe* Filia Solis & Nymphæ Persis Poëtarum carminibus decantata, insignis venefica. Vide infra notas in *Conjugium.*

5 Respicit autor ad Historiam Circes & Ulyssis, quæ hunc hospitio excipiens socios ejus in porcos convertit.

6 Fingitur esse veneficii genus, quo homines oculorum maleficio, ad extremam miseriam rediguntur, *fascinum* dictum, à βασκάινω, *fascino, invideo.*

7 Respice paulo superius.

8 I. e. procaciter inveharis in me, & invideas.

9 Πανακία herba ita dicta, quasi quæ omnibus morbis medetur.

mine. MA. Apud quod tribunal peragar rea? [1] Areopagitarum? PA. Non; sed apud tribunal [2] Veneris. MA. Ajunt Deam esse placabilem. PA. Imo nullius ira perinde formidabilis. MA. Habet [3] fulmen? PA. Non. MA. Habet [4] tridentem? PA. Nequaquam. MA. Habet [5] hastam? PA. Minime? sed est [6] Dea maris. MA. Non navigo. PA. Sed habet [7] puerum. MA. Non est formidabilis ætas. PA. Vindicem ac pervicacem. MA. Quid is mihi faciet? PA. Quid faciet: Prohibeant omnes superi. Nolo enim illi malum ominari, cui bene volo. MA. Tamen [8] effare; nulla mihi superstitio est. PA. Dicam ergo. Si hunc spreveris amantem non omnino mutuo indignum amore, nisi fallor, ille fortasse jussu matris immittet tibi pessimo veneno tinctum [9] jaculum, ut in [10] sordidum aliquem [11] depereas, qui te tamen non redamet. MA. Supplicium narras abominandum. Ego sane vel mori præoptarim, quam perdite amare deformem, nec amore mutuo respondentem. PA. Atqui nuper hujus mali fuit exemplum insigniter editum in puellam quandam. MA. Ubi locorum? PA. [12] Aureliæ. NA. Quot anni sunt? PA. Quot anni? vix sunt menses decem. MA. Puellæ quod erat nomen? Quid [13] hæres? PA. Nihil; novi

1 Areopagitæ judices, qui Athenis de capitalibus criminibus judicabant, ita dicti, quod in templo Martis (qui Græcis Ἄρης) congregabantur. Mars enim, ut fabulata est antiquitas, cum homicidii crimine reus fieret judicantibus duodecim Diis, sex sententiis fuit absolutus in vico Athenensi Areopago.

2 Quæ est amoris Dea.

3 Quod est telum Jovis.

4 Tridente armatus fingitur Neptunus.

5 Hasta est telum Palladis.

6 Venus ex spuma maris (unde Græcis ἀφροδίτη dicta) & Cœli testiculis à Saturno excisis, & in mare projectis orta fingitur à Poëtis.

7 Nempe Cupidinem.

8 Eloquere.

9 Cupidinem armatum fingunt duobus plane diversæ naturæ jaculis, aureo nempe, & plumbeo. Hoc amorem pellit: illud conciliat.

10 Ignobilem, indignum.

11 *In aliquem deperire*, est impatienter aliquem amare.

12 Urbs ad Ligerim, Academia insignis, vulgo *Orleans* dicta.

13 Dubitas.

novi tanquam te. MA. Quin igitur [1] edis nomen? PA. Quia non placet [2] omen. Utinam alio quovis nomine dicta fuissent. Idem habebat nomen, quod tu. MA. Pater quis erat? PA. Vivit adhuc inter jureconsultos præcipui nominis, [3] re splendida. MA. Adde nomen. PA. Mauritius. MA. Cognomen. PA. [4] Aglaius. MA. Vivitne mater? PA. Nuper [5] reliquit superos. MA. Quo morbo periit? PA. Quo morbo rogas? mœrore. Et pater, tametsi vir cum primis fortis, periclitabatur. MA. Licetne scire matris quoque nomen? PA. Maxime. [6] Sophronam nemo non novit. Sed quid sibi vult ista percunctatio? An me putas [7] apologum comminisci? MA. Egone de te suspicarer hoc? Hæc suspicio pronior est in sexum nostrum. Sed narra, quid acciderit puellæ. PA. Puella erat [8] honesto loco nata, ut dixi, re lauta, forma perquam eleganti: quid multis; digna principe marito. Hujus nuptias ambiebat procus quidam illi non dissimilis. MA. Quo nomine? PA. Hei mihi; offendor omine; Pamphilus & ille dictus est. Illa nihil non tentantem pertinacissime sprevit. Juvenis dolore contabuit. Nec ita multo post, illa deperire cœpit in quendam, simium verius quam hominem. MA. Quid ais? PA. Adeo perdite, ut satis dici non queat. MA. Tam elegans puella tam deformem? PA. Vertice acuminato, raro capillitio, eoque lacero & impexo, [9] furfure ac [10] lendibus oppleto: pleramque cranii cutem

1 Eloqueris.

2 De omine & in hoc & in priori bus colloquiis abunde dictum est.

3 Opibus splendidis. *Res* pro censu sæpius alibi.

4 Ἀγλαὸς Græcè splendidus, illustris.

5 Id est, *mortua est*. *Superos*, i. e. homines habitantes in terra, quæ respectu inferorum supera est.

6 Σώφρων, prudens, temperans.

7 Ἀπόλογος, fabula.

8 *Honesto loco*, i. e. *probo genere* vel honestis parentibus, ut è contrario *sordido* vel *obscuro loco*, i. e. *ignobili*.

9 Squamulis furfuraceis. Est hoc vitium capitis, ita dictum, quod sit instar furfuris, seu purgamentum farinæ dicitur.

10 Pediculorum ovis. 1 *Alo-*

cutem nudaverat [1] alopecia; oculis [2] refugis, naribus [3] simis ac sursum hiantibus, ore sparso, dentibus putridis, balbutiente lingua, mento scabioso; scapulas deformabat [4] gibbus; venter prominulus, crura [5] vara. MA. [6] Thersiten quempiam mihi depingis. PA. Imo ajunt illi non fuisse nisi unam auriculam. MA. Altera perierat illi fortasse in bello. PA. Imo in pace. MA. Quis hoc ausus est? PA. Dionysius carnifex. MA. Fortasse formæ infelicitatem pensabat [7] res ampla domi? PA. Imo [8] decoxerat, ac plus quam [9] animam debebat. Cum hoc marito tam insignis puella nunc degit ætatem, ac subinde vapulat. MA. Rem miseram narras. PA. Sed veram. Sic visum est [10] Nemesi juvenis spreti contumeliam ulcisci. MA. Ego citius optarem [11] extingui fulmine, quam talem ferre maritum. PA. Ergo ne provoca Nemesim, & amantem redama. MA. Si quidem istuc satis est, redamo. PA. Sed optarim istum amorem esse perpetuum ac [12] proprium; conju-

1 *Alopecia* est morbus fœdus, quo capilli defluunt, ita dictus ab ἀλώπηξ, vulpes, eo quod huic morbo sæpius obnoxia est.

2 Quasi introrsum fugientibus, i. e. latentibus.

3 Id est, *pressis*. *Nasus simus* est idem qui pressus, instar Simiæ.

4 Eminens dorsi tumor.

5 *Vara crura* sunt crura introrsum obtorta.

6 *Thersites* apud Homerum omnium Græcorum maxime deformis, & loquax depingitur. Vide Iliad. β, αἰσχιστος δὲ ἀνὴρ ὑπὸ Ἴλιον ἦλθε &c. Hinc hominem insigniter turpem & deformem *alterum Thersitem* nominamus. Vide infra Colloq. γάμος ἀγαμος, sive *Conjugium impar*. In eo describit Erasmus quendam etiam prodigiose deformem.

7 Idem quod paulo superius, *res lauta*.

8 *Decoquere* metaphorice pro *consumere* usitatissimum. Vide infra Coll. *Alcumist.*

9 *Animam debere* dicitur is, qui immodico ære alieno tenetur, ita ut plusquam omnes facultates debeat, ac denique se ipsum. Erat enim antiquitus lex, ut qui solvendo non esset, is nexus addiceretur creditori, luiturus corpore, id est, opera, quod ære non posset.

10 *Nemesis*, Dea insolentiæ vindex.

11 Occidi.

12 Recte præcedit *perpetuum*, nam quod proprium est, homini perpetuum est, & peculiare. Desumptum ex Terentii Andria Act. 5. Sc. 5. *Ego Deorum vitam propterea sempiternam esse arbitror, quod voluptates eorum propriæ sunt.* Vide & Act. 4. Sc. 2.

1 Nam

conjugem ambio, non [1] amicam. MA. Neque [2] me id fugit; sed diu deliberandum est in eo, quod semel cœptum [3] rescindi non potest. PA. Apud me quidem nimium diu deliberatum est. MA. Vide autem, ne [4] tibi imponat amor, non optimus consultor. Nam cæcum esse ferunt. PA. Sed oculatus est, qui ex judicio nascitur. Non ideo mihi talis videris, quod amem te; sed ideo te amo, quod talem te conspexerim. MA. At vide ne non satis me perspectam habeas. Si [5] calceum induisses, tum demum sentires, qua parte te urgeres. PA. [6] Jacienda est alea; quamquam ego multis [7] auguriis colligo rem melius cessuram. MA. Etiam [8] augur es? PA. Sum. MA. Quibus igitur auguriis colligis? An volavit [9] noctua? PA. Illa volat stultis. MA. An [10] à dextris advolavit [11] jugum columbarum? PA. Nihil istiusmodi. Sed mihi jam annis aliquot perspecta est probitas tuorum parentum: ea primum [12] avis est non pessima, è bonis prognatam esse. Neque me clam est, quam salubribus monitis, quam sanctis exemplis apud

1 Nam amica, (Gr. ἑταίρα, vel ἑταίρη) specioso nomine sæpius, præsertim Poëtis, rem odiosam, meretricem sc. denotat.

2 *Fugit* vel *latet me*, i. e. ignoro.

3 Aboleri, irritum fieri.

4 Te fallat.

5 Alludit ad dictum Pauli Æmilii, repudiata uxore.

6 Jacere aleam, i. e. facere periculum. Nam *alea*, qua proprie denotatur omne ludi genus, quod in sortis varietate consistit, sumitur quoque pro fortuna, & periculi dubitatione. vide Livium lib. 1. *Quoniam non contenti libertate certa, in dubiam imperii servitiique aleam imus.*

7 Id est *divinationibus*. *Augurium* proprie divinatio est ex avium volatu, pastu, & cantu. Ita & *auspicium*, de quo sæpius alibi.

8 *Augur* est sacerdos, ita dictus ab *avibus*, & *gerendo*, qui futura prædicit ex volatu, pastu, vel cantu avium. Hinc superstitioni Romani adeo addicti fuerunt, ut nihil belli domique nisi auspicato gereretur, Concilia populi, exercitus vocati, summa rerum, ubi aves non admisissent, dirimerentur. Liv. Hist. Lib. 1.

9 Noctuæ volatus apud Athenienses fuit olim felix. Respice quæ diximus in notis pag. 139.

10 *A dextris*. Nam hoc felix, veluti à *sinistris* infelix. Vide infra *Senatulum* in principio.

11 Jugum, id est, par columbarum. Columbæ Veneri sacræ, earumque auguria felicia habita sunt.

12 Divinatio. Nam rem bonis vel malis avibus, id est, feliciter aut secus, cedere dicimus, ab observatione augurum, de quibus supra non semel.

pud hos sis instituta. Et plus est bene institui, quam bene nasci. Habes alterum augurium. Ad hæc meis majoribus non omnino malis, ni fallor, jam olim cum tuis amicitia non vulgaris intercedit: quin & nos inter nos à [1] teneris, quod ajunt, unguiculis noti sumus; nec male convenit [2] geniis nostris. Jam ætas inter nos, res, dignitas, nobilitas, inter utriusque parentes pene paria sunt. Demum, quod est in amicitia præcipuum, tui mores mihi videntur [3] non pessime quadrare ad meum ingenium. Potest enim per se præclarum esse, quod tamen non sit aptum. Quam mei vicissim tuo congruant, nescio. Hæ videlicet aves, mea lux, mihi promittunt fore inter nos felix, perpetuum ac lætum jucundumque connubium, modo ne tuus animus [4] mali ominis cantionem nobis occinat. MA. Quam cantilenam optas? PA. Ego præcinam; Sum tuus: tu succine; Sum tua. MA. Brevis quidem cantiuncula; sed longum habet [5] epiphonema. PA. Quid refert, quam longum, modo lætum? MA. Adeo mihi es invisus, ut nolim te [6] committere, cujus in posterum pœniteat. PA. Desine male ominari. MA. Fortassis alia tibi videbor, ubi morbus aut ætas hanc formam immutarit. PA. Nec [7] hoc corpus, ô bona, semper erit æque succulentum. Sed ego non contemplor tantum istud undique florens & elegans [8] domicilium, [9] hospitem magis adamo. MA. Quem hospitem? PA. Animum istum

1 *A teneris unguiculis*, id est, *à prima pueritia, vel à teneris annis.* Translatum à catulis, quorum unguiculæ nondum duruerunt. Idem est, *ab incunte ætate, à pueris, à tenera ætate, ab incunabulis, ab ipso statim lacte*, quod vide infra sub finem Coll.

2 Id est, indoli nostræ. De Genio vide pag. 189.

3 Id est belle. Ejusmodi loquendi formulas per negationem, modestiæ causa commendat Autor supra pag. 126.

4 Nempe si recuses succinere, sum tua

5 Ἐπιφώνημα, acclamatio. Facile est dicere *sum tua*: sed duobus verbis contrahitur vinculum indissolubile.

6 Aliquod factum perpetrare.

7 Demonstrative. meum.

8 Corpus nempe, cujus hospes est anima. respice *Conviv. Religios.*

9 Scil. animam.

istum tuum, cujus decor semper cum ætate crescet. MA. Næ tu plus quam [1] lynceus es, si istum perspicis per tot tectoria. PA. Animum animo perspicio. Ad hæc, in communibus liberis subinde rubescemus. MA. Sed interim perit virginitas. PA. Verum. Sed eho, dic mihi, si tibi esset elegans pomarium, optares illic nihil unquam gigni præter flores? an malles, delapsis floribus, videre arbores maturis pomis gravidas? MA. [2] Ut argutatur! PA. Saltem illud responde, utrum est elegantius spectaculum; vitis humi jacens, & computrescens; an amplexa palum aut ulmum, eamque purpureis uvis degravans? MA. Responde tu mihi vicissim, utrum spectaculum amœnius; rosa nitens & lactea in suo frutice; an decerpta digitis ac paullatim marcescens? PA. Ego rosam existimo feliciorem, quæ marcescit in hominis manu, delectans interim & oculos & nares, quam quæ senescit in frutice: nam & illic futurum erat, ut marcesceret; quemadmodum felicius est vinum, quod bibitur antequam acescat. Quamquam non statim marcescit flos puellæ si nupserit: imo video multas, quæ ante nuptias pallebant, languebant, ac velut extabescebant, ex congressu viri sic enituisse, ut tum demum florere cœperint. MA. Attamen favorabilis ac plausibilis apud omneis est virginitas. PA. Elegans quidem res puella virgo: sed quid juxta naturam prodigiosius anu virgine? Nisi matri tuæ defluxisset flos ille, nos istum floseulum non haberemus. Quod si, ut spero, non sterile fuerit nostrum conjugium, pro una virgine multas dabimus. MA. Attamen ajunt, rem Deo gratissimam esse castitatem. PA. Et ideo castam puellam mihi cupio nubere, ut cum illa caste vivam. Magis erit animorum quam corporum conjugium.

1 Id est perspicax. De Lynceo, & Lynceis oculis respice pag. 133.

2 Quam argute loquitur!

jugium. [1]Gignemus Reipublicæ, gignemus Christo. Quantulum abierit hoc matrimonium à virginitate? Et fortasse olim sic convivemus, quemadmodum vixit cum Maria Joseph. Sed interim discemus virginitatem. Non enim statim pervenitur ad [2] summum. MA. Quid ego audio? Violanda virginitas, ut discatur? PA. Quid ni? Quemadmodum paulatim bibendo vinum parcius, discimus [3] esse abstemii. Uter tibi videtur temperantior, qui in mediis deliciis accumbens abstinet, an qui semotus ab his, quæ provocant intemperantiam? MA. Arbitror eum fortius temperantem, quem parata copia non potest corrumpere. PA. Utri verius debetur laus castitatis, eine qui [4] semet exsecat, an qui membris integris, tamen abstinet à Venere? MA. Equidem posteriori [5] meo calculo tribuerim laudem castitatis, priori [6] dementiam. PA. An qui [7] voto adstricti abjurant matrimonium, nonne quodam modo exsecant sese? MA. Videtur. PA. Jam non est virtus non [8] coire. MA. An non est? PA. Sic accipe. Si per se virtus esset non coire, vitium esset coire. Nunc [9] incidit, ut vitium sit non coire, coire virtus. MA. Quando hoc incidit? PA. Quoties ab uxore jus suum petit maritus, præsertim si [10] prolis amore quærit complexum. MA. Quid si lasciviat? non est fas negare? PA. Fas est monere, vel rogare potius blandius, ut temperet: pernegare instanti, fas non est. Quanquam hac quidem in parte raras audio querelas maritorum de

1 Sc. liberos.
2 Scil. gradum, id est, *ad perfectionem*.
3 Qui non bibunt vinum dicuntur *abstemii*, quasi *absque* temeto, id est, vino.
4 Id est *sibi exsecat testiculos*, h. e. se castrat.
5 Meo judicio, olim enim calculis in urnam injectis suffragia colligebantur.
6 Insaniam.
7 Monachi nempe, virginesque inter Pontificios, quæ perpetuam virginitatem vocent.
8 Concumbere. Hinc coitus, concubitus.
9 Contingit.
10 Sc. gignendæ.

de suis uxoribus. MA. At dulcis est libertas. PA. Imo gravis est sarcina virginitas. Ego tibi rex ero, tu mihi regina: imperabimus familiæ nostro arbitratu: an tibi videtur ista esse servitus? MA. Vulgus conjugium [1] capistrum vocat. PA. Sed ipso vero capistro digni sunt, qui sic vocant. Dic mihi, quæso, an non animus tuus est alligatus corpori? MA. Videtur. PA. Non aliter quam avicula caveæ. Et tamen consule illum, an cupiat esse liber. Negabit, opinor. Quam ob rem? Quia libenter est alligatus. MA. [2] Res est utrinque modica. PA. Tanto tutior. Eam tu domi augebis parsimonia, quæ non sine caussa dicta est magnum vectigal; ego foris industria. MA. Innumeras curas secum adferunt liberi. PA. Sed iidem innumeras voluptates, ac sæpenumero multo cum fœnore reponunt parentibus officium. MA. Misera quædam res est [3] orbitas. PA. An nunc orba non es? Quid autem opus in re dubia male ominari? Dic mihi, utrum malles nunquam nasci, an nasci moritura? MA. Equidem malim nasci moritura. PA. Sic miserior est orbitas, quæ prolem nec habuit, nec habitura est: quemadmodum feliciores sunt, qui vixerunt, quam qui nec nati sunt, nec nascentur unquam. MA. Qui sunt isti, [4] qui non sunt, nec erunt? PA. Quanquam qui recusat ferre casus humanos, quibus omnes ex æquo sumus obnoxii, sive plebeii sumus, sive reges, is è vita migret oportet; & tamen quidquid acciderit tu non feres nisi dimidium, ego majorem portionem in me transferam. Ita si quid acciderit læti,

1 Capitis vinculum, quod equis, cæterisque jumentis injicitur, ne fugiant.

2 Opes modicæ & mihi & tibi sunt.

3 *Orbitas* derivatur ab adjectivo *orbus*. *Orbus*, ut quidam volunt, proprie dicitur, qui lumen oculorum amisit, quasi amissis orbibus, propter rotunditatem oculorum. Hinc per metaphoram orbi dicti quicunque aliqua re cara privati sunt, & *orbitas* ejusmodi carę rei privatio, ut si liberi parentibus, parentes liberis, uxor marito careat. Hic vero autor intelligit ἀτεκνίαν, i. e. carere liberis.

4 Jocatur in hoc quod ridicule dixerat procus, *qui non sunt, nec futuri sunt, eos non esse felices.*

læti, gemina fiet voluptas: si quid mali, societas adimet dimidium ægritudinis. Mihi vero, [1] si fata vocent, dulce fuerit vel immori tui complexibus. MA. Facilius [2] ferunt homines, quod juxta communes naturæ leges accidit; sed video, quanto plus molestiarum adferant nonnullis parentibus liberorum mores, quam mortes. PA. Istius rei ne quid accidat, maxima ex parte in nobis situm est. MA. Qui sic? PA. Quoniam fere boni nascuntur ex bonis, quod ad indolem attinet. Neque enim è columbis nascuntur [3] milvii. Dabimus igitur operam, ut ipsi boni simus. Deinde curabimus liberos [4] ab ipso statim lacte sanctis præceptis & opinionibus imbuendos. Plurimum refert, quid infundas [5] rudi testulæ. Ad hæc curabimus, ut domi habeant exemplum vitæ quod imitentur. MA. Difficile est quod narras. PA. Nec mirum; [6] quia pulchrum est: atque ob hoc ipsum tu quoque difficilis es. At tanto studiis acrioribus huc enitemur. MA. Habebis [7] sequacem materiam, tu vide, ut me formes, fingasque. PA. Sed interim pronuntia [8] tria verba. MA. Nihil facilius; sed verba simul atque semel evolarint, non revolant. Dabo consilium utrique commodius. Ages cum tuis

1 Ita sæpe loquuntur Poëtæ. *Fatum* Ethnicis & Christianis dicitur illud æternum & inevitabile Dei decretum. Quia vero omnibus mortalibus semel est moriendum, hinc sæpe fatum ipsam mortem significat.

2 Tolerant.

3 *Milvus*, vel *Milvius* avis rapax. Non ideo tamen verum est dictum vulgare: ex bonis parentibus nasci bonos liberos.

4 *Ab ipso statim lacte*, vel *cum ipso statim lacte* (ita enim inquit Cicero, *Pene cum lacte nutricis errorem suxisse videmur*) idem est ac si dicas, *ab ipsis incunabulis*. Alia hujus notæ adagia annotavimus pag. 205.

5 Notum est illud Horatianum, ad quod Autor respicit. *Quo semel est imbuta recens servabit odorem Testa diu.*

6 Græci dicunt δύσκολα τὰ καλὰ difficilia quæ pulcra.

7 Tractabilem.

8 Tria verba, id est pauca. Terentius in Phormion. Act. 4. Sc. 3. *Tria non commutabitis verba inter vos.* In hunc Terentii locum ita annotat Erasmus, cujus verba, quod mihi hic ad rem videtur, apponam. D. Hieronym in dialogo Lucif & Orthod. *Tribus, ut ajunt, verbis, rem istam grandem dissolvisti.* Et Pindarus in Nemeis Hym. 12. τρία ῥήμα

tuis ac meis parentibus, ut utrorumque voluntate res transigatur. PA. Ambire me jubes: tu potes tribus verbis rem certam reddere. MA. An possim, nescio: [1] mei juris non sum. Nec sine majorum auctoritate olim coïbant conjugia. Verum, utcunque est, arbitror, [2] auspicatius fore nostrum conjugium, si parentum auctoritate coëat. Et vestrum est ambire, nobis decorum non est. Gaudet enim [3] rapi virginitas, etiamsi nonnunquam vehementius amemus. PA. Non pigebit ambire, modo ne me frustretur tuum unius suffragium. MA. Non frustrabitur; bono animo esto, mi Pamphile. PA. Tu mihi heic religiosior es, quam vellem. MA. Imo tu tuum ipsius suffragium apud te prius expende. Nec affectum istum tuum adhibe in consilium, sed rationem. Quod affectus decernit, temporarium est: quod autem dictat ratio, perpetuo solet placere. PA. Næ tu pulcre philosopharis; itaque parere certum est tuis consiliis. MA. Non pœnituerit obsequii. Sed heus tu, incidit interim [4] scrupulus, qui meum animum male habet. PA. Valeant scrupuli. MA. Vin' [5] me nubere mortuo? PA. Nequaquam; sed revixero. MA. Amovisti scrupulum. Bene vale mi Pamphile. PA. Istuc tu cura. MA. Precor tibi lætam noctem. Quid suspiras? PA. Lætam noctem ais? Utinam largiare

ἅπτει διαρρήσει. *Tria verba sufficient.* Tamersi me non fugit, hic interpretes supersitiosius philosopharі *de tribus verbis.* Consimili figura sexcenta dicimus pro multis: *Sexcentas proinde scribito jam mihi dicas.* Contra *verbo rem expedire* dicitur, qui paucis explicat; & ne *syllaba quidem attingere*, qui nihil omnino meminit.

1 Q. d. sum sub patria potestate.

2 Felicius.

3 Hac de causa Romanis olim mos fuit, ut virgo sponsa de sinu matris à sponso raperetur.

4 Sollicitudo. Ita & paulo post virgo respondet: *Amovisti scrupulum*, id est, sollicitudinem sustulisti, cujus contrarium est, *scrupulum injecisti.* Cur scrupulus pro sollicitudine, vide infra in *Ichthyoph.*

5 Dixit enim supra Pamphilus se amoris cruciatu ita excarnificatum, ut jam cadaver exanime esset,

largiare quod precaris. MA. Ne quid præpropere; [1] adhuc tua messis in herba est. PA. Nihil ne [2] tui mecum auferam? MA. Hunc [3] pastillum, qui tibi cor exhilaret. PA. Adde saltem osculum. MA. Cupio tibi virginitatem integram & [4] illibatam tradere. PA. An osculum aliquid decerpit virginitati? MA. Vis igitur ut [5] aliis quoque largiar oscula? PA. Nequaquam: mihi servari volo mea oscula. MA. Tibi servo. Quanquam est aliud, cur in præsentia nec ausim dare osculum. PA. Quid istuc? MA. Ais tuum animum pene totum demigrasse in corpus meum; in tuo quam minimum supereresse: vereor itaque ne in osculo hoc ipsum, quod in te supereſt, transiliat in me, tuque jam totus fias exanimis. Accipe igitur dextram, mutui amoris [6] symbolum, ac bene vale. Tu gnaviter rem gere. Ego interim Christum comprecabor, ut, quod agitur, utrique nostrum velit esse felix ac faustum.

1 Utimur hoc adagio, ubi spem immaturam significamus, ac longius adhuc abesse, quam ut eam consequi possis. Metaphora ducta est de segete, quæ primum herbescit, deinde fert aristas, tandem flavescit ad messem, præterea-que variis casibus obnoxia est. Ita Ovid. in Epist. Helen. ad Patid. *Sed nimium properas, & adhuc tua messis in herba est.*

2 Ambigue dictum. Nam si genitivus à *Tu* petit osculum: si à *Tuum* petit aliud. At virgo statim secus interpretatur, quam procus senserat.

3 *Pastillus* est sphærula ex odoribus confecta, quam manibus circumferunt. Horat Sat. 2. lib. 1. *Pastillos Rufillus olet, Gorgonius hircum.*

4 Intactam. i e. puram.

5 Procis.

6 Vox *symbolum* varias habet significationes, quas fusius enarrabimus infra in *Inquisit. de fide.* Hoc loco intellige *signum.*

VIRGO [1] Μισόγαμος.

[2] EUBULUS, [3] CATHARINA.

EU.

1 Μισόγαμος, i. e. abhorrens à nuptiis. Nam inducitur hic virgo, quæ cane pejus & angue odit conjugium, sed à monachis & sacerdotibus seducta, pervicaci animo vult nubere Christo, (si Diis placet) hoc est in monasterio ætatem degere, & perpetuam virginitatem vovere: à *μισέω* odi, & *γάμη* nuptiæ.

2 *Eubulus*, i. e. bonus consultor, qui bene consulit, ab *εὖ bene*, & *βουλὴ consilium.*

3 Affingit autor accommodata rebus nomina. Cum enim puellæ obstinatæ

EU. [1] GAudeo tandem finitam esse cœnam, ut liceat hac frui deambulatione, qua nihil amœnius. CA. Et me jam tædebat sessionis. EU. Quam vernat, quam [2] arridet undique mundus; Hæc nimirum est illius [3] adolescentia. CA. Sic est. EU. At cur tuum ver non æque arridet? EU. Quam ob rem? EU. Quia [4] subtristis es. CA. An videor alio vultu quam soleo? EU. Vis ostendam te tibi? CA. Maxime. EU. Vides hanc rosam sub imminentem noctem foliis contractioribus? CA. Video. Quid tum postea? EU. Talis est vultus tuus. CA. Bella collatio. EU. Si mihi parum credis, in hoc fonticulo contemplare te ipsam. Quid sibi tandem volebant, & inter cœnandum, ista tam crebra suspiria? CA. Desine percunctari, quod tua non refert scire. EU. Imo mea refert maxime, qui non possum esse hilaris nisi te quoque videam hilarem Ecce autem iterum suspirium, hui quam ex imo pectore ductum! CA. Est quod angat animum, sed effari non est tutum. EU. Mihi non dices, qui te cariorem habeo sorore [5] propria? Mea Catharina, ne verere quidquid est rei; [6] tuto depones his auribus. CA. Ut tuto dicam, vereor ne frustra dicam non auxiliaturo.

EU.

stinatæ monasticam vitam amplecti propositum esset, recte impuritatis illa claustra (Erasmo semper invisa) dissuadet procus, qui & hinc vocatus *Eubulus*. Virgo vero, quoniam pietatis zelo virginitatem perpetuam spondere in animo habebat, bene *Catharina* vocatur, id est, *pura*: nam καθαρὸς Græce *purus*.

1 Ex abrupto introducuntur personæ, tanquam surgentes è mensa, post finitam cœnam.

2 Respice notas in limine *Convivii religiosi*.

3 *Ver* vocatur quasi mundi adolescentia, quia mundus verno tempore creatus à multis creditur. Audi Virgilium lib. 2. Georg. qui, postquam ver elegantissime descripserat, ita pergit: *Non alios prima crescentis origine mundi Illuxisse dies, aliumve habuisse tenorem Crediderim; ver illud erat, ver magnus agebat Orbis*, &c.

4 *Subtristis*, i. e. *paulum tristis*, alibi supra notavimus præpositionem *sub* in compositione significationis primitivæ vim minuere,

5 Germana.

6 Deponit magistratum qui se abdicat magistratu, & deponit pignus, qui rem suam servandam tradit alienæ fidei. Sic Horatius. Quidquid habes depone tutis auribus.

1 Sc.

EU. Qui scis? Si non re ipsa, fortassis, consilio consolandoque juvero. CA. Non possum eloqui. EU. Quid istuc est rei? odisti me? CA. Sic odi, ut mihi minus carus sit meus [1] germanus: & tamen animus non fert ut eloquar. EU. Fateberis igitur, si divinaro? Quid tergiversaris? Promitte, alioqui non omittam urgere. CA. Age promitto. EU. Prorsus ego non video, quid tibi desit ad summam felicitatem. CA. Utinam vera prædicares; EU. Primum adest [2] ipse flos ætatis. Nam, nisi fallor, agis annum jam decimum septimum. CA. Sic est. EU. Nondum igitur, ut opinor, discruciat te metus [3] senectæ. CA. Nihil minus. EU. Adest forma nulla parte non felix; est & istud præcipuum Dei donum. CA. De forma [4] qualis qualis est, nec glorior, nec queror. EU. Tum color & habitudo corporis indicat te esse prospera valetudine, nisi quid est morbi occultioris. CA. Nihil istiusmodi, gratia Deo. EU. Fama est integra. CA. Ita confido. EU. Adest ingenium isto dignum corpore, felicissimum, & quale mihi optem ad liberales disciplinas. CA. Si quod est, Dei munus est. EU. Nec deest morum amabilis gratia, quam in felicissimis etiam formis non raro [5] desideramus. CA. Optarim equidem mores me dignos. EU. Multorum animos dejicit [6] generis infelicitas: tibi parentes sunt & [7] bene nati, & probi, & [8] re lauta, & tui amantissimi. CA. Hinc nihil queror. EU. Quid multis? Ego mihi ex omnibus puellis, quas habet hæc regio, non delegerim

1 Sc. frater.

2 Id est, *vigor ætatis*. Desumptum ex Terentii Eunucho. Act. 2. sc. 3. *Anni sexdecim, flos ipse*. Virgo itaque in flore ætatis dicitur, cum primum est matura viro; metaphora est simplicissima, pariter & aptissima. Sic *Puella flore viridissimo* apud Catullum, & *Frui flore ætatis* apud Lucretium legitur.

3 *Senectus, utis, & senecta, tæ.*

4 Qualiscunque.

5 Id est, requirimus; ubi vero non desit, non desideramus.

6 Deprimit, i. e. non finit erigere ad altiora.

7 Id est, *honesto loco*, de quo diximus in notis ad pag. 202.

8 Opibus splendidis.

rim aliam sponsam, quam te, si quod [1] sidus mihi prosperum affulgeret. CA. Nec ego deligerem alium sponsum, si placeret ullum conjugium. EU. Et tamen magnum quiddam esse debet, quod sic discruciat animum tuum. CA. Est omnino non leve. EU. Non ægre feres, si [2] divinem? CA. Jam pollicita sum. EU. Expertus novi, quanta crux sit amor. Age fatere; nunc promisisti. CA. Amor est in caussa, sed non ejus generis, cujus tu suspicare. EU. Quod genus tu mihi narras? CA. Divina. EU. Equidem consumpsi omnem divinationem meam. Et tamen non omittam hanc manum, donec extorsero quid sit. CA. Ut violentus es! EU. [3] Depone in sinum meum, quidquid isthuc est curæ. CA. Quando sic urges, dicam. Jam inde à [4] teneris annis me mirus quidam affectus [5] habebat. EU. Quis, obsecro? CA. Ut adjungerer collegio sacrarum virginum. EU. Ut fieres [6] monacha? CA. [7] Sic habet. EU. Hem [8] pro thesauro carbones. CA. Quid ais Eubule? EU. Nihil, [9] mea lux; tussiebam: sed perge dicere. CA. [10] Huic animo meo semper pertinacissime restitere parentes. EU. Audio. CA. Ego contra precibus, blanditiis, lacrymis oppugnabam parentum pietatem. EU. Res mira. CA. Tandem cum ego nullum facerem finem orandi, obsecrandi, obtestandi, lacrymandi, polliciti sunt, ubi pervenissem ad annum decimum septimum, sese obtemperaturos voluntati meæ, si modo tum idem perstaret animus. Venit is annus, manet idem animus,

1 *Sidus prosperum affulget*, i.e. Deus res & vota secundat. Adagio originem dedere Chaldæi, aliique vani Astrologi, qui ex astris hominum fata dependere rati, & ex iis futura prædicere ausi sunt.

2 Conjiciam, respice pag 188.

3 Id est secreta committe taciturno.

4 Respice pag. 205.

5 Tenebat.

6 Μοναχὴ solitaria.

7 Ita res est.

8 Sic dicitur, cum aliud invenitur, quam expectatur, id est cum magnifica sperantur, & meræ nugæ inveniuntur. Ut si quis thesauri spe fodiens, carbones defossos inveniat. Vide infra *Alcumist.*

9 Blandior salutatio inter amantes.

10 Huic voluntati.

1 Desum-

animus, parentes tamen contra promissum pernegant: hoc est quod discruciat animum meum. Aperui morbum meum: tu nunc medicum age, si quid potes. EU. Primum illud dabo consilium, suavissima virgo, ut modereris affectibus tuis, & [1] si id non continget quod vis, id velis quod possis. CA. Emoriar, nisi quod volo, assequar. EU. Et unde cepisti istum fatalem affectum? CA. Olim admodum puella ducta sum in quoddam virginum collegium. Circumducebamur, ostendebantur omnia: placebant virgines vultibus nitentibus, videbantur angelæ: in templo nitebant omnia, atque etiam fragrabant, nitebant horti cultissimi. Quid multis? nihil non arridebat, quocunque vertebam oculos. Accedebant ad hæc blandissima virginum colloquia. Unam atque alteram illic reperi, [2] quicum olim infantula lusitare consuevi. Ex eo tempore cœpit animus ardere ejus vitæ desiderio. EU. Non sum improbaturus sacrarum virginum institutum: quanquam non omnia [3] conducunt omnibus: sed habita [4] tui genii ratione, quem mihi videor ex vultu, moribusque tuis collegisse, suaserim, ut nubas marito tui simili, tuæque domi novum instituas collegium, cujus maritus agat patrem, tu matrem. CA. Emoriar citius, quam virginitatis propositum deseram. EU. Res est egregia virginitas, si pura sit: sed nihil necesse est, ut hac gratia dedas te in collegium, unde non possis postea eximi. Licet apud parentes virginitatem tueri tuam. CA. Licet, at non perinde tuto. EU. Imo, ut ego arbitror, aliquanto tutius, quam apud illos crassos, semper cibo distentos [5] monа-

1 Desumptum ex Terentii Andria Act. 2. Sc. 1. *Quoniam non potest fieri, quod velis, id velis quod possis.* Græc. ὃ δύναμαι θέλεις, θέλῃς ὃ δύναται.

2 Cum qua.

3 Utilitia sunt.

4 Tui genii, i. e. tuæ indolis. De genio supra non semel.

5 Qui curant nempe (quod infra Erasmus de aliis inquit) ut ventri bene sit; & ne quid desit iis, quæ sub ventre sunt.

monachos. Nec enim castrati sunt, ne tu sis insciens. Patres vocantur, ac frequenter efficiunt, ut hoc nomen vere competat in ipsos. Olim nusquam virgines honestius vivebant, quam apud parentes; nec alium habebant patrem, quam Episcopum. Sed obsecro, dic mihi, quod tibi collegium ex omnibus delegisti, cui te addicas in servitutem? CA. [1] Chrysercium. EU. Agnosco, ædibus paternis vicinum. CA. Recte. EU. Atque pulchre novi totum hoc sodalitium, [2] dignum vero ob quod patrem, ac matrem, & cognatam tibi honestamque familiam repudies! Nam ille [3] patriarcha jam pridem & ætate, & vino, & natura delirus est, nec illi quidquam jam sapit præter vinum. Habet duos sodales se dignos, Joannem & Jodocum. Quorum Joannes, ut fortasse vir malus non est, ita nihil habet viri, præter barbam; eruditionis ne pilum quidem, prudentiæ non multo plus. Jodocus adeo stupidus est, ut nisi veste sacra commendaretur, obambularet publicitus in [4] cuculla fatui cum auriculis ac tintinnabulis. CA. Mihi videntur viri boni. EU. Melius istos novi, quam tu, mea Catharina. Isti fortasse [5] sunt tibi patroni apud parentes, ut efficiant te [6] proselytam suam. CA. Jodocus maxime

1 Nomen fictum est. Videtur innuere monasterium, quod tunc temporis fuit juxta Goudam. Certe fuit monasterium ordinis Canonicorum, quos regulares vulgo vocant, in Emaus sive Stein, in quo Erasmus adolescens aliquandiu vixit. An hoc aliud sit collegium, non dicam. Χρυσὸς, *aurum*.

2 Ironia.

3 Præfectus Collegii, vulgo *Prior* vel *Provincialis*. Synecdochice dictus Πατριάρχης. Est autem proprie *Patriarcha* familiæ aut tribus princeps, nomen dignitatis. Olim etiam in Ecclesia Christiana sic dicti Episcopi, qui inter collegas primum obtinerent locum, quod in primariis civitatibus Episcopatu fungerentur.

4 De Cucullo diximus in notis pag. 41. & 191.

5 Causam tuam agunt.

6 Proselyti Gr. προσήλυτοι, sunt advenæ; vel adventitii. Olim qui genere profani, religione Judæi facti erant. Alludit, & quidem vere autor ad locum Matthæi 23. ἐαὶ ὑμῖν γραμματεῖς ϗ φαρισαῖοι ὑποκριται, ὅτι περιάγετε τὴν θάλασσαν, ϗ τὴν ξηρὰν, ποιῆσαι ἕνα προσήλυτον, ϗ ὅταν γένηται, ποιεῖτε αὐτὸν υἱὸν γεέννης διπλότερον ὑμῶν. I. e. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia circumitis mare & terram, ut faciatis unum proselytum, & cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo magis quam vos estis.*

1 Puta

me favet. EU. O fautorem! sed [1] fac istic nunc esse viros doctos ac bonos, cras erunt indocti ac mali; & quicunque obtigerint, tibi erunt [2] ferendi. CA. Offendunt me in ædibus paternis crebra convivia; nec semper virginea sunt quæ illic dicuntur inter conjugatos. Et aliquoties fit, ut osculum negare non possim. EU. Qui vitare studet quidquid offendit, is è vita migret oportet. Ita sunt aures assuefaciendæ, ut audiant omnia, nec tamen nisi bona transmittant in animum. Parentes, opinor, permittunt tibi cubiculum [3] peculiare. CA. Maxime. EU. Eo te subducas libebit, si quod convivium acciderit turbulentius: & dum [4] illi potant, ac nugantur, tu confabulare cum sponso tuo Christo; ora, [5] psalle, gratias age. Non te inquinabit domus paterna; sed tu reddes eam puriorem. CA. Attamen tutius est esse in sodalitio virginum. EU. Non improbo castum sodalitium, nolim tamen te falli falsa imaginatione. Ubi illic versata fueris aliquamdiu, ubi propius inspexeris, fortassis non perinde nitebunt omnia, ut tibi quondam nitere videbantur. Nec omnes virgines sunt, mihi crede, quæ [6] velum habent. CA. [7] Bona verba. EU. Imo bona verba sunt, quæ vera sunt: nisi fortasse [8] elogium, quod nos hactenus judicavimus esse Virgini matri proprium, ad plures transiit, ut dicantur & [9] à partu virgines. CA. Abominor. EU. Quin insuper, nec alioqui inter illas virgines sunt omnia virginea. CA. Non? Quam ob rem, obsecro? EU. Quia plures inveni-

1 Puta, finge.
2 Tolerandi.
3 Privatum.
4 Cæteri convivæ.
5 *Cane.* Ψάλλω cano, sive ore sive instrumento musico Theologis psallere est in honorem Dei canere.
6 *Velum* flammea est, qua olim sacerdotes & virgines Vestales velabantur, & nunc virgines Monachæ utuntur ad testandam pudicitiam.
7 Respice notas ad pag. 196.
8 Respice *Conv. Relig.* pag. 181.
9 Post partum. Salse ridet Erasmus istas Monachas, quarum cum multæ fiant matres, tamen virgines dicuntur.

inveniuntur, quæ mores æmulentur [1] Sapphus, quam quæ referant ingenium. CA. Istuc quid sit, non satis intelligo. EU. Atque ideo hæc verba facio, ne quando intelligas, mea Catharina. CA. Attamen animus [2] eo fertur: atque hinc colligo hunc spiritum à Deo proficiscí, quod tot jam annis perseverat, & in dies fit acrior. EU. Imo mihi hoc nomine suspectus est iste tuus spiritus, quod sic repugnant optimi parentes. Afflasset & illorum animos Deus, si pium esset quod moliris. Sed istum spiritum hausisti ex illis nitoribus, quos admodum puella vidisti, ex blandis virginum alloquiis, ex affectu erga veteres sodales; ex cultu sacro, ex [3] cæremoniis sane quam speciosis, ex improbis hortatibus stultorum monachorum, & qui [4] in hoc te [5] venantur, ut largius potent. Sciunt patrem esse liberalem, ac benignum: aut illum habebunt convivam, sed hac lege, ut secum adferat vinum, quod décem [6] strenuis potoribus sat sit: aut ipsi potabunt apud illum. Quare [7] tibi fuerim auctor, ne quid novi tentes invitis parentibus, in quorum potestate nos Deus esset voluit. CA. In hoc negotio pium est contemnere patrem, & matrem. EU. Christi caussa pium est alicubi negligere patrem, & matrem: neque enim pie faciat, qui Christianus patrem ethnicum, cujus omne vitæ [8] præsidium pendeat à filio, deserat, sinatque perire fame. Si nondum esses professa Christum in

1 *Sapphus* genitivus est Græcus, sicut Διδώς Didus. Fuit Sappho puella Græca elegantissimi ingenii, sed moribus meretriciis. Huic inventio carminis Sapphici adscribitur, & extat ejus una vel altera ode.

2 Id est, agitatur ad hoc monasticæ vitæ studium

3 Sacrorum ritibus.

4 Ita de causa.

5 Student trahere ad se, ut parentes tui dent nummos, quibus illi curent cuticulam.

6 Quales fere sunt monachi, quos ad vivum depingit nasutissimus autor. Spectant huc Laurentii Agricolæ versus. *Bis tres immensis abigunt clamoribus horas: Quod superest ventri temporis omne datur. Si quæris quid agant? sternuntur, potantque, cacantque. Ventres in his munus vertitur omne tribus.*

7 Ego tibi suaderem.

8 Auxilium.

1 Sub-

in Baptismo, & parentes vetarent te baptisari, pie faceres, si Christum præferres impiis parentibus. Aut si nunc parentes adigerent ad impietatem aut turpitudinem, contemnenda esset illorum auctoritas. Sed quid hoc ad collegium? Et domi Christum habes. Natura dictat, Deus approbat, Paulus hortatur, leges humanæ sanciunt, ut filii obediant parentibus; & tu te [1] subduces ab auctoritate parentum optimorum, ut pro vero patre, te dedas factitio, & pro vera matre, tibi adsciscas alienam: aut potius, ut pro parentibus tibi dominos ac dominas adsciscas? Nam parentibus ita es obnoxia, ut tamen te liberam esse velint. Unde [2] & liberi vocantur filiifamilias, quod absint à conditione servorum. Nunc te pro libera [3] tendis ultro servam reddere. Christiana clementia maxima ex parte [4] submovit omnem illam veterum [5] servitutem, nisi quod [6] in paucis regionibus adhuc resident vestigia. At inventum est sub prætextu religionis novum servitutis genus, ut nunc sane in plerisque monasteriis vivitur. Nihil tibi licebit, nisi ex præscripto, quidquid obvenerit tibi, [7] illis accrescet: si quo pedem moveris, [8] retraheris è fuga, perinde quasi parentem veneno necaveris. Quoque sit evidentior servitus, [9] commutant vestem, quam dedêre paren-

1 Subtrahes.

2 Verba Justiniani sunt. Libertas, ex qua etiam liberi vocantur, est naturalis facultas ejus, quod cuique facere libet, nisi quid vi aut jure prohibetur.

3 Contendis, i. e. conaris, summa ope niteris.

4 Abrogavit.

5 Præcipue apud nos Batavos, qui nusquam non libertatis amore commendamur, utpote nullis regibus servire sueti.

6 In Hispania adhuc veneunt servi. Et in Westphalia, ut narrant, restat servitutis species.

7 Nam post annum exploratorium, ut ajunt, cum virgo sacra ordini initiatur, cuncta quibus illa donatur, ut vasa aurea, & argentea, nummi, cæteraque in monasterii usum asservantur.

8 Postquam enim, duobus digitis libro statutorum conventus impositis, Deo Sanctisque fidem juramento adstrinxit puella, se liberam paupertatem, æternam castitatem & cæcam obedientiam observaturam (hæc enim tria vovent) durissimis monasterii legibus subjecta manet.

9 Nam sacra veste, & velo induitur virgo.

1 Man-

parentes, & ad exemplum priſcum eorum, qui olim ſervos eſſent mercati, commutant nomen in baptiſmo inditum, ac pro Petro ſive Johanne vocant Franciſcum aut Dominicum, aut Thomam. Petrus [1] dedit nomen Chriſto, & [2] Dominico initiandus, vocatur Thomas. Si militaris ſervus abjiciat veſtem à domino datam, videtur abdicaſſe dominum; & nos applaudimus illi, qui veſtem accipit, quam Chriſtus omnium dominus non dedit: & ob hanc mutatam gravius punitur, quam ſi centies abjiciat veſtem imperatoris ac domini ſui, quæ eſt mentis iñocentia. CA. Atqui hoc ipſum ajunt eximii meriti, ſi quis ſe ſponte dedit in hanc ſervitutem. EU. Iſta vero doctrina [3] Phariſaica eſt. Paulus contra docet, ut qui liber vocatus ſit, ne velit fieri ſervus, ſed potius operam det, ut fiat liber. Atque hoc infelicior eſt ſervitus, quod pluribus dominis tibi ſerviendum ſit, quod plerumque ſtultis & improbis, quod incertis, ac ſubinde novis. Illud mihi reſponde. [4] Emancipant te leges à jure parentum? CA. Nequaquam. EU. Licetne igitur tibi emere aut vendere fundum invitis parentibus? CA. Minime. EU. Unde igitur tibi jus, ut te ipſam dedas neſcio quibus, invitis parentibus? An non tu illis cariſſima, maximeque propria es poſſeſſio? CA. In negotio pietatis ceſſant naturæ leges. EU. Negotium pietatis potiſſimum agitur in baptiſmo: heic tantum agitur de veſte mutanda, deque genere vitæ, quod per ſe neque bonum eſt, neque malum. Jam illud mihi conſidera, quantum commoditatum ſimul amittas cum libertate. Nunc tibi liberum eſt in tuo cubi-

1 Mancipavit ſe.

2 Id eſt, Dominico ſacrandus, vel Dominici ſacris imbuendus, ſive inaugurandus, *ab initio*.

3 Phariſæos per ſynecdochen ſpeciei pro hypocritis, vafris, & ſubdolis, ſæpius apud eccleſiaſticos ſcriptores invenias. Vide infra notas in *Ichthyoph.*

4 Id eſt, manumittunt: vel libere vivere ſinunt, ita ut ſis tui juris.

cubiculo legere, orare, [1] psallere, quantum & quando gratum est animo tuo. Quod si tædet cubiculi, licet audire cantiones ecclesiasticas, adesse sacris, audire sacras conciones: & si quam videris matronam, aut virginem egregie probam, ex ejus colloquio fieri meliorem: si quem virum insigni probitate præditum, ex eo discere, quod te reddat meliorem: licebit & concionatorem deligere, qui purissime Christum doceat. Has res omnes, ex quibus præcipuus est profectus ad veram pietatem, amittis semel addicta collegio. CA. Sed interim non ero [2] monacha. EU. Adhuc te movent nomina? Rem ipsam perpendito. [3] Illi jactant obedientiam. Num ea laus tibi deerit, si obedias parentibus tuis, quibus Deus jubet obediri? si [4] Episcopo tuo, & pastori tuo? Num paupertatis, cum in parentum manibus sint omnia? Quanquam olim in sacris virginibus præcipue laudabatur à sanctis viris liberalitas in pauperes: eam præstare non poterant, si nihil possidebant. Porro castitati tuæ nihil [5] decedet, etiam si vivas apud parentes. Quid igitur supereſt? Velum, linea vestis ex intima versa in extimam, [6] ceremoniæ quædam, quæ per se nihil faciunt ad pietatem, neque quenquam commendant oculis Christi, qui spectat animi puritatem. CA. Nova prædicas. EU. Sed verissima. Cum non sis emancipata à jure parentum, cum tibi jus non sit vendendi vestem aut agrum, quo modo tibi jus facis dedendi te in servitutem alienam? CA. Jus parentum, ut ajunt, non impedit ingressum religionis. EU. In baptismo nonne pro-

1 Canere in honorem Dei. Vide paulo supra.

2 Solitaria. Virgo Religioni devota.

3 Sc. Monachi, & Monachæ. Tribus enim votis adstringuntur, nempe cæcæ obedientiæ, perpetuæ pudicitiæ, & liberæ paupertatis.

4 Ἐπίσκοπος proprie inspector, à verb. ἐπισκοπέω inspicio. Episcopi ergo tanquam sacri gregis inspectores.

5 Diminuetur.

6 *Ceremoniæ* vel *Carimoniæ*, sunt ritus sacrorum: earum causam (ut inquit Festus lib. III.) alii ab oppido Cære, alii à caritate dictam judicant.

1 Firmum,

professa es religionem? CA. Sum. EU. Nonne religiosi sunt quicunque sequuntur præcepta Christi. CA. Maxime. EU. Quæ est igitur ista nova religio, quæ facit irritum, quod & naturæ lex sanxit, & vetus lex docuit, & Evangelica lex comprobavit, & Apostolica doctrina confirmavit. Isthuc decretum non est à Deo proditum, sed in monachorum senatu repertum. Sic definiunt quidam, & matrimonium esse [1]ratum, quod insciis, aut etiam invitis parentibus inter puerum & puellam per verba de præsenti (sic enim illi loquuntur) contractum est. Atqui istud [2]dogma nec naturæ sensus approbat, nec veterum leges, nec Moyses ipse, nec Evangelica, aut Apostolica doctrina. CA. An igitur putas mihi non esse fas [3]nubere Christo, nisi comprobantibus parentibus? EU. Jam, inquam, nupsisti Christo, & illi nupsimus omnes. Quæ bis nubit eidem viro? Tantum agitur de loco, de veste, de cæremoniis. Ob has res non arbitror esse contemnendum jus parentum. Et videndum est, ne, dum paras nubere Christo, nubas [4]aliis. CA. At isti prædicant nihil esse sanctius, quam [5]heic contemnere parentes. EU. Ab istis igitur doctoribus exige, ut proferant aliquem è sacris libris locum, qui hoc doceat: quod si non poterunt, jubeto eos ebibere calicem vini [6]Belnensis; hoc poterunt. Ab impiis parentibus ad Christum confugere pietatis est. Sed à piis ad monachismum, hoc est, (quod non raro usu venit) à probis ad improbos, quæ, rogo, pietas est? Quam-

1 Firmum, legitimum.

2 Δόγμα, Gr. præceptum.

3 Ubi virgo sese in monasterium recipit, Papicolæ eam Christo nubere dicunt.

4 Perstringit Collegia Virginum Pontificiarum, in quibus nonnunquam una nubit multis.

5 In hac re.

6 Belnensis à *Belna*, quod est oppidum in ducatu Burgundiæ, unde vina laudatissima. Et sane splendidos istos mendicos non solum esse strenuos potatores, verum etiam doctissimi palati, lippis & tonsoribus notum est.

1 Qui

Quamquam & olim ad Christum à paganismo conversus, [1] idololatris parentibus debebat obsequium, quatenus citra pietatis jacturam fieri poterat. CA. Damnas igitur hoc totum vitæ institutum? EU. [2] Nequaquam. Verum quemadmodum nemini suadere velim, ut quæ se in hoc vitæ genus conjecit, luctetur emergere: ita non dubitem hortari puellas omneis, præsertim indolis generosæ, ne se temere eo [3] præcipitent, unde post sese non possint explicare, præsertim cum in ipsis collegiis sæpe gravius periclitetur virginitas, ac domi præstare valeas, quidquid ibi præstatur. CA. Urges tu quidem multis ac magnis argumentis, tamen hic affectus meus eximi non potest. EU. Si non persuadeo, quod tamen optarim, saltem illud fac memineris Eubulum monuisse. Interim pro meo in te amore precor, ut tuus iste affectus felicior sit meo consilio.

1 Qui idolis serviunt, ab εἴδωλον, idolum, & λατρεύω servio, colo.

2 Vix crediderim, Erasme, te ex animi sententia loqui.

3 Temere conjiciant.

VIRGO [1] POENITENS.

[2] EUBULUS, CATHARINA.

EU. TAles [3] janitrices mihi semper optarim. CA. Et ego semper tales pulsatores. EU. Sed vale, Catharina. CA. Quid ego audio? [4] Valebo priusquam salveam? EU. Non huc veni, ut te viderem lacry-

1 Quam nunc pœnitet pertinaciæ suæ, & nimium temerarii consilii, quo se contra parentum atque Eubuli optimi consilium in monasterium præcipitaverit.

2 Eubulus *qui bene consulit*. Catharina *pura*. Rationem nominum disce tyro in limine præcedentis Colloquii.

3 A Janua (quæ dicta est à Jano, quod huic Deo consecratum sit omne principium) derivatur janitor, cui januæ custodiæ demandata est. Hujus fœmininum est janitrix.

4 *Vale* enim vox salutantis est, cum ab aliquo recedimus, & *salve* & *ave* salutationes sunt venientis. Reperitur tamen etiam *salve* in decessu, hoc est, in calce epistolarum. Cicero: *Vale, mi Tiro, vale, & salve.*

1 Abun-

crymantem. Quid sibi vult quod protinus, me conspecto, lacrymis suffusi sunt oculi? CA. Quo fugis? mane, mane inquam; sumam alium vultum, & ridebimus[1] affatim. EU. Quas aves hic video? CA. Est illius collegii[2] patriarcha. Ne subducito te; jam[3] perpotarunt; accumbe paullisper; illo digresso confabulabimur nostro more. EU. Age[4] obtemperabo tibi, quæ mihi noluisti. Nunc soli sumus, narra totam fabulam, malim enim ex te cognoscere. CA. Ex tot amicis, quos putabam sapere plurimum, nunc sentio nullum fuisse, qui mihi prudentius ac[5] senilius consilium dederit quam tu omnium natu minimus. EU. Dic, quo modo expugnasti parentum affectum? CA. Primum improbis hortatibus monachorum ac monacharum: deinde etiam meis precibus ac blandimentis labefactatus est[6] matris animus: pater nullo pacto quibat perpelli. Tandem omnibus admotis[7] machinis & hic victus & oppressus est potius, quam assensit. Id factum est inter pocula: minitabantur homini malum exitium, si Christo suam sponsam pernegaret. EU. O improbitatem stolidorum! Quid sit deinde? CA. Servor triduo domi clam: interim semper aderant mulieres aliquot ejus collegii, quas illi Conversas vocant, hortatibus suis addentes animum, ut persisterem in sancto proposito, ac sollicite caventes, ne qua cognatarum, aut sodalium adiret me, quæ mentem videretur mutatura. Interim adornabantur vestes, aliaque quæ ad[8] convivium attinebant. EU. Tibi quid

1 Abunde.

2 Quis sit Patriarcha, diximus in præcedenti colloquio pag 216.

3 *Perpotare* significat multum temporis in potando consumere. Sic solent crassi monachi.

4 Obediam, morem geram.

5 Quod magis senes prudentes decet.

6 Recte ponitur primum matris; hæ enim nimia indulgentia non raro liberos corrumpunt.

7 Metaphora ab urbibus, quæ machinis bellicis expugnantur.

8 Nam cum divulsa à parentibus puella monasterio includitur, primum lautissimo & plusquam nuptiali epulo mona-

quid interim erat animi? Num vacillabas? CA. Non, sed passa sum quiddam tam horrendum, ut malim emori decies, quam iterum perpeti. EU. Quæso, quid isthuc erat? CA. Non possum [1] effari. EU. Quod mihi dixeris, amico tuo dixeris. CA. Promittis silentium? EU. Id præstiturus eram, etiam si nullum fuisses stipulata. Quasi vero me nondum noris? CA. Apparuit mihi spectrum horribili specie. EU. Is nimirum erat [2] genius tuus malus, qui te eo instigabat. CA. Prorsus opinor fuisse [3] cacodæmonem. EU. Dic mihi, quæ species erat? Estne talis, qualis pingitur? rostro adunco, longis cornibus, [4] harpyarum unguibus, prælonga cauda? CA. Tu ludis. At ego malim mihi terram dehiscere, quam denuo tale videre spectrum. EU. Interim aderant illæ mulieres hortatrices? CA. Non; nec unquam illis indicavi, tametsi valde sciscitantibus quid esset mali, cum me totam exanimatam offenderent. EU. Vis tibi dicam quid fuerit? CA. Si quidem potes. EU. Illæ mulieres incantaverant te, vel potius [5] excantaverant tibi cerebrum. Sed interim tu persistebas in ea sententia? CA. Maxime: nam ajebant id multis accidere, qui se consecrant Christo: verum si primo illo congressu superetur [6] tentator, post tranquilla fore omnia. EU. Qua pompa producta es?

monachorum grex excipitur, ut magnificentius Christo sponsa hæc, si Diis placet, nubat. Hoc convivium non minori luxu & sumptu post explorationis annum denuo celebratur.

1 Eloqui.

2 *Genius* dicitur uniuscujusque loci vel hominis peculiaris Deus, vel Angelus. *Genius malus* idem quod Cacodæmon, de quo mox.

3 *Cacodæmon*, vox Græca, ex κακὸς *malus*, & δαίμων *Deus*, vel genius.

4 Quæ & quales antiquis dictæ fuerint harpyæ, docent notæ in Apotheosin Capnionis, pag. 190.

5 Acumen est in voce *excantaverant*, quasi diceret *incantando ademerant tibi mentem*. Scil. enarrandis tibi variis de diabolo figmentis, quibus Patrus scatet.

6 Diabolus, qui quasi homines tentat.

es ? CA. Adornant me toto [1] mundo meo: demittunt capillos: itaque non aliter quam nuptura sponso. EU. [2] Crasso monacho : hem male sit huic tussi. CA. Ex ædibus paternis clara luce deducor ad collegium, multis ad spectaculum concurrentibus. EU. O scitos [3] histriones, ut norunt agere suas fabulas simplici popello ! Quot dies egisti in illo sancto virginum collegio ? CA. Ferme duodecim. EU. Sed quæ res verterat animum tuum tam pertinacem ? CA. Non dicam quid sit, sed [4] aliquid magni fuit. Post sex ab ingressu dies accerso matrem, obtestans, obsecrans, si me vivam vellet, ut me eximeret ab eo collegio. Illa [5] reluctatur animo meo, & hortatur ad constantiam. Post accerso patrem. Ille etiam objurgat, addens se ægre vicisse suos affectus; ut vicissim nunc vincerem animum meum, nec hoc dedecus [6] conciliarem sibi, quod resiliissem ab instituto. Tandem ubi video me nihil proficere, respondeo parentibus, me, si ita jubeant in gratiam illorum moriturum. Nam hoc mihi certum esse, nisi mature eximerer. Hoc audito, reduxerunt domum. EU. Bene habet quod mature resilieris, prius quam servitutem æternam esses professa. Sed nondum audio, quæ res mutarit animum tuum tam subito. CA. Hoc nemo mortalium ex me scit hactenus, nec tu scies. EU. Quid si [7] divinem ? CA. Nec divinabis, sat scio : & si divines, non dicam. EU. Tametsi

[1] con-

1 *Mundus* hic significat ornatum muliebrem. Est & mundus adject. i. e purus, nitidus.

2 Hoc dicit aversus, & fingit tussim.

3 *Histriones*, i. e. fabularum actores. Vocis derivationem hoc modo investigant Grammatici. Accersiti olim, ut Livius scribit, Romam ludiones, i. e. fabularum actores, & quia *Hister* Thusco verbo ludio vocabatur, hujusmodi artifices *histriones* vocati, à quibus ars ipsa *histrionica* dicta, & *histrionicus* adject.

4 Forte aliquis monachus vel sacerdos huic Virgini voluit zonam solvere diu ligatam, ut Catulli verbis utar. Ego, pol, hanc veriſſimam esse causam vel dejerare ausim.

5 Repugnat.

6 Pararem.

7 Conjiciam, sæpius supra.

1 Et

[1] conjecto. Verum interim periit sumtus. CA. Plus quam quadraginta [2] coronati. EU. O [3] comessatores nuptiales! Gaudeo tamen, periisse pecuniam te nobis incolumi: posthac ausulta melioribus consiliis. CA. Ita faciam, &, [4] cum piscatore, icta sapiam.

1 Et ego quoque conjeci. Vis scire lector quid sit? Respice paulum.

2 Supple, *nummi*.

3 Κῶμος Gr. Comessationum seu lasciviæ Deus & præses. Immo ipsa lascivia, & convivium luxuriosum. Hinc κωμάζω comessor, petulans sum. Non enim derivatur à comedendo.

4 *Piscator ictus sapit* proverbio dicitur, ubi quis malo suo edoctus in posterum cavet. Adagium ab hujusmodi quodam eventu natum ferunt. Cum piscator piscibus, quos intra rete tenebat, manum admoviisset, atque à scorpio pisce feriretur, ictus, inquit, sapiam.

UXOR [1] Μεμψίγαμος *sive conjugium.*

[2] EULALIA, [3] XANTIPPE.

EU. SAlve multum, exoptatissima mihi Xantippe. XA. Salve tantundem, mihi carissima Eulalia. Videre mihi solito formosior. EU. Itane statim me [4] scommate excipis? XA. Non profecto; sed ita mihi videris. EU. Fortasse nova vestis commendat formam. XA. Recte conjectas. Nihil jam diu vide elegantius. Suspicor pannum esse Britannicum. EU. Lana Britannica est, tinctura Veneta. XA. Mollities [5] byssum superat. Quam vero blan-

1 Introducit Autor mulierem querentem de conjugio. Μέμψις enim Græcis est quæstus, à μέμφομαι queror, & γάμος nuptiæ.

2 Eulalia (ex εὖ bene, & λαλέω loquor) i. e. *bene loquens*.

3 Xantippe fuit nomen istius ad prodigium usque morosæ ac semper iracundiæ æstuantis fœminæ, quam sapientissimus Socrates uxorem habuit. Eam vocat Antisthenes apud Xenophontem in *Convivio mulierem* τῶν ἐσῶν ἢ τῶν γεγεννημένων, ἢ τῶν ἐσομένων χαλεπω-

τάτην, id est, *earum quæ sunt, & fuerunt, & deinceps erunt, acerbissimam*. En tibi igitur lector, personas optime huic fabulæ accommodatas. Nam *Eulalia*, ut prudens & suaviloqua mulier, docet quid conjugatos, præcipue uxores, deceat; *Xantippe* vero, animal risosum, & difficile in marii sui mores satis impudenter invehitur.

4 Quid sit scomma, diximus in notis pag. 24.

5 *Byssum* quære infra in notis Coll. *Echo*.

blandus purpuræ color! Unde tibi tam egregium munus? EU. Unde decet honestas matronas accipere, nisi à maritis suis? XA. O te felicem, cui talis contigit sponsus! At ego vellem me nupsisse [1] fungo, cum meo nuberem Nicolao. EU. Quid ita quæso te? tam cito male convenit inter vos? XA. Nec unquam conveniet cum tali. Vides quam sim [2] pannosa; sic patitur uxorem suam incedere: [3] dispeream, nisi sæpe pudet me prodire in publicum, cum video quam cultæ sint aliæ, quæ multo pauperioribus nupsere maritis. EU. Matronarum ornatus non est in vestibus, aut reliquo corporis cultu, quemadmodum docet divus [4] Petrus Apostolus, (nam id audivi nuper in concione,) sed in castis ac pudicis moribus, & in ornamentis animi. Meretrices coluntur oculis multorum. Nos satis cultæ sumus, si placeamus uno marito. XA. Sed interim ille [5] bonus vir, tam in uxorem parcus, strenue prodigit dotem, quam ex me non mediocrem accepit. EU. Quibus rebus? XA. Quibus ipsi visum fuerit; vino, scortis, alea. EU. [6] Bona verba. XA. Atqui sic res habet. Deinde cum mihi [7] temulentus ad multam noctem redit domum diu exspectatus, destertit noctem totam, nonnunquam & lectum convomens, ut ne quid addam. EU. [8] St, teipsam dehonestas, cum dehonestas maritum. XA. Emoriar, nisi mallem dormire cum [9] scropha, quam cum tali marito. EU. Non tu tum illum excipis jurgio? XA. Ita ut dignus est sentit me non esse mutam. EU. Quid ille contra? XA. Initio reclamabat

1 Fungos appellamus homines stultos, ac nihili.
2 Sordido vestitu tecta, pannis obsita
3 Male peream. Vox jurantis.
4 1. Pet. 3, 3.
5 Ironia.
6 Charientismus, cujus vim sæpius in superioribus Colloquiis explicavimus.
7 Ebrius. Temetum, vinum.
8 *St*, Interjectio est innuens silentium.
9 *Scropha*, vel *Scrofa* sus est, quæ sæpius peperit.

bat sæviſſime, credens fore ut me [1] sævis verbis protelaret. EU. Nunquamne rixa incruduit usque ad verbera? XA. Semel duntaxat eo incaluerat utrinque contentio, ut minimum res abfuerit à pugna. EU. Quid ego audio? XA. Librabat fustem, sævis interim clamoribus intonans, ac dira minitans. EU. Non tibi metuebas tu? XA. Imo viciſſim ego corripiebam tripodem: si contigiſſet me digito, senſiſſet mihi non deeſſe manus. EU. Novum clypei genus. Deerat colus lanceæ vice. XA. Senſiſſet ſibi cum [2] virágine rem eſſe. EU. Ah mea Xantippe, non ita decet. XA. Quid decet? Si ille me non habet pro uxore, nec illum habitura ſum pro marito. EU. At [3] Paulus docet, uxores oportere ſubditas eſſe viris cum omni reverentia. Et [4] Petrus nobis exemplum proponit Saræ, quæ maritum ſuum Abraham dominum appellabat. XA. Audiviſti iſta. Sed idem Paulus docet, ut viri diligant uxores ſuas, ſicut Chriſtus dilexit ſponſam ſuam Eccleſiam. Meminerit ille officii ſui, ego meminero mei. EU. Sed tamen ubi res in eum ſtatum devenit, ut alteri cedendum ſit, æquum eſt uxorem marito cedere. XA. Si modo ille maritus eſt appellandus, qui me habet pro ancilla. EU. Sed dic, mea Xantippe, poſt deſiit minitari verbera? XA. Deſiit, & ſapuit, alioqui vapulaſſet. EU. Sed tu non deſiiſti rixari cum illo? XA. Nec deſinam. EU. Quid ille interea? XA. Quid? nonnunquam dormit, [5] ſomnium hominis, interdum nihil aliud quam ridet; aliquoties arripit [6] teſtudinem, in qua vix tres habet [1] fides:

1 *Sævis verbis protelaret*: deſumpſit autor noſter, ut multa alia egregia, ex Terentio in Phorm. Act. 1. Sc. 4. *Protelaret*, i. e. perturbaret, exagitaret, & longe propelleret, ex Græco τῆλε longe.

2 Virago, mulier fortis, & animo virili.

3 Eph. 5. Coloſſ. 3.

4 1. Petr. 2.

5 *Somnium hominis* Synecdochice pro *homine ſomniculoſo*.

6 Cithara *teſtudo* dicta eſt, ut volunt, quia Mercurius citharam è teſtudinis teſta confecit.

[1]fides: eam quantum potest pulsans, mihi vociferanti obstrepit. EU. Ea res male [2]urit te? XA. Sic ut dici vix possit. Aliquando vix tempero à manibus. EU. Mea Xantippe, permittis mihi, ut liberius loquar apud te? XA. Permitto. EU. Idem jus erit tibi apud me. Hoc certe postulat nostra [3] necessitudo, [4] ab ipsis pene incunabulis inter nos inita. XA. Vera narras, neç ulla sodalium unquam carior fuit animo meo. EU. [5] Qualis qualis est tuus maritus, illud cogita, non esse jus permutandi. Olim immedicabilibus diffidiis remedium extremum erat [6] divortium: nunc hoc in totum ademtum est: usque ad extremum vitæ diem, ille tuus sit maritus oportet, & tu illius uxor. XA. [7] Superi male faxint, qui jus hoc nobis ademerunt. EU. [8] Bona verba: sic visum est [9] Christo. XA. Vix credo. EU. Sic habet. Nunc nihil supereſt, nisi ut uterque ad alterius mores, & ingenium accommodando sese, concordiæ studeatis. XA. An ego possum illum [10] resingere? EU. Non minimum momenti est in uxoribus, quales sint mariti. XA. Pulchre convenit tibi cum tuo? EU. Nunc tranquilla omnia. XA. Ergo turbarum nonnihil erat initio. EU. Nihil unquam tempestatis; sed tamen,

1 *Fides, is*, idem quod *chorda*. Aliquando etiam fides ipsum instrumentum chordis instructum denotat.

2 Metaphorice pro *discruciat, vexat*. Ex Terentio desumptum. Vide Eun. Act. 3. Sc. 1.

3 Respice notas in pag. 185.

4 Id est ab ipsa infantia. Sed de his, aliisque fusius dictum est pag. 205.

5 *Qualisqualis* eandem significationem habet ac *qualiscunque*.

6 *Divortium* à divertendo dictum. Est autem separatio omnium rerum. Sic Cicero *doctrinarum facta divortia*, inquit: & Virgil. *Objiciunt equites sese ad divortia nota* i. e. ad deflexus viarum. Vulgo vero dicitur *divortium* distractio matrimonii. Crebrum id fuit apud Israëlitas & Romanos: estque vel activum, cum propter crimen pars innocens à se repellit nocentem, & alterius matrimonii contrahendi potestatem nanciscitur: vel passivum, quando pars innocens malitiose à conjuge deseritur.

7 Dii.

8 Charientismus est, respice pag. 196.

9 Verum est, Christus divortia Israëlitarum, quæ levibus & variis causis fiebant, abrogat. Matth. 19, 8.

10 I. e. denuo formare.

1 Allu-

tamen, ut fit inter homines, nonnunquam nubeculæ quædam oboriebantur, quæ poterant gignere tempestatem, nisi commoditate morum fuisset occursum. Habet suos quisque mores, & est sua cuique sententia: &, si verum fateri volumus, sunt sua cuique vitia; quæ si usquam, certe in matrimonio [1] novisse oportet, non odisse. XA. Recte mones. EU. Fit autem frequenter, ut [2] dissiliat benevolentia mutua inter maritum & uxorem, antequam alter alteri satis notus sit. Id est in primis cavendum. Semel enim orta [3] simultate, ægre [4] sarcitur gratia, præsertim si res ad atrocia convicia processerit. Quæ glutino committuntur, si statim concutias, facile distrahuntur: cæterum ubi siccato glutino semel cohæserint, nihil firmius. Proinde in initio nihil non faciendum, ut inter uxorem & maritum coalescat confirmeturque benevolentia. Id maxime fit obsequio, morumque commoditate. Nam benevolentia quæ sola formæ gratia conciliatur, ferme temporaria est. XA. Sed narra nobis, obsecro, quibus artibus pertraxeris maritum ad tuos mores. EU. Dicam in hoc, ut imiteris. XA. Si queam. EU. Facillimum erit, si velis; nec adhuc serum est. Nam & ille juvenis est, & tu puella; ac nondum annus, opinor, expletus est [5] à nuptiis. XA. Vera prædicas EU. Dicam igitur, sed tacituræ. XA. Maxime. EU. Illa prima mihi cura fuit, ut in omnibus essem jucunda marito, ne quid esset quod illius animum offenderet: observabam affectum ac sensum illius; observabam & tempora, & quibus rebus deliniretur, quibus irritaretur, quemadmodum facere solent ii, qui [6] elephantos ac leones cicurant, aut

1 Alludit ad versiculum proverbialem; *Mores amici noveris, non oderis.*
2 Rumpatur.
3 Tecto quodam odio.
4 Reconciliatur.
5 Post nuptias, i. e. matrimonium contractum.
6 Dicitur *Elephus*, *antis*, & *Elephantus*, *ti*.

aut similia animantia, quæ vi cogi non possunt. XA. Tale animal mihi domi est. EU. Qui adeunt elephantos, non gestant vestem candidam; nec puniceam, qui tauros: quod his coloribus compertum sit ea animantia efferari. Quemadmodum & tigres tympanorum sonitu sic aguntur in rabiem, ut seipsas dilanient. Et qui tractant equos, habent [1] voces, habent [2] poppysmata & [3] palpum, aliaque quibus ferocientes mitigent. Quanto magis decet nos his artibus uti erga maritos, quibuscum nobis, [4] velimus nolimus, per omnem vitam est tectum ac lectus communis. XA. Perge quod cœpisti. EU. His animadversis, attemperabam me illi, cavens ne quid offensæ nasceretur. XA. [5] Quinam id poteras? EU. Primum in cura rerum domesticarum, quæ peculiaris est provincia matronarum, [6] advigilabam, non solum cavens, ne quid esset prætermissum, verum etiam ut omnia congruerent ad illius sensum, in rebus etiam minutissimis. XA. Quibus? EU. Puta, si maritus hoc aut illo cibo peculiariter delectetur, si cibus placeat hoc aut illo modo coctus, si lectus hoc aut illo modo stratus. XA. At quo pacto attemperares te ei, qui domi non esset, aut esset ebrius? EU. Mane, [7] istuc ibam. Si quando maritus videbatur admodum tristis, nec esset appellandi tempus, nequaquam ridebam ac nugabar, quemadmodum nonnullæ

1 Ad vocem hominis equi reddunt mitiores.

2 Sonitus propemodum imitans ventris crepitum, qui fit ore, aut manibus apte complosis, non sine humore. Est & vocis blandimentum, quod ferocibus equis adhibetur, cum tractatione manuum. Dicitur & *poppysmus*. Vide infra Coll. *Pereg. relig. ergo*, fere sub finem. Autore Plinio fulgetras adorare poppysmate gentium olim consensus erat, unde est illud Aristophanis πρὸς τὰς βροντὰς ἀποπαπαπαῖ.

3 *Palpum* pro blanditiis usurpatur. *Palpare* sive *palpabri* proprie est leviter, & quasi tentando tangere, quemadmodum ferocientes equos solemus, unde pro *adulari* frequenter accipitur, & *palpatores* ex eo dicuntur adulatores.

4 Sive velimus sive nolimus.

5 Quo pacto.

6 Strenue curabam.

7 De hoc dicere jam properabam.

læ mulieres solent; sed sumebam & ipsa vultum submœstum ac solicitum. Quemadmodum enim speculum, si probum est, semper reddit imaginem intuentis: ita decet matremfamilias ad affectum mariti congruere, ne sit alacris illo mœrente, aut hilaris illo [1] commoto. Quod si quando commotior erat, aut blando sermone leniebam, aut silentio concedebam iracundiæ, donec [2] ea refrigerata tempus daret vel purgandi, vel admonendi. Idem faciebam, si quando plus æquo potus redibat domum; nec id temporis nisi jucunda loquebar illi: tantum blanditiis petrahebam ad lectum. XA. Infelix vero uxorum conditio, si iratis, ebriis, & quidquid libet patrantibus maritis tantum obsequentur. EU. Quasi vero hoc non sit mutuum obsequium. Coguntur & illi multa ferre in moribus nostris. Est tamen tempus, cum in re seria fas est uxori monere virum, si quid est alicujus momenti: nam ad levia præstat connivere. XA. Quod tandem? EU. Cum erit animo [3] vacuo, nec comotus, nec solicitus, nec potus; tum absque testibus blande monendus, vel rogandus potius, ut in hoc aut illo melius consulat rei, aut famæ, aut valetudini suæ. Atque hæc ipsa admonitio [4] leporibus ac facetiis erit condienda. Nonnunquam præfatione ab illo [5] stipulari soleo, ne mihi succenseret, si quid stulta mulier admonerem, quod ad illius honorem, aut salutem facere videretur. Ubi monuissem quæ volebam, amputavi sermonem illum, & ad alia jucundiora deflectebam. Est enim fere hoc nostrum vitium, mea Xantippe, ut semel exorsæ loqui, finem facere nequeamus.

XA.

1 Turbato.

2 *Ea refrigerata*, id est, ubi refrixit seu defervuit. Ita Fabius, *refrigerato inventionis amore.*

3 Sc. à negotiis, i. e. otioso.

4 Venustis verborum elegantiis. Tritus est ille versiculus: *In silvis lepores, in verbis quære lepores.*

5 *Stipulari* est aliquem interrogatione quadam obligare ad præstandum hoc vel illud, & promissum accipere.

XA. Ajunt. EU. Illud in primis cavebam, ne præsentibus aliis maritum objurgarem, aut ne quid querelarum domo efferrem. Facilius [1] sarcitur, si quid inter duos commissum est. Quod si quid extiterit ejus generis, ut nec ferri possit, nec uxoris admonitione [2] sanari, civilius est, ut uxor querelam deferat ad parentes & cognatos mariti, quam ad suos, & ita querelam temperet, ne videatur odisse maritum, sed vitium potius mariti. Nec tamen [3] effutiat omnia, ut hic quoque tacitus agnoscat, & amet uxoris civilitatem. XA. Philosopham esse oportet, quæ ista præstet. EU. Imo talibus factis maritos ad similem civilitatem invitabimus. XA. Sunt quos nulla civilitate corrigas. EU. Equidem non arbitror. Sed fac esse. Primum illud cogita, maritus [4] ferendus est qualis qualis est. Præstabilius igitur est ferre vel sui similem, vel paullo commodiorem factum nostra civilitate, quam sævitia pejorem in dies. Quid si proferam maritos, qui simili civilitate correxerunt sponsas suas? Quanto magis decet nos idem præstare adversus maritos? XA. Narrabis igitur exemplum meo marito dissimillimum. EU. Est mihi familiaritas cum homine quodam nobili, docto, singularique morum dexteritate. Is duxerat puellam virginem, annos natam decem & septem, ruri in parentum ædibus perpetuo educatam, ut nobiles fere gaudent habitare ruri, ob venatum & aucupium. Rudem volebat ille, quo facilius illam ad suos mores fingeret: cœpit eam instituere literis, ac musica, paullatimque assuefacere, ut [5] redderet ea, quæ audisset in concione, cæterisque rebus formare, quæ post essent usui futuræ. Hæc quoniam erant

1 Reconciliatur, emendatur.

2 Corrigi.

3 *Effutire* quid, & unde dictum discе infra ex notis in Coll. *Adolesc. & Scorti.*

4 Tolerandus.

5 Reddit, qui solvit: reddit & discipulus, cum recitat audita; nam qui docet, aut dictat, quasi credit mutuum.

erant nova puellæ, quæ domi suæ fuerat in summo otio, & inter famulorum colloquia lususque educata, cœperunt esse tædio. Detrectabat obsequium, & cum maritus urgeret, illa sine fine flebat, nonnunquam & in terram abjiciebat sese, occipitium illidens solo, quasi mortem optans. Earum rerum cum nullus esset finis, maritus [1] dissimulato stomacho, invitabat uxorem, ut animi relaxandi gratia una proficiscerentur rus ad ædes soceri. [2] Ibi lubens obtemperabat uxor. Eo cum ventum esset, maritus reliquit uxorem apud matrem & sorores; ipse cum socero prodibat venatum. Ibi submotis testibus denarrat socero, se speraſse jucundam vitæ sociam; nunc habere perpetuo lacrymantem, ac sese discruciantem, nec ullis monitis sanabilem: orat, ut sibi adsit in medendo filiæ morbo. Socer respondet; Se [3] semel illi tradidisse filiam; quod si illa non obtemperaret verbis, uteretur suo jure, & [4] verberibus eam emendaret. Tum gener, Novi, inquit, jus meum; sed malim eam tua vel arte, vel auctoritate sanari, quam ad hoc extremum remedium venire. Socer pollicitus est se curaturum. Post unum atque alterum diem captat tempus ac locum, ut solus esset cum filia: ibi vultu ad severitatem composito, incipit commemorare, quam illa esset [5] infelici forma, quam non amabilibus moribus, quam sæpe metuisset, ne nullum illi posset invenire maritum. At ego meo maximo labore, inquit, talem inveni tibi,

1 Id est dissimulata ira, quam animo conceperat. Simulamus falsa, dissimulamus vera. *Stomachus* Latinis pro *ira* & *fastidio* usitatissimus est.

2 In hac re.

3 Semel non refertur ad bis, sed declarat totum filiæ jus traditum sponso.

4 Apud quosdam Germanorum cædendi uxores mos obtinet: apud Belgas vero non immerito ducitur probro. Recte Varro in Sat. Mem. *Vitium uxoris aut tollendum aut ferendum est.* Qui tollit vitium, uxorem commodiorem præstat, qui fert sese reddit meliorem. Subjungit autem Aulus Gellius; hæc verba Varronis *tollere* & *ferre*, lepide quidem composita sunt, sed *tollere* apparet dictum pro corrigere.

5 Id est neutiquam formosa. Infelici forma dicuntur esse mulieres deformes, quia forma plurimum commendantur.

bi, qualem nulla non optaret sibi, quantumvis [1] felix. Et tamen tu, non agnoscens quid pro te fecerim, nec intelligens, te talem habere maritum, qui, nisi esset humanissimus, vix te dignaretur habere in ancillarum numero, rebellas illi. Ne longum faciam, [2] sic incanduit patris oratio, ut vix videretur manibus temperare. Est enim vir ingenio mire vafro, qui [3] citra personam omnem posset quamvis agere comœdiam. Ibi puella partim metu, partim veritate commota, accidit ad patris genua, rogans ut præteritorum vellet oblivisci, se in posterum memorem fore officii sui. Ignovit pater, pollicitus se quoque fore patrem amantissimum, si, quod polliceretur, præstaret. XA. Quid deinde? EU. Puella digressa à colloquio parentis, rediit in cubiculum, [4] offendit maritum solum; accidit illi ad genua, & ait: Marite, hactenus non novi neque te, neque me ipsam; posthac videbis me aliam factam, tantum oblivisce [5] superiorum. Hanc vocem maritus excepit osculo, & omnia pollicitus est, si illa persisteret eo animo. XA. Quid? perstitit? EU. Usque ad mortem: neque quidquam erat tam humile, quod illa non alacris ac volens [6] obiret volente marito. Tantus amor inter eos natus est & confirmatus. Post annos aliquot puella crebro sibi gratulata est, quod contigisset, tali marito nubere; qui nisi contigisset, eram inquit, omnium mulierum perditissima. XA. Talium maritorum non minus rara est copia, quam [7] alborum corvorum. EU. Jam si molestum non est, referam tibi quiddam de

1 Formosa.

2 In tantam processit vehementiam. Sic & ira incandescere dicitur.

3 Nam personati Histriones agebant fabulas. *Persona* autem est facies appositicia. Vide infra in *Exorcismo*. *Ille vel absque persona possit quamvis agere fabulam.*

4 Invenit.

5 Præteritorum.

6 Perficeret. Sic *obire* pro *fungi*, ut obire munus.

7 Proverbialiter de raris inventu dixit Juvenalis, *Corvo quoque rarior albo.* Et alibi. *Rara avis in terris, nigroque simillima cygno.*

1 *Depe-*

de marito commoditate uxoris correcto, quod nuper accidit in hac ipsa civitate. XA. Nihil est quod agam, & perquam grata mihi est tua confabulatio. EU. Est vir quidam non postremæ nobilitatis: is, ut solet hoc hominum genus, plerumque venabatur. Ruri incidit in puellam quandam pauperrimæ mulierculæ filiam: in eam cœpit [1] deperire, homo [2] jam provectioris ætatis. Atque hujus gratia frequenter pernoctabat foris. Prætextus erat venatio. Uxor hujus, mulier insigni probitare, nescio quid suspicans, pervestigavit [3] furta mariti sui: & eo profecta, nescio quo, adiit casam illam rusticanam; [4] expiscata est de toto negotio, ubi dormiret, unde biberet, quis esset apparatus convivii. Nihil erat ibi supellectilis, sed mera paupertas. Abiit matrona domum, ac mox rediit, secum adducens lectum commodum & apparatum, vasa aliquot argentea; addidit pecuniam, admonens, ut si quando rediret ille, tractarent eum civilius; dissimulans interim sese uxorem esse, ac sororem esse simulans. Post dies aliquot redit eo [5] furtim maritus; videt auctam supellectilem, & apparatum lautiorem. Rogat unde [6] is nitor insolitus: ajunt, matronam quandam honestam illi cognatam hæc advexisse, ac mandasse ut honestius posthac [7] acciperetur. Illico tetigit animum illius suspicio, uxoris hoc esse factum. Reversus domum, rogat num illic fuisset: illa non negat. Rogavit, & quo tandem consilio missset eo supellectilem. Mi vir, inquit, assuetus es vitæ

1 *Deperit aliquam*, qui ardenter amat. *Deperit in aliquam*, qui ardentissime amat, ita ut quasi præ amore pereat.

2 *Provectioris ætatis homines* dicunt Græci προβεβηκότας ἐν ταῖς ἡμέραις αὐτῶν.

3 *Furtum* est quicquid clam perpetratur. Hinc sæpius, ut hoc loco, pro *adulterio* &c.

4 *Expiscari* proprie est diligenter, ubinam pisces lateant, quærere. Metaphorice sumitur pro inquirere, indagare. Ita Terentius, *Proinde expiscare, quasi non nosses.* Phorm. Act. 2. Sc. 3.

5 Clam.

6 Mundities.

7 Id est, *tractaretur.* Terent. in Eun. Act. 5. Sc. 8. *Accipit hominem nemo melius.*

tæ commodiori. Videbam illic te durius accipi; putabam esse officii mei, ut quando ita tibi cordi est, lautius illic [1] habereris. XA. O matronam bonam. Ego citius pro lecto substraviſſem illi fasciculum urticacarum, ac tribulorum. EU. Sed audi finem. Vir, perspecta tanta probitate, tantaque mansuetudine conjugis suæ, nunquam deinde usus est furtivo concubitu; sed domi semet oblectavit cum sua. Scio tibi notum esse Gilbertum Batavum. XA. Novi. EU. Is, ut scis, florenti ætate duxit uxorem jam provectiorem, ac [2] vergenti ætate. XA. [3] Dotem fortasse duxit, non uxorem. EU. Sic est. Is fastidiens uxoris, adamabat mulierculam, cum qua se subinde oblectabat foris. Raro domi prandebat, aut cœnabat. Quid tu heic eras factura? XA. Quid? Ego illi adamatæ [4] involassem in capillos, & maritum exeuntem ad illam [5] perfudissem lotio, ut sic [6] unctus iret ad convivium. EU. At quanto hæc prudentius? Invitabat mulierculam domum suam, comiter accipiebat. Ita maritum quoque sine veneficiis domum pertraxit. Et si quando foris cœnabat cum illa, misit eo [7] missum aliquem elegantiorem, jubens ut suaviter viverent. XA. Ego malim mori, quam esse [8] lena mei mariti. EU. Verum interim rem ipsam expende. Nonne hoc multo satius erat, quam si sævitia sua prorsus alienasset maritum, & totam ætatem in jurgiis exegisset? XA. Fateor minus esse mali; sed ego non possem.

EU.

1 Idem quod statim, *tractareris*, unde *bene habiti* dicuntur.

2 Inclinata ad senium. Sic ea voce absolute usus est Suetonius.

3 Scilicet ut Juvenalis inquit: *Veniunt à dote sagittæ.*

4 Sic pugnant mulieres. Vide Terent. Alioqui involare nonnunquam sonat *furari*, ut illud Catulli: *Huc redde pallium meum, quod involasti.* q. d. *in vola tenere. Vola* enim media pars manus vel pedis est.

5 Respicit ad facinus Xantippes, quæ maritum suum Socratem tam belle ornabat.

6 Olim loti unctique ibant ad convivium.

7 Ciborum apparatum, ferculum.

8 *Lena*, stupri conciliatrix, vel quæ scortis prostituendis quæstum facit. Masc. *leno.*

1 Ver-

EU. Unum adjiciam, atque ita discedam ab exemplis. Hic vicinus noster, vir probus & integer, sed paulo iracundior, quodam die [1] pulsaverat uxorem suam, fœminam laudatissimam. Ea se recepit in intimum conclave, atque illic lacrymans atque singultiens, [2] decoquebat animi ægritudinem. Aliquanto post per occasionem eodem ingressus est maritus; reperit uxorem flentem. Quid, inquit, heic lacrymas, ac singultis, puerorum more? Tum illa prudenter; Quid, inquit, an non hoc [3] satius, ut heic deplorem malum meum, quam si in via vociferer, quemadmodum solent aliæ mulieres? Hoc dicto tam uxorio fractus ac victus hominis animus, data dextra pollicitus est uxori, se posthac nunquam in illam conjecturum manus: nec fecit. XA. Ego idem impetravi à meo [4] diversa ratione. EU. Sed interim est inter vos bellum perpetuum. XA. Quid igitur velles me facere? EU. Primum [5] mussanda est tibi omnis injuria mariti, & animus illius, officiis, comitate, mansuetudine paulatim est conciliandus; aut vinces tandem, aut certe multo commodiore uteris, quam nunc uteris. XA. Ille ferocior est, quam ut ullis officiis mansuescat. EU. [6] Eja, ne dixeris. Nulla est fera tam [7] immanis, quin officiis cicuretur; ne desperes in homine. Fac periculum menses aliquot; me accusa, nisi senseris consilium hoc tibi fuisse bono. Sunt etiam quædam vitia, ad quæ tibi connivendum est. Illud ante omnia tibi cavendum censeo, ne quid rixæ moveas in cubiculo, aut in lecto: sed curandum est, ut illic omnia sint festiva ac jucunda. Etenim si is locus, qui

1 Verberaverat.
2 Paulatim diminuebat.
3 Melius.
4 Longe alia, scil. defendendo.
5 Ex Terentii Adelphis Act. 2. Sc. 2. desumta phrasis *Accipienda & mussitanda injuria adolescentium est. Mussare*, cujus frequentativum *mussitare*, proprie est dissimulandi causa tacere, vel tacite ferre, & quasi vocem absorbere.
6 Interjectio corripientis. Sæpius tamen adhortantis.
7 Sæva, aspera.

qui diluendis offensis, farciendæque gratiæ consecratus est, lite aut ægritudine quapiam [1] profanetur; jam sublatum est omne remedium benevolentiæ reconciliandæ. Sunt enim fœminæ quædam tam morosæ, ut in ipso etiam coitu querantur ac rixentur, eamque voluptatem, quæ diluere solet ex animis virorum, si quid inerat molestiæ, morum fastidio reddant insuavem; [2] pharmacum ipsum vitiantes, cum licuisset mederi offensis. XA. Istud mihi frequenter accidit. EU. Atqui tametsi semper est cavendum uxori, ne qua re molesta sit viro, tamen id maxime studere debet, ut in eo congressu se viro præbeat modis omnibus commodam & jucundam. XA. Viro: mihi cum [3] bellua res est. EU. Mitte male loqui: fere nostra culpa viri mali sunt. Sed ad rem redeam: qui versantur in priscis fabulis poëtarum, narrant Venerem (eam faciunt deam connubii præsidem) habere [4] cestum arte Vulcani confectum: in eo intextum esse quidquid est amatorii medicamenti: eo se cingit, quoties [5] congressura est cum marito. XA. Fabulam audio. EU.

1 Sacta profanari dicuntur. Lectus autem locus est reconciliandæ benevolentiæ conjugum dicatus.

2 Medicamentum, φάρμακον, quod aliquando & venenum significat.

3 *Belluæ* magna bestia, seu immanis fera, quasi bellum gerens.

4 *Cestus*, i. secundæ declinationis (quem hoc loco intellige) significat cingulum, sive à variis cæsuris, hoc est incisionibus, quibus insigniri cingula solebant, sive ἀπὸ τῦ κεντεῖν i. e. à pungendo. Quam ob rem cestum appellarunt Poëtæ illud admirabile Veneris cingulum, quo Venus Martem, & ab illa mutuata Juno, Jovem sibi conciliabant, quoties in pellices erant proniores. Homerus Iliad. ξ. de Venere Junoni cingulum suum commodante, Ἡ, καὶ ἀπὸ στήθεφιν ἐλύσατο κέστον, ἰμαντα Ποικίλον, ἔνθα δὲ οἱ θελκτήρια πάντα τέτυκτο. Ἐνθ' ἔνι μὲν φιλότης, ἐν δ' ἵμερος, ἐν δ' ὀαρισὺς, Παρφασις, ἥτ' ἔκλεψε νοον πύκα περ φρονεόντων. *Dixit & à pectoribus solvit cestum, cingulum varium, in eo autem illecebræ omnes erant. In eo erat amor, desiderium, colloquium, Blandiloquentia, quæ decipit mentem valde etiam prudentum.* Hinc illa zona virginea, quam apud veteres maritus prima nocte dissolvebat, *cestus* dicitur, atque inde *zonam solvere* & *cestum diffibulare* pro parere, & virginitatem demere. Sed quid ego hæc titonibus? *Cestus*, vero *us*, quartæ declinationis sunt chirothecæ, è corio bubulo, ferro & plumbo insuto graves, quibus induti pugiles decertabant. Hos describit Virgil. lib. 5.

5 Concubitura.

1 Co-

EU. Verum, sed audi, quid sibi velit fabula. XA. Dic. EU. Illud docet, uxorem omnem curam adhibere oportere, ut in [1] congressu connubiali jucunda sit marito, quo recalescat ac redintegretur amor ille maritalis; & discutiatur ex animo, si quid erat offensionis aut tædii. XA. Sed unde nobis cestus ille? EU. Nihil opus veneficiis aut incantamentis. Nullum incantamentum efficacius, quam morum probitas cum suavitate conjuncta. XA. Ego tali marito blandiri non possum. EU. At hoc tua refert, ut desinat esse talis. Si [2] Circes artibus posses maritum vertere in suem aut ursum, faceres? XA. Nescio. EU. Nescis? An malles habere suem maritum, quam hominem? XA. Equidem malim hominem. EU. Age, quid si Circes artibus posses ex [3] temulento reddere sobrium, ex prodigo frugalem, ex cessatore diligentem; nonne faceres? XA. Plane facerem: sed unde mihi istæ artes? EU. Atqui istas artes habes in te, si modo velis adhibere. Tuus, velis, nolis, sit oportet. Quo meliorem eum reddideris, hoc magis consulueris tibi. Tu tantum oculos habes defixos in illius vitia; eaque tibi [4] exaggerant odium; & hac [5] ansa tantum arripis illum, qua teneri non potest. Illa potius contemplare, quæ bona sunt in illo; & hac ansa prehende illum, qua teneri potest. Antequam illi nuberes, tempus erat [6] expendendi, quid haberet malorum. Oportebat enim non oculis solum, verum etiam

1 Coitu, συνουσία.

2 *Circe* fertur à Poëtis Solis & Perses Nymphæ filia, & Æëtæ Colchorum regis soror, veneficiorum peritissima, quæ Ulyssis socios transformavit in sues. Per Circen vero voluptas significatur, qua homines in belluas & immundos sues mutantur. Lege Horatii Epistolam 2. lib. 1. ad Lollium.

3 Ebrio.

4 Augent.

5 Epictetus scripsit, unicuique rei duas esse ansas; alteram qua teneri possit, alteram, qua non possit: significans in unaquaque re aliquid commodi, rursum aliquid incommodi esse. Stultus arripit ansam malam, sapiens alteram. Huic itaque nihil non tolerabile.

6 Deliberandi.

etiam auribus maritum deligere: nunc medendi tempus est, non accusandi. TA. Quæ mulier unquam auribus cepit maritum? EU. Oculis capit, quæ nihil aliud spectat, quam corporis formam: auribus, quæ diligenter observat, quid fama de illo prædicet. XA. Pulcre mones, sed sero. EU. At non serum est studere corrigendo marito. Ad eam rem [1] conducet, si quid [2] pignoris ex te natum fuerit viro. XA. Jam natum est. EU. Quando? XA. Jam pridem. EU. Quot menses sunt? XA. Ferme septem. EU. Quid ego audio? Tu nobis [3] trimestris fœtus jocum renovas? XA. Nequaquam. EU. Ita necesse est, si tempus à nuptiarum die supputas. XA. Imo ante nuptias fuerat mihi cum eo [4] colloquium. EU. An ex colloquio nascuntur pueri? XA. Forte solam nactus, cœpit alludere, [5] titillans axillas, ac latera, quo me provocaret ad risum. Ego non ferens titillationem, me resupinabam in lectum; ille incumbens figebat ôscula, nec satis scio quid egerit præterea: certe paucis post diebus uterus cœpit intumescere. EU. I nunc, & maritum contemne; qui sic lusitans gignit liberos, quid faciet cum serio rem aget? XA. Suspicor & nunc me gravidam esse. EU. Euge contigit felici [6] fundo bonus cultor. XA. Hac in parte plus præstat, quam vellem. EU. Ista querela tibi [7] cum paucis uxoribus est communis. Sed inter vos interceserat pactum connubiale? XA. Interceserat. EU. Levius

1 Proderit, utile erit.

2 Prolis scil. nam liberi sunt matrimonii pignora.

3 Allusit ad proverbialem versiculum, qui est apud Suetonium in vita Claudii: ipsius verba hæc sunt. *Patrem Claudii Cæsaris Drusum, olim Decimum, mox Neronem prænomine, Livia, cum Augusto gravida nupsisset, intra mensem tertium peperit: fuitque suspicio, ex vitrico per adulteris consuetudinem procreatum. Statim certe vulgatus est Versus,* τοῖς ἐυλυχῶσι τὸ τρίμηνα παιδία. Id est, *Felicibus etiam trimestres filii.*

4 Συνουσία scil. sed Venerea.

5 Leviter attrectans.

6 Sic & Plautus loquitur, *Fundum arat alienum*, de adultero.

7 Forte enim de pluribus dici posset, quod apud Juvenalem de Messalina legitur! *Et lassata viris, nondum satiata recessit.* Sat. 6.

1 Eu-

vius igitur peccatum est. Estne proles mascula? XA. Est. EU. Illa vos rediget in gratiam, si tu vel paululum temet accommodes. Quid alii prædicant de tuo marito sodales, & quibuscum habet commercium foris? XA. Prædicant eum moribus commodissimis, comem, liberalem, amicum amico. EU. Et ista mihi bonam spem faciunt, illum fore qualem volumus. XA. At mihi uni talis non est. EU. Sed tu te illi præbeto, qualem dixi; meque pro [1]Eulalia voca [2]Pseudolaliam, nisi tibi quoque talis esse cœperit. Quin & illud cogita, illum adhuc juvenem esse, nondum opinor egressum annos viginti quatuor: nondum novit, quid sit esse patremfamilias. Jam non est tibi cogitandum de [3]divortio. XA. At frequenter cogitavi. EU. Verum ea cogitatio, si quando tibi inciderit in mentem, primum reputa tecum, quam nihili res sit fœmina divulsa à viro. Summum decus matronæ est, morigeram esse suo conjugi. Ita natura comparatum est. Ita voluit Deus ut mulier tota pendeat à viro. Tantum cogita id quod res est: maritus est, alius non potest obtingere. Deinde veniat in mentem puellus ille duobus communis. Quid de illo statues? Auferes tecum? fraudabis maritum sua possessione. Relinques apud illum? spoliabis teipsam eo, quo nihil habes carius. Postremo dic mihi, habesne quæ tibi male velint? XA. Habeo [4]novercam germanam; præterea socrum huic simillimam. EU. Adeo tibi male volunt? XA. Cuperent [5]extinctam. EU. Et istæ tibi fac ut in mentem veniant. Quid enim illi possis facere gratius,

1 *Eulalia* (ex εὖ *bene* λαλέω & *loquor*) i. e. bene loquens.

2 Pseudolalia (ex ψεῦδ& *mendacium*) i. e. mendacia loquens.

3 Respice pag. 230.

4 *Germanam* non de gente aut sorore sentit, sed *germanam* dixit veram, i. e. talem, quæ vere & jure noverca dici potest. Novercarum est autem odisse privignos. Hinc Ovid. *Lurida terribiles miscent aconita novercæ.* Metamorph lib. 1.

5 Mortuam.

tius, quam si videant te divulsam à marito, viduam, imo plus quam viduam vivere? Nam viduis licet alteri nubere. XA. Equidem probo tuum consilium, sed tædet diutini laboris. EU. At reputa quantum laborum sumseris prius, quam hunc [1] psittacum docueris quædam humana verba sonare. XA. Plurimum profecto. EU. Et piget operam sumere in fingendo marito, quicum perpetuo suaviter degas ætatem? Quantum laboris sumunt homines, ut equum sibi commodum reddant? Et nos pigebit adlaborare, ut maritis utamur commodioribus? XA. Quid faciam? EU. Jam dixi. Cura ut domi niteant omnia, ne quid sit molestiæ, quod illum exigat ex ædibus. Tu te illi [2] comem præbe, semper interim memor reverentiæ cujusdam, quam uxor debet marito. Absit tristitia; sed absit & petulantia: nec putida sis, nec lasciva. Sit apparatus domi lautus. Nosti palatum mariti: quod illi suavissimum est, id coquito. Quin etiam iis, quos ille amat, comem & affabilem te præbeto. Hos frequenter ad convivium voca. In convivio facito, ut læta plenaque hilaritatis sint omnia. Denique si quando ille vino lætior pulsabit suam [3] testudinem, tu voce accinito. Sic assuefacies maritum manere domi, & minues [4] impensas. Sic enim ille cogitabit tandem; Næ ego insigniter insanio, qui foris magna rei-famæque jactura victitem cum scorto, cum domi habeam uxorem multo lepidiorem, meique amantiorem, apud quam nitidius ac lautius accipi liceat. XA. An credis succesurum, si tentem? EU. Me vide. [5] Ad me recipio. Interim & maritum tuum [6] aggrediar; ad monebo & illum sui officii. XA. Laudo consilium; at vide

1 *Hunc psittacum*, δεικτικῶς, quasi forte quidam adesset.
2 Blandam.
3 Citharam. Respice pag. 229.
4 Sumtus.
5 Id est, promitto.
6 Scil. verbis, i. e. conveniam.

1 No-

vide ne quid hujus rei [1] ſuboleat ipſi: [2] miſceret cœlum terræ. EU. Ne metue. Ita per [3] ambages temperabo ſermonem, ut ipſe mihi narret, quid inter vos ſit turbarum. Hoc facto, meo more tractabo illum blandiſſime, &, ut ſpero, tradam eum tibi commodiorem. De te per occaſionem mentiar, quam amanter de illo ſis locuta. XA. Chriſtus bene fortunet quod agimus. EU. [4] Aderit, modo ne deſis tibi.

1 Notum fiat
2 Id eſt; omnia perturbaret vel exclamaret *o cœlum! o terra! o maria!* &c. Hyperbole. Deſumptum eſt ex Juvenalis Sat. 2. *Quis cœlum terris non miſceat & mare cœlo.*
3 Verborum circuitus.
4 Juvabit.

Militis Et [1] Carthusiani.

MI. SAlve, mi frater. CA. Salve & tu, [2] germane cariſſime. MI. Vix te agnoſco. CA. Adeone conſenui intra biennium? MI. Non: ſed caput raſum, nova veſtis, faciunt, ut mihi videaris aliud quoddam animal. CA. Itane non agnoſceres uxorem tuam, ſi tibi occurreret induta nova veſte? MI. Non, ſi tali. CA. At ego te probe agnoſco, cui non ſolum veſtis mutata eſt, verum etiam facies, totusque corporis habitus. Quot coloribus pictus es? Nulla avis æque variat plumas ſuas. Tum quam omnia ſecta, quam nihil juxta naturam, aut morem communem! Adde tonſum verticem, barbam ſemiraſam, [3] ſilvam, quæ ſupra labrum ſuperius eſt, perplexam, nec aliter hinc & hinc prominentem, quam ſolent in felibus pili longiores. Nec una cicatrix fœda-

1 Monachorum Carthuſianorum ordo originem traxit, circa annum 1080. à Brunone Colonienſi, qui Carthuſiam ſeceſſit. Pontificiorum fabulas, & occaſionem hujus ſeceſſus vide ſupra pag. 171.
2 *Germanus* à germine, quod ex arborum ſurculis gignitur, appellantur fratres, quaſi ex eadem ſtirpe geniti, quamvis Varro dicat, germanos eſſe ex eadem genitrice natos.
3 Pilos denſos.

fœdavit vultum; ut [1]Samius quispiam literatus videri possis, de quo jocus est proverbii. MI. Sic decet redire è bello. Sed dic mihi, erat heic tanta bonorum medicorum inopia? CA. Quam ob rem? MI. Quia nulli commiseris sanandum cerebrum tuum prius, quam in hanc [2]servitutem te [3]præcipitem dares. CA. Itane videor insaniisse? MI. Maxime. Quid erat necesse heic te sepelire ante tempus, cum esset unde commode viveres in mundo? CA. At nunc non videor tibi [4]in mundo vivere? MI. Non per Jovem. CA. Dic quam ob rem? MI. Quia non licet ambulare quo velis. Huic [5]loco velut caveæ includeris: adde rasuram, [6]vestem prodigiosam, [7]solitudinem, [8]piscium perpetuum esum ut mirer teipsum non verti in piscem. CA. Si verterentur homines in omnia quibus vescuntur, tu jam pridem porcus esses. Nam suilla soles delectari. MI. Non dubito quin jam dudum pœniteat te instituti: paucos enim comperio, quos non capiat pœnitudo. CA. Hoc illis [9]usu venit, qui se in hoc vitæ genus velut in puteum [10]præcipitant: ego descendi sensim & consulto; prius explorato me ipso, perspectaque tota hujus vitæ ratione, jam annos natus viginti octo, qua ætate

1 *Samius litteratus* proverbium est in eicatrosos, vel stigmatibus notatos, inde dictum, quod cum Samii captivi Athenienſium inussissent noctuam, Athenienses vicissim Samiis inurebant Samænam, quam in collectaneis opinor dictam σάμιν. Id erat genus navis lato ventre, a prora veluti suillum rostrum præferens. Alii tamen aliam atque aliam originem referunt.

2 Vitam monasticam scil.

3 Id est temere conjiceres.

4 Alludit ad id, quod Monachi dicuntur mundo mortui, quasi vero.

5 Monasterio scil.

6 Utuntur enim Carthusiani hirsuta toga absque induso, cum exteriori atro pallio super albam tunicam.

7 Quia Bruno ordinis patronus selegerat locum in Gallia Celtica aridis pertis horrendum, & plane ab hominum consortio periculoso accessu remotum, & hodie quoque Carthusiani soli prandent, & in cellulis delitescunt, rigidum genus vitæ plus quam alii Monachi amplexi.

8 Nunquam carne vescuntur, immo nec necessitate postulante: Ita quidem ut continuo monasterio ejiciendus sit, qui vel frustillum comedit.

9 Accidit

10 Ex præcipiti sese conjiciunt.

te sibi quisque notus esse potest. Quod ad locum attinet, tu quoque loco angusto concluderis, si totius mundi consideres amplitudinem. Nec refert quam spatiosus sit locus, modo nihil desit ad vitæ commoditatem. Multi raro, aut nunquam exeunt civitatem, in qua nati sunt: qui si vetarentur exire, magnopere sibi displicerent, & incesseret illis mira libido relinquendæ civitatis. Hic affectus vulgaris est, quo ego careo. Imaginor, heic totum esse mundum, & [1] hæc tabula mihi totum terrarū orbem repræsentat, quem ego cogitatione jucundius simul & tutius perambulo, quam is qui navigavit ad [2] novas insulas. MI. Heic tu propemodum dicis verum. CA. Rasuram damnare non potes, qui volens tondearis, utique commoditatis gratia. Mihi rasura, si nihil aliud, certe reddit caput purius ac fortasse salubrius. Venetiæ quam multi patricii totum etiam caput radunt? Quid autem habet prodigiosum vestis? Nonne tegit corpus? Ad duplicem usum adhibetur vestis, ut depellatur injuria cœli, eaque velet quæ pudor jubet tegi. An non hos usus præbet hæc vestis? Sed offendit color. Quis color magis decet omnes Christianos, quam is qui datus est omnibus in baptismo? Dictum est tibi quoque; *Accipe vestem candidam.* Hæc itaque vestis admonet me, quid promiserim in baptismo; nimirum [3] innocentiæ perpetuum studium. Porro solitudinem si vocas turbæ fugam; hoc exemplum est non nostrum, sed veterum prophetarum, atque etiam philosophorum Ethnicorum, & quibuscunque bonæ mentis cura fuit. Imo poëtæ, [4] astrologi, ac similibus artibus dediti, quoties aliquid magni ac supra vulgus homi-

1 Δειϰτιϰῶς hæc dicit, quasi manu ostendens tabulam Geographicam.
2 Recens inventas.
3 Alba vestis in S. litteris, uti gloriæ, dignitatis, & lætitiæ, ita quoque puritatis symbolum est.
4 Siderum periti.

hominum moliuntur,[1] seceſſum quærere ſolent. Cur autem voces hanc ſolitudinem? Unius amiculi confabulatio pellit ſolitudinis tædium. Heic habeo ſodales omnium rerum plus quam ſedecim. Ad hæc interviſunt amici crebrius quam vellem, aut [2] expedit; & tibi videor in ſolitudine vivere? MI. At non ſemper licet cum his confabulari. CA. Nec ſemper expedit. Atque hoc jucundior eſt confabulatio, quod voluptatis gratiam augeat [3] interrupta copia. MI. Non peſſime conjectas. Nam mihi quoque ſuaviores ſunt carnes, revoluto Paſcha poſt [4] quadrageſimam. CA. Nec interim tamen, cum maxime videor ſolus, deſunt mihi confabulones, longe feſtiviores ac ſuaviores iſtis vulgaribus congerronibus. MI. Ubi ſunt? CA. Vides heic codicem Evangelicum? In hoc mecum fabulatur ille, qui olim additus facundus comes in via duobus diſcipulis proficiſcentibus in [5] Emauntem, effecit, ut non ſentirent itineris laborem, ſed ſentirent dulciſſimum cordis ardorem, inhiantes [6] mellitis illius ſermonibus. In hoc mihi loquitur Paulus, in hoc Eſaias, cæterique prophetæ. Heic mecum confabulatur dulciſſimus ille Chryſoſtomus, heic Baſilius, heic Auguſtinus, heic Hieronymus, heic Cyprianus, cæterique non minus eruditi quam facundi doctores. An noſti ullos tam amœnos confabulones, quos cum his conferas? An in tali ſodalitio, quod mihi nunquam non adeſt, reputas [7] obrepere poſſe ſolitudinis tædium? MI. Mihi fruſtra loquerentur,

1 Notum eſt illud Ovidii: *Carmina ſeceſſum ſcribentis & otia quærunt.*

2 Utile eſt

3 Nam juxta Juvenalem *Voluptates commendat rarior uſus* Satyr. 11.

4 *Quadrageſima* à pontificiis dicta eſt jejunium 40. dierum, quod ex præſcripto Eccleſiæ, ut ajunt, obſervant. Hujus inſtitutionem ita antiquam prædicant, ut alii ad Teleſphorum Papam referant, alii antiquiorem ſtatuant. Vide infra *Ichthyoph.*

5 Hiſtoriam lege Luc. 23.

6 Suaviſſimis.

7 *Obrepere* ſignificat, tacite advenire, & incautum aggredi. Reſpice Convivium religioſum, pag. 141. *Deum immortalem! cur poſſet obrepere tædium in hoc theatro verſanti.*

1 Juxta

rentur, non intellecturo. CA. Jam quid refert quibus hoc corpusculum alatur? cui minimo satis fit, [1] si juxta naturam vivamus. Uter nostrum [2] habitior? tu, qui vesceris perdicibus, phasianis & [3] capis; an ego, qui vivo piscibus? MI. Si tibi esset uxor, ut mihi est, minus haberes succi. CA. Et ideo sufficit quilibet cibus, & quantumvis exiguus. MI. Sed interim agitas vitam Judaicam. CA. [4] Bona verba: Christianam, si non assequimur certe sequimur. MI. In veste, cibo, preculis, cæterisque cæremoniis ponitis fiduciam, neglecto studio pietatis Evangelicæ. CA. Quid alii faciant, non est meum judicare: ego his rebus nequaquam confido, minimumque tribuo; sed in animi puritate & in Christo colloco fiduciam. MI. Cur igitur observas? CA. Ut mihi pax sit cum fratribus meis; & ne cui quoquo modo sim offendiculo. Nolim autem offendere quenquam ob hujusmodi res leviculas, quas nihil est negotii servare. Ut sumus homines quacunque veste tecti, minutissimarum etiam rerum similitudo aut dissimilitudo conciliat aut dirimit concordiam. Rasum caput, aut vestis color, per se quidem non commendat me Deo. Sed quid diceret populus, si comam alerem, aut tuam istam vestem sumerem? Reddidi tibi rationem mei consilii; nunc quæso ut mihi vicissim tui consilii rationem reddas, dicasque, ubi cessarint [5] omnes boni medici, cum relicta domi uxore juvencula & liberis, proficiscereris in militiam, vili [6] salario conductus [7] ad jugulandos homines, idque tui quoque capitis periculo. Neque enim tibi

1 Juxta quam vivitur parvo bene.

2 Vox Terentiana, Eunuch. Act. 2. Sc. 3. *Si qua est habitior paulo* &c. i. e. corpulentior, obesior.

3 Gallis castratis.

4 Charientismus. Vide notas in pag. 196. & alibi.

5 Qui tibi insanienti venam secarent. Vide Juvenal. Sat. 6. *O medici mediam pertundite venam.*

6 Stipendio.

7 Ita est profecto. Occurrunt mihi hic verba Henr. Corn. Agrippæ loquentis de militia, in libro de vanitate

tibi res erat cum [1] fungis aut papaveribus, sed cum armatis viris. Utrum vero putas infelicius, jugulare Christianum hominem ob mercedulam, à quo nunquam sis læsus; an te ipsum simul, & corpus, & animã, in æternum exitium mittere? MI. Fas est occidere hostem. CA. Fortassis est, si impetat patriam tuam. Tum pium videri potest, pugnare pro liberis & uxore, pro parentibus & amicis, [2] pro aris & focis, pro tranquillitate publica. Quid istuc ad tuam militiam mercenariam? Ego, si perisses in hoc bello, non redemissem animam tuam [3] vitiosa nuce. MI. Non? CA. Non, ita me Christus bene amet. Jam utrum existimas durius, obedire bono viro, quem nos [4] Priorem vocamus, qui vocet ad preces, ad sacram lectionem, ad doctrinam salutarem, ad [5] psallendum Deo; an obedire barbaro cuipiam centurioni, qui sæpe magnis ac nocturnis itineribus vocet quo lubet, ac revocet; qui [6] bombardarum ictibus objiciat, qui jubeat te stare loco aut occisurum aut occidendum? MI. Minus narras, quam res habeat, malorum. CA. Si quid ego deflexero à disciplina hujus instituti, pœna est admonitio, aut aliud leve quiddam: tibi, si quid committas adversus leges imperatorias, aut pendendum est, aut nudo inter intentatas in te lancearum cuspides eundum. Nam plecti capite, beneficium est. MI. Non possum refragari veris.

scientiarum. *Bellum*, inquit, *nihil aliud est, quam commune multorum hominicidium ac latrocinium, nec aliud milites quam stipendiarii, & in reipublicæ exitium armati latrones.*

1 *Fungi* admodum fragiles sunt, & papavera solent decollari baculo. Alludit forte ad historiam Tarquinii Superbi, quam lege in Liv. Hist. lib. 1.

2 *Pro aris & focis* verba sunt historicis peculiaria, id est, pro religione, & patria. Per aram intelligitur cultus Deorum, per focum res domestica, nam & focus sacer erat Laribus.

3 Plauti verba sunt in *Milite*, *Vitam tuam vitiosa nuce non emam*, pro eo, quod est, ne minimo quidem.

4 De Prioribus & Subprioribus, quos vocant, vide infra notata in Coll. *Pereg. relig.*

5 Respice notata in pag. 217.

6 *Bombarda* vox non est origine Latina, sed per ὀνοματοποιίαν excogitata; significat instrumentum bellicum posterioribus his sæculis ad humani generis perniciem inventum.

veris. CA. Jam[1] cultus iste satis indicat te non multum nummorum referre domum. MI. Nummorum mihi jam pridem ne pilus quidem fuit, imo multum[2] æris alieni conflavi. Proinde huc deflexi, ut me instruas viatico. CA. Utinam huc deflexisses, cum properares in sceleratam istam militiam! Sed unde tanta nuditas? MI. Rogas unde? Quidquid ex salario, quidquid ex prædationibus, sacrilegiis, rapinis, furtis parare licuit, id totum absumebatur in vina, scorta, & aleam. CA. O te miserum! Et interim uxorcula, cujus gratia Deus jussit relinqui patrem & matrem, domi mœrebat deserta cum parvis liberis. Et interea tibi videbaris vivere in tantis miseriis, in tantis sceleribus? MI. Hoc fallebat sensum malorum, quod innumeros haberem malorum socios. CA. Quin illud vereor, ne uxor te non agnoscat. MI. Qui sic? CA. Quia sic cicatrices pinxerunt tibi novam faciem. In fronte quam fossam habes? Videtur tibi exsectum fuisse cornu. MI. Imo si rem nosses, gratulareris mihi hanc cicatricem. CA. Quam ob rem? MI. Minimo minus aberat, quin perierim. CA. Quid erat mali? MI. Cuidam tendenti rupta est[3] balista chalybea; ejus fragmentum insiliit in frontem. CA. Et in bucca cicatricem habes[4] palmo longiorem. MI. Hoc vulnus accepi in pugna. CA. Bellica? MI. Non: inter aleam ortum est dissidium. CA. Jam & in mento video nescio quid[5] gemmarum. MI. Nihil est. CA. Suspicor tibi contractam scabiem, quam vocant Hispanicam. MI. Recte[6] divinas, mi

1 Vestitus.

2 Quia veteres nummos ex ære habuerunt, æra pro pecunia dicuntur. *Æs alienum* est pecunia quam aliis debemus. *Conflare*, i. e. contrahere.

3 *Balista* vel *Ballista* à βάλλω jacio est instrumentum, quo lapides aut tela ejaculantur milites.

4 *Palmus* est mensura palmæ.

5 Furunculos & cicatrices ironice gemmas vocat.

6 Conjicis.

mi frater. Tertium ea laboravi usque ad vitæ periculum. CA. Unde hoc mali accidit tibi, ut sic incurvus incedas, quasi esses nonagenarius, aut quasi [1] messor quispiam, aut quasi [2] delumbatus esses fuste? MI. Morbus ita contraxit nervos. CA. Næ heic magnificam passus es [3] metamorphosim. Antehac eras eques, nunc ex [4] centauro factus es animal [5] semireptile. MI. Hæc nimirum est [6] alea Martis. CA. Imo hæc est insania tuæ mentis. Quas vero [7] manubias uxori tuæ, liberisque tuis referes domum? [8] lepram? Nam ista scabies nihil aliud est, quam lepræ species; nisi quod ideo non vitatur, quia multorum est communis, [9] præcipue nobilium: at ob hoc ipsum magis debebat vitari. Nunc istud malum [10] adfricabis iis, qui tibi debuerant esse carissimi: & ipse per omnem vitam putre cadaver circumferes. MI. Quæso te, frater, ut desinas: satis malorum est, etiamsi non accedat objurgationis molestia. CA. Quotam autem malorum partem commemoravi? Ista corporis dumtaxat sunt. Jam animam vero qualem [11] reportas, quanta scabie putrem, quot vulneribus sauciam? MI. Tam puram refero, quam est cloaca Parisiis, in via quæ dicitur vulgo Maberti, aut latrina publica CA. Vereor ne multo pejus oleat apud

1 Nam messores, ut gramina falce resecent, necessario se incurvare debent.

2 *Delumbatus*, cui lumbi fracti sunt.

3 Transformationem, à μεταμορφόω transformo.

4 Id est, veloci equite. Proprium pro appellativo. *Centauri* populi fuere Thessaliæ, adeo equitandi periti, ut superiora membra humana, inferiora equina habere in velocissimo cursu viderentur, unde antiquitas eos finxit habere humana & equina membra. Vide supra *Conv. relig.*

5 Q.d. partim repens, partim incedens.

6 Fortuna belli. Mars antiquis Deus belli, *alea* pro quovis periculo respicienda est, supra in notis Coll. *Proc. & Puel.*

7 *Manubiæ*, pecuna ex spoliis redacta.

8 Scabiem, quæ & Græcis λέπρα dicitur. Istud impudicis merito horrendum flagellum Veneris, morbum Gallicum, seu Hispanicum, ut vocant, alibi autor *Scabiem novam* appellat. Vide infra *Diversor.* & γαμ. ἄγαμ.

9 Egregiam vero nobilium laudem.

10 Emphatice.

11 Sc. ex militia.

apud Deum & angelos ejus. MI. Sed jam rixæ satis est; dic aliquid de [1] farciendo viatico. CA. Mihi nihil est quod dem, experiar quid velit Prior. MI. Atqui si quid daretur, essent tibi paratæ manus: nunc multæ obstant difficultates, quando numerandum est aliquid. CA. Quid alii faciant, ipsi viderint: mihi nec [2] ad accipiendum, nec ad dandum sunt manus. Verum de his à prandio; nunc tempus monet, ut accumbamus.

1 Restituendo, vel tribuendo.
2 Carthusianis monachis, multisque aliis ejus farinæ hominibus tractare pecuniam non licet.

[1] Pseudochei Et [2] Philetymi.

PH. UNde [3] tibi scatet tanta mendaciorum [4] vis? PS. Unde [5] suppetunt araneæ fila. PH. Non est igitur artis, sed naturæ. PS. A natura profecta sunt [6] semina: ars & usus auxere facultatem. PH. Non te pudet? PS. Non magis quam [7] coccycem suæ cantionis. PH. At tibi in manu est mutare cantionem tuam; & in hoc est homini data lingua, ut vera prædicet. PS. Imo ut conducibilia. At non semper [8] expedit vera dicere. PH. Ita nonnunquam [9] conducit habere manus furaces. Et hoc vitium esse tuo [10] cognatum, testatur etiam [11] populare proverbium. PS. Utrumque vitium honestis nititur auctoribus:

1 Fusor mendaciorum. Profitetur Autor in dissertatione de Colloquiorum suorum utilitate, se in hoc dialogo depingere quorundam ingenia, qui nati sunt ad mentiendum, quo quidem hominum genere nihil est execrabilius.
2 Amans veritatis.
3 Abundat.
4 Copia.
5 Sufficiunt.
6 Principia.
7 Coccyx, (κόκκυξ) Latinis Cuculus.
8 Utile est.
9 Prodest.
10 Adjunctum, affine.
11 Popularis dicitur, qui est ejusdem conditionis, & gentis. Terent. in Phorm. Act. 1. Sc. 1. *Amicus meus summus & popularis Geta.* Et *popularis* Donato teste, *populo amatus.* Item *civis humilis & vilis.* Hoc loco intellige per *populare proverbium*, id quod vulgare, & populo usitatum est. Belgarum proverbium est, *Ostendis mihi mendacem, ostendam tibi furem*, quo significant mendacem esse fere furacem.

1 Ulyss.

ribus: illud habet[1] Ulyſſem tantopere laudatum ab Homero; hoc[2] Mercurium etiam Deum, ſi poëtis credimus. PH. Cur igitur vulgus execratur mendaces; fures etiam ſubiguntur in crucem? PS. Non ideo quod mentiantur, aut furentur, ſed quod[3] inſcite mentiantur aut furentur; vel quia præter naturam, vel quia non ſatis callentes artem. PH. 4 Eſtne ſcriptor quispiam, qui tradit artem mentiendi? PS. Bonam artis partem monſtravere tui rhetores. PH. Hi quidem tradunt artem bene dicendi. PS. Verum: ſed bona pars bene dicendi eſt, ſcite mentiri. PH. Quid eſt ſcite mentiri? PS. Vis definiam? PH. Volo. PS. Eſt ita mentiri, ut lucro ſit, nec deprehendi poſſis. PH. At quotidie deprehenduntur multi. PS. Iſti non ſunt artifices abſoluti. PH. Es igitur tu abſolutus artifex? PS. Propemodum. PH. Experire an me poſſis mentiendo fallere. PS. Et te quoque poſſim, vir optime, ſi libeat. PH. Dic igitur aliquod mendacium. PS. At jam dixi. Non deprehendiſti? PH. Non. PS. Age, fac ſis attentus. Nunc incipiam mentiri PH. Sum attentus: dic aliquid. PS. At jam iterum mentitus ſum, te non deprehendente. PH. Equidem nihil adhuc audio mendacii. PS. Audiſſes, ſi calleres artem. PH. Proinde commonſtra tu. PS. Primum appellavi te virum optimum. An non iſtuc eſt inſigne mendacium, cum ne bonus quidem ſis: &, ſi bonus eſſes, optimus dici non poſſis, cum ſint innumeri te meliores. PH. Heic plane fefelleras. PS. Jam[5] fac periculum, an poſſis alterum men-

1 Ulyſſis facunda mendacia narrat Homerus.

2 Is enim non ſolum Deorum nuncius, ſed & mercatorum & furum Deus dictus eſt.

3 Hinc Belgæ proverbialiter dicunt, ſolos infelices crucibus affigi.

4 Quis negas? Ideo enim Platonis Sophiſtis Græciæ, & rhetoribus iratus. hanc ipſam artem ὀψοποικὴν, κομμωτικὴν, κολακικὴν, γοητικὴν, i. e. quandam *obſonandi, fucandi, adulandi, incantandi peritiam appellat.* Vide Talæi rhetoricam. Cap. 1.

5 Experire.

mendacium ex te deprehendere. PH. Non possum. PS. Heic desidero ingenium, quod alibi præstas. PH. Fateor: ostende tu. PS. Cum dicerem, nunc incipiam mentiri, nonne magnifice mentiebar, cum tot annos assueverim mentiri, & paulo ante quam hoc dicerem, essem mentitus? PH. Mirum [1] præstigium. PS. Sed nunc saltem monitus [2] arrige aureis, ut deprehendas mentientem. PH. Arrexi; dic. PS. Imo jam dictum est, & tu meum mendacium es imitatus. PH. Tu mihi persuadebis, quod nec aures habeam, nec oculos. PS. Cum homini sint aures immobiles, ut nec arrigi possint, nec demitti, mentiebar te arrecturum aures. PH. Talibus mendaciis plena est omnis hominum vita. PS. Non talibus tantum, ô bone. Nam hæc ludicra sunt, sunt quæ rem adferant. PH. Turpius est lucrum ex mendacio, quam [3] ex lotio. PS. Verum est, inquam; sed iis, qui mentiendi nesciunt artem. PH. Quam igitur tu calles artem. PS. Non æquum est, ut te gratis doceam: numera; & audies. PH. Non emo malas artes. PS. Donas igitur gratis [4] fundum tuum? PH. Non sic insanio. PS. At ego ex hac arte mea certiores capio fructus, quam tu ex tuo fundo. PH. Manebit tibi ars tua: tantum profer specimen, ut intelligam non omnino vanum esse quod dicis. PS. Accipe igitur specimen. Multis multorum negotiis memet admisceo: emo, vendo, [5] recipio, [1] sumo

1 An apud idoneos scriptores inveniri possit *hoc præstigium* ego non dixerim; viderit Erasmus. *Præstigiæ, arum*, vox nota est. Respice *Conviv. relig.*

2 Id est ausculta diligentar. Terentianum est. Andr. Act. 5. Sc. 4. *Arrige aures Pamphile.* Translatio ab animantibus, quorum plerisque mos est, si quando quid eminus audiant, aures surrigere.

3 Alludit ad Vespasiani dictum; *Lucri bonus odor est ex re qualibet.* Is enim vectigal collegit ex lotio, re male olente: at non male olebat pecunia.

4 *Fundus* plerumque sine villa accipitur: vel latius pro omni eo, quod solo continetur: dictus quasi fundamentum sit patrimonii, vel quod fundat quotannis plurima. Hinc aliquando pro ipso quæstu, vel proventu. Terent. Act. 1. Sc. 1. *Nostri fundi calamitas.*

5 Promitto.

1 *Sume.*

[1] sumo mutuo, accipio [2] despositum. PH. Quid tum postea? PS. Atque heic potissimum capto eos, à quibus non facile deprehendar. PH. Quos? PS. Stupidos, oblivioſos, incogitantes, longe semotos, & mortuos. PH. Certum est mortuos neminem redarguere. PS. Si quid cui vendo in diem, diligenter annoto in libellis rationum. PH. Quid deinde? PS. Ubi reddenda est pecunia, plus imputo mercium emptori, quam acceperit. Is si incogitans est, aut oblivioſus, mihi certum est lucrum. PH. Quid si deprehendat? PS. Profero librum rationalem. PH. Quid si is doceat & evincat, se non accepisse quod imputas? PS. Reclamo quantum possum. Nam in hac arte prorsus inutilis est pudor. Denique [3] extrema ancora est, ut aliquid comminiscar. PH. Quid palam deprehensus? PS. Nihil est facilius, erravit famulus; aut, ipse lapsus sum memoria. [4] Scitum est multas simul miscere rationes: heic facilius est [5] imponere. Exempli caussa: sunt quædam dispuncta, quod soluta sic pecunia: sunt alia pro quibus nihil numeratum est. Hæc in posterioribus codicillis misceo, sic ut nihil dispungam. Ubi supputatur, [6] contendimus, & vinco plerumque, vel perjurio. Est & hoc artis: fere rationem ineo cum [7] accincto ad iter, & imparato. Nam mea mihi semper parata sunt. Deponitur aliquid apud me, servo clam apud me, nec reddo. Lougum

1 *Sumere* vel *accipere mutua* idem est quod *mutuari*, apud Plautum passive, *Decem minas à patre mutuatus*. *Mutuare* vero est mutuo dare. Differt id à *commodare*, quod commodare est alicujus rei usum ad tempus concedere. *Mutuare* dicitur de rebus, quæ ponderе, numero, mensurave dari solent. Hinc Paulus Jurisconsultus inquit; Mutuamus non eandem speciem recepturi.

2 *Depositum* est, quod alicujus fidei commendatur, vel quod pignoris loco dimittitur, uti hoc loco: vel quod conservandum traditur, donec de jure fuerit discussum.

3 *Extrema ancora*, i. e. extremum refugium. Vide *Convivium Relig.* pag. 148. & *Naufrag.*

4 Lepidum, q. d. callidum.

5 Fallere.

6 Certatim quisque rem nostram defendimus.

7 Parato.

gum est prius quam rescisçat ille, ad quem res missa est. Tandem si non licebit [1] inficiari, dico mihi perisse: aut contendo me misisse, quod non misi: incuso aurigas. Postremo, si vitare non possum quin reddam, reddo [2] accisum. PH. Bella vero ars. PS. Nonnunquam eodem [3] nomine bis accipio pecuniam, si liceat: primum domi, deinde illic quo proficiscor: & nusquam non sum. Interim tempus inducit oblivionem, confunduntur rationes, aliquis moritur, aut suscipit longinquam peregrinationem: ut omnia pessime cadant, saltem interim usus sum aliena pecunia. Nonnullos etiam capto specie benignitatis, ut faveant mentienti, sed semper de alieno: de meo nec matri darem [4] teruncium. Quamquam autem in singulis videatur lucrum exiguum, ex multis tamen (multis enim memet, ut dixi, misceo) [5] nascitur acervus haudquaquam pœnitendus. Porro ne deprehendar, cum multæ sint [6] technæ, tum illa præcipua: omneis omnium epistolas, quas possum, intercipio, resigno ac lego. Si quid obfuturum suspicor, premo: aut si reddo, reddo [7] meo tempore. Ad hæc inter longo somotos intervallo mendaciis meis fero [8] simultatem. PH. Quis istinc usus? PS. [9] Geminus. Primum, si non præstatur quod alterius nomine promisi, & quo nomine munus etiam accepi; nam [10] fumos hujusmodi magno vendo: fingo, per illum aut illum stetisse,

1 Negare.

2 Diminutum. Sic dicitur *moneta accisa*.

3 *Nomen* hic est titulus debiti, unde & *nomina* pro debitoribus accipiuntur.

4 Nummum perexiguum.

5 Juxta illud Hesiodi εἰ γάρ κεν ἐμικρὸν ἐπὶ σμικρῷ καταθείο, καὶ θᾶ μὰ τῶθ' ἕρδοις, τάχα κεν μέγα καὶ τὸ γένοιτο. Id est, *Nam si vel parvum pergas superaddere parvo, Et crebro id facias, ingens existet acervus.*

6 Τέχνη, ars, it. dolus.

7 Scil. ubi mihi commodum fuerit.

8 Tectam inimicitiam.

9 Duplex.

10 Præstigiosam rerum magnarum ipem, atque ostentationem *fumum* ac *nebulas* vocamus. Qui itaque magnam hominibus de re aliqua ipem faciunt, quæ mox evanescit, *fumos vendere* dicuntur.

ſtetiſſe, quo minus perfectum ſit. PH. Quid ſi neget ille? PS. Is procul abeſt, puta Baſileæ; ego polliceor in Anglia: deinde fit, ut orta ſimultate neuter alteri credat, ſi quid incuſer. Habes ſpecimen artis. PH. At iſtam artem nos craſſiores ſolemus vocare furtum, qui [1] ficum vocamus ficum, & ſcapham ſcapham. PS. O hominem juris Cæſarei rudem! An licet [2] intendere actionem furti ei, qui ſuppreſſit [3] depoſitum, aut qui abjurat mutuum, aut ſimili techna impoſuit? PH. Oportuit. PS. Proinde vide prudentiam artificum. Ex his plus eſt lucri, aut certe tantumdem; & minus eſt periculi. PH. Male ſit tibi cum tuis technis ac mendaciis. Non enim libet dicere, Vale. PS. Tu ringere cum tua [4] pannoſa veritate; ego interim ſuaviter agam cum meis furtis ac mendaciis, [5] dextro Ulyſſe ac Mercurio.

1 *Ficum ficum, & ſcapham ſcapham vocare* dicuntur ii, qui ſimplici & ruſticana utentes veritate, rem, ut eſt, narrant, nullis ambagibus aut verborum lenociniis utente. Idem adagium ſonat *Caniſtrum caniſtrum, ficus ficum, lygonem lygonem vocat.* Hinc nonnulli, quia Græca vox ambigua eſt, non *ſcapham*, ſed *lygonem* vertunt, à σκάπτω fodio.

2 Phraſes Jurisconſultis propriæ: ſenſus eſt, *an licet coram judice furti inſimulare eum, qui rem apud ſe depoſitam non reddit, ſed retinet & ſupprimit?* Actio autem jurisperitis jus perſequendi in judicio, quod nobis debetur, vel accuſatio ipſa. Hinc *actionem intendere, inferre, movere, inſtituere.*

3 Reſpice pag. 256.

4 Ideo vocat *veritatem* quaſi *pannoſam*, quia ſinit eum eſſe pannoſum, i. e. pannis obſitum, vel ſordide veſtitum.

5 Juvante. De Ulyſſe vafro, & Mercurio furaci non ſemel ſupra diximus.

[1] NAUFRAGIUM.

ANTONIUS, ADOLPHUS.

AN. [2] HOrrenda narras. Eſt iſtuc navigare? Prohibeat Deus, ne mihi quidquam unquam tale

1 Q. d. navis fractio.

2 Ex abrupto incipit colloquium, quaſi jam diu ante collocuti fuiſſent, more comœdiarum.

1 Ex

tale veniat in mentem. AD. Imo quod hactenus commemoravi, lusus merus est præ his quæ nunc audies. AN. Plus satis malorum audivi: inhorresco te memorante, quasi ipso periculo interim. AD. Imo mihi [1] jucundi sunt acti labores. Ea nocte quiddam accidit, quod magna ex parte spem salutis ademit [2] nauclero. AN. Quid obsecro? AD. Nox erat [3] sublustris, & in summo malo stabat quidam è nautis in [4] galea; sic enim vocant, opinor; circumspectans, si quam terram videret: huic cœpit adsistere sphæra quædam ignea: id nautis tristissimum ostentum est, si quando solitarius ignis est; felix, cum [5] gemini. Hos [6] vetustas credidit [7] Castorem & Pollucem. AN. Quid illis cum nautis, quorum alter fuit eques, alter pugil. AD. Sic visum est poëtis. Nauclerus qui clavo assidebat, Socie, (nam eo nomine se mutuo compellant nautæ;) videsne, quod sodalitium tibi [8] claudat latus? Video, respondit ille; & precor ut sit felix. Mox globus igneus delapsus per funes devolvit sese usque ad nauclerum. AN. Num ille exanimatus est metu? AD. Nautæ assueverere

1 Ex ipsa hominum natura sumptum adagium est. Hoc enim omnibus insitum est, ut jucunda cuique sit ante actorum malorum aut periculorum secura recordatio. Vide infra *Convivium dispar.*

2 Ναύκληρος, i. e. navis dominus.

3 Habens nonnihil lucis.

4 Quam & corbem navis vocant.

5 Duplex.

6 Antiquitas, i. e. antiqui ethnici.

7 Fabulantur Poëtæ Jovem, cum Ledam Tyndari regis uxorem deperiret, in cygni effigiem versum, cantu eam non modo ut ad se veniret, verum etiam sibi blandiretur, allexisse: eamque, ubi prægnans facta esset, peperisse ovum, ex quo *Castor*, *Pollux*, & *Helena* (quæ fuit tristissima belli Trojani causa) nati sunt. Quamvis aliqui Pollucem tantum & Helenam natos velint, Castorem vero ex Tyndaro fuisse mortalem. Alii duo ova à Leda uno partu edita, ex quorum uno Castor & Pollux, ex altero nata fuit Helena, & Clytemnestra, quæ Agamemnonis uxor fuit. Ut ut sit, in hoc conveniunt fabulatores, Castorem inter equites, Pollucem inter pugiles excelluisse. Denique ut verbo dicam, hos finxit antiquitas à Jove in cœlum translatos geminorum signum efficere. An vero sphæras igneas, quæ navigantibus in tempestate apparent, hos vetustas crediderit, ipse Erasmus viderit. Horatius vocat eos *fratres Helenæ, lucida sidera.* Od. 3.

8 Id est, adstet lateri: vide notas in pag. 122.

re monstris. Ibi paullisper commoratus, volvit se per margines totius navis: inde per medios [1] foros dilapsus evanuit. Sub meridiem cœpit magis ac magis incrudescere tempestas. Vidistine unquam [2] Alpes? AN. Vidi. AD. Illi montes [3] verrucæ sunt, si conferantur ad undas maris. Quoties tollebamur in altum, licuisset lunam digito contingere: quoties demittebamur, videbamur dehiscente terra recta ire in [4] tartara. AN. O insanos qui se credunt mari! AD. Nautis frustra luctantibus cum tempestate, tandem nauclerus totus pallens nos adiit. AN. Is pallor præsagit aliquod magnum malum. AD. Amici, inquit, desii esse dominus navis meæ; vicere venti; reliquum est, ut spem nostram collocemus in Deo, & quisque se paret ad [5] extrema. AN. O vere [6] Scythicam concionem! AD. In primis autem, inquit, exoneranda est navis; sic jubet [7] necessitas, durum telum: præstat consulere vitæ, dispendio [8] rerum, quam simul cum rebus interire. Persuasit veritas: projecta sunt in mare plurima vasa plena preciosis mercibus. AN. Hoc erat vere [9] jacturam facere. AD. Aderat Italus quidam, qui legatum egerat apud regem Scotiæ:

1 Tabulata navis.

2 Nonissimi & altissimi montes, Italiæ termini.

3 Parvi colles, item tubercula in corpore. Aulus Gellius lib. 3. cap 7. Ex Marco Catone in libris Originum: *Maturum censeo*, inquit, *si rem servare vis, faciundum, ut quadringentos ad quot milites ad verrucam illam (sic enim M. Cato locum editum asperumq; appellat) ire jubeas*, &c. Verum Vossius in Etymologico suo vult *verrucam* tuberculum cutis (nam de alia significatione, verbum addit nullum) ab antiquo *verruncq.* nomen sumsisse quod cum sit aliquid molestum, herba quadam *averruncetur*, hoc est avertatur.

4 Tartarus, in plur. Tartara, inferorum locus profundissimus.

5 Mortem. Ea enim, teste Flacco, *ultima linea rerum.*

6 *Scythicam.* Id est, duram. Scytharum feritas in proverbium cessit, ut quicquid barbarum ac durum intelligi velimus, *Scythicum* appellemus. Vide Prov. Σκυθῶν ῥῆσις.

7 Alludit ad illud Plinii *Maximum telum necessitas*; rursum ad illud τῇ ἀνάγκῃ κἀθεν οἱ θεοὶ μάχονται, i. e. *Necessitati quidem nec Dii repugant.*

8 Bonorum.

9 *Jactura* damnum est, & *jacturam facere dicitur*, quisquis damno afficitur: hic erat vere *jactura* à jaciendo dicta.

1 De-

tiæ: huic erat scrinium plenum vasis argenteis, annulis, panno, ac vestimentis sericis. AN. Is nolebat[1] decidere cum mari? AD. Non; sed cupiebat aut perire cum[2] amicis opibus suis, aut simul cum illis servari. Itaque[3] refragabatur. AN. Quid nauclerus? AD. Per nos, inquit, liceret tibi cum[4] tuis perire solum: sed æquum non est, ut nos omnes tui scrinii caussa periclitemur; alioqui te una cum scrinio[5] dabimus in mare præcipitem. AN. Orationem vere nauticam. AD. Sic Italus quoque jacturam fecit, multa mala precans & superis & inferis, quod suam vitam elemento tam[6] barbaro credidisset. AN. Agnosco vocem[7] Italicam. AD. Paulo post venti, nihilo mitiores facti nostris muneribus, rupere funes, disjecere vela. AN. O[8] calamitatem! AD. Ibi rursus nos adit nauta. AN. Concionaturus? AD. Salutat: Amici, inquit, tempus hortatur, ut unusquisque Deo se commendet, ac morti se præparet. Rogatus à quibusdam nauticæ rei non imperitis, ad quot horas se crederet posse tueri navem, negavit se posse polliceri quidquam, sed ultra tres horas non posse. AN. Hæc concio durior etiam erat priore. AD. Hæc ubi locutus est, jubet incidi funes omnes, ac malum usque ad[9] thecam, cui inseritur, incidi serra, ac simul cum antennis devolvi in mare. AN. Cur hoc? AD. Quoniam sublato aut lacero velo erat oneri, non usui: tota spes erat in clavo. AN. Quid interea

[1] vecto-

1 Decidere hic significat paciscí portione rerum, ut reliqua maneant salva.
2 Amatis.
3 Repugnabat.
4 Bonis.
5 Præcipitabimus te ex navi.
6 Sævo.
7 Nam Itali magno stomacho *barbarum* vocare solent, quicquid peregrinum est.
8 Calamitas proprie à rustici dicitur grando, quæ calamos, i. e culmos, segetemve disjicit. Terent. Eun. Act. 1. Sc. 1. *sed ecce ipsa egreditur nostri fundi calamitas.* Hinc ponitur pro quavis miseria, atque æruma.
9 Θήκη, locus est in quo aliquid reponitur. Hic intellige repositorium, in quod malus immittitur. Gr. ἱστοδόκη.

[1] vectores? AD. Ibi vidisses miseram rerum faciem: nautæ canentes, Salve Regina, implorabant matrem Virginem, appellantes eam stellam maris, reginam cœli, dominam mundi, portum salutis, aliisque multis titulis illi blandientes, quos nusquam illi tribuunt sacræ literæ. AN. Quid illi cum mari, quæ nunquam, opinor, navigavit? AD. Olim Venus agebat curam nautarum, quia nata credebatur [2] ex mari: ea quoniam desiit curare, suffecta est huic matri non virgini Virgo mater. AN. [3] Ludis. AD. Nonnulli procumbentes in tabulas adorabant mare, quidquid erat [4] olei effundentes in undas, non aliter illi blandientes, quam solemus irato principi. AN. Quid ajebant? O clementissimum mare, ô generosissimum mare, ô ditissimum mare, ô formosissimum mare; mitesce, serva: hujusmodi multa occinebant surdo mari. AN. Ridicula superstitio. Quid alii? AD. Quidam nihil aliud quam vomebant, plerique vota [5] nuncupabant. Aderat Anglus quidam, qui promittebat [6] montes aureos Virgini [7] Walsamgamicæ, si vivus attigisset terram. Alii multa promittebant ligno crucis, quod esset in tali loco; alii rursum quod esset [8] in tali loco. Idem factum est de Maria Virgine, quæ regnat in multis locis; & putant votum irritum, nisi locum exprimas. AN. Ridiculum: quasi divi non habitent in cœlis. AD. Erant qui se promit-

1 Qui vehebantur. *Vector* significat qui vehit, & qui vehitur.

2 Notum est distichon Ausonii in Venerem. *Orta salo, suscepta solo, patre edita cœlo, Æneadum genitrix hic habito alma Venus.* Respice notas in pag. 201.

3 Vere ludit, & falsè ridet Erasmus Pontificiorum insaniam.

4 Forte fidem habuerunt Plinio; qui ita inquit l. 2. cap 103. *Ea natura est olei, ut lucem adferat, ac tranquillet omnia: etiam mare, quo non aliud elementum implacabilius.* Sed credat hoc Judæus apella, non ego.

5 Scil. divis.

6 Hyperbolice *montes aureos* pro *immensas divitias* vel *amplissima dona promittere* dicitur. Terent. Phorm. Act. 1. Sc. 2. *Modo non montem auri pollicens.*

7 Quæ Walsamgamiæ in Anglia colitur.

8 Tanta enim ligni crucis apud Pontificios ostentatur copia, ut autor noster alibi direxit, totam navim oneratam ejus frustis posse impleri.

1 Qui

promitterent fore [1] Carthusianos. Erat unus qui polliceretur se aditurum [2] divum Jacobum, qui [3] habitat Compostellæ, nudis pedibus & capite, corpore tantum lorica ferrea tecto, adhæc cibo emendicato. AN. Nemo meminit [4] Christophori? AD. Unum audivi non sine risu, qui clara voce, ne non exaudiretur, polliceretur Christophoro, [5] qui est Lutetiæ in summo templo, mons verius quam statua, cereum tantum quantus esset ipse. Hæc cum vociferans quantum poterat [6] identidem inculcaret, qui forte proximus assistebat illi notus, cubito tetigit eum ac submonuit: Vide quid pollicearis: etiamsi rerum omnium tuarum [7] auctionem facias, non fueris solvendo. Tum ille voce jam [8] pressiore, ne videlicet exaudiret Christophorus: Tace, inquit, fatue; an credis me ex animi sententia loqui? Si semel contigero terram, non daturus sum illi candelam sebaceam. AN. O crassum ingenium! suspicor fuisse Batavum. AD. Non; sed erat [9] Zelandus. AN. Miror, nulli in mentem venisse Paulum Apostolum, qui ipse olim navigarit, & fracta navi desilierit in terram. Is enim [10] haud ignarus mali didicit miseris succurrere. AD. Pauli nulla erat mentio. AN. Precabantur interim?

1 Qui præter cæteros monachos duro vitæ generi se addixerunt. Respice pag. 171. & 245.

2 Qui Hispanis dicitur *Sant Jago*.

3 *Habitat* inquit Erasmus, pro *colitur*. Est autem Compostella Galleciæ metropolis, in qua Jacobi Apostoli corpus sepultum affirmant Papicolæ, qui & ejus simulachrum superstitiose colunt. Peregrinatores, ex diversis regionibus huc confluentes, conchis donantur.

4 Qui & Pontificiis non de plebe divus est, sed cum Nicolao collega rei maritimæ curam agit, ita dictus, quod Christum per mare humeris portavit. Vide supra *Militaria*, & infra *Peregr. Relig.*

5 Id est, cujus statua.

6 Iterum, atque iterum.

7 *Auctio* est venditionis genus, in quo à licitantibus pretium magis magisque augetur.

8 Submissiore: contrarium est *clara* vel *alta*, quamvis sint, qui negent Latine dici *alta vox*; sed eos Catullus doceat oportet.

9 Recte facit Erasmus quod Zelandos popularibus suis crassiores depingat.

10 Respicit autor ad verba Didonis, quæ refert Virg. lib. 1. Æn. *Haud ignara mali miseris succurrere disco.*

interim? AD. Certatim. Alius canebat, Salve Regina; alius, Credo in Deum. Erant qui peculiares quasdam preculas habebant, non [1] dissimiles magicis, adversus pericula. AN. [2] Ut afflictio facit religiosos! Rebus [3] secundis, nec Deus, nec divus quisquam nobis venit in mentem. Quid tu interea? Nulli divorum nuncupabas vota? AD. Nequaquam. AN. Cur ita? AD. Quia non paciscor cum divis. Quid est enim aliud quam contractus juxta formulam, Do, si facias: aut, Faciam, si facias: Dabo cereum, si enatem: Ibo Romam, si serves. AN. At implorabas alicujus divi præsidium? AD. Ne id quidem. AN. Quam ob rem autem? AD. Quia spacioſum est cœlum. Si cui divo commendaro meam salutem, puta sancto Petro, qui fortasse primus audiet, quod [4] adstet ostio; prius quam ille conveniat Deum, prius quam exponat causſam, ego jam periero. AN. Quid igitur faciebas? AD. Recta adibam ipsum Patrem, dicens, Pater noster, qui es in cœlis. Nemo divorum illo citius audit, aut libentius donat quod petitur. AN. Sed interea non reclamabat tibi conscientia? Non verebaris appellare patrem, quem tot sceleribus offenderas? AD. Ut ingenue dicam, deterrebat nonnihil conscientia; sed mox recipiebam animum, ita mecum cogitans: Nullus est pater tam iratus filio, quin, si videat eum periclitantem in [5] torrente aut lacu, capillis arreptum ejiciat in ripam. Inter

1 Jure merito ridet insulsas preces, quas certis periculis assignatas habent Pontificii.

2 Hinc quidam e Patribus, quos vocant, *Qui nescit orare, discat navigare.*

3 Prosperis

4 Satis perstringit Papicolarum superstitionem, qui Petrum cœli ostiarium depingunt: quin etiam Pontificibus Maximis, Petri successoribus, si diis placet, potestatem tribuunt intromittendi in cœlum quos velint. Quare aliquis non illepidum scripsit epigramma in Urbanum ejus nominis octavum, qui vir doctus & elegans Poëta fuit, cum Pontificatum auspicaretur. Sic enim sonat: *Plaudite nunc vates, vobis patet aurea cœli Janua, nam claves Papa poëta tenet.*

5 *Torrens* significat fluvium subitis imbribus concitatum.

ter omneis nullus se tranquillius agebat, quam mulier quædam, cui erat infantulus in sinu, quem lactabat. AN. Quid illa? AD. Sola nec vociferabatur, nec flebat, nec pollicitabatur: tantum complexa puellum, precabatur tacite. Interea dum navis subinde illideretur vado, nauclerus metuens ne tota [1] solveretur, rudentibus eam cinxit à prora & à puppi. AN. O misera præsidia! AD. Interim [2] exoritur quidam sacrificus senex, annos natus sexaginta; nomen erat Adamus: is abjectis vestibus usque ad indusium, abjectis etiam ocreis & calceis, jussit, ut omnes itidem pararemus nos ad natandum. Atque ita stans in medio navis, concionatus est nobis ex [3] Gerſone quinque veritates de utilitate confitendi; hortatus omneis ut se quisque præpararet & vitæ & morti. Aderat & [4] Dominicanus quidam. His confessi sunt qui volebant. AN. Quid tu? AD. Ego videns omnia plena tumultus, tacite confessus sum Deo, damnans apud illum meam injustitiam, & implorans illius misericordiam. AN. Quo migraturus, si sic perisses? AD. Hoc committebam judici Deo. Neque enim volebam esse mei ipsius judex: tamen bona quædam spes interim habebat animum meum. Dum hæc aguntur, redit ad nos nauta lacrymabundus. Paret, inquit, se quisque;

1 Dissolveretur, i. e. rumperetur.

2 Surgit.

3 Id est, ex libro Gersonis. Fuit Joannes Gerson, Universitatis Parisiensis Cancellarius, ut vocant, qui Concilio Constantiensi interfuit, & inter alia hunc, in quem digitum intendit Erasmus, librum de utilitate confitendi composuit. Lugduni in Gallia obiit Anno 1429.

4 Scil. Monachus. Dominicani monachi dicti sunt à Dominico quodam, qui natus est patre Felice, matre Joanna, in Calagura Hispaniæ prædiso anno 1170. De quo horrenda miraculorum mendacia excogitarunt Papicolæ. Qualis vero fuerit hinc liquet, quod iste bonus divus, ad convertendos Albigenses missus ab Innocentio tertio, seditiosissimis suis concionibus tantum effecerit, ut plus quam centum millia Albigensium ferro & flamma perierint. Hi primum Hispanicam inquisitionem, Belgis tantopere execrandam, instituerunt.

quisque; nam navis non erit nobis usui ad quartam horæ partem. Jam enim locis aliquot convulsa hauriebat mare. Paulo post nauta renuntiat nobis se videre procul turrim sacram, adhortans, ut divi, quisquis esset ejus templi præses, auxilium imploraremus. Procumbunt omnes, & orant ignotum divum. AN. Si nomine compellassetis eum, fortassis audisset. AD. Erat [1] ignotum. Interim nauclerus quantum potest, eo navim dirigit jam laceram, jam undique combibentem undas; ac plane dilapsuram, ni rudentibus fuisset succincta. AN. Dura rerum conditio. AD. Eo provecti sumus, ut ejus loci incolæ prospicerent nos periclitantes; ac procurrentes catervatim in extremum littus, sublatis togis, & [2] galeris in lanceas impositis, invitabant ad se se; ac jactatis in cœlum brachiis significabant se deplorare nostram fortunam. AN. Exspecto quid evenerit. AD. Jam mare totam navim occuparat, ut nihilo tutiores essemus futuri in navi, quam in mari. AN. Heic [3] ad sacram ancoram confugiendum erat. AD. Imo ad miseram. Nautæ scapham exonerant aqua, ac dimittunt in mare. In hanc omnes se se conantur conjicere, nautis magno tumultu reclamantibus, scapham non esse capacem tantæ multitudinis, arriperet sibi quisque quod posset, ac nataret. Res non patiebantur lenta consilia: alius arripit remum, alius contum, alius alveum, alius situlam, alius tabulam; ac suo quisque præsidio nitentes committunt se fluctibus. AN. Quid interim accidit illi mulierculæ, quæ sola non ejulabat? AD. Illa omnium prima pervenit ad littus. AN. [4] Qui potuit? AD. Imposueramus eam [5] repandæ tabulæ, & sic alligaveramus, ut,

1 Nempe nomen ejus.
2 Pileis.
3 Ludit autor in voce *Sacra ancora*. Nam *ancora sacra* nautis præcipua est, & proverbialiter *confugere ad sacram ancoram*, pro ad extrema præsidia dicitur.
4 Quo modo.
5 Recurvæ.

1 Feminam

ut non facile posset decidere: dedimus illi tabellam in manum, qua vice remi uteretur: ac bene precantes exposuimus in fluctus, conto protrudentes, ut abesset à navi, unde erat periculum: illa læva tenens infantulum, dextra remigabat. AN. O [1] viraginem! AD. Cum jam nihil supereſſet, quidam avulsit ligneam statuam Virginis matris, jam putrem atque excavatam à [2] soricibus, eamque complexus cœpit natare. AN. Scapha pervenit incolumis? AD. Nulli prius periere. Porro triginta sese in eam conjecerant. AN. Quo malo fato id factum est? AD. Prius quam posset se liberare à magna navi, illius vacillatione subversa est. AN. O factum male! Quid tum? AD. Ego, dum aliis consulo, pene perieram. AN. Quo pacto? AD. Quia nihil supererat aptum natationi. AN. Illic subera fuissent usui. AD. In eo rerum [3] articulo maluissem vile suber, quam candelabrum aureum. Circumspicienti tandem venit in mentem [4] de ima mali parte: eam quoniam solus eximere non poteram, adsciſco socium: huic ambo innixi committimus nos mari, sic ut ego dextrum [5] cornu tenerem, ille lævum. Dum sic jactamur, sacrificus ille concionator nauticus, medium injecit se in humeros nostros. Erat autem ingenti corpore. Exclamamus, Quis ille tertius? Is perdet nos omneis. Ille contra placide, Sitis, inquit, bono animo; sat spacii est, Deus aderit nobis. AN. Cur ille tam sero cœpit esse natator? AD. Imo futurus erat in scapha, una cum Dominicano: nam omnes hoc honoris illi deferebant, sed quanquam erant invicem confessi in navi, tamen obliti nescio quid circumstantiarum, rursus ibi in ora navis

1 Feminam fortem.
2 Glitibus.
3 Statu, vel momento tempestivo.
4 Latine dicitur *venit in mentem ea res, ejus rei, vel de ea re.*
5 I. e. partem. Sic in exercitibus *cornua aciei* dicuntur.

navis confitentur, & alter alteri [1] manum imponit; interim scapha perit: nam hæc mihi narravit Adamus. AN. Quid actum est de Dominicano? AD. Is, ut idem narrabat, implorata divorum ope, abjectis vestibus, nudum se commisit natationi. AN. Quos divos invocabat? AD. Dominicum, [2] Thomam, [3] Vincentium, & [4] nescio quem Petrum, sed in primis fidebat [5] Catharinæ Senensi. AN. Christus illi non veniebat in mentem? AD. Ita narrabat sacrificus. AN. Melius enatasset, si non abjecisset [6] sacram cucullam: ea deposita, qui potuit illum agnoscere Catharina Senensis? Sed perge narrare de te. AD. Dum adhuc volveremur juxta navim, arbitrio fluctuum huc & illuc se volventem, clavus illisus fregit femur ejus qui tenebat lævum cornu. Sic ille revulsus est; sacrificus precatus illi requiem æternam, successit in locum illius, adhortans, ut magno animo tuerer cornu meum, ac strenue moverem pedes. Interim potabamus multum aquæ salsæ. Adeo Neptunus nobis non balneum tantum salsum, sed potionem etiam salsam temperarat: quanquam sacrificus ei rei monstraret remedium. AN. Quod, obsecro? AD. Quoties unda nobis occurreret, ille opposuit occipitium, ore clauso. AN. Strenuum senem mihi narras. AD. Ubi jam aliquandiu sic natantes nonnihil promovissemus, sacrificus, quoniam erat miræ proceritatis, Bono, inquit, es animo; sentio vadum. Ego non ausus tantum sperare felicitatis, Longius, inquam, absumus à littore, quam ut vadum sperandum sit. Imo, inquit, sentio pedibus

1 Quod valedicentium, vel benedicentium signum est.

2 Forte illum Thomam, quem depictum vide in *Convivio relig.* & *Peregrin relig. ergo.*

3 Fuit Vincentius Rhemensis Anno 865. Et hic cum cæteris divorum Calendario inscriptus est.

4 Ergo alium præter Apostolum.

5 Catharina Senensis (ita dicta ab urbe Senis, in qua nata est patre tinctore) magnopere à Pontificiis colitur. Prodigiosa de ea circumferuntur mendacia. Respice. *Apoth. Capn.*

6 *Cucullum monachalem.* Respice pag. 191. & 41.

1 Sc-

pedibus terram. Est, inquam, fortassis è scriniis aliquod, quod huc devolvit mare. Imo, inquit, scalptu [1] digitorum plane sentio terram. Cum huc aliquandiu natassemus, ac rursus sentiret vadum, Tu fac, inquit, quod tibi videtur factu optimum, ego tibi [2] cedo malum totum, & vado me credo; simulque exspectato fluctuum decessu, pedibus sequutus est quanto potuit cursu. Rursus accedentibus undis, utraque manu complexus utrumque genu, obnitebatur fluctui, occultans sese sub undis, quemadmodum solent [3] mergi & anates: rursus abeunte fluctu [4] promicabat & currebat. Ego videns hoc illi succedere sum imitatus. [5] Stabant in arena, qui porrectis inter se prælongis hastilibus fulciebant sese adversus impetum undarum: viri robusti, & fluctibus assueti, sic ut ultimus hastam porrigeret adnatanti. Ea contacta, omnibus in litus se recipientibus, tuto pertrahebatur in siccum. Hac ope servati sunt aliquot. AN. Quot? AD. Septem: verum ex his duo [6] soluti sunt tepore, admoti igni. AN. Quot eratis in navi? AD. Quinquaginta octo. AN. O sævum mare! saltem [7] decimis fuisset contentum, quæ sufficiunt sacerdotibus. Ex tanto numero tam paucos reddidit? AD. Ibi experti sumus incredibilem gentis humanitatem, omnia nobis mira alacritate suppeditantis, hospitium, ignem, cibum, vestes, viaticum. AN. Quæ gens erat? AD. Hollandica. AN. Ista nihil humanius, cum

1 Sc. pedis.

2 Concedo, relinquo.

3 *Mergus*, i. secundæ declinationis, avis est ita dicta, quod sese assidue in aquam immergat. Sed *Mergus*, oris 3. decl. vas aquatium est.

4 Supra fluctus eminebat.

5 Graphice depingit autor mores piscatorum Batavorum naufragis succurrentium.

6 Scil. corpore, vel vita. Ita Virg. *Paulatim exsolvit se corpore, lentaque colla, Et captum letho posuit caput.*

7 *Decimæ* dicuntur decima pars omnium proventuum, quam principibus olim & sacerdotibus, dein quoque pigris sacrificulis & Monachis solvit vulgus.

cum tamen [1] feris nationibus cincta sit. Non repetes, opinor, posthac [2] Neptunum. AD. Non, nisi mihi Deus ademerit sanam mentem. AN. Et ego malim audire tales fabulas, quam experiri.

1 Docent hoc graviſſima & injuſtiſſima bella, quibus ad hoc usque tempus luctata est, semper vero emersit.

2 Mare. P. Syrus Mimus in trochaicis, *Improbè Neptunum accusat, qui iterum naufragium facit.*

DIVERSORIA.

BERTULPHUS, GUILIELMUS.

BE. CUr ita visum est plerisque biduum aut triduum commorari [1] Lugduni? Ego semel iter ingressus, non conquiesco donec pervenero, quo constitui. GU. Imo ego admiror, quenquam illinc avelli posse. BE. Quam ob rem tandem? GU. Quia illic locus est, unde non poterant avelli [2] socii Ulyssis, illic Sirenes. Nemo domi suæ tractatur melius, quam illic in [3] pandocheo. BE. Quid fit? GU. Ad mensam semper adstabat aliqua mulier, quæ convivium exhilararet facetiis, ac [4] leporibus. Et est illic mira [5] formarum felicitas. Primum adibat materfamilias, quæ salutabat, jubens nos hilares esse, & quod apponeretur, boni consulere. [6] Huic succedebat filia,

1 In Gallia scil. ut constat ex sequenti: *agnosco Gallicæ gentis humanitatem.*

2 Alludit ad fabulam de Ulysse & sociis ejus confictam ab Homero Odyss. lib. μ. Ulysses enim, insulas Sirenum prætervavigans, suas & sociorum aures cera obturavit, seque malo alligari jussit, ne suavitate cantus in naufragium pelliceretur. Sirenes autem finguntur monstra marina supernè virginis effigiem referentia, inferiori vero parte in pisces caudam desinentia. Fabula docet voluptatum illecebras non nisi à sapiente contemni posse.

3 Πανδοχεῖον, i. e. diversorium publicum, ita dictum quod in eo omnes promiscue excipiantur. πανδοχεὺς, *Pandocheus*, Caupo, qui quemvis hospitio excipit.

4 Blandis & venustis dictis.

5 Id est, formosarum puellarum, seu feminarum. Terent. Eun. Act. 2. Sc. 3. *Tædet quotidianarum harum formarum.*

6 Post hanc sequebatur

1 Catonis

lia, mulier elegans, moribus ac lingua adeo festivis, ut possit vel ipsum [1] Catonem exhilarare. Nec confabulantur ut cum [2] hospitibus ignotis, sed veluti cum olim notis ac familiaribus. BE. Agnosco Gallicæ gentis humanitatem. GU. Quoniam autem illæ non poterant adesse perpetuo, quod essent [3] obeunda munia domestica, reliquique convivæ consalutandi, continenter adstabat puellula quædam ad omneis jocos instructa: una satis erat omnium [4] jaculis excipiendis: hæc sustinebat fabulam, donec rediret filia, Nam mater erat natu grandior. BE. Sed qualis erat tandem apparatus? Nam fabulis non expletur venter. GU. Profecto lautus, ut ego mirer, illos tam [5] vili posse accipere hospites. Rursus peracto convivio, lepidis fabulis [6] alunt hominem, ne quid [7] obrepat tædii. Mihi videbar domi esse, non peregre. BE. Quid in cubiculis. GU. Illic nusquam non aderant aliquot puellæ, ridentes, lascivientes, lusitantes: ultro rogabant, si quid haberemus vestium sordidarum: eas lavabant, ac lotas reddebant. Quid multis? Nihil illlic vidimus præter puellas ac mulieres, nisi in stabulo: quanquam & huc frequenter [8] irrumpebant puellæ. Abeuntes complectuntur, tantoque affectu dimittunt, ac si fratres essent omnes, aut propinquæ cognationis. BE. Fortassis isti mores decent Gallos; mihi magis arridents Germaniæ mores, utpote [9] masculi. GU. Mihi

1 Catonis severitas in proverbium abiit. Fuerunt autem apud Romanos duo magni nominis Catones, alter Porcius, cui & postea Censorii nomen, alter Uticensis (ita dictus ab Utica, in qua sibi manus intulit, vide notas in *Conv. relig.* pag. 163.) uterque severis moribus.

2 Advenis.

3 Administranda.

4 Facetis & falsis dictis, quorum ictus instar jaculi.

5 Sc. pretio.

6 Oblectant.

7 Respice pag. 248.

8 Frequentes intrabant.

9 Viriles.

Mihi nunquam contigit videre [1] Germaniam: quare te quæso, ne gravere commemorare, quibus modis accipiant hospitem. BE. An ubique sit eadem tractandi ratio, nescio: quod ego vidi, narrabo. Advenientem nemo salutat, ne videantur ambire hospitem. Id enim [2] sordidum & [3] abjectum existimant, & indignum Germanica severitate. Ubi diu inclamaveris, tandem aliquis per fenestellam [4] æstuarii (nam in his degunt fere usque ad [5] solstitium æstivum) profert caput, non aliter quam è testa prospicit testudo. Is rogandus est, an liceat illic diversari. Si non renuit, intelligis dari locum. Rogantibus ubi sit stabulum, mota manu commonstrat. Illic licet tibi tuum equum tractare tuo more. Nullus enim famulus manum admovet. Si celebrius est diversorium, ibi famulus commonstrat stabulum, atque etiam locum equo minime commodum. Nam commodiora servant venturis, præsertim nobilibus. Si quid [6] caussëris, statim audis; Si non placet, quære aliud diversorium. Fœnum in urbibus ægre ac [7] perparce præbent, nec multo minoris vendunt, quam ipsam avenam. Ubi consultum est equo, totus commigras in [8] hypocaustum, cum

1 Justus Lipsius in epistola quodam ad Jacobum Monarium. *Quid Erasmo igitur fiet, qui tam ubertim & libere illusit in hospitia omnia Germaniæ?* Et Nicolaus Clenardus in epistola ad Christianos de professione Arabica, militiaque constituenda adversus Mahometum, inter alia de itinere suo in Hispaniam. *Multa deinde, postquam egressi fuimus Galliam, adeo sumus admirati, ut merito liceret in jus vocare Dialogum Erasmi, qui Germanorum diversoria, velut aliquid haberent incommodi, tam contra omnem æquitatem studuit traducere: reviviscat, & pergat Salamanticam,* &c.

2 Avarum.

3 Humile, ignobile.

4 Id est, Hypocausti, alioqui *æstuarium* etiam designat locum, quod mare alternis vicibus tegit & detegit.

5 *Solstitium* quasi solis status, quia sol ubi octavo al. Jul. juxta fastos Julianos, ad Tropicum Cancri pervenit, non ultra progreditur: quemadmodum & Solstitio hyemali in Capricorno non longius à nobis discedit.

6 Contradicas.

7 I. e. valde parce.

8 Ὑποκαύστον, à verb. ὑποκαίω, succendo proprie Vaporarium, quod sub pavimento suo habet fornacem, qua accensa caleht. Germanorum vero & Belgarum mos est fornaces in angulo vel medio conclavis habere.

1 Pura

cum ocreis, sarcinis, luto, id est unum omnibus commune. GU. Apud Gallos designant cubicula, ubi se exuant, extergant, calefaciant, aut quiescant etiam, si libeat. BE. Heic nihil tale. In hypocausto exuis ocreas; induis calceos; mutas, si voles, indusium; vestes pluvia madidas suspendis juxta hypocaustum; ipse te admoves, ut sicceris. Est & aqua parata, si libeat lavare manus, sed ita [1] munda plerumque, ut tibi post aliqua quærenda sit aqua, qua lotionem eam abluas. GU. Laudo viros nullis deliciis effeminatos. BE. Quod si tu [2] appuleris ad horam à meridie quartam, non cœnabis tamen ante nonam nonnunquam & decimam. GU. Quam ob rem? BE. Nihil apparant nisi videant omnes, ut eadem opera ministretur omnibus. GU. Quærunt compendium. BE. Tenes. Itaque frequenter in idem hypocaustum conveniunt octoginta aut nonaginta, pedites, equites, negotiatores, nautæ, aurigæ, agricolæ, pueri, feminæ, sani, ægroti. GU. Isthuc vere [3] cœnobium est. BE. Alius ibi pectit caput, alius abstergit sudorem, alius repurgat [4] perones aut ocreas, alius [5] eructat allium. Quid multis? Ibi linguarum ac personarum non minor est confusio, quam olim in turri [6] Babel. Quod si quem conspexerint peregrinæ gentis, qui [7] cultu dignitatis nonnihil [8] præ se ferat, in hunc intenti sunt omnes defixis oculis, contemplantes, quasi novum aliquod animantis genus adductum sit ex [9] Africa; adeo ut postea quam accubuerint, reflexo

1 Pura.

2 Adveneris.

3 Κοινόβιον, i. e. vitæ communicata societas, à κοινὸς communis, & βίος vita.

4 *Pero*, calceus rusticus.

5 Respice pag. 1.

6 *Babel* i. e. *confusio venti*. Nota senibus & pueris est historia sacra de hominibus, qui dum turrim ad cœlum usque molirentur, confusione linguarum à Deo impediti sunt.

7 Vestitu.

8 Ostentat.

9 Quia ex Africa plurima animalia prodigiosa, proverbium factum est: *Africa semper aliquid novi affert.*

in tergum vultu,[1] continenter adspiciant, nec dimoveant oculos, cibi immemores. GU. Romæ, Lutetiæ ac Venetiæ nemo quidquam miratur. BE. [2]Nefas est interim tibi quidquam petere. Ubi jam multa est vespera, nec sperantur plures adventuri, prodit famulus senex, barba cana, tonso capite, vultu torvo, sordido vestitu. GU. [3]Tales oportebat Cardinalibus Romanis esse [4]à poculis. BE. Is circumactis oculis tacitus dinumerat, quot sint in hypocausto, quo plures adesse videt, hoc vehementius accenditur hypocaustum, etiamsi alioqui sol æstu sit molestus. Hæc apud illos præcipua pars bonæ tractationis, si sudore diffluant omnes. Si quis non [5]assuetus vapori, aperiat rimam fenestræ, ne præfocetur, protinus audit, Claude. Si respondeas, Non [6]fero, audis, Quære igitur aliud diversorium. GU. Atqui mihi nihil videtur esse periculosius, quam tam multos haurire eundem vaporem, maxime resoluto corpore, atque heic capere cibum, & horas complures commorari. [7]Jam enim omitto ructus alliatos, & ventris flatum, halitus putres: multi sunt qui morbis occultis laborant, nec ullus morbus non habet suum contagium. Certe plerique [8]scabiem habent Hispanicam, sive, ut quidam vocant, Gallicam, cum sit omnium nationum communis. Ab his, opinor, non multo minus esse periculi, quam à leprosis. Jam tu divina, quantum [9]discriminis sit in pestilentia. BE. Sunt viri fortes, ista rident ac negligunt. GU. Sed interim

1 Assidue.

2 Non licet.

3 Ironice, cum Cardinales splendidissime vivere & bene cultorum famulorum gregem alere solent.

4 Pocillator.

5 Facile enim ejusmodi hypocaustorum vapor solet tentare capita eorum, qui non admodum validi sunt.

6 Id est: non possum sufferre.

7 Παρἀλειψις.

8 An hic autor denotet scabiem illam seu lepram Gallicam, multis Gallorum communem, quæ vulgo in articulis apparet, an illum, quem morbum Gallicum appellant, seu Hispanicum, mox videbimus.

9 Periculi.

interim multorum periculo fortes sunt. BE. Quid facias? Sic assueverunt: & constantis est animi non discedere ab instituto. GU. Atqui ante annos viginti quinque nihil receptius erat apud Brabantos, quam [1] thermæ publicæ: eæ nunc [2] frigent ubique. [3] Scabies enim nova docuit nos abstinere. BE. Sed audi cætera. Post redit ille [4] barbatus Ganymedes, ac linteis [5] insternit mensas, quot putat esse satis illi numero. Sed ô Deum immortalem! quam non [6] Milesiis. [7] Cannabea diceres ex antennis detracta. Destinavit enim cuique mensæ convivas, ut minimum octo. Jam quibus est notus mos patrius, accumbunt; ubi cuique libitum fuerit. Nullum enim discrimen inter pauperem & divitem, inter herum ac famulum. GU. Hæc est illa vetus æqualitas, quam nunc

* *Thermæ* balnea sunt, quæ artificio calescunt, vel natura calida sunt, ἀπὸ τῆς θερμῆς, à calore.

2 Id est, *in desuetudinem abierunt.* Ita infra *friget ludus*, i. e. languet. Contrarium est *fervere*, ut Virg. *fervet opus.*

3 Hinc colligere licet Erasmum unice digitum intendere in fœdum illum morbum Hispanicum, meritum impudicorum flagellum. Sic enim inquit in Coll. militis & Carthus. *Nam ista scabies nihil aliud est, quam lepræ species, nisi quod ideo non vitatur, quia multorum est communis, præcipue nobilium.* Ideoque appellat *scabiem novam.* Audi simile quid auctoris nostri in *Consultatione de bello Turcis inferendo* Oper. tom. V. edit. Froben. *Fecit Deus quod solent Medici fideles, novavit remedia, immisit inauditum & immedicabile lepræ genus, quam nescio quare vulgus appellet* scabiem Gallicam, *cum sit omnium nationum communis, percussit hominum genus ulcere vere pessimo. Jam horribile malum adeo non docuit nos castimoniam ac sobrietatem, ut plane verterimus in jocum*, &c. & paulo post. *Quid hoc aliud est quam domino nos castiganti oppetere.* Unde liquet quantopere Erasmus ab hoc malo abhorruerit.

4 Ironice vocat famulum istum sordidum *Ganymedem*, & quidem *barbatum.* Ganymedes antiquis dictus Trois filius, puer formosissimus, ab aquila, jussu Jovis, qui eum deperibat, in cœlum raptus, & miscendo nectari præfectus, repudiata Hebe, quæ, ante illum, superis erat à poculis.

5 Dicitur *insternere mensam linteis*, vel *mensis lintea.*

6 *Milesia texta* mollia. Immo & ipsi Milesii pro delicatis & luxuriosis celebrati. Oppidum, quod inhabitabant, optima lana abundans, dictum fuit *Miletus* à *Mileto* (ut Ovidius vult Metamorph. lib. 9.) Apollinis filio sic enim inquit; *Sponte fugis, Milete, tua, celerique carina Ægeas metiris aquas, & in Aside terra Mœnia constituis posituris habentia nomen.*

7 Sc. lintea, Cannabea, i. e. ex Cannabe.

nunc [1] è vita submovit tyrannis. Sic opinor vixisse Christum cum suis discipulis. BE. Postquam accubuerunt omnes, rursum prodit torvus ille Ganymedes, ac denuo dinumerat sua sodalitia: mox reversus apponit singulis [2] pinacium ligneum, & cochleare ex eodem argento factum, deinde cyathum vitreum: aliquanto post panem: eum sibi quisque per otium repurgat, dum coquuntur pultes. Ita nonnunquam sedetur ferme horæ spatio. GU. Nullus [3] hospitum interim efflagitat cibum? BE. Nullus cui notum sit regionis ingenium. Tandem apponitur vinum, Deus bone, quam non [4] fumosum! [5] Non aliud oportebat bibere [6] Sophistas; tanta est subtilitas & acrimonia. Quod si quis hospes, etiam oblata privatim pecunia, roget ut aliunde paretur aliud vini genus, primum dissimulant, sed eo vultu, quasi interfecturi: si urgeas, respondent; Heic diversati sunt tot [7] Comites & [8] Marchiones, neque quisquam questus est de vino meo: si non placet, quære tibi aliud diversorium. Solos enim nobiles suæ gentis habent pro hominibus, & horum insignia nusquam non ostentant. Jam igitur habent offam, quam objiciant latranti stomacho: mox magna [9] pompa veniunt [10] disci. Primus ferme habet offas panis madefactas jure carnium, aut,

1 Abrogavit.

2 Πίναξ Tabula lata & tenuis ejus dim. Πινακίδιον, tabella, seu scutella.

3 Convivarum.

4 Intelligit forte autor vinum generosum, quod tanquam fumum & vaporem ad cerebrum mittat, sed ironice.

5 Sc. ut inde subtiliores spiritus contrahant Ironice.

6 *Sophistæ* olim dicti Philosophi. Dein ob spinosas & inutiles quæstiones nomen id adaptatum est iis, qui fallacibus conclusionibus inanem sapientiæ speciem ostentant, quales non paucos hodie invenias.

7 *Comes* Latinis assecla. Posteritatis his seculis dignitatis nomen; & *Comites* dicti, qui Cæsares comitabantur.

8 *Marchio* vox Celtica, vel Marquis.

9 Omnis apparatus solennis cum ostentatione dicitur *pompa*. Ridet autor.

10 Patinæ. *Discus* propriè fuit lamina quædam rotunda trium vel quatuor digitorum crassitudine, longior paulo plus pede, alias lapidea, alias ferrea, immo & ænea, quam exercentes sese projiciebant. Lusus disci fuit antiquissimus, ut constat ex Homero, & aliis. Quia vero illud instrumentum ludicrum

aut, si dies est [1] piſculentus, jure leguminum. Deinde aliud jus, post aliquid carnium recoctarum, aut salsamentorum recalefactorum. Rursus pultis aliquid, mox aliquid solidioris cibi, donec probe domito stomacho apponant carnes assas aut piſces elixos, quos non possis omnino contemnere: sed [2] heic parci sunt, & subito tollunt. Hoc pacto totum convivium temperant, quemadmodum solent actores fabularum, qui scenis admiscent [3] choros; ita isti alternis miscent offas ac pultes. Curant autem, ut [4] extremus actus sit optimus. GU. Et hoc est boni poëtæ. BE. Porro [5] piaculum sit, si quis interim dicat. Tolle hunc discum; nemo vescitur. Desidendum est usque ad præscriptum spacium, quod illi [6] clepsydris, ut opinor, metiuntur. Tandem prodit ille barbatus, aut [7] pandocheus ipse, vestitu minimum à famulis differens, rogat ecquid animi nobis sit? Mox adfertur vinum aliquod generosius. Amant autem eos qui bibunt largius, cum nihilo plus solvat ille, qui plurimum hauserit vini, quam qui minimum. GU. Mirum gentis ingenium. BE. Cum nonnunquam sint qui duplo plus absumant in vino, quam solvant pro convivio. Sed antequam finiam hoc convivium, dictu mirum quis sit ibi strepitus ac vocum tumultus postquam omnes cœperunt incalescere potu.

crum erat rotundum, similiter & *discus* (Græce δίσκος) dicta est tabella rotunda, vel pinacium, quo epulæ in mensas ferebantur. Unde δισκοφόροι appellati sunt, qui quadris ferendis destinantur.

1 Dies piſculenti Pontificiis sunt, quibus illis carnibus vesci non licet, ut singulis diebus Veneris, & tota quadragesima, ut vocant.

2 In iis apponendis.

3 Choros Actibus præcipue inserunt tragici.

4 Ciceronis hæc sententia est. Alludit ad fabularum Actus, quorum ultimus est quintus. Vide prov. *Supremus fabulæ actus.*

5 Nefas. Peccatum expiatione dignum.

6 *Clepsydra*, Gr. κλεψύδρα, instrumentum est horologicum, in fundo habens exile foramen, per quod aqua sensim destillat, unde & nomen habet. Nam κλέπτειν *furari*, & ὕδωρ *aquam* significat.

7 Respice pag. 270.

tu. Quid multis? Surda omnia. Admiscent se frequenter ficti [1] moriones; quo genere hominum cum nullum sit magis detestandum, tamen vix credas, quantopere delectentur Germani: illi cantu, garritu, clamore, saltatione, pulsu faciunt, ut hypocaustum videatur corruiturum, neque quisquam alterum audiat loquentem. At interea videntur sibi suaviter vivere: atque illic desidendum est volenti nolenti usque ad multam noctem. GU. Nunc tandem absolve convivium. Nam me quoque tædet tam prolixi. BE. Faciam. Tandem sublato caseo, qui vix illis placet, nisi putris ac vermibus scatens, prodit ille barbatus, adferens secum [2] pinacium escarium, in quo creta pinxit aliquot circulos ac semicirculos: id deponit in mensa, tacitus interim ac tristis; [3] Charontem quempiam diceres. Qui agnoscunt picturam, deponunt pecuniam, deinde alius, atque alius, donec expleatur pinacium. Deinde notatis qui deposuerunt, supputat tacitus: si nihil desit, annuit capite. GU. Quid si quid superfit? BE. Fortasse redderet, & faciunt hoc nonnunquam. GU. Nemo reclamat iniquæ rationi? BE. Nemo qui sapit. Nam protinus audiret; Quid tu es hominis? Nihilo plus solves quam alii. GU. Liberum hominum genus narras. BE. Quod si quis ex itinere [4] lassus, cupiat mox à cœna petere lectum, jubetur exspectare, donec cæteri quoque eant cubitum. GU. Videor mihi videre civitatem [5] Platonicam. BE. Tum suus cuique nidus ostenditur, & vere nihil aliud quam cubiculum: tantum enim ibi lecti sunt, & præterea nihil quo utaris, aut quod

1 *Morio* fictus stultus. Stultus autem Græcè μῶρος. Hujusmodi moriones risus causa solent esse in pretio, & principibus in deliciis.

2 Tabulam, qua singulis convivis escam, puta panem, &c. distribuit.

3 *Charon* antiquis Portitor Orci, animas per Stygа & Acherontem transvehens. Pingitur senex squalidus & barba prolixa torvus.

4 Fatigatus.

5 Qualem describit Plato, in qua omnia sunt æqualia.

1 *Lon-*

quod fureris. GU. Illic mundities est? BE. Eadem quæ in convivio, lintea forte lota ante menses sex. GU. Quid interim fit de equis? BE. Ad eandem disciplinam tractantur, ad quam homines. GU. Sed est eadem ubique tractatio? BE. Alicubi civilior est, alicubi durior quam narravi: verum in genere talis est. GU. Quid si ego tibi nunc narrem, quibus modis hospites tractentur in ea parte Italiæ quam [1] Longobardiam vocant; rursum in Hispania, deinde in Anglia, & in [2] Walia? Nam Angli partim Gallicos, partim Germanicos mores obtinent, ut ex his duabus gentibus mixti. [3] Wali se prædicant αὐτόχθονας Anglos. BE. Quæso te ut narras. Nam mihi nunquam contigit eas adire. GU. In præsentia non est otium. Nam nauta jussit, adessem ad horam tertiam, nisi vellem relinqui, & habet sarcinulam: alias dabitur opportunitas ad satietatem usque garriendi.

1 *Longobardia* dicta est magna citeroris Galliæ pars, quam *Longobardi* (populi à longis barbis, ut ajunt, ita cognominati) Albino duce ab Oceano, ultimisque Germaniæ oris profecti Italiam intrantes occuparunt.

2 Quæ & *Cambria* dicitur, Britanniæ tertia pars.

3 Wali se prædicant αὐτόχθονας, id est, indigenas esse Anglos, & quidem peritissimorum Geographorum autoritate. *Walia* enim, seu *Cambria* antiquissimos continet incolas, avita Britannica lingua utentes, & Anglici sermonis (ex Saxonica aliisque plurimis linguis pessime conflati) prorsus ignaros, unde constat eos esse veros Britannos.

ADOLESCENTIS ET [1] SCORTI.

LUCRETIA. [2] SOPHRONIUS.

LU. EUge mi lepidissime Sophroni, tandem nobis redditus es? Nam mihi videris abfuisse seculum. [3] Prima fronte vix te agnoscebam. SO. Quam ob

1 Meretricis.

2 *Sophronius* à σώφρων, temperans, prudens. Quasi σῶς vel σάος τὴν φρένα, cui mens est salva.

3 Id est primo intuitu.

rem, mea Lauretia? EU. Quia pro imberbi nobis rediſti [1] barbatulus. Quid rei eſt, meum corculum? Nam videre ſolito torvior. SO. Cupio tecum ſeorſim colloqui familiarius. LU. Au, au, non ſolæ ſumus, mea mentula? SO. Secedamus in locum ſecretiorem. LU. Age concedamus in cubiculum interius, ſi quid libet. SO. Nondum hic locus mihi videtur ſatis ſecretus. LU. Unde iſte novus pudor? Eſt mihi [2] muſeion, ubi repono [3] mundum meum, locus adeo obſcurus, ut vix ego te viſura ſim, aut tu me. SO. Circumſpice rimas omnes. LU. Rima nulla eſt. SO. Nullus eſt in propinquo, qui nos exaudiat? LU. Ne muſca quidem, mea lux. Quid cunctaris? SO. Fallemus heic oculos Dei? LU. Nequaquam: ille perſpicit omnia. SO. Et angelorum? LU. Illorum oculos non licet effugere. SO. Qui fit igitur, ut non pudeat homines id facere coram oculis Dei, ac teſtibus ſanctis angelis, quod puderet facere in conſpectu hominum? LU. Quid hoc novæ rei eſt? Veniſti huc concionaturus? Indue [4] cucullam [5] Franciſcanam, conſcende ſuggeſtum, & audiamus te, barbatule. SO. Nec iſtud gravarer facere, ſi te queam ab iſto vitæ genere revocare, non ſolum turpiſſimo, verum etiam miſerrimo. LU. Quam ob rem, ô bone! victus alicunde parandus eſt, ſua quemque alit ars. Hoc eſt noſtrum opificium, hic [6] fundus noſter. SO. Optarim, mea Lucretia, ut excuſſa paullipſer iſta animi

1 Utitur diminutivo, ut blandiatur.

2 Μουσεῖον prop. locus Muſis & ſtudiis deſtinatus. Hic vero intellige cubiculum ſecretum.

3 Ornatum muliebrem. Sed forte in hoc loco non ſolum repoſuit mundum ſuum, ut ait, ſed & depoſuit pudorem.

4 Reſpice pag. 191.

5 Franciſcanorum manachorum cuculius, adeo ſanctus Pontificii habitus eſt, ut admodum viam ad cœlum maturet illi, qui in eodem ſepultus eſt. Quare multi, & quidem non indocti, tempore Eraſmi vixerunt, qui ſuprema voluntate, ut Franciſcanorum habitu efferrentur, mandarunt. De his non ſemel infra dicendum.

6 Id eſt reditus. Nam fundus reddit proventus annuos. Reſpice notas in pag. 155.

mi temulentia, rem ipsam mecum consideres. LU. Serva concionem tuam in aliud tempus; nunc [1] vivamus mi Sophroni. SO. Tu quæstus gratia facis, quidquid facis. LU. Non multum [2] aberrasti à scopo. SO. Nihil decedet tuo lucro; dabo quadruplum, ut [3] auscultes tantum. LU. Dic quæ voles. SO. Primum illud mihi responde: Habesne quæ tibi [4] male volunt? LU. Non unam. SO. Et quas tu viciſſim odisti? LU. Ut merentur. SO. Proinde si possis illis facere rem gratam, faceresne? LU. Citius miscerem illis [5] toxicum. SO. Atqui cogita nunc, an illis quidquam potueris facere gratius, quam quod vident te vivere hanc vitam [6] dedecorosam, ac miserrimam. Quid autem poteras facere molestius iis, qui tibi bene volunt? LU. Sic erat [7] fatum meum. SO. Jam quod esse solet omnium difficillimum iis, qui [8] deportantur in insulas, aut [9] relegantur ad extremos orbis barbaros, hoc tu tibi tuapte sponte sumsisti. LU. Quidnam est istud? SO. An non sponte [10] renuntiasti omnibus affectibus, patri, matri, fratribus, sororibus, amitæ, materteræ, cæterisque quoscunque tibi natura conjunxit? Nam & illos tui pudet, nec tu [11] sustines in illorum venire conspectum. LU. Imo feliciter commutavi affectus meos: pro paucis enim nunc habeo pluri-

1 *Vivere* Poëtis sæpius pro gaudere, & lætè agere. Intellgendum hoc loco est *vivamus* eodem sensu, quo illud Catulli: *Vivamus mea Lesbia atque amemus.*

2 *Non aberrare à scopo*, seu scopum attingere proverbialiter dicitur pro rem ipsam conjectura assequi. Respice notas in coll. *Piet. Puer.* pag. 61.

3 *Auscultare te*; id est audio. *Auscultare tibi*, id est obedio.

4 Invident, male precantur.

5 *Toxicum* venenum παρὰ τὰ τόξα: nam succo venenoso tela sua tegebant Barbari.

6 Turpem.

7 De fato supra non semel.

8 *Deportari* dicuntur, quibus aqua & igni interdictum est, vel quibus princeps locum exilii assignavit.

9 *Relegati* dicuntur, quibus ignominiæ, aut pœnæ causa necesse est abesse à patria, vel quovis alio loco, senatus consulto, aut edicto magistratuum.

10 Intellige hic *renuntiare* pro *renuere*, vel tanquam mortuis dicere vale.

11 Audes.

plurimos, quorum tu es unus, mihi [1] fratris loco semper habitus. SO. Mitte jocos, ac rem ipsam, ut habet, expende serio. Quæ tam multos habet amicos, ea nullum habet amicum, mihi crede, Lucretia. Nam qui ad te [2] commeant, non habent te pro amica, sed pro matula potius. Vide quo te ipsam dejeceris, misera. Christus te tam caram habuit, ut te suo sanguine redemerit, ut te cœlestis hæreditatis consortem esse voluerit; & tu te facis [3] cloacam publicam, ad quam commeant quilibet sordidi, impuri, scabiosi; suamque spurcitiam in te repurgant. Quod si nondum ejus lepræ contagium, quam vocant [4] scabiem Hispanicam, attigit te, non diu poteris effugere. Quod si fiat, quid te infelicius, etiamsi cætera essent [5] secunda, putares & fama? Quid aliud eris, quam vivum cadaver? Matri gravabaris esse morigera; nunc servis [6] lenæ turpissimæ. Parentis audire monita tædebat; heic sæpe tibi vapulandum est ab ebriis & insanis scortatoribus. Pigebat aliquid operis facere domi, quo victum quæreres; heic quos tumultus, quæ pervigilia [7] sustines? LU. Unde nobis hic concionator novus? SO. Jam mihi & illud fac cogites. Iste formæ flos, qui tibi conciliat amatores, brevi defluxerit. Quid tum facies, misera? Quod sterquilinium te fuerit abjectius? Fies ex meretrice lena. Non omnibus contingit ista dignitas: & si contingat, quid sceleratius, aut quid diabolicæ malitiæ vicinius? LU. Vera sunt, mi Sophroni, propemodum, quæ dicis, omnia. Sed unde tibi ista nova sanctimonia, qui solebas esse nugator omnium nugacissimus? Nemo

1 Immo vero nomen *fratris* obscœnam inter impudicos habet significationem, ut ex Petronio constat.

2 Sæpius accedunt.

3 Vere meretrix *cloaca* dicitur, i e omnium purgamentorum receptaculum.

4 Respice *Diversoria*.

5 Felicia.

6 *Lena* mulier, quæ scortis prostituendis quæstum facit. *Leno*, Vir.

7 Suffers, toleras.

Nemo te uno frequentius aut intempestivius huc commeabat. Audio te fuisse Romæ. SO. Fui. LU. Atqui inde solent redire [1] deteriores; quo pacto tibi diversum accidit? SO. Dicam: quia non eodem animo, modoque Romam adii. Cæteri fere ideo eunt Romam, ut redeant deteriores: & ad eam rem ibi suppetunt affatim occasiones. Ego cum probo viro profectus sum, cujus hortatu pro lagena libellum mecum attuli, Novum Testamentum ab Erasmo [2] versum. LU. Ab Erasmo? Ajunt illum esse [3] sesquihæreticum. SO. Num & huc pervenit illius viri nomen? LU. Nullum celebrius apud nos. SO. Vidistin' hominem? LU. Nunquam; sed optarim vidisse, de quo tam multa audivi mala. SO. Fortassis à malis. LU. Imo a viris reverendis. SO. A quibus? LU. Non expedit dicere. SO. Quam ob rem? LU. Quia si tu [4] effutires, & res permanaret ad illos, meo quæstui non minima portio decederet. SO. Ne metue lapidi dixeris. LU. [5] Admove aurem. SO. Inepta, quid opus est admota aure, cum simus soli? an, ne Deus exaudiat? Pro Deum immortalem, video te piam meretricem, quæ [6] mendicos subleves [7] eleemosyna. LU. At ego ex istis mendicis plus capio lucri, quam ex vobis divitibus.

1 Roma vulgus hominum peregrinantium deterius redire jam dudum in proverbium abiit. Hinc Belgæ, *Quo quis propior Romæ, eo pejor Christianus.*

2 Nempe à Græco in Latinum.

3 Q. d. plus quam hæreticum. Non ubique bene audiebat Erasmus, monachis præsertim invisus, quod eorum larvam detrahere studebat. Hæretici unde & qui dicti vide infra in notis *Inquisit. de fide.*

4 Garriendo divulgares. *Effutire*, teste Donato, proprie est *effundere*. Translatio est à vase *Futili* nomine: quod patulo ore, fundo acuto instabile, nihil prorsus continet, unde *futilis* ejusmodi dicitur, ut nihil intra se contineat, & semper inanis sit. Terent. Phorm. Act. 5. Sc. 1. *Ne vos forte imprudentes foris effutiretis.*

5 Est hoc usu receptum, ut res silendas, etiamsi duo soli sint, tamen qui loquitur dicat voce submissiore, quum nihil sit opus.

6 Sophronius, quasi jam intellecta re secreta, ridet meretricem, quæ à mendicis (i. e. Monachis mendicantibus) frequenter invisebatur. Sic solet Erasmus ubique hæc animalia perstringere.

7 Vocis hujus significationem revise in notis *Conv. Relig.*

bus. SO. Spoliant matronas bonas, ut effundant in meretrices malas. LU. Sed perge de libro. SO. Faciam, &[1] præstat. Ibi me docuit[2] Paulus, qui nescit mentiri, quod nec scorta nec scortatores regni cœlestis hæreditatem consequentur. Hoc ubi legissem, sic cœpi cogitare apud me: modica res est, quam exspecto ex hæreditate paterna, & tamen malim[3] renuntiare scortis omnibus, quam à patre exhæredari: quanto magis cavendum est, ne me exhæredet pater cœlestis? Et adversus exhæredantem aut[4] abdicantem patrem, aliquod præsidium porrigunt humanæ leges: adversus exhæredantem Deum, nihil est[5] suffragii. Itaque mihi protinus interdixi omnem scortorum usum. LU. Si quidem possis continere. SO. Bona continentiæ pars est, ex animo continentem esse velle. Postremo supereſt extremum mali remedium, uxor. Romæ in[6] Pœnitentiarii sinum totum[7] Augiæ stabulum effudi: is multis prudenter hortatus ad puritatem animi & corporis, ad sacram lectionem, ad crebras preces, ad vitæ sobrietatem, pro pœna nihil aliud indixit, quam ut flexis genibus ad summum altare dicerem psalmum. Miserere mei Deus: &, si mihi suppeteret pecunia, darem egenti cuipiam[8] Carolinum unum. Admiranti mihi quod pro tot scortationibus tantillum pœnæ infligeret, satis facete respondit; Fili, inquit, si vere pœnitet, si vitam commutas,[9] nihil moror pœnam: sin perges, ipsa libido tandem abs

1 Satius est.
2 Sc. ad Ephesios c. 5. v. 5.
3 Respice pag. 281.
4 Curam filii abjicientem.
5 Auxilii.
6 *Pœnitentiarius*, vox nequaquam optimæ notæ, significat sacrificum Pontificium, qui confessionem exaudit, & confesso aliquam pœnam, quo pœnitentiam peccatorum exp im', ferre jubet.
7 Id est, *omnia peccata mea*. *Augiæ stabulum* proverbialiter dicitur de diu collectis sordibus. Originem traxit adagium à fabula Augiæ, qui fuit Rex Elidis. Is habuit bubile ter mille boum capax, immensa simi copia triginta annis congesta referrum, quod cum Herculi purgandum locavisset, Hercules Alpheum fluvium eo immisit.
8 Quem florenum vocant.
9 Non curo.

1 Vide

abs te plus satis pœnarum exiget, etiamsi sacerdos non indicat. Me vide lippum, [1] tremulum, incurvum: at olim talis eram, qualem te hactenus fuisse prædicas. Sic ego resipui. LU. Ergo, ut video, perdidi meum Sophronium. SO. Imo lucrifecisti. Nam ante perierat, nec sibi amicus, nec tibi. Is nunc te vere amat, ac tuam [2] sitit salutem. LU. Quid igitur suades, mi Sophroni? SO. Ut quam primum te subducas ab ista vita. Adhuc puella es; quod contractum est [3] labis, potest [4] elui. Aut nube marito; nos aliquid ad dotem conferemus: aut confer te in [5] collegium aliquod sacrum, quod [6] lapsas recipit: aut commutato loco dedas te in familiam alicujus honestæ matronæ. Ad horum quod libet offero tibi [7] operam meam. LU. Amabo te, mi Sophroni, circumspicito; sequar tuum consilium. SO. Sed interim [8] hinc te submoveto. LU. Hui tam cito? SO. Cur non potius hodie, quam cras, si dilatio damnum habet, mora periculum? LU. Quo me vertam? SO. Colliges omnem [9] mundum tuum; eum trades mihi vesperi: famulus clam deferet ad fidelem matronam: aliquanto post ego te [10] producam, veluti deambulandi gratia: apud eam matronam latitabis meo sumtu, donec tibi [11] prospexero. Id fiet brevi. LU. Age mi Sophroni, trado me totam in tuam fidem. SO. Gaudebis [12] olim facto.

CON-

1 Vide Terent. Eun. Act. 2. Sc. 3.
2 Valde desiderat.
3 Turpitudinis.
4 Metaph à vestibus commaculatis.
5 In collegium? Siccine ais Erasme? Quorsum vero, an, ut supra dixisti, nuberet crasso monacho?
6 Quæ peccarunt graviter. Ita vero solent monasteria quoscunque malefi-cos patria profugos recipere, & religiosorum ordini adscribere.
7 Auxilium, officium.
8 Ex hoc lupanari, quod inhabitas.
9 Respice ad caput hujus colloq.
10 Ducam in publicum.
11 Consuluero.
12 Postea.

CONVIVIUM [1] POETICUM.

HILARIUS, LEONARDUS, CRATO, CONVIVAE, MARGARETA, CARINUS, EUBULUS, SBRULIUS, PARTHENIUS, MUS servus Hilarii.

HI. [2] *LEvis apparatus, animus est lautissimus.* LE. *Cœnam siniſtro es auſpicatus omine.* HI. *Imo abſit omen triſte. Sed cur hoc putas?* LE. [3] *Cruenti jambi haud congruunt convivio.* CR. Euge, certùm est adesse Musas, affluunt carmina [4] imprudentibus.

HI. *Si* [5] *rotatiles trochæos mavelis, en accipe:*
Vilis apparatus heic est, animus est lautissimus.

Quanquam & jambi olim ad rixas ac pugnas nati, post didicerunt omni servire materiæ. O pepones! habetis pepones in horto nostro natos. En [6] lactucas sessiles, succo tenerrimo, suo nomini respondentes. Has delicias

1 In quo de variis carminum metris disseritur.

2 Hi quatuor versus Jambi sunt trimetri.

3 *Cruentos* dicit *Jambos*, i. e. Jambicos versus, ita dictos à primario pede Jambo quod appellantur ἀπὸ τῦ ἰάπτειν conviciari, maledicere. Jambos primus invenisse fertur Archilochus Poëta Græcus, qui versibus suis Lycamben socerum ad laqueum compulit, unde Horatius de Arte Poëtica, *Archilochum proprio rabies armavit jambo.* Et Quintilianus inquit summam in eo esse vim, & plurimum sanguinis, ac nervorum. Nicandri Scholiastes voluit jambum sic vocatum à Jambe serva, Thressa genere. Pes Jambus constat priore brevi, posteriore longa.

4 Non præmeditantibus.

5 Trochæus, vel Choræus, ut vocant, Jambo contrarius est, habet enim priorem syllabam longam, alteram brevem. Si Jambico trimetro præponatur creticus, erit trochaicus: & contra si trochaico auferas primum sesquipedem, habebis jambicum trimetrum: nam si tollas ab altero versu *si Rota*, & ab altero *vilis ap* habebis jambicum trimetrum. *Rotatiles* vero *Throchæos* vocat, quod instar rotæ volvuntur & celeriter cutrunt, ἀπὸ τῦ τρέχειν.

6 *Lactucas sessiles* vocat, quæ se non erigunt, sed humi repunt.

delicias quis sanus non præferat apris, [1] murænis, & attagenis? CR. Si licet in convivio poetico vera loqui, quas tu lactucas vocas, betæ sunt. HI. Hoc omen avertant superi. CR. Sic res habet, vide figuram. Tum ubi succus lacteus? ubi molles aculei? HI. Facis ut addubitem. Heus accerse huc famulam. Margareta [2] Tisiphone, quid tibi venit in mentem, ut pro lactucis nobis apponeres betas? MA. Data opera feci. HI. Quid ais, venefica? MA. Volebam experiri, an inter tot poetas esset, qui lactucam dignosceret à beta: nam scio te non posse dignoscere. Dicite mihi bona fide, quis animadvertit esse betas? CO. Crato. MA. Facile [3] divinabam non fuisse poëtam. HI. Si quid tale posthac designaris, ego te pro Margareta vocabo [4] Bliteam. CO. Ha ha hæ. MA. Istæ nomenclaturæ nec obesiorem me reddunt, nec macilentiorem: sæpe vicies in die mihi commutat nomen: ubi quid cupit eblandiri, vocat me, [5] Galateam, [6] Euterpen, [7] Calliopen, [8] Calirrhoën, [9] Melissam, Venerem, Minervam. Quid non? Ubi quid stomachatur, repente fio [10] Tisiphone, Megæra, Alecto,

[1] Meduſa

1 *Murænæ* olim Romanis præcipue in deliciis fuerunt. Vide infrà *Epicureum.*

2 Quæ fuit una ex Furiis. Vox conviciantis, ut mox *Venefica.*

3 Conjiciebam.

4 Alludit ad gemmam laudatissimam: & Græci betas appellant βλίτον; unde bliteos appellamus homines stultos ac nihili, eo quod beta vilis ac insipida herba est.

5 *Galateam* vocat à colore lacteo.

6 *Euterpen*, à delectando. Musæ nomen.

7 *Calliopen*, à pulcra voce. Musæ nomen.

8 *Callirrhoen*, nomen Nymphæ ita dictæ, quod pulcre fluat.

9 Μέλισσα, μέλιττα apis. Est & nomen ancillæ Chrysippi philosophi Stoici, quem adeo ferunt intentum fuisse suis argutiis Logicis, ut ad mensam etiam fame periturus fuerit, nisi ancilla Melissa cibum in os ingessisset. Respice Convivium profanum.

10 Tisiphone, Mægera, Alecto tres furiæ infernales.

[1] Monstrum

[1] Medusa, [2] Baucis, aut aliud, quidquid illi suggesserit [3] splendida bilis. HI. Abi hinc cum tuis betis, Blitea. MA. Quorsum attinebat huc evocare? HI. Ut redires unde veneras. MA. Vetus dictum est: [4] Proclivius est evocare [5] caçodæmonem, quam abigere. CO. Ha ha hæ, [6] apposite. Ut tibi res habet, Hilari, opus est aliquo carmine [7] magico, quo illam hinc abigas. HI. Habeo in promptu.

[8] Φεύγετε κανθαρίδες, Λύκος ἄγριος ὔμμε διώκει.

MA. Quid ais, [9] Æsope? CR. Cave tibi, Hilari, impinget colaphum; sic abegisti tuo Græco carmine. O [10] magum egregium! HI. Quid tu credis, Crato, esse hanc? Ego tali carmine abegissem decem magnos cacodæmones. MA. [11] Pili non facio tuos versus Græcanicos. HI. Adhibendus est igitur, ut video, [12] bombus magicus, aut, si nec hic sufficiet, Mercurii [13] caduceum. CR. Mea Margareta, scis poëtarum genus esse [14] afflatum, non ausim dicere furiosum: rogo te, ut istam rixam in aliud tempus proro-

1 Monstrum, cujus crines Minerva in angues vertit, quod cum Neptuno in æde Minervæ concubuisset, omnes id aspicientes in lapidem convertens, & tandem à Perseo interfectum.

2 *Baucis* anus paupercula, quam Jupiter una cum marito Philemone in arbores vertit. Ovid. Metamorph. l. 8.

3 Allusit ad illud Horatii Satyr. 3. lib. 2. *Sive aliud nomen jussit quod splendida bilis*, i. e. insania. It. *bilis* pro *ira*.

4 Facilius.

5 Malum genium, κακὸς *malus*, δαίμων *genius*.

6 Ad rem, sup. dictum.

7 Quo veteres putabant animos quadam violentia posse alienari ab his, qui eorum usum habent. Vide Virg. Eclogam Pharmac. VIII. *Magus* infra.

8 Id est: *Fugite Cantharides, lupus sævus vos persequitur.* Cantharis insecti genus, venenum habens. Plinius ait hoc carmen usurpari solere in magicis remediis.

9 Forte ancilla eum Æsopum vocat, quod Græca loquatur, quæ illa non possit intelligere, & ex Æsopi fabulis desumpta putet.

10 Quis sit *magus* vide infra in notis Coll. *Inquis. de fide* & Coll. *senile*.

11 Respice formulas pag. 119.

12 *Bombus* est sonus apum. It. sonus tubarum raucus.

13 Mercurio tribuunt poëtæ Caduceum, i. e. virgam qua ille dat & adimit somnos, qua animas revocat orco, & rursum quas velit in tartara mittit.

14 Quid ni? Notum est illud, *Est Deus in nobis, agitante calescimus illo*, &c.

1 *Risus*

proroges: nosque hac cœna, vel mea caussa suaviter tractes. MA. Quid mihi cum istius versiculis. Sæpenumero cum est eundum ad macellum, non habet quod numeret, & interim cantillat versiculos. CR. Sic sunt poëtæ. Sed age fac sodes, quod dico. MA. Equidem faciam in tuam gratiam, quoniam novi te probum, qui nunquam contriveris cerebrum tuum in ejusmodi deliramentis: ac demiror, quo fato in hunc incideris chorum. CR. Unde id conjectas? MA. Quia nasus obesior, & oculi nitentes, & corpus succulentum. Nunc mihi hujus nasum contemplare, & risum [1] Sardonium. CR. Sed obsecro, [2] meum suavium, ut istam iram mihi condones. MA. Abeo: nec postulo, ut quisquam cæterorum hoc nomine mihi gratias agat. HI. Abiitne jam? MA. Non tam procul, quin audiat te. HI. Jam est in culina, secum nescio quid murmurans. CR. Famulam habes minime mutam. HI. Ajunt bonam famulam oportere tribus dotibus esse præditam, ut sit fidelis, ut sit deformis, ut sit ferox, quam vulgo malam vocant. Fidelis non diminuit rem, deformem non ambiunt proci, ferox facile tuetur jus heri sui. Nam aliquoties opus est non solum lingua, verum etiam manibus. Hæc mea è tribus duas habet virtutes, deformis juxta ac mala; de fide dubito. CR. Linguam audivimus, sed ego metuebam tibi à manibus. HI. Admovete manus peponibus. De lactucis actum est. Ætenim si nunc juberem apponi lactucas, sat scio

1 *Risus Sardonius* pro risu ficto & amarulento, aut etiam insano. Origo proverbii varie traditur. Ajunt Sardoniis consuetudinem fuisse, ut filii parentes, jam grandævos, juxta fossam aut præcipitium, in quo sepeliendi forent, collocarent, atque inde fustibus cædentes illos in eam darent præcipites: at illi interim ridentes peribant, existimantes mortem felicem, quod liberorum impietate trucidarentur. Alii vero in Sardorum insula herbam sapore dulci nasci dicunt, quæ gustata dolore ora hominum in rictus contrahit, ut veluti ridentes moriantur.

2 Respice pag. 2.

scio [1] carduos apponeret. Sunt & melones, si quis hoc genere magis [2] capitur. En fici recentes: modo decerptos à matre, testatur lac in [3] pedunculo. [4] A ficis solet aqua sumi, ne quid [5] obliment stomachum, en habetis è limpidissimo fonticulo vivam ac frigidissimam, utilem & vino diluendo. CR. At ego nescio utrum utro diluam, vinum aqua, an aquam vino, adeo mihi hoc vinum videtur haustum ex eodem fonticulo Musarum. HI. Tale vinum conducit acuendis ingeniis poëtarum. Vos crassi crassis delectamini. CR. Utinam [6] Crassus essem ille [7] beatus! HI. Ego malim esse [8] Codrus, aut [9] Ennius. Quandoquidem mihi contigit habere convivas tam multos, tamque insigniter eruditos, non committam, ut nihilo doctior eos dimittam. Est locus in prologo Eunuchi, qui multos torquet; nam plerique codices sic habent:

[10] *Sic existimet, sciat,*
Responsum, non dictum esse, quia læsit prior,
Qui bene vertendo, & eas describendo male, &c.

In

1 Sup. altiles.

2 Delectatur, respice *Conv. relig.*

3 *Pedunculus* diminu. à pes, caulis est, unde fructus dependet, qui velut parvus pes sustinet fructum ad ramum.

4 Post ficum esum.

5 *Oblimare*, i. e. limo seu fece replere.

6 Intelligit Marcum illum Crassum Romanorum ditissimum, qui cum Pompejo & Cæsare triumviratum iniit: postremo Parthico bello à Surena regis præfecto interfectus est.

7 Id est dives. Sic Horatius Epod. 8. *Esto beata: funus atque imagines Ducant triumphales tuum.*

8 *Codrus* hic Poëta fuit adeo pauper, ut in proverbium abierit. Juvenalis de eo. Sat. 3. *Lectus erat Codro procula minor* &c. Fuit & nomen proprium regis Athenienſis, qui pro patriæ salute certissimæ morti sese obtulit.

9 *Ennius* Poëta fuit antiquissimus, ingenio acri, & eruditione multiplici, Scipionis Africani familiaris. Extant ejus poëmatum fragmenta.

10 His verbis defendit Prologus Terentium, quia prior læsus à Lavinio Poëta, ejus calumniis responderat: sed nescio unde illud *sciat*. Nulla mihi unquam in manibus fuit editio, quæ sic habet. Porro dicam nihil de sententia Erasmi, qui sensum argutum ac Terentio dignum in hic verbis se desiderare ait: illud tantum addam, quid literati sentiant de hoc versu: *Qui bene vertendo & eas describendo male*. *Bene* pro valde, inquit Donatus, &, qui Donatum sequitur, Fabricius exponit illud *bene* pro accurate, anxie, ac nimis diligenter,

In his verbis desidero sensum argutum, ac Terentio dignum. Nec enim ideo læsit prior, quia male vertit Græcas fabulas: sed quia Terentianas carpserat. EU. Juxta vulgo jactatum proverbium: Qui pessime canit, primus incipiet. Cum essem Londini apud [1] Thomam Linacrum, virum sic in omni genere philosophiæ doctissimum, ut nihilo secius has grammaticorum minutias [2] ad unguem calleat, ostendit mihi codicem mira vetustate, in quo sic habebatur scriptum:

Sic existimet, sciat,
Responsum, non dictum esse, quale sit, prius.
Qui bene vertendo, & eas describendo male,
Ex Græcis bonis, Latinas fecit non bonas,
Idem [3] *Menandri* [4] *Phasma nunc nuper dedit.*

Sic autem ordinandus est sermo, ut quale sit indicet subjiciendum exemplum prioris dicti. Minitabatur se vicissim reprehensurum aliquid in fabulis ejus, à quo fuerat reprehensus. Atque hic negat videri debere *convi-*

genter, ac si Lavinii superstitiosa nimisque exquisita conversio à Terentio carperetur. Eandem fere sententiam probat Nannius, & cum eo plures. Guyetus legit *male vertendo.* Sed audiamus nuperum quendam interpretem, qui in variis lectionibus suis, aliorum opinione explorata, tandem ita inquit: *Ego nihil esse mutandum censeo, & omnem difficultatem esse sublatam, modo bene intelligatur, quid per verbum* vertere *Terentius velit. Id hoc loco non significat transferre, interpretari, aut aliquid horum simile. Nihil minus. Inter omnes in Latina lingua vel paulo versatiores constat, verba simplicia aliquando vim obtinere compositorum, ut & composita non raro simplicium. Itaque* vertere *apud Terentium idem est quod pervertere, id est, vertendo corrumpere & depravare.* Quod ubi ex Ciceronе & Virgilio probavit, pergit his verbis: *Ludit enim Poeta in ambigua vocis significatione. Neque dubium, quin prologi recitator hoc satis ostenderit, dum eas cum quadam emphasi exprimit: ita ut minus obscuritatis, in actuosa illa oratione fuerit, quam in nuda lectione. Ipse Donatus satis interpretationem nostram approbat*, &c. Quod sane verum est; addit enim Donatus, *aut* vertendo, *corrumpendo.*

1 Vixit hic Thomas Linacer, Medicus & Grammaticus eximius sub Henrico VIII. Angliæ rege.

2 Respice pag. 173.

3 Comicus Græcus, qui LXXX. fabulas scripsisse fertur.

4 *Phasma* nomen fabulæ. Gr. Spectrum. Vide infra notas in *Exorc.* sive *pectrum.*

convicium, sed *responsum*. Qui *lacessit*, jacit dictum: qui regerit lacessitus, *respondet*. Hujus rei promittit exemplum, *quale sit*; quod Græcis dicitur, ὅιον, Latinis, *quod genus*; aut *veluti*, sive *videlicet*, aut *puta*. Deinde subjicit reprehensionem, in qua, *prius*, adverbium, respondet ad alterum adverbium, veluti diversum, quod sequitur, *nuper*: quemadmodum pronomen, *qui*, respondet ad dictionem, *idem*. Veteres enim Lavinii fabulas in totum damnat, quoniam jam exciderant ex hominum memoria. In his quas nuper dedisset, certa notat loca. Mihi videtur hæc [1] germana lectio, verusque Comici sensus, nisi quid dissentit [2] Senatus populusque Poëticus. CO. [3] Imo *pedibus* omnes in tuam discedimus sententiam. EU. At ego vicissim à vobis quiddam leve ac facillimum discere cupiam; quo pacto metiendus sit hic versiculus:

Ex Græcis bonis, Latinas fecit non bonas.

[4] Micate digitis. HI. Opinor more veterum [5] elidi, s, ut secundo loco sit [6] anapæstus. EU. Accederem, nisi casus auferendi [7] desineret in, *is*, natura longam. Itaque submota consonante, nihilo minus manet longa vocalis.

1 Vera, sincera.

2 Alludit metaphorice ad Senatum populumque Romanum.

3 Id est, sententiam tuam comprobamus. Translatum est à Senatus consultis, apud Romanos olim fieri solitis etiam discessione, tunc cum unius, vel principum Senatus exquisito voto, cæteri qui in suffragium ituri erant, in illius sententiam pedibus irent. Cæterum ludit auctor in voce *pedibus*, quoniam hic sermo est de carminibus, qui constant suis *pedibus*. De variis consultandi modis fusius loquentur notæ in γυναικοσυνέδριον, sive *senatulum*.

4 *Micate digitis*, i. e. exserite digitos Alludit ad micationem digitorum, lusum puerilem, Romanis olim usitatum, cum digitis exsertis obstructus alter, numerum eorum divinatione assequi conatur. Hinc vir probus, & fraudis expers proverbio dicitur, *dignus quicum in tenebris mices*.

5 Ex Lucretio & Catullo constat, literam S. finalem olim per eclipsin potuisse elidi.

6 *Anapæstus* (ita dictus ἀπὸ τῦ ἀναπαίειν, i. e. repercutere, est enim dactylo contrarius) constat duabus syllabis prioribus brevibus, & tertia longa.

7 Dativi & ablativi in *ĭ* producuntur.

1 Vide

vocalis. HI. Vera prædicas. CR. Si qui illiteratus & ignotus ingrederetur, plane crederet nos inter nos [1]micatione digitorum rusticorum ludum renovare. LE. Nos quantum video, frustra micamus digitis: tu, si potes, expedi. EU. Videte quantula res nonnunquam torquet homines etiam eruditos. Præpositio, *Ex*, pertinet ad finem carminis præcedentis:

Qui bene vertendo, & eas describendo male,
(ex) Græcis bonis, Latinas fecit non bonas.

Ita nihil est scrupuli. LE. Sic est, [2]per Musas. CA. Quandoquidem cœpimus micare digitis, velim ut aliquis mihi versum hunc ex Andria digerat in suos pedes:

Sine invidia laudem invenias, & amicos pares.

Nam mihi sæpe tentanti non successit. LE. *Sine in* jambus est: *vidia*, anapæstus: *laudem in*, [3]spondæus: *venias*, anapæstus: *& ami*, rursus anapæstus. CA. Habes jam pedes quinque, & supersunt tres syllabæ, quarum prima est longa: ut nec jambum facere possis, aut [4]tribrachyn. LE. Profecto vera prædicas. [5]Hæremus in vado: quis nos expediet? EU. Nemo melius, quam qui induxit in hoc vadum. Age, Carine, ne cela, si quid habes inter candidos amiculos. CA. Nisi me fallit memoria, videor mihi quiddam tale legisse apud [6]Priscianum, qui docet apud Latinos Comicos, *v*, consonantem, perinde elidi ut vocalem, quem-

1 Vide quæ modo diximus.

2 Vox jurantis. Poetas autem per Musas jurare æquum & decorum est.

3 Constat *spondæus* pes duabus syllabis longis, ita dictus quia ἐν σπονδαῖς, sive libationibus sacrificiorum ejus præcipuus foret ob gravitatem usus.

4 *Tribrachys* est trium syllabarum brevium: nomen habet à quantitate, βραχὺς brevis.

5 *Hæremus in vado* utimur, quoties in re aliqua sic intricamur, ut nos expedire nequeamus. Adagium ductum est à navigio, ubi vado illiditur.

6 Vixit Priscianus Athenis, tempore Justiniani principis, Grammaticus clarissimus.

quemadmodum frequenter in hac dictione, *enimvero*, sic ut pars *enie*, faciat anapæstum. LE. Itaque metire nobis. CA. Faciam. *Sine inidi*, [1] proceleusmaticus est: nisi mavis elidi, *i*, per [2] synæresin: ut cum Virgilius, *aureo*, ponit in fine carminis heroici, pro *auro*; quod si placet, erit primo loco tribrachys; *dia lau*, spondæus est; *d'inveni*, [3] dactylus: *as & a*, dactylus: *micos*, spondæus: *pares*, jambus. SB. Carinus nos explicuit ex hoc sane [4] vado. Sed est in eadem scena locus, quem haud scio an quisquam animadverterit. HI. Obsecro profer. SB. Illic hunc in modum loquitur Simo:

[5] *Sine ut eveniat, quod volo.*
In Pamphilo ut nihil sit moræ, restat Chremes.

HI. Quid heic te offendit? SB. Cum, *Sine*, sit minitantis, nihil heic sequitur, quod faciat ad minas. Proinde suspicor à poëta scriptum fuisse,

Sin eveniat quod volo;

ut *Sin* respondeat *Si*, quod præcessit,

Si propter amorem uxorem nolit ducere.

Proponit enim senex duas partes inter se diversas: Si [6] Pamphilus ob amorem Glycerii recusat nuptias, erit quod cum illo [7] expostulem: sin ille non recusarit, tum

1 Constat *Proceleusmaticus* quatuor syllabis brevibus. Nomen habere videtur à voce κέλευσμα, qui est hortatus nauticus.

2 *Synæresis* est figura, qua duæ vocales in diphthongum coalescunt.

3 *Dactylus* pes constat prima longa & duabus posterioribus syllabis brevibus. Vocatur vero δάκτυλος, i. e. digitus, quia habet partem unam duabus aliis longiorem.

4 Vide metaphoricam locutionem paulo supra.

5 Per me licet, Erasmus sibi tribuat laudi, *sine* à se mutatum in *sin*. Ego vero nunquam hoc loco *sine* scriptum esse nec vidi, nec audivi, sed in omnibus quotquot nunc extant editionibus legi *sin*.

6 Historiam mutui amoris Pamphili, & Glycerii, qui Terentii Andriam legerit non ignorat.

7 *Expostulare* vide infra Coll. *Abfurda* in fine.

tum mihi restat exorandus Chremes. Porro [1] hyperbaton longius fecit interpellatio Sosiæ, & [2] stomachus Simonis in Davum. HI. [3] Mus, porrige mihi codicem. CR. Committis tu muri codicem? HI. Tutius, quam vinum. [4] Dispeream nisi verum dixit Sbrulius. PA. Trade mihi codicem, ut ostendam alium scrupulum. In prologo Eunuchi versus hic non constat:

Habeo alia multa, quæ nunc [5] *condonabuntur.*

Quanquam enim Comici Latini præcipue sumunt sibi multam libertatem in hoc genere carminis, tamen nusquam memini illos [6] senarium claudere spondæo: nisi forte legendum est, *Condonabitur* [7] ἀπροσώπως, aut, *Condonabimus*, mutato numero personæ. MA. O mores vere poëticos! In ipso limine convivii [8] micant digitis, & librum adhibent. Lusus & litteras præstat servare in mensas secundas. CR. Non omnino pessimum consilium dat Margareta; obtemperabitur: placato stomacho revocabimus lusum; interim digitis micabimus in [9] disco. HI. Videte luxum poëticum. Habetis triplex ovorum genus, elixa, assa, frixa: omnia recentissima sunt, intra biduum nata. PA. Ego butyri esum non fero: si frixa sunt oleo, [10] perplacebunt. HI. Abi, puer, disce ex Margareta, in utro

1 Ὑπέρβατον, *digressio*, à verbo ὑπερβαίνω transgredior.

2 Indignatio, ira.

3 Servus Hilarii (ut in fronte hujus Colloquii apparet) appellabatur *Mus*.

4 Vox Jurantis. Male peream, emoriar.

5 Alii volunt *condonare* accusativo casu posse jungi, & legunt condonabitur; alii vero (inter quos præcipue Jul. Scaliger, Erasmo adversarius) tuentur lectionem *condonabuntur*. Neque id quidem temere, constat enim Comicos aliquando Scazontas varietatis gratia inserere.

6 Jambicum.

7 Ἀπροσώπως, i. e. sine persona.

8 Ancilla, quum videt eos sublatis ac repressis digitis versus metientes, putat eos exercere lusum micandi digitis, ut rustici & pueri solent.

9 Patina, respice notas in pag. 276.

10 *Per* in compositione auget. Ita *percupio* i. e. valde cupio, & plura alia.

utro frixa sint. MU. In neutro, inquit. HI. Nec in butyro, nec in oleo? In quo igitur? MU. In [1] lixivio, ut ait. CR. Qualis percunctatio, talis responsio. Quid negotii est dignoscere butyrum ab oleo? CA. Præsertim his, qui tam facile discernunt lactucam à betâ. HI. Habetis [2] ovationem, sequetur aliquando triumphus. Heus, puer, circumfer oculos. Nihilne vides heic deesse? MU. Permulta. HI. Hæc ova desiderant condimentum, quo temperetur calor. MU. Quod vis? HI. Dic ut ex contusis vitis [3] claviculis [4] mittat nobis succum. MU. Dicam. HI. Quid huc redis inanis? MU. Negat è [5] clavis succum exprimi solere. LE. O famulam! SB. Certe fabulis condiemus ova nostra. In Epodis Horatianis offendi locum quendam, non depravatum, quod ad scripturam attinet, sed depravate interpretatum, nec à [6] Mancinello solum, cæterisque recentioribus, verum etiam ab ipso [7] Porphyrione. Locus est in [8] carmine, quo canit in [9] palinodiam Canidiæ veneficæ;

Tuusque venter [10] *Pactumejus, & tuo*
Cruore rubros obstetrix pannos lavit,
Utcunque fortis exilis puerpera.

Existi-

1 *Lixivium* vel *lixivia.*

2 Eandem ambiguitatem in vocibus *ovatione* & *triumpho* exposuimus in notis ad *Conviv. Relig* pag. 150.

3 Natura addidit vitium palmitibus laqueos quosdam, quibus repunt & alligant sese. Has Plinius vocat *claviculas* lib. 23. in præfatione.

4 Ancilla sc.

5 Perverse respondet, quasi parvos clavos jusserit contundi.

6 Qui, præter Horatium, plures alios, tam Historicos, quam Poëtas commentariis illustravit.

7 Porphyrion vetus est commentator in Horatium.

8 Epod. XVII. v. 50.

9 Παλινῳδία, i. e. *recantatio.* Hinc *palinodiam canere* est diversum ab his, quæ prius dixeris, dicere, & sententiam in contrarium vertere.

10 Quamvis multi hoc loco, cum Erasmo, legerint *Pactumejus*, quasi id esset nomen filii Canidiæ, potior lectio tamen videtur *partumejus*, q. d. *venter aptus partui, & fœcundus*, qualis non fuit impuri istius ac publ. scorti Canidiæ, quæ vox ἐπιθέτως sumpta aptior est ad simulationem Poëtæ, & ficta ad obscœnitatem matris & filii tegendam.

1 Hoc

Existimant enim omnes heic, *Exilis*, nomen esse, cum sit verbum. Adscribam verba Porphyrionis, si tamen illius esse credendum est: *Exilem autem*, inquit, *sub illa specie, quasi puerperio facta sit deformis: per exilitatem corporis maciem naturalem dicit.* Pudendus lapsus, si vir tantus non sensit metri legem raclamare huic sensui. Neque enim [1] quartus locus admittit spondæum. Verum poëta jocatur illam vere peperisse, quanquam non diu languisset, ac debuisset à partu, sed statim exiliisset è lecto, quemadmodum solent quædam fortes puerperæ. HI. Habemus tibi gratiam Sbruli, qui tam laute condieris ova nostra. LE. Isti non dissimile est, quod legitur in primo Odarum libro, Odæ initium est: [2] *Tu ne quæsieris.* Sic autem habet constans lectio: *Neu Babylonios Tentaris numeros, ut melius* [3] *quidquid erit pati.* Hunc locum ita transiliunt veteres interpretes, quasi nihil habeat scrupuli: solus Mancinellus sentiens orationem imperfectam, jubet addi, *possis*. SB. Habes aliquid de hac re compertius? LE. Nescio, sed mihi videtur Horatius Græci sermonis [4] idioma reddidisse, quod nullus poëtarum facit libentius aut frequentius: nam Græcis est familiare, [5] aparemphaton adjungere

1 Hoc norunt, quotquot prosodiæ non penitus rudes sunt. Nam carmen jambicum paribus sedibus semper requirit jambum.

2 Ita incipit Oda XI. lib. 1.

3 Verba Horatii ita sonant --- *Nec Babylonios Tentaris numeros, ut melius quicquid erit pati (Seu plures hyemes, seu tribuit Jupiter ultimam: Quæ nunc oppositis debilitat pumicibus mare Tyrrhenum) sapias, vina liques &c.* Horum varia est interpretatio. Alii enim post *pati* ponunt punctum, & ellipsin verbi *possis* hoc modo explent, & τὸ *ut* declarabit causam finalem hoc sensu: *quatenus autem melius possis pati, quicquid evenerit, liques vina*, &c. Alii sumunt idem. *ut*, pro tanquam; alii absolute, *ut melius*, pro existente meliore. Alii per interrogationem, vel per exclamationem interpretantur, pro *quam*, vel ὁ *quanto melius est!* Sed quorsum hæ tenebræ, quum ipsa se offerat lux, si referat *ut* ad *sapias*, scil. *Ut sapias melius pati, quidquid erit. Sapias*, i. e. cogites, mediteris, ὑπαρβατικῶς, aliis verbis parenthesi interclusis.

4 Proprietatem.

5 Ἀπαρέμφατον, i. e. infinitum, ut *pati*.

jungere huic dictioni [1] ὡς & ὥστε. Sic Horatius ut pati, pro, ut patiaris. Quanquam quod [2] divinat Mancinellus, non est prorsus absurdum. HI. Mihi vehementer arridet quod dicis. Curre, Mus, & adfer si quid est reliquum. ER. Quid istuc est novarum deliciarum? HI. Hic est cucumis sectus in [3] laminulas: hoc est jus ex coctis intestinis cucurbitæ; conducit lubricandis intestinis. SB. O cœnam vere medicam! HI. Boni consulite. Mox aderit gallina ex [4] corte nostra. SB. Commutabimus tibi nomen, & pro Hilario vocabimus [5] Apicium. HI. Age nunc, ridete quantum voletis; cras fortasse serio laudabitis hanc cœnam. SB. Qui sic? HI. Cum senseris tibi probe conditum esse prandium. SB. [6] Fame? HI. Scilicet. CR. Scis, Hilari, quid [7] provinciæ te vellem suscipere? HI. Sciam, si dixeris. CR. [8] Chorus canit [9] hymnos quosdam non indoctos, sed per indoctos multis locis depravatos: eos cuperem tua opera nobis restitui, ut autem exemplum proferam, ita canimus:

Hostis Herodes impie
Christum venire quid times?

Ordo dictionis unius inversus, geminum vitium invexit carmini. Nam *hostis*, cum [10] trochæum efficiat, nullum habet locum in carmine jambico, & *Hero*, spon-

1 Ὡς & ὥστε, ita, ita ut.

2 Conjicit.

3 A lamina *laminula* dimin.

4 *Cors* locus muris cinctus ad gallinarum custodiam. Respice *Conviv. Relig.*

5 *Apicius* fuit ille famosissimus omnium helluonum & ventricolarum princeps, qui de gulæ irritamentis aliquos libros reliquit, Senecæ coætaneus. Respice pag. 93.

6 Optimum condimentum est fames. Vide *Conviv. Relig.*

7 Muneris, vel oneris. De provinciæ varia significatione diximus in notis ad *Conviv. Relig.* pag. 147.

8 Intellige Chorum canentium in templis Pontificiorum.

9 Carmina in honorem Dei.

10 *Choræus*, vel *Trochæus* pes est jambo contrarius, utpote constans priore longa, altera brevi. *Choræus* dictus à choris. *Trochæus* vero ἀπὸ τοῦ τρέχειν, quod celeriter currat.

1 Ad-

ſpondæus, non recipitur in ſede ſecunda. Nec dubium eſt quin verſus ita primum ſcriptus ſit. *Herodes hoſtis impie.* Jam [1] epithetum, impie, mollius cohæret cum hoſtis, quam cum Herodes. Porro quoniam Herodes dictio Græca eſt, η vertitur in ε, in caſu vocandi, ut Σωκράτης, ὦ Σώκρατες, quemadmodum & in Ἀγάμεμνον, ω mega recti caſus vertitur in ο micron. Rurſum ita canimus hymnum:

Jeſu corona virginum.
Quem mater illa concepit,
Quæ ſola virgo parturit.

Dubium non eſt, quin, *concipit*, ſit pronuntiandum; nam temporis [2] hypallage gratiam etiam addit ſermoni. Riduculum autem eſt nos offendi in, *concipit*, cum ſequatur, [3] parturit. HI. Iſtius generis & ipſe permulta offendi, nec pigebit olim huic rei aliquot dierum opellam dare. Nam mihi videtur Ambroſius in hoc carmine non parum habere gratiæ: adeo fere finit dimetrum dictione triſyllaba, & cæſuram fere collocat in fine dictionis. Id crebrius apud eum fit, quam ut caſus videri poſſit. Si quæritis exemplum: *Deus Creator*, heic eſt [4] penthemimeris, accinitur, *omnium: Polique rector*, accinitur, *veſtiens: Diem decoro*, accinitur, *lumine: Noctem ſoporis*, accinitur, *gratia.* Sed adeſt gallina ſatis obeſa, quæ mihi totis decem annis peperit ova, & excluſit pullos. CR. Indigna erat quæ necaretur. CA. Si licet aliquid admiſcere de ſtudiis ſeverioribus, habeo, quod

1 Adjectivum.

2 Forte vult *Enallage*. Ego ex Voſſio & aliis dedici Hypallagen eſſe mutuam caſuum permutationem, *Enallagen* vero & generis & temporis.

3 Hoc enim quoque præſentis eſt.

4 *Penthemimeris* ſpecies eſt cæſuræ, cum poſt ſecundum pedem relinquitur ſyllaba.

quod proponam. HI. Modo ne nimium sit tetricum. CA. Non est. Cœpi nuper legere Senecæ epistolas, & [1] in ipso statim portu, quod ajunt, impegi. Locus est in prima epistola: *Et si volueris*, inquit, *attendere, magna vitæ pars elabitur male agentibus, maxima nihil agentibus, tota aliud agentibus.* In hac sententia affectat nescio quid argutiæ, quod ego non satis [2] assequor. LE. Divinabo, si voles. CA. Maxime. LE. Nemo perpetuo peccat; & tamen luxu, libidine, ambitione, cæterisque vitiis, magna vitæ pars perit, sed multo major vitæ portio perit nihil agentibus. Porro [3] nihil agere dicuntur, non qui vivunt in otio, sed qui rebus [4] frivolis & nihil ad felicitatem conducentibus occupantur. Inde proverbium, *Satius est cessare, quam nihil agere.* Sed tota vita perit aliud agentibus. *Aliud agere* dicitur, qui non est attentus ad id, quod agit. Perit igitur tota vita, quoniam dum vacamus vitiis, aliud agimus: dum vacamus frivolis, aliud agimus: dum studemus philosophiæ, quoniam id facimus supine & oscitanter, aliud agimus, parum attenti, velut ad rem minime seriam. Hæc interpretatio si parum arridet, numeretur hæc sententia Senecæ inter eas, quas in hoc scriptore damnat A. Gellius, ut frivole argutas. HI. Mihi sane satis arridet. (Sed interim strenue ad gallinam. Nolim vos falli, nihil præterea parati est.) Quadrat enim ad id quod præcessit: *Turpissima est* [5] *jactura, quæ per negligentiam fit.*

1 Id est, in ipso operis introitu consliti. Metaph. à navigantibus.

2 Intelligo, ita supra, & alibi. *Non satis assequor quid velis*

3 *Nihil agunt* qui frustra agunt. Clarissimus Lipsius, qui supra omnes alios interpretes, in Seneca elucidando plurimum desudavit, ita in hæc verba annotat: *Male agentibus*] in luxu, libidine, vitiis. *Nihil agentibus*] in otio, ignavia, & maxime somno. *Tota aliud agentibus*] Aliud agunt, qui occupati non ubi oporteat. Virtus nos vocabat; externa & vana quærimus, & hoc agimus tota vita. Hæc ille, quæ mihi planum sensum reddere videntur.

4 Vilibus & abjectis. *Frivola* ut Sext. Pomp. ait, sunt vasa fictilia quassa, hinc frivola verba, quæ non satis fide subnixa sunt.

5 Respice pag. 260.

1 Quot-

fit. Id autem declarat hac trimembri ſententia. At paullo poſt videor mihi videre mendum: [1] *Mortem non proſpicimus. Magna pars ejus jam præteriit.* Nam legendum arbitror, [2] Mortem proſpicimus. Proſpicimus enim quæ procul abſunt, cum mors magna ex parte præterierit nobis. LE. Si ſibi permittunt philoſophi, ut aliquando divertant in prata Muſarum, fortaſſe non videbitur abſurdum, ſi nos aliquando vel animi gratia divertamus in illorum regionem. HI. Quid ni? LE. Cum nuper relegerem librum Ariſtotelis, quem inſcripſit [3] περὶ τῶν ἐλέγχων, quorum argumentum eſt rhetoribus cum philoſophis magna ex parte commune, comperi inſignes errores interpretum. Neque dubitandum eſt, quin heic qui Græce neſciunt, in multis locis egregie delirarint. Ariſtoteles enim proponit hujusmodi genus ambigui, quod naſcitur ex voce, quæ eadem declaret diverſa: ὅτι μανθάνουσιν οἱ ἐπιστάμενοι· τὰ γὰρ ἀποφαντιζόμενα μανθάνουσιν οἱ γραμματικοὶ. τὸ δὲ μανθάνειν ὁμώνυμον, τό τε ξυνιέναι χρώμενον τῇ ἐπιστήμῃ καὶ τὸ λαμβάνειν τὴν ἐπιστήμην. Id verterunt in hunc modum: *Quoniam diſcunt ſcientes: Nam ſecundum os grammatici diſcunt. Diſcere enim æquivocum, ad intelligere eum, qui utitur diſciplina, & accipere diſciplinam.* HI. Viſus es mihi nunc Hebraice loqui, non Latine. LE. Eſtne quisquam veſtrum qui audivit heic ullam vocem æquivocam? HI. Nullam. LE. Quid igitur ſtultius, quam id velle vertere, quod verti non poterat? Neque enim quemadmodum Græcis μανθάνειν, ſonat, μαθεῖν, & μαθητεύειν: ita Latinis *diſcere*, doctrinam accipere, aut

1 Quotquot ego legi editiones, habent *mortem proſpicimus.* Verum an hæc emendatio Eraſmo debeant litterarum amantes, aliis dicendum relinquo.

2 *Mortem* (inquit Lipſius in notis) *inſtantem & futuram habemus: atque jam in parte venit, & fuit. Quomodo? à quo die nati ſumus, morimur*, &c. *Proſpicimus*, quæ fronte ſunt, ſed procul: *reſpicimus* à tergo relicta.

3 Q. d. de argumentis, vel redargutionibus.

aut tradere. Quanquam an hoc sit verum, nescio: magis arbitror sic, μανθάνειν esse anceps apud Græcos, quemadmodum *cognoscere* apud Latinos. *Cognoscit* enim qui novit, & *cognoscit* judex qui discit causam. Sic, opinor, Græcis μανθάνειν dicitur præceptor, qui exigit prælecta pueris, & pueri quibus prælegitur. Quam vero venuste reddidit, τὰ δὲ ἀποσοματιζόμενα μανθάνεσιν οἱ γραμματικοί? *Nam secundum os, grammatici discunt*, cum vertere debuerit, *Nam grammatici quæ dictant, docent.* Hic interpretis erat aliud exemplum supponere, quod non eadem verba, sed eandem rei speciem exhiberet. Quanquam hoc loco suspicor etiam in Græca scriptura nonnihil esse mendæ; scribendum autem, ὁμώνυμον τῷ τε ξωιέναι ϗ τῷ λαμβάνειν. Paulo post subjicit aliud exemplum ambigui, quod nascitur non ex vario vocis ejusdem significatu, sed ex diversa connexione: τὸ βέλεσθε λαβεῖν με τοὺς πολεμίες, *Velle me accipere pugnantes.* Sic enim vertit, pro eo quod erat, *Velle me capere hostes.* Et, si legas βέλεσθε, sermo sit dilucidior: *Vultis me capere hostes?* Nam pronomen potest præcedere verbum, capere, & potest sequi. Si præcedat, hic erit sensus: *Vultis ut ego capiam hostes?* Si sequatur, erit hic: *Vultis ut hostes me capiant?* Subjicit ejusdem generis aliud exemplum, ἆρα ὅ τις γινώσκει, τοῦτο γινώσκει: id est, *An quod quis novit, hoc novit?* Ambiguitas est in τοῦτο. Id si sumatur accusandi casu, sensus erit: *Quidquid alicui cognitum est, id illi cognitum esse.* Sin nominandi casu, sensus hic erit: *Quam rem quis intelligit, ea intelligit?* quasi cognosci non possit, nisi quod vicissim cognoscat. Rursus aliud subjicit, ἆρα ὁ τις ὁρᾷ, τοῦτο ὁρᾷ; ὁρᾷ δὲ τὸν κίονα· ὥστε ὁρᾷ ὁ κίων· *an quod quis id videt? sed videt columnam, columna igitur videt.* Rursus in τοῦτο est ambiguitas, quam prius indicavimus. Verum hæc utcunque

reddi

reddi poterant Latinis auribus: quod sequitur nullo modo reddi poterat: ἆρα ὃ σὺ φὴς εἶναι, τοῦτο σὺ φὴς εἶναι· φὴς δὲ λίθον εἶναι. σὺ ἄρα φὴς λίθος εἶναι. Quod illi sic reddiderunt: *Putas quod tu dicis esse, hoc tu dicis esse: dicis autem lapidem esse, tu ergo lapis dicis esse.* Obsecro, quis omnino sensus humanus ex his verbis percipi possit? Ambiguitas enim partim pendet ex idiomate Græci sermonis, quæ est in majore ac minore: quanquam in majore est & alia ambiguitas, in duabus dictionibus ὅ & τοῦτο quæ si capiantur nominandi casu, sensus erit: *Quidquid te dicis esse, hoc tu es.* Sin accusandi, sensus erit: *Quamcunque rem tu dicis esse, eam dicis esse*, & ad hunc sensum subsumit, λίθον φὴς εἶναι. Sed ad priorem colligit, σὺ ἄρα φὴς λίθος εἶναι. Græci sermonis proprietatem semel ausus est imitari [1] Catullus.

[2] *Phaselus iste, quem videtis, hospites,*
Ait fuisse navium [3] *celerrimus.*

Sic enim ferebatur hic versus in antiquioribus editionibus. Hoc ignorato, necesse est multis modis delirare eos, qui in hæc loca scribunt commentarios. Ne id quidem quod inibi continenter sequitur, Latino potest esse perspicuum. Καὶ ἆρά ἐστι σιγῶντα λέγειν· διττὸν γὰρ ἔστι, τὸ σιγῶντα λέγειν, τό τε τὸν λέγοντα σιγῶν καὶ τὸ τὰ λεγόμενα. Id reddiderunt hunc in modum: *Et putas, est tacentem dicere. Duplex enim est, tacentem dicere, & hunc dicere tacentem, & quæ dicuntur.* An non hæc [4] Sibyllæ foliis obscuriora? HI. Mihi nec

1 Lepidissimus ille Poëta Veronensis, tantus puræ Latinitatis custos, ut docti nomen promeruerit. Lascivus alioquin, & mordax.

2 Ita incipit carmen ex puris jambis, quo Phaselum (est navigii genus) quo diu usus fuerat commendat, & fratribus gemellis Castori & Polluci consecrat.

3 Constructio Græca, qualis & in Horatio, aliisque Poëtis occurrit.

4 Vide quæ de Sibyllæ foliis diximus supra in pag. 188. Colloq. *Apotheos. Capn.* Inde vero *Sibyllæ foliis obscuriora* dicit, quod vaticinantes istæ Sibyllæ difficillimo stylo & ambiguis vocibus oracula sua ederent, vel conscriberent.

1 Extant

nec Græca satis liquent. LE. Exponam pro mea divinatione. *An possibile est tacentem dicere?* Hæc interrogatio duplicem habet sensum, quorum alter est falsus & absurdus, alter esse potest verus. Nam fieri non potest, ut qui loquitur, non dicat ea quæ loquitur, hoc est, ut loquendo taceat: sed fieri potest, ut is qui loquitur, taceat eum qui loquitur. Quanquam hoc exemplum recidit in alteram formam, quam paullo post subjicit. Rursum illud admiror, quod mox in genere ambiguitatis, quæ nascitur ex pluribus dictionibus conjunctis, matarint Græci vocem *sæculi* in litteras, ἐπίσασθαι τὰ γράμματα; cum Latini codices habeant, *scire sæculum*. Heic enim duplex sensus nascitur, vel ut ipsum sæculum sciat aliquid, vel ut aliquis sciat sæculum. Verum hoc mollius est in αἰῶνα sive in κόσμον, quam in γράμματα. Nam litteræ dicuntur absurde scire quippiam. Verum nihil absurdi sit, si quis dicat, *aliquid nostro sæculo notum esse*, aut *aliquem nosse suum sæculum*. Jam aliquanto post, ubi proponit exemplum ambigui ex accentu, non veritus est interpres pro verbis Homeri supponere Virgiliana, cum eadem fuerit necessitas in illo exemplo, *quidquid dicis esse, hoc est*. Ex Homero refert Aristoteles, ἃ καταπύθεται ὄμβρῳ. Si ἅ aspiretur ac circumflectatur, sonat, *Cujus computrescit pluvia: sin ἃ* sit exile & acutum, sonat, *Non computrescit pluvia*. Atque hoc quidem sumptum est ex Iliad. ψ. Alterum est, Διδόμεν δὲ οἱ εὐχῇ ἀρέσθαι: accentu collocato super penultimam sonat, *concedit* illi: sin super primam, δίδομεν, sonat, *damus*. At poëta non sentit, Jovem dicere, *concedimus* illi: sed Jupiter mandat ipsi somnio, ut illi, ad quem mittitur, concedat potiri voto. Dictum est enim διδόμεν pro διδόναι. Pro his duobus Homericis subjecerunt hæc ex nostris poëtis, velut illud ex Odis Horatii:

[1] *Me tuo longas pereunte noctes*
Lydia dormis.

Etenim si accentus sit in, *Me*, correpto, & *Tu*, sit grave, unica dictio est, [2] Metuo, id est, timeo. Quanquam hæc ambiguitas pendet non solum ex accentu, verum etiam ex compositione. Alterum supposuerunt ex Virgilio?

Heu quia nam tanti cinxerunt æthera nymbi!

Quanquam hæc quoque ex compositione nascitur ambiguitas. HI. Sunt ista quidem arguta, dignaque cognitu, Leonarde: sed interim vereor, ne cui convivium hoc [3] sophisticum videatur magis, quam poëticum: alias, si videbitur, vel totum diem venabimur [4] Elenchos in Elenchis. LE. Hoc est, in [5] luco ligna, in mari quæremus aquam. HI. Ubi est meus Mus? MU. Adest. HI. Mone Margaretam, ut tradat [6] bellaria. MU. Adeo. HI. Rursum ades vacuus? MU. Negat se de bellariis cogitasse, & ait satis diu sessum esse. HI. Vereor ne si diutius heic philosophemur, illa nobis mensam subvertat, quemadmodum [7] Xantippe Socrati: consultius est igitur ut bellaria sumamus in horto: ibi simul & ambulabimus, & libere nugabimur. Interea sibi quisque decerpat ex arbore quod lubet. CO. Placet consilium. HI. Est illic fonticulus quovis vino suavior. CA. Qui fit, ut hortus tuus magis niteat, quam aula? HI. Quia

1 Extant versus lib. 1. Od. 25.

2 Non legendum *metuo*, timeo, sed divisum est *me* à *tuo*, supple amico *Me tuo pereunte*, i. e. *dum ego amicus tuus pereo.*

3 A *Sophista* derivatur sophisticus. Olim sophistæ dicti Philosophi, sapientiæ amantes; dein nomen id datum est iis, qui fallacibus conclusionibus vanam sapientiæ speciem ostentant.

4 Redargutiones.

5 Lucus, silva, in qua arbores Diis sacratæ.

6 Mensas secundas, tragemata.

7 Respice historiam pag. 152.

Quia heic versor frequentius. Si quid arridet hic, ne parcite nostris opibus hortensibus. Jam si satis videtur deambulatum, quid si considamus huc sub tilia, [1] & Musas cieamus? PA. Age fiat. HI. [2] Thema suppeditet hortus ipse. PA. Si præcesseris, sequemur. HI. Age faciam. [3] Præpostere facit, cui variis deliciis niteat hortus, cum animum habeat nullis disciplinis, nullis virtutibus excultum. LE. Credemus adesse Musas, si reddideris eandem sententiam carmine. HI. Hoc mihi longe [4] proclivius, [5] prosam orationem vertere carmine, quam argentum commutare auro. LE. Dic igitur.

HI. *Cui renitet hortus undiquaque floſculis,*
Animumque nullis expolitum dotibus
Squalere patitur, is facit præpoſtere.

Habetis carmen [6] Musis & Apolline nullo. Sed elegans fuerit, si singuli hanc sentiam diverso genere carminis reddatis. LE. Qui vicerit, quid præmii feret? HI. Hunc [7] calathum onustum malis, aut prunis, aut cerasis, aut mespilis, aut piris, aut si quid aliud magis [8] adblanditur. LE. Quis erit arbiter certaminis? HI. Quis nisi Crato? Et idcirco solus non certabit, quo magis auscultet. CR. Vereor ne talem sitis habituri judicem, qualem olim habebant [9] coccyx & luscinia, inter sese canendi gloria decertantes. HI. Sat est, si places omnibus. CO. Placet arbiter, incipe, Leonarde.

LE.

1 Carmina tentemus.
2 Argumentum, textum.
3 Hæc carminis materia erit.
4 Facilius.
5 *Oratio prosa* est oratio soluta seu libera. Carmen è contrario est oratio ligata, sc. metro.
6 Sup. prolatum. Carmen scriptum Musis & Apolline nullo, i. e. non feliciter. Alluſit ad illud Martialis --- *Musis & Apolline nullo. Quod scribis versus, hoc Ciceronis habes.*
7 Corbis ex viminibus textus.
8 Arridet, placet Respice notas in fronte *Convivii Religiosi.*
9 *Coccyx* idem qui Latine *Cuculus*, penultima longa. Apologus est de Coccyce, & Luscinia, certantibus inter se cantu, asino judice.

LE. *Cui tot deliciis renitet hortus,*
Herbis, floribus, arborum fœtu,
Et multo & vario, nec excolendum
Curat pectus & artibus probatis,
Et virtutibus, is mihi videtur
Lævo judicio parumque recto. DIXI.

HI. Carinus [1] arrodit unguem, exspectamus aliquid elaboratum. CA. Nulla adest Musa.

Cura cui est, ut niteat hortus floſculis ac fœtibus,
Negligenti excolere pectus disciplinis optimis:
Hic labore, mihi ut videtur, ringitur præpostero.

HI. Non frustra arrosus est unguis. EU. Quoniam ordo me vocat, ne nihil adferam:

Qui studet, ut variis niteat cultissimus hortus
Deliciis, patiens animum squalere, nec ullis
Artibus expoliens, huic est præpostera cura.

HI. Non est, cur exstimulemus Sbrulium. Nam ille sic scatet versibus, ut plerumque vel [2] imprudens effundat carmina.

SB. *Cui vernat hortus cultus & elegans,*
Nec pectus ullis artibus excolit,
Præpostera is cura laborat.
Sit ratio tibi prima mentis.

PA. *Quisquis accurat variis ut hortus*
Floribus vernet, neque pectus idem
Artibus sanctis colit, hunc habet præpostera cura.

HI.

1 Gestus est cogitantis. Hinc apud Persium carmen *quod sapit ungues demorsos* i. e. diu meditatum, ac elaboratum.

2 Nec ipse cogitans.

HI. Nunc experiamur, cui hortus suppeditet plures sententias. LE. Quid ni faciat, tam dives? Vel hoc rosetum mihi suggeret quod dicam. Ut brevis est rosæ nitor, ita fugax est juventus: properas carpere rosam prius, quam marcescat; magis adnitendum est, ne sine fructu tibi effluat juventus. HI. Thema satis aptum carmini. CA. Ut inter arbores suus cuique fœtus est, ita inter homines suæ cuique dotes sunt. EU. Ut terra si excolatur, varias opes gignit in usus humanos, neglecta spinis ac vepribus obducitur: ita hominis ingenium si excolatur optimis studiis, plurimas edit virtutes; sin negligas, variis occupatur vitiis. SB. Hortus quotannis colendus est, ut niteat: animus semel excultus honestis studiis, perpetuo floret ac vernat. PA. Ut amœnitas hortorum non avocat animum ab honestis studiis, sed ad hæc invitat potius; ita quærendi sunt lusus ac joci, qui non absunt à litteris. HI. Euge, video examen sententiarum. Nunc ad versus: sed antequam id aggrediamur, mea sententia, fuerit exercitatio nec inelegans, nec infrugifera, si primam sententiam toties reddamus Græcis versiculis, quoties reddidimus Latinis. Heic [1] auspicabitur Leonardus, jam olim familiaris Musis Græcanicis. LE. Ineptiam, si jubes. HI. [2] Jubeo atque impero.

LE. Ὦ κῆπός ἐσιν ἄνθεσι γελῶν καλοῖς,
Ὁ δὲ νὲς μάλ' αὐχμῶν τοῖς καλοῖς μαθήμασιν,
Οὐκ ἔσι κόμψος ἔτ', ἐκ ὀρθῶς φρονεῖ,
Περὶ πλείονο ποιῶ τὰ φαῦλ' ἢ κρείτονα.

Ego [3] præsulem egi; succedet qui volet. HI. Carinus.

1 Incipiet. Respice pag. 6.

2 Vox imperatoria.

3 Allusit forte ad *Salios*, olim Romæ Sacerdotes Martis, à saliendo denominatos, quia saltabant in pompa autem qui saltat primus. Est in quibusdam choreis mos, ut unus solus auspicetur saltationem; unde quisquis aliis cunctantibus rem cœpit, dicitur incepisse choream. Quid vero *Præsul* apud Pontificios significet vide infra.

rinus. CA. Imo Hilarius. LE. Sed video Margaretam intervenire, adfert nescio quid deliciarum. HI. Si fecerit, me fefellerit mea [1] furia. Quid adfers? MA. Sinapi, quo condiatis vestra bellaria. An non pudet heic garrire in multam noctem, & postea vos poetæ multa blateratis in loquacitatem fœminarum? CR. Haud male monet Margareta: jam tempus est, ut suum quisque nidum adeat: alias in hoc pulcherrimo certaminis genere vel [2] solidum diem consumemus. HI. Sed cui addicis præmium? CR. In præsentia quidem mihi ipsi addico. Nullus enim vicit præter unum me. HI. Qui vicisti, qui non certaveris? CR. Vos certastis, at non [3] decertastis. Ego, quod nemo vestrum potuit, vici Margaretam. CA. Hilari, æquum postulat; auferat calathum.

1 Respice pag. 287.
2 Integrum. Horat. lib. 1. Od. 1. *Nec partem solido de die spernis.*
3 Ad finem usque certastis.

INQUISITIO DE FIDE.

Aulus, Barbatius.

AU. PUerorum est cantilena, [1] Saluta libenter. Verum haud scio, an mihi fas sit tibi [2] dicere salutem. BA. Equidem malim qui det salutem, quam qui dicat. Sed quam ob rem istuc ais, Aule? AU. Quam ob rem? Quia si scire vis, [3] oles aut sulphur,

1 In libello cui titulus Catonis Disticha de moribus ad filium. Respice pag. 1.
2 Salutare.
3 Innuit eum male audire apud Pontificem, vel Ecclesiæ Romanæ primores, ita ut non multum absit, quia cum sit excommunicatus (ita enim vocant quem ab illa Romana Ecclesia alienum Papa Diabolo tradidit) igni, aut alia horrenda pœna, tanquam hæreticus puniatur.

sulphur, aut fulmen Jovis. BA. Sunt & [1] Vejoves, sunt [2] bruta fulmina, multum etiam origine dissidentia à fatidicis. Nam, ut suspicor, tu de [3] anathemate sentis. AU. Rem conjectas. BA. Audivi quidem [4] horrenda tonitrua, [5] fulminis ictum non sensi. AU. Qui sic? BA. Quia nihilo pejus [6] concoquo, neque irrequietius dormio. AU. Sed hoc periculosius solet esse malum, quia non sentitur. Verum hæc bruta fulmina, quæ tu vocas, [7] feriunt montes & maria. BA. Feriunt, sed irritis ictibus. Est & [8] fulgur è vitro, seu vase æreo. AU. Certe territat & hoc. BA. Verum, sed pueros. Solus Deus habet fulmen, quo feriat animam. AU. Quid si Deus est in suo [9] vicario? BA. Utinam sit! AU. Imo multi demirantur te jam dudum non esse [10] quovis carbone atriorem. BA. Finge me talem. Atqui

1 *Vejoves* sunt Joves siniſtri. Aulus Gellii verba sunt lib. 5. cap. 12. *In antiquis spectionibus nomina hæc Deorum inesse animadvertimus, Dijovis, & Vejovis. Est autem etiam ades Vejovis Romæ inter arcem & Capitolium*, &c. *Quum Jovem igitur & Dijovem a juvando nominassent, eum quoque contra Deum, qui non juvandi potestatem, sed vim nocendi haberet (nam Deos quosdam ut prodesſent celebrabant, quosdam ne obesſent placabant) Vejovem appellaverunt, demta atque detracta juvandi facultate*, &c.

2 Alludit ad *bruta fulmina*, de quibus Plin. lib. 2. cap. 34. quæ ita dicuntur, quod sine tatione veniant, nec quidquam (ut veteres volueré) portendunt. *Fatidica*, quæ aliquid prædicunt. Interim vero digitum intendit autor in fulmen, id est excommunicationem, ut vocant, Pontificis Romani, qua, tanquam fulmine, ferit Cæsares, Reges & Principes, & quoscunque sibi non satis subjectos esse putat.

3 Significat ἀνάθεμα vel ἀνάθυμα & sacratum donum, templi quoque vel urbis ornamentum; & execrationem vel execrabilem hominem, cujus caput Diis infertis est devotum, quique communione cum aliis non dignus est. Hic intellige excommunicationem istam Papalem, de qua dictum.

4 Forte Sacrificorum & Monachorum diras

5 Excommunicationem.

6 Cibos scil. cum sit stomachus meus sanus; i. e. quia tamen læte vivo.

7 Verba Plinii loco modo citato. Alludit iterum ad excommunicationem Papalem, qua magni & parvi territantur.

8 *Fulgur è vitro seu pelvi*, dicitur de minis inanibus, quæ sicuti fulgur è vasis nitentibus nullam nocendi vim habent.

9 Isthuc volebat autor. *Vicarium Dei* se vocari patitur Pontifex Romanus, sed mirum sane, si Deus talibus vicariis delectetur *Vicarius* est, qui alicujus vicem gerit.

10 *Carbone atrior*, vel *atro carbone notatus* dicitur, qui infamiæ stigmate notatus est, & pessime audit. Sensus hujus loci

Atqui tanto magis erat optanda salus perdito, si placet Evangelica doctrina. AU. Optanda quidem, at non dicenda. BA. Cur ita? AU. Quo pudescat ictus fulmine, ac resipiscat. BA. Si sic nobiscum egisset Deus, perieramus omnes. AU. Quam ob rem? BA. Quia cum essemus inimici Dei, cultores idolorum, militantes in castris [1] Satanæ, hoc est, modis omnibus excommunicatissimi, tum ille maxime nobiscum confabulatus est per filium suum, suoque colloquio nos restituit in vitam, cum essemus mortui. AU. Ista quidem vere narras. BA. Imo male ageretur cum omnibus ægrotis, si medicus fugeret alloquium, quoties ingens morbus gravat miserum: imo tum maxime conveniebat adesse medicum. AU. At ego metuo, ne tu mihi citius adfles aliquid tui mali, quam fiat ut tuo morbo medear. Nonnunquam usu venit, ut pro medico fiat [2] palæstrites, qui visit ægrotum. BA. Ita quidem usu venit in corporum morbis; verum in animi malis est tibi parata [3] antidotus adversum omne contagium. AU. Quænam? BA. [4] Adamantinum propositum, non divelli à sententia semel infixa. Deinde cur palæstram metuis, ubi res verbis agitur? AU. Est aliquid quod dicis, si modo spes sit profectus. BA. Proverbio dicitur; Donec [5] spirat homo, sperandum esse. Et juxta Paulum, *Caritas nescit desperare, quia sperat omnia.* AU. Non pessime mones,

loci est: *Immo multi demirantur te, quum apud theologos tam male audias, jam dudum non esse ab iis excommunicatum, ut vocant, & Diis inferis devotum.* Forte de se ipso loquitur Erasmus, quem cane pejus & angue oderunt Monachi, & istius farinæ sodales: Ideoque, uti ego crediderim, in hoc Colloquio multa sese credere fatetur aut fingit, quæ meras Papicolarum nugas redolent.

1 Revise notas in *Conviv. Relig.*

2 Παλαιστρίτης, luctator, à παλαίστρα, palæstra. Nempe cum medicus, aut quispiam ægrotum phrenesi laborantem invisens ab eodem arripitur, atque ita se defendere cogitur.

3 Ἀντίδοτος medicamentum adversus quodvis corporis malum, præcipue adversus venenum.

4 Quicquid forte, firmum ac stabile est, dicitur *adamantinum*, quod adamas omnium lapidum solidissimus sit.

5 I. e. vivit. Mortui spirare desinunt.

mones, atque hac spe puto mihi fas esse tecum miscere sermonem aliquantisper: ac, si pateris, medicum agam. BA. Licet. AU. Vulgo sunt[1] invisi percunctatores. Et tamen in medicis probantur, qui percunctantur de singulis. BA. Percunctare[2] à cœlo usque ad terram, si libet. AU. Experiar, modo fidem des, te responsurum ex animo. BA. Do, modo sciam qua de re velis percunctari. AU. De[3] Symbolo Apostolorum. BA. Audio militare verbum, nec recuso haberi pro hoste Christi, si quid heic fefellero. AU. Credis in Deum patrem omnipotentem, qui condiderit cœlum & terram? BA. Et quidquid cœlo terraque continetur, atque etiam mentes angelicas. AU. Cum Deum dicis, quid sentis? BA. Sentio mentem esse quandam æternam, quæ nec initium habuerit, nec finem sit habitura, qua nihil esse potest nec majus, nec sapientius, nec melius. AU. Ista quidem satis pie. BA. Quæ nutu suo omnipotenti condidit quidquid est rerum visibilium aut invisibilium: quæ sapientia mirabili moderatur ac gubernat universa, sua bonitate pascit ac servat omnia, atque hominum genus collapsum gratuito restituit. AU. Sunt quidem ista tria præcipua in Deo: sed quid fructus capis ex istorum cognitione? BA. Cum omnipotentem cogito, me totum illi submitto, ad cujus majestatem nihil est hominis hæc potius συμβολὴ dicatur. Nam σύμβολον rectius dicitur pro eo, quod arrhæ loco dari solitum erat ei sodalium, cui cœnæ parandæ cura demandata fuerat, ut apud Terentium in Andria Act. 1. Sc. 1. *Quid? Symbolam dedit?* & in Eunucho. A. 3. Sc. 4. *Ut essemus de symbolis.* Hinc illud *Symbolum Apostolicum* dictum est, quod in eo, quæ ad fidem Christianam præcipue spectent breviter colligantur. Rationem nominis quærat, cui id ibidem fuerit, apud Patres, de illa varie differentes. Vide infra notas in principio νηφάλ. συμπόσ. seu *Convivii sobrii.*

1 Juxta illud, *Percunctatorem fugito, nam garrulus idem est.*

2 Plautinum proverbium est, pro à capite ad calcem.

3 Ita vocatur illa omnium Christianorum communis professio, *Credo in Deum*, &c. *Symbolum* vero Græc. σύμβολον, significat alicujus rei signum & indicium, idque variis modis accipitur. Dicitur enim de signo militari, & tessera, quare mox addit *audio militare verbum*: ponitur quoque pro omine, & alicujus rei futuræ signo. Item pro collatione ad convivium, qua quisque quod ad manum erat conferebat, quam

minum aut angelorum sublimitas. Deinde plena fiducia credo, quod ab illo factum tradunt sacræ litteræ, simulque futurum quidquid ille promisit, quando nutu, quidquid vult, potest, quantumvis homini videatur [1] impossibile. Ita fit, ut meis viribus diffisus, totus ab illo pendeam, qui potest omnia. Ubi sapientiam illius intueor, nihil tribuo meæ sapientiæ, verum credo omnia rectissime justissimeque ab eo fieri, etiamsi juxta sensum humanum videantur absurda aut iniqua. Cum bonitatem considero, video nihil esse in me, quod illius gratuitæ beneficentiæ non debeam: & nullum arbitror esse tantum crimen, quod ille nolit ignoscere resipiscenti: neque quidquam esse, quod ille non sit largiturus cum fiducia petenti. AU. Num satis esse putas, quod credis illum esse talem? BA. Nequaquam, sed sincero affectu totam fiduciam ac spem in illum unum transfero, detestans Satanam, omnemque [2] idololatriam, & quidquid est artium [3] magicarum. Illum solum adoro; nihil illi nec præferens, nec æquans; non angelum, non parentes, non liberos, non uxorem, non principem, non opes, non honores, non voluptates; paratus & vitam illius caussa perdere, si jusserit; certus eum non posse perire, qui se totum illi tradiderit. AU. Nihil igitur colis, nihil times, nihil amas, nisi unum Deum? BA. Si quid veneror, si quid metuo, si quid amo præter eum, ejus caussa amo, metuo, colo, omnia ad illius gloriam referens, semper illi gratias agens, sive læta contingunt, sive tristia: sive mori detur,

1 Rectius Græce effertur per ἀδύνατον.

2 Cultum idolorum, i.e. simulachrorum. Gr. εἰδωλολατρείαν.

3 *Magicus* derivatur à *Mago*. Est autem μάγος vox Græca, origine Persica, significans sapientem, seu rerum divinarum & naturalium peritum. Sic vocantur illi Magi, qui veniebant adoraturi Christum. Deinde vero & nomen Magi in malam partem acceptum est; pro *præstigiatore*, & *venefico*, uti & hic *Magicarum*: i. e. præstigiatoriarum, & veneficarum.

tur, sive vivere. AU. [1]Sana quidem est hactenus tua oratio. De secunda persona quid sentis? BA. Scisci-tare. AU. Credis[2] Jesum fuisse Deum & hominem? BA. Maxime. AU. Qui fieri potuit, ut idem sit Deus immortalis, & homo mortalis? BA. Istud illi facile fuit efficere, qui quidquid vult potest. Et ob divinam naturam, quam eandem habet cum patre, quidquid magnitudinis, sapientiæ, & bonitatis attribuo patri, idem tribuo & filio: quidquid debeo patri, debeo & filio: nisi quod ita visum est patri, ut per filium concederet ac donaret nobis omnia. AU. Cur igitur sacræ litteræ filium frequentius appellant Dominum quam Deum? BA. Quia Deus auctoritatis, hoc est, principatus est nomen, quæ patri præcipue convenit: qui simpliciter principium est omnium, atque ipsius etiam[3] deitatis fons. Dominus redemptoris & [4]assertoris vocabulum est. Quanquam & pater redemit per filium, & filius Deus est, sed ex Deo patre. Solus autem pater à nullo est, & in personis divinis principem locum obtinet. AU. Ergo & in Jesu collocas tuam fiduciam? BA. Quid ni? AU. Sed Propheta maledictum dicit, qui fidit in homine. BA. Sed huic uni homini data est omnis potestas in cœlo & in terra: ut in nomine ejus flectatur omne genu, cœlestium, terrestrium, & inferorum. Quanquam nec in hoc fiduciæ spe[5]que meæ sacram, ut ajunt, ancoram figerem, ni Deus esset. AU. Cur eum filium appellat? BA. Ne quis somniet esse creaturam. AU. Cur unicum? BA. Ut discernat naturæ

1 Id est, *orthodoxa, absque errore.* Metaphorice à corpore ad animam. Vide paulo inferius contrarium, *morbum.*

2 Qui dicitur Christus. Et Jesus idem quod *salvator.* Originem habet ab Hebraica radice *Jaschah*, salus, liberatio, & inde Jehoschuah, Joschuah, vel Jeschuah, Græce Ἰησοῦς.

3 Deitas rectius Græce θεότης.

4 Assertor est, qui aliquem in libertatem vindicat.

5 Id est summam meam spem ac fiduciam. De sacra ancora dixi pag. 266.

ræ filium à filiis[1] adoptivis. Cujus cognominis honorem nobis etiam impertit, ut neminem præter hunc alium exspectemus. AU. Cur eum qui Deus erat, hominem fieri voluit? BA. Ut homines homo reconciliaret Deo. AU. Credis conceptum citra virilem operam,[2] opificio Spiritus Sancti, ac natum ex incorrupta virgine Maria, de illius substantia sumpto mortali corpore? BA. Maxime. AU. Cur sic nasci voluit? BA. Quia sic decebat nasci Deum; sic decebat nasci, qui nostræ conceptionis ac nativitatis sordes purificaret. Hominis filius nasci voluit Deus, ut nos in illum renascentes efficeremur filii Dei. AU. Credis illum versatum in terris, ea gessisse miracula, ea docuisse, quæ prodita sunt litteris Evangelicis? BA. Certius quam te credo esse hominem. AU. Non sum[3] inversus Apulejus, ut suspiceris asinum latere sub hominis specie. Sed credis hunc eundem esse[4] Messiam illum, quem delinearant figuræ legis, quem promiserant[5] oracula Prophetarum, quem tot sæculis exspectarant Judæi? BA. Nihil habeo persuasius. AU. Credis hujus doctrinam ac vitam sufficere ad perfectam pietatem? BA. Admodum. AU. Credis

1 *Adoptivis* posuit autor pro *adoptatis*. Olim autem *adoptare* Romani fuit, aliquem alienum filium suum facere. Fiebat adoptio duobus modis (ut Cajus inquit,) aut principis autoritate, aut Magistratus imperio. Principis autoritate adoptabantur ii, qui sui juris erant, hoc est, qui non erant amplius in parentum potestate, quæ species adoptionis dicitur arrogantia: quia & is qui adoptat rogatur, an velit eum quem adoptaturus est, justum sibi filium esse: & is, qui adoptatur, interrogatur, an id fieri patiatur. Imperio Magistratus adoptabant eos, qui erant in potestate parentum, sive primum gradum liberorum obtineant, sive inferiorem.

2 Vi, ἐνεργείᾳ.

3 Apulejus enim, ut ipse de se fingit, mentem hominis tegebat asinina specie, quum sint multi, qui sub humana specie tegant asinum. Fuit autem L. Apulejus Afer, Madauræ natus, philosophus Platonicus, vir multæ doctrinæ atque eloquentiæ. Scripsit libros XI. Metamorphoseos de Asino aureo, in quibus fingit se à Saga Thessalicæ in asinum mutatum, humanam mentem tamen retinuisse. Post varia deinde discrimina & labores, Lunæ auxiliatricis ope, rosis de manu Ægyptii sacerdotis devoratis, in priorem statum humanam restitutum.

4 Messias vox origine Syriaca, idem quod Græce Χριστὸς, Latine *unctus*.

5 Vaticinia.

dis eundem vere comprehensum à Judæis, vinctum, colaphis & alapis cæsum, conspútum, irrisum, flagellatum sub Pontio Pilato, ac denique suffixum in crucem, atque inibi mortuum? BA. Maxime. AU. Credis illum ab omni lege peccati cujuscunque fuisse immunem? BA. Quid ni? Agnum absque macula. AU. Credis illum sua sponte hæc omnia perpessum? BA. Imo libenter, atque etiam [1] sitienter, sed ex voluntate patris. AU. Cur pater filium suum unicum innocentem, sibique carissimum, hæc tam atrocia pati voluit? BA. Ut hac victima nos nocentes sibi reconciliaret, in illius nomen collocantes fiduciam ac spem nostram. AU. Cur Deus passus est sic collabi totum humanum genus? Et, si passus est, non patuit alia via [2] sarciendi ruinam nostram? BA. Hoc mihi persuasit, non humana ratio, sed fides, nulla ratione potuisse fieri melius, neque ad salutem nostram utilius. AU. Cur hoc mortis genus illi potissimum placuit? BA. Quia juxta mundum erat [3] probrosissimum: quia diri lentique cruciatus: quia conveniebat illi, qui porrectis in omnem mundi plagam membris, omnes orbis nationes invitaret ad salutem, & homines terrenis curis affixos evocaret ad cœlestia. Denique ut referret nobis [4] serpentem æneum, quem Moses suspenderat in stipite, ut quicunque defigerent oculos in illum, sanarentur à vulnere serpentum: fidemque prophetæ liberaret, qui prædixerat; [5] *Dicite in nationibus, regnavit à ligno Deus.* AU. Cur & sepeliri volu-

1 Avidissime.

2 Restaurandi, sæpius supra.

3 Sic est, crux enim servorum pœna.

4 De serpente æneo lege Num. 21. v. 8. 9.

5 Monui jam in Belgica mea horum Colloquiorum versione, ante aliquot annos edita, binas voces *à ligno* esse suppositicias. Quod ut lectori liquide constet, describam hic Tanaquilli Fabri, viri acutissimi, verba ex ejus epistola 43. lib. I. desumpta. Justinus Martyr, scriptor Græcus, secta Platonicus, genere Samarites, Antonini Pii tempore (nam ad eum Apologiam scripsit) circa annum Christi 142. florebat, fidei Christianæ propugnator acerrimus. Is librum scripsit, accuratum sane, prout illa ferebant

voluit, idque tam accurate, oblitus myrrha & unguentis, incluſus novo monumento è ſolido [1] vivoque ſaxo exciſo, obſignato oſtio, adhibitis etiam cuſtodibus publicis? BA. Quo magis conſtaret eſſe vere mortuum. AU. Cur non ſtatim revixit? BA. Hac ipſa de cauſſa. Etenim ſi mors fuiſſet ambigua, fuiſſet & ambigua reſurrectio, ſed hanc voluit eſſe certiſſimam. AU. Credis hujus animam deſcendiſſe ad inferos? BA. Hanc particulam non fuiſſe quondam additam nec in Symbolo Romano, nec in Symbolo Orientalium eccleſiarum, teſtis eſt Cyprianus, nec recenſetur [2] apud Tertullianum vetuſtiſſimum ſcriptorem. Ego tamen & hoc firmiter credo: vel quia congruit cum Prophetia Pſalmi; [3] *Non derelinques animam meam in inferno;* & rurſus: *Domine, eduxiſti ab inferno animam meam:* Vel quia Petrus Apoſtolus in epiſtolæ prioris (de cujus auctore nunquam fuit dubitatum) capite tertio ſcripſit hunc in modum; [4] *Mortificatus*

bant tempora, ex quo, id ut obiter moneam, ſatis inverecunde deſcripſit Euſebius, quæ de præexiſtentia (Græci προϋπαρξιν dicunt) Chriſti dixit lib. 1. Eccleſiaſticæ hiſtoriæ. In eo ſeu dialogo, ſeu melius libro, cum id daret operam, ut Tryphonem, hominem Hebræum, ad fidem noſtram adduceret, nihil prorſus intentatum reliquit, ſed curas animum diduxit in omnes. Quin etiam (quod pudet referre, neque facerem, niſi operæ pretium foret) cum ad crucis ignominiam ventum eſt, nimio pietatis amore cæcus, non dubitavit locum è Davide producere Pſal. xcvi. (ſecundum Juſt. eſt xcv.) his verbis εἴπατε ἐν τοῖς ἔθνεσι, Ὁ κύριος ἐβασίλευσεν ἀπὸ τοῦ ξύλου. Id eſt. *Dicite in gentibus: Dominus regnavit à ligno:* quæ poſtrema verba *à ligno*, quibus tota rei illius, quam ſuſceperat, probatio ſtabat, nuſquam extant. Et tamen hodieque canitur. *David fideli carmine. Dicens in nationibus Regnavit à ligno Deus.* Neque adeo mirum; Tertulliani enim & Leonis Pontificis autoritate fit, qui poſt Juſtinum non dubitarunt ita citare Pſalmiſten, &c. Hactenus Faber. Unde conſtat Eraſmum quoque hunc locum inconſultum proferre.

1 Sunt qui affirmant ſaxa creſcere & augere, ſunt qui negant. Saltem *viva ſaxa* dicuntur, quæ nondum ſuo loco nativo ſunt amota.

2 Immo nec apud plures quam ſexaginta vetuſtiſſimos Patres, & Conciliorum Confeſſiones.

3 Pſ. 16. Hæc vero ad ſepulchrum pertinent.

4 Conſtat ex ſequenti, Eraſmum hæc verba Petri explicare juxta omnium Pontificiorum ſententiam; Chriſtum ſcilicet localiter ad inferos deſcendiſſe. Quod ego non intelligo, verum Theologis

catus quidem carne, vivificatus autem spiritu; in quo & his, qui in carcere erant, spiritu veniens prædicavit. Verum, ut credo descendisse ad inferos, ita non credo illic aliquid esse passum: descendit enim, non ut illic cruciaretur, sed ut nobis frangeret regnum [1] satanæ. AU. Nihil adhuc impium audio: sed mortuus est, ut nos peccato mortuos revocaret ad vitam. Cæterum cur revixit? BA. Tribus potissimum de causis. AU. Quibus? BA. Primum ut certam spem faceret resurrectionis. Deinde, ut sciremus eum immortalem esse, nec unquam moriturum, in quo [2] præsidia salutis nostræ collocavimus. Postremo, ut nos quoque per pœnitentiam mortui peccatis, per baptismum una cum illo sepulti, per gratiam ejus revocemur ad vitæ novitatem. AU. Credisne, quod idem corpus, quod mortuum fuit in cruce, quod revixit in sepulcro, quod visum & contrectatum est discipulis, subvexerit in cœlum? BA. Maxime. AU. Cur voluit relinquere terras? BA. Ut illum omnes spiritualiter amaremus, neque quisquam in terris sibi Christum proprie vendicaret, sed omnes ex æquo tolleremus animos in cœlum, scientes illic esse caput nostrum. [3] Etenim, si nunc homines tantopere sibi placent [4] ob vestis colorem ac figuram, cumque sic quidam [5] ostentent sanguinem, aut præputium Christi, & lac matris Virginis, quid credis futurum, si mansisset in terris vestitus, comedens, loquens? Quæ dissidia parassent ista corporis peculiaria? AU. Credis illic, immorta-

logis disputandum relinquo. Sane non desunt Patres, qui per descensum ad inferos ipsam sepelitionem designari voluerunt.

1 Respice pag. 239.

2 Omnem spem ac fiduciam nostram.

3 Arguit ex comparatis.

4 Ob has enim nugas ipsi Monachorum ordines inter se acerrime digladiati sunt.

5 Sanguinem aut præputium Christi, lac Matriæ, reliquias crucis Christi, aliasque hujusmodi quæstus gratia fictas quisquilias non solum hic, sed præsertim infra deridet Autor in Colloquio *de peregrinantibus Religionis ergo*, quod vide sis.

mortalitate donatum, assidere dextrum patri? BA. Quidni? Utrerum omnium dominum, & totius regni paterni consortem. Hoc ipse discipulis promiserat futurum, atque hoc spectaculum exhibuit [1] Stephano [2] martyri suo. AU. Cur hoc exhibuit? BA. Ne nos ulla in re trepidaremus, gnari quam potentem [3] patronum ac dominum habeamus in cœlis. AU. Credis illum eodem corpore rediturum, ut judicet vivos & mortuos? BA. Quam habeo certum esse hactenus peracta, quæ Prophetæ de Christo prædixerant; tam habeo certum, fore quidquid in posterum voluit nos exspectare. Prior adventus exhibitus est juxta vaticinia Prophetarum, quo venit humilis, ut nos institueret ac servaret. Exhibebitur & secundus, quo veniet sublimis in gloria patris: ante cujus tribunal sisti cogentur omnes homines cujuscunque nationis, cujuscunque status, sive reges, sive plebeji, sive Græci, sive Scythæ: nec solum hi, quos adventus ille deprehendet vivos, verum etiam omnes, qui ab initio mundi usque ad illud tempus mortui fuerint, subito reviviscent, & suo quisque corpore conspiciet judicem. Aderunt & Angeli beati, tanquam famuli fideles: aderunt & [4] dæmones judicandi. Tum [5] è sublimi pronuntiabit illam inevitabilem sententiam, quæ diabolum, cum his qui illi adhæserunt, tradet æternis suppliciis, ut postea nulli possint nocere: pios transferet in consortium regni cælestis, tutos ab omni molestia: quamquam hujus adventus diem nobis ignotum

1 Qui lapidibus obruendus dicebat, ἰδοὺ θεωρῶ τοὺς οὐρανοὺς ἀνεῳγμένους, καὶ τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου ἐκ δεξιῶν ἑστῶτα τοῦ θεοῦ, i. e. *Ecce video cœlos apertos, & filium hominis stantem a dextris Dei*, Act. 7

2 Μάρτυς, Græce *testis*. Martyres vero peculiariter à Christianis dicuntur, qui non modo oris confessione, verum etiam sanguine suo Christi doctrinam sanciverunt, qualis hic Stephanus, mul-

que alii post eum. Μαρτυρέω, testor, testis sum.

3 Patronus est, qui accusati causam agit.

4 Δαίμων, Dæmon. Poëtis olim Deus vel Dea. Sed hic intellige δαίμονες ea significatione, qua sæpe in Scriptura Sacra sumuntur, nempe pro spiritibus noxiis & impuris, i. e. diabolis.

5 Ex alto, i. e. cœlo.

1 l. e.

tum esse voluit. AU. Nihil adhuc [1] morbi. Veniamus igitur ad tertiam personam. BA. Ut videtur. AU. Credis in Spiritum Sanctum? BA. Credo hunc esse verum Deum, una cum Patre & Filio. Credo hoc Spiritu afflatos fuisse, qui nobis veteris ac novi Testamenti libros tradiderunt, sine cujus ope nemo pervenit ad salutem. AU. Cur appellatur spiritus? BA. Quia quemadmodum corpora nostra vivunt halitu, ita tacito Sancti [2] Spiritus afflatu vivificantur animi nostri. AU. An non licet Patrem vocare spiritum? BA. Quid ni? AU. An non igitur confunduntur personæ? BA. Non. Nam Pater spiritus dicitur, quod sit incorporeus; id quod omnibus personis est commune juxta naturam divinam. Sed tertia persona dicitur spiritus, quod alicunde spiret, & per animos sese transfundat insensibiliter, velut à terra seu fluviis spirant auræ. AU. Cur personæ secundæ tribuitur nomen filii? BA. Ob perfectam naturæ & voluntatis similitudinem. AU. Est filius similior patri, quam Spiritus Sanctus? BA. Non, juxta naturam divinam; nisi quod hoc magis refert proprietatem patris, quod ab ipso quoque procedat Spiritus Sanctus. AU. Quid igitur prohibet Spiritum Sanctum appellari filium? BA. Quia cum divo [3] Hilario nusquam hunc lego genitum, nec hujus lego patrem; spiritum & procedentem lego. AU. Cur in Symbolo [4] solus pater dicitur Deus? BA. Quod hic, ut dixi, simpliciter sit auctor omnium quæ sunt, ac totius deitatis fons. AU. Dic clarius. BA. Quoniam nihil nominari potest, cujus origo non manat à patre. Siquidem hoc

1 I. e. errorum. Metaphora à corpore ad animam; contrarium est *sanum*. Vide paulo superius *sana quædam est hactenus tua oratio*.

2 Spiritus enim Græce πνεῦμα, à πνέω flo.

3 Hilarius ille Pictavienſis Episcopus, quem divum vocant, scripsit contra Arii dogmata.

4 Non dicitur in Symbolo solus Pater Deus, si distincte legas, & post *Credo in Deum* ponas punctum.

1 Ecclesia

hoc ipsum quod Filius ac Spiritus Sanctus Deus est, patri acceptum referunt. Præcipua igitur auctoritas, hoc est, originis ratio, est in patre solo, quod unus ille à nullo est. In Symbolo tamen sic accipi potest, ut Dei nomen non sit personæ proprium, sed in genere positum, quod mox per Patris, Filii, & Spiritus Sancti vocabulum distinguatur in unum Deum: quæ naturæ vox comprehendit Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, hoc est, tres personas. AU. Credis in sanctam [1] ecclesiam? BA. Non. AU. Quid ais? Non credis? BA. Credo sanctam ecclesiam, quæ est corpus Christi, hoc est, congregatio quædam omnium per universum orbem, qui consentiunt in fide Evangelica, qui colunt unum Deum Patrem, qui totam suam fiduciam collocant in ejus filio, qui eodem hujus Spiritu aguntur; à cujus consortio [2] resecatur quisquis admittit crimen [3] lethale. AU. Cur horres dicere; Credo in sanctam ecclesiam? BA. Quia sic me docuit divus [4] Cyprianus, in solum Deum esse credendum, in quo simpliciter omnem fiduciam reponimus. Ecclesia vero proprie dicta, quanquam non constat nisi ex bonis, tamen ex hominibus constat, qui ex bonis possunt fieri mali, qui falli possunt & fallere. AU. Quid sentis de communione sanctorum? BA. Hic articulus omnino non attingitur apud Cyprianum; cum ille nominatim indicet, quid in quibus ecclesiis plus habeatur aut minus. Sic enim ille connectit: *Sequitur namque post hunc sermonem, Sanctam ecclesiam, remissionem*

1 Ecclesia Gr. ἐκκλησία, proprie apud optimos quosvis Græcos scriptores ponitur pro cœtu, vel concione. In Christianorum vero scriptis, significat cœtum universum ad vitam æternam vocatum, & vere Christum profitentem.

2 Separatur, ἀφορίζεται.

3 Distinguunt Pontificii inter peccatum lethale & veniale. *Lethale* peccatum est, quo quis tam graviter peccat, ut mortem æternam mereatur. *Veniale*, non item.

4 Fuit Cyprianus, Episcopus Carthaginensis, Martyr anno post Christum natum 250. Hujus opera recensita edidit Erasmus.

non peccatorum, hujus carnis resurrectionem. Ac nonnullis videtur hæc pars non esse diversa à superiore; sed explicare & insigere quod modo dictum erat: *Sanctam ecclesiam:* ut nihil aliud sit ecclesia, quam unius Dei, unius Evangelii, unius fidei, unius spei professio, ejusdem spiritus, eorundem sacramentorum participatio: breviter, talis quædam communio bonorum omnium inter omnes pios, qui fuerunt ab initio mundi usque ad finem, qualis est membrorum corporis inter ipsa societas, sic ut aliorum benefacta subveniant aliis, donec viva sunt membra corporis. Cæterum extra societatem hanc ne propria quidem benefacta [1] conducunt cuiquam ad salutem, nisi reconcilietur sanctæ congregationi: & ideo sequitur, *Remissionem peccatorum:* quia extra ecclesiam non est ulla peccatorum remissio, quamtumvis homo maceret se pœnitentia, aut exerceat opera misericordiæ. In ecclesia, inquam, non [2] hæreticorum, sed sancta, hoc est, spiritu Christi congregata, est remissio peccatorum [3] per baptismum, & post baptismum, per pœnitentiam & claves ecclesiæ datas. AU. Ista sunt adhuc sani hominis. Credisne futuram carnis resurrectionem? BA. Frustra crederem cætera, si hoc, quod est omnium caput, non crederem. AU. Quid sentis, cum dicis carnem? BA. Corpus humanum, humana anima animatum AU. Num unaquæque anima recipiet suum corpus, quod exanime reliquerat? BA. Idem hoc, unde demigrarat. Et ideo in symbolo Cypriani additum est, *Hujus carnis.* AU. Qui fieri potest, ut corpus jam toties ex aliis in alia versum, possit idem reviviscere? BA. Qui potuit

1 Prosunt.

2 Quamvis *hæreticus*, Gr. αἱρετικὸς, proprie significat eum *qui electionem facit, vel eligit*, apud Ecclesiasticos scriptores tamen sumitur pro eo, qui à sana recepta doctrina aberrat. Utinam vero ob indignas causas isto stigmate viri pii & sancti non inusti essent!

3 Ita sentiunt Pontificii. Hæc & alia quæ sequuntur forte Erasmus ita scripsit, ne fulminis ictum, de quo in fronte hujus colloquii dixerit, sentiret.

1 *Pristinam*

potuit quidquid vult ex nihilo creare, an huic difficile sit, quod ex sua forma mutatum est, in [1] pristinam naturam restituere? Non anxie disputo, quibus modis id fiat: mihi satis est, quod qui promisit hoc futurum sic verax est, ut mentiri non possit; sic potens est, ut quidquid velit, nutu valeat efficere. AU. Quid opus erit tum corpore? BA. Ut totus homo glorificetur cum Christo, qui heic totus afflictus erat, pro Christo. AU. Quid sibi vult quod addit; Et vitam æternam? BA. Ne quis suspicetur nos sic revicturos, quemadmodum sub vernum tempus [2] reviviscunt ranæ, rursus morituræ. Nam heic duplex mors est: corporis, bonis ac malis omnibus communis; & animi. Mors autem animi peccatum est. At post resurrectionem piis erit æterna vita, tum corporis, tum animi. Nec enim corpus erit amplius obnoxium morbis, senio, fami, siti, dolori, lassitudini, morti, aut ulli incommodo; sed spirituale factum, spiritus arbitrio movebitur: nec animus deinceps ullis vitiis aut doloribus solicitabitur, sed sine fine fruetur summo bono, qui est Deus. Contra, impios mors æterna possidebit, tum corporis, tum animi. Nam & corpus habebunt ad æternos cruciatus immortale, & animum peccatorum stimulis semper afflictum absque spe [3] veniæ. AU. Credis hæc ex animo, ac serio? BA. Sic, inquam, ut mihi minus certum sit, te mecum colloqui. AU. Ego cum essem [4] Romæ, non omneis reperi æque sincere credentes. BA. Imo si excutias, reperies & alibi multos, quibus hæc non æque persuasa sunt. AU. Cum in

1 *Pristinam* hoc loco *puriorem* denotat.

2 Itane vero reviviscunt ranæ mortuæ? Credat hoc Judæus Apella, Erasme, non ego. Nisi forte eas mori prædicas, cum tempore hyemali sub limo latent, quo fugiant frigus.

3 Remissionis peccatorum.

4 Est enim proverbium, Belgis præcipue, *Quo quis propior Romæ, eo pejor Christianus.*

in tam multis & arduis consentias nobiscum, quid obstat quo minus totus sis noster? BA. Istud ex te audire cupio. Nam ipse mihi videor [1] orthodoxus, etiam si vitam meam nolim [2] præstare, tametsi sedulo conor, ut professioni respondeat. AU. Unde igitur tantum bellum inter [3] vos & orthodoxos? BA. Exquire. Sed heus, medice, si non pœnitet hujus proœmii, sumes nobiscum prandiolum, & à prandio per otium percunctaberis de singulis; [4] præbebo brachium utrumque: inspicies excrementa, tum crassiora tum liquidiora. Denique facies, si videbitur, totius hujus pectoris [5] anatomiam, quo certius de me judices. AU. [6] At religio est tecum mensam habere communem. BA. Atqui id solent medici, quo melius observent, quid affectent aut peccent ægroti. AU. Sed vereor ne videar favere hæreticis. BA. Imo nihil est sanctius, quam favere hæreticis. AU. Qui sic? BA. Nonne Paulus optavit [7] anathema fieri pro Judæis plusquam hæreticis? An non favet ille, qui studet ut quis ex malo fiat bonus, ex mortuo vivus? AU. Maxime. BA. Sic igitur fave, nec erit quod metuas. AU. Nunquam audivi ægrotum commodius respondentem. Age, duc me ad

1 *Orthodoxus* Gr. ὀρθόδοξος, cujus recta est opinio. Contrar. est hæreticus, de quo modo diximus.

2 Hoc loco *præstare* intelligendum est eo sensu, quo quis suo periculo vitium aut corripit, aut defendit.

3 Designat fortasse bellum inter Lutheranos & Pontificios, quod tunc temporis fervebat. Erasmus vero, ut ipse in vita sua testatur, *ab utraque parte discerptus est, dum utrique studet consulere.* Et sic fere fit in bello Theologorum, à quorum odio ut Deus se liberare velle. Melanchthonem Lutheri discipulum quotidie orasse non semel audivi.

4 Manet in eadem metaphora, qua usus est passim in hoc Colloquio, de corpore ad animam.

5 Dissectionem, incisionem, quæ Græcis ἀνατομὴ, eadem translatio. Sensus est, *Smam me inquiri à te de cæteris fidei articulis, & omnes meas opiniones in pectore latentes à te excuti.*

6 Id est, *non fas est.* Vide notas in pag. 104. supra. Hisce vero & sequentibus ridet superstitionem eorum, qui hæreticos, (modo hoc atro carbone notati sint) cane pejus & angue fugiunt.

7 Respice pag. 310. Locus vero Pauli extat Cap. 9. ad Roman. v. 3.

1 More

ad prandium. BA. [1] Medice accipieris, & ut decet apud ægrotum; & sic curabimus corpuscula cibo, ut nihilo secius animus idoneus sit ad disputandum. AU. Fiat [2] bonis avibus. BA. Imo malis piscibus fiet; nisi forte nunc oblitus es esse [3] diem Veneris. AU. Id quidem est [4] præter symbolum nostrum.

1 More medicis usitatio.

2 Id est, *feliciter*. Alter vero arripit jocum ex ambiguo. De bonis avibus dices ex notis in pag. 5.

3 Quo Papicolis carnes edere religio est.

4 Rursum jocus est ex ambigua vocis *Symboli* significatione. Dictum est supra in notis ad pag. 212. dici quoque *symbolæ* conviviorum. *Symbolum nostrum*, i. e. de quo nos collocuti sumus, scil. Apostolorum, ut vocant.

[1] Γεροντολογία, *sive* [2] Ὄχημα.

[3] Eusebius, Pampirus, Polygamus, Glycion.

EU. QUas [4] novas aves heic ego video? [5] Nisi me fallit animus, aut [6] parum prospiciunt oculi, video tres veteres congerrones meos confidentes Pampirum, Polygamum, & Glycionem. Certe ipsi sunt. PA. Quid tibi vis cum tuis [7] vitreis oculis, fascinator? Congredere propius, Eusebi. PO. Salve multum exoptate Eusebi. GL. Bene sit tibi, vir optime. EU. Salvete vos omnes una salute, pariter mihi carissima capita. Quis Deus, aut

1 Γεροντολογία, i. e. Colloquium Senile.

2 Ὄχημα Gr. currus.

3 Scite pro vario vitæ genere singulis personis decora nomina accommodavit Autor noster. Eusebius enim idem est quod *pius*. Pampirus, *omnia expertus*. Polygamus, *qui sæpe duxit uxorem*. Glycion, *dulcis*.

4 Alludit ad peregrinas aves.

5 Nisi me fallit animus aut parum prospiciunt oculi, phrasis Terentiana est in Phorm. Act. 5. Sc. 1.

6 Non recte prospiciunt, i. e. nisi hallucinor.

7 Significat vitrea perspicilla. Recte addit per jocum *fascinator*. Fingitur enim esse veneficii genus, quo homines oculorum maleficio ad extremam miseriam rediguntur. *Fascinum* dictum, à βασκαίνω *fascino*, invideo.

aut casus Deo felicior, nos conjunxit? Nam nemo nostrum vidit alium annis, opinor, jam quadraginta. [1]Mercurius caduceo suo non potuisset melius nos in unum contrahere. Quid heic agitis? PA. Sedemus. EU. Video; sed qua de caussa? PO. Operimur currum, qui nos devehat Antverpiam. EU. Ad mercatum? PO. Scilicet; sed spectatores magis, quam negotiatores: quanquam aliis aliud est negotii. EU. Et nobis eodem est iter. Verum quid obstat, quo minus eatis? PO. Nondum convenit cum aurigis. EU. [2]Difficile genus hominum. Sed visne, ut illis [3]imponamus? PO. Liberet, si liceret. EU. Simulemus nos velle simul abire pedites. PO. Citius credant cancros volaturos, quam nos tam [4]grandes pedibus hoc iter confecturos. GL. Vultis rectum verumque consilium? PO. Maxime. GL. Illi potant: id quo faciunt diutius, hoc plus erit periculi, necubi nos dejiciant in lutum. PO. [5]Admodum diluculo venias oportet, si sobrium aurigam velis. GL. Quo maturius perveniamus Antverpiam, nobis quatuor solis currum stipulemur. Contemnendum censeo tantillum pecuniæ. Hoc damni multis commoditatibus pensabitur, sedebimus commodius, ac mutuis fabulis suavissime transigemus hoc iter. PO. Recte suadet Glycion; ut in vehiculo quoque jucundus comes pro vehiculo sit. Quin & juxta Græcorum proverbium, liberius loquemur, [6]non de plaustro sed

1 De Mercurio non semel supra. Fingitur is armatus Caduceo, i.e. virga, duobus serpentibus cincta, qua non solum dat & adimit somnos, & animas evocat Orco, ut ait Virg. lib. 4. Æneid. rursum quas velit in Tartara mittit; sed qua utebatur quoque ad dissidia & discordias tollendas. Erat enim pacis signum.

2 Aurigæ ob morositatem & vinolentiam semper male audiunt.

3 *Imponere* hoc loco significat *fallere, decipere*, ab hoc dicuntur *impostores*.

4 Scil. *ætate*, seu *natu*.

5 Multo mane.

6 *De plaustro* loqui dicitur, qui quæ libet in quemvis opprobria jacit. Priscorum enim mos fuit in plaustris fabulas agere, antequam scena esset inventa. Hinc comœdiæ priscæ magna libertas, dum Poëtæ, circa vicos vehiculis circumacti, palam tum cives, tum Magistratus,

sed in plaustro. GL. [1] Transegi, conscendamus. Vah, nunc mihi libet [2] vivere, posteaquam ex tanto [3] intervallo videre contigit mihi carissimos olim sodales. EU. Ac mihi videor repubescere. PO. Quot annos supputatis, ex quo Lutetiæ conviximus? EU. Arbitror haud pauciores quadraginta duobus. PA. Tum videbamur omnes æquales. EU. Ita ferme eramus, aut si quid erat [4] discriminis, perpusillum erat. PA. At nunc quanta inæqualitas! Nam Glycion nihil habet senii, hujus avus videri queat Polygamus. EU. Profecto sic res habet. Quid rei in causa? PA. Quid? Aut hic cessavit ac restitit [5] in cursu, aut ille antevertit. EU. Ohe, non cessant anni, quantumvis cessent homines. PO. Dic bona fide, Glycion, quot annos numeras? GL. Plures quam [6] ducatos. PO. Quot tandem? GL. Sexaginta sex. EU. O vere [7] Τιθωνὲ γῆρας, quod ajunt. PO. Sed quibus tandem artibus remoratus es senectutem? Nam neque canities ad est, neque rugosa cutis: vigent oculi; nitet [8] utrinque dentium series; color vividus est, corpus [9] succulentum. GL. Dicam artes meas; modo tu vicissim narres nobis artes tuas, quibus senectutem

stratus, immo & Deorum turbam versibus suis acriter perstringebant. Eadem fuit quoque origo carminum tragicorum, ut inquit Horatius in epistola de Arte Poët. *Ignotum Tragicæ genus invenisse Camænæ Dicitur, & plaustris, vexisse poemata Thespis, Quæ canerent agerentque peruncti faecibus ora.*

1 *Transigere* (quod etiam significat *ducere*, ut *transigere æstatem*, &c.) idem est quod *pacisci*, uti hoc loco. Non ignoro tamen Ulpianum distinguere inter *transigere* & *pacisci*. Sed hæc Jurisconsultis relinquo.

2 Suaviter vivere, i. e. gaudere.

3 Scil. temporis

4 Differentiæ.

5 Metaphora ab antiquorum certaminibus in Circo.

6 Ut risum moveat, utitur voce barbara. Rectius hunc nummum dicas *aureum*. Vide infra *Alcumist.*

7 Τιθωνὲ γῆρας, i. e. Tithoni senectus, quæ proverbio dicitur de longæva, sed tamen florida senectute. Fingitur à Poëtis Tithonius Auroræ maritus, quem illa rapuit, atque ita amavit, ut ei à Parcis immortalitatem impetraverit, eumque jam senem factum succo suo juventuti quodammodo restituerit: oblita vero juventutis perpetuitatem poscere, ille exaruit, atque in cicadam versus est. Vid. Ovid. Metamorph. lib. 9.

8. Scil. superne, & inferne.

9 Succi plenum.

tem acceleraſti. PO. [1]Recipio, me facturum. Dic igitur, quo te contuliſti relicta Lutetia? GL. Recta in patriam. Illic commoratus fere annum, diſpicere cœpi de deligendo vitæ genere; quam ego rem non leve momentum habere credo ad felicitatem: circumſpiciebam quid cuique ſuccederet, quid ſecus. PO. Miror, tibi tantum fuiſſe mentis, cum Lutetiæ nihil fuerit te nugacius. GL. Tum ferebat ætas. Et tamen, ô bone, non heic [2]meo Marte rem omnem geſſi. PO. Mirabar. GL. Prius quam quidquam aggrederer, adii quendam è civibus natu grandem longo rerum uſu prudentiſſimum, totiusque civitatis teſtimonio probatiſſimum, ac meo quidem judicio etiam feliciſſimum. EU. Sapiebas. GL. Hujus uſus conſilio, duxi uxorem. PO. Pulcre dotatam? GL. Dote mediocri, ac plane, juxta proverbium, [3] τὴν κατ' ἐμαυτόν. Nam & mihi [4] erat res mediocris. Ea res mihi plane [5] ceſſit ex animi ſententia. PO. Quot annos tum eras natus? GL. Viginti ferme duos. PO. O te felicem! GL. Non totum hoc fortunæ debeo, ne quid erres. PO. Quo ſic? GL. Dicam. Alii prius diligunt quam deligant? ego judicio delegi quam diligerem, & tamen hanc magis duxi [6] ad poſteritatem, quam ad voluptatem. Cum ea vixi ſuaviſſime annos non plures octo. PO. Reliquit [7] orbum? GL. Imo ſupereſt [8] quadriga liberorum; filii duo, filiæ totidem.

1 Promitto.

2 Id eſt propriis meis viribus. Quoties enim nullis auxiliis adjuti, noſtropte ingenio, propriisque viribus rem peragimus, *noſtro Marte* peragere dicimur, translatum à prælïantibus.

3 I. e. *quæ erat pro mea ſorte* vel *mihi æquales*. Proverbium Pittaci vide. *æqualem tibi ducito.*

4 Opes modicæ. *Res* pro cenſu, ſæpius alibi.

5 Evenit.

6 Ad poſteros relinquendos.

7 Sup. *liberis*, nam ex ſequenti conſtat, autorem de ἀτεκνίᾳ loqui. Quid *orbus* & *orbitas* ſignificent, annotavimus in Colloq. *Proci & Puellæ* pag. 109.

8 *Quadriga* proprie eſt currus quatuor equis junctus, Romanis olim uſitatiſſimus. Autor hic ſumit pro numero quaternario.

1 *Priva-*

totidem. PO. [1]Privatus ne vivis, an magistratu fungeris? GL. Est mihi munus publicum, poterant contingere majora: verum hoc mihi delegi, quod tantum haberet dignitatis, ut me vindicaret à contemptu; cæterum minime molestis negotiis obnoxium. Ita nec est, quod quisquam objiciat, me [2]mihi vivere; & est unde nonnunquam & amicis [3]dem operam. Hoc contentus, nihil unquam magis [4]ambii. Verum sic gessi magistratum, ut illi ex me dignitas accreverit. Hoc ego pulcrius duco, quam ex muneris splendore dignitatem [5]mutuo sumere. EU. Nihil verius. GL. Sic inter cives meos consenui, carus omnibus. EU. Istuc vero difficillimum est, cum non abs re dictum sit; *Qui neminem habet inimicum, eum nec amicum habere quenquam: & felicitatis semper invidiam esse comitem.* GL. Insignem felicitatem comitari solet invidia: [6]mediocritas tuta est. Et hoc mihi perpetuum studium fuit, ne quid mei commodi ex aliorum incommodis compararem. Illam quam Græci vocant [7] ἀπραξίαν, quantum licuit, amplexus sum. Nullis negotiis ingessi memet; sed præcipue continui me ab his, quæ sine offensa multorum susci pi non poterant. Itaque si juvandus erit amicus, sic illi benefacio, ut hac de caussa nullum mihi parem inimicum. Et si quid ortum fuerit [8]simultatis alicunde, aut purgatione lenio, aut officiis extinguo aut dissimulatione patior intermori: à contentione semper abstineo: quæ si inciderit, malo rei, quam amicitiæ

1 *Privatus*, qui nullum gerit Magistratum. *Privatus* quoque idem est quod peculiaris, proprius.

2 Q. d. me mihi soli vivere, ita ut nulli aliqua in re operam dem.

3 *Operam dare alicui*, i. e. aliquem adjuvare.

4 Petii.

5 Respice notas in Colloq. *Pseud.* & *Phyl.* pag. 156.

6 Juxta illud Horatii lib 2. Od. 10. *Auream quisquis mediocritatem Diligit, tutus caret obsoleti Sordibus tecti, caret invidenda Sobrius aula.*

7 Ἀπραξία, i. e. cessatio à rebus agendis, otium. Hinc proverbialis versus, ἀνάπαυσις ἐστι τῶν κακῶν ἀπραξία,

8 Simulatæ & tectæ inimicitiæ.

amicitiæ facere jacturam. In cæteris [1] Mitionem quendam [2] ago, [3] nulli lædo os, arrideo omnibus, saluto benigniter: nullius animo repugno, nullius institutum aut factum damno, nemini me præfero; patior [4] suum cuique pulcrum esse. [5] Quod taceri velim, nemini credo. Aliorum arcana non scrutor; & si quid forte novi, nunquam [6] effutio. De his qui præsentes non sunt, aut taceo, aut amice loquor, ac civiliter. Magna pars simultatum inter homines nascitur ex linguæ intemperantia. Alienas simultates nec excito; nec alo; sed ubicunque datur opportunitas, aut extinguo, aut mitigo. His rationibus hactenus vitavi invidiam, ac benevolentiam civium meorum alui. PA. Non sensisti gravem cœlibatum? GL. Mihi quidem nihil accidit acerbius in vita unquam uxoris morte; ac vehementer optassem illam una mecum consenescere, liberisque communibus frui: sed quando aliter visum est [7] superis, judicavi sic magis [8] expedire utrique: neque caussam putavi, cur me inani luctu discruciarem, præsertim cum id nihil prodesset [9] defunctæ. PO. Nunquamne incessit libido [10] repetendi matrimonii, præsertim cum istud tibi feliciter cessisset? GL. Incessit: sed liberorum caussa duxeram uxorem,

1 I. e. *mitem*, qualem exhibet nobis Terentius in Adelphis: per Antonomasiam.

2 Fingo me, repræsento. Vide infra notas in *Ichthyoph.*

3 *Nulli lædo os, arrideo omnibus.* Phrases sunt ex Terentio, quem Erasmus in succum & sanguinem vertit. *Nulli lædere os*, i. e. nullum lædere præsentem; vel nemini coram adversari. Vide Ter. Adelph. Act. 5. Sc. 4.

4 *Suum cuique pulchrum*, sententia est in eos, quibus sua, qualiacunque sunt, tamen studio quodam magis quam judicio placent. Est autem à communi mortalium ingenio sumpta, quibus usque insita est illa φιλαυτία, ut neminem tam modestum & oculatum invenias, quin in propriis æstimandis, quadam animi propensione corruptus cæcutiat.

5 Juxta illud vulgare: *quod vis esse tacitum, dixeris nemini.*

6 Garriendo divulgo. Verbi originem quære supra in notis ad pag. 283.

7 Diis.

8 Utile esse.

9 Uxori meæ mortuæ. *Defungi* scil. *vita*, i. e. mori.

10 Vel, ut aiunt, transeundi ad secundas nuptias.

uxorem, liberorum cauſſa rurſus non duxi. PO. At miſerum eſt cubare ſolum totas noctes. GL. Nihil eſt difficile volenti. Tum cogita, quantas etiam habeat commoditates cœlibatus. Quidam omni ex re decerpunt ſi quid eſt incommodi, qualis fuiſſe videtur [1] Crates ille, cujus titulo fertur [2] epigramma, vitæ mala colligens. Nimirum his placet illud; [3] Optimum non naſci. Mihi magis arridet Metrodorus, undequaque decerpens ſi quid ineſt boni. Sic enim fit vita dulcior. Et ego ſic induxi animum, ut nihil vehementer vel oderim, vel expetam. Ita fit, ut ſi quid obtingat boni, non efferar, aut inſoleſcam: ſi quid [4] decedat, non admodum crucier. PA. Næ tu philoſophus es, vel ipſo [5] Thalete ſapientior, ſi quidem iſtud potes. GL. Si quid [6] ægritudinis obortum eſt animo, ut multa fert hujusmodi vita mortalium, protinus ejicio ex animo, ſive ſit ira ex offenſa, ſive quid aliud indigne factum. PO. At ſunt quædam injuriæ, quæ vel placidiſſimo [7] moveant ſtomachum: tales ſunt frequenter & famulorum offenſæ. GL. Nihil ego patior reſidere in animo meo. Si mederi queam, medeor: ſin minus, ſic cogito. Quid proderit me ringi, re nihilo melius habitura. Quid multis? Patior ut hoc mox impetret à me ratio, quod paullo poſt tempus eſſet impetraturum. Certe nullus eſt tantus animi dolor, quem patiar mecum ire cubitum. EU. Nihil mirum, ſi tu non ſeneſcis, qui tali ſis animo. GL. Atque

1 Crates ille Philoſophus Thebanus, Diogenis diſcipulus.

2 Ἐπίγραμμα, Gr. inſcriptio. Illud nomen habent fere carmina, quæ paucis & ſuccinctis verbis multum ſpirant acuminis.

3 Vide prov. Reſpicit autor ad celebria duo epigrammata Græca, unum Poſidippi, vel ut aliis placet, Cratetis Cynici, quo vitæ humanæ innumerabilia incommoda recenſet: alterum Metrodori, quo è diverſo ejusdem commoditates proponit.

4 Mihi adimatur. Terent. Adelph. Act. 5. ſc. 3. *De ſumma nihil decedet.*

5 Thales unus ex ſeptem Græciæ ſapientibus.

6 Doloris.

7 *Stomachus* ſæpiſſime pro ira, indignatione, vel faſtidio. Hinc *alicui ſtomachum movere* dicitur, pro *aliquem ad iracundiam excitare.*

Atque adeo ne quid reticeam apud amicos, cum primis cavi, ne quid flagitii committerem, quod vel mihi, vel liberis meis probro esse posset. Nihil enim irrequietius animo sibi male conscio. Quod si quid culpæ admissum est, non eo cubitum prius, quam me Deo reconciliaro. Veræ tranquillitatis, seu, ut Græce dicam, [1] εὐθυμίας fons est, bene convenire cum Deo. Nam qui sic vivunt, his nec homines magnopere nocere possunt. EU. Num quando te cruciat metus mortis? GL. Nihilo magis quam macerat dies nativitatis. Scio moriendum: ista solicitudo fortassis adimat mihi aliquot vitæ dies, certe nihil possit adjicere. Itaque totam hanc curam superis committo; ipse nihil aliud curo, quam ut bene suaviterque vivam. Non potest autem suaviter, nisi qui bene. PA. At ego senescerem tædio, si tot annos degerem in eadem urbe, etiamsi Romæ contingat vivere. GL. Habet quidem loci mutatio voluptatis nonnihil: longinquæ vero peregrinationes ut prudentiam addunt fortassis, ita plurimum habent periculorum. Mihi videor tutius totum orbem obire in tabula [2] geographica, meque paulo plus videre in historiis, quam si viginti totos annos, ad [3] Ulyssis exemplum, per omneis terras mariaque volitarem. Habeo prædiolum, quod abest ab urbe non plusquam duobus millibus passuum: ibi nonnunquam ex urbano fio rusticus: atque ibi recreatus, redeo novus hospes in urbem: nec aliter saluto ac salutor, quam si renavigassem ex insulis nuper inventis. EU. Non adjuvas valetudinem [4] pharmacis? GL. Nihil mihi rei cum medicis. Nec incidi venam unquam, nec devoravi

[1] cata-

1 Εὐθυμία, est animi tranquillitas.
2 Quæ terrarum orbem describit.
3 Qui post excidium Trojæ reversurus in patriam totos viginti annos erravit. Lege Homerum, & respice Colloquium *de captandis sacerdotiis*.
4 Φάρμακον, est medicamentum. It. venenum.

[1] catapotia, nec hausi potiones. Si quid oboritur lassitudinis, [2] moderatione victus, aut rusticatione propello malum. EU. [3] Nihilne tibi cum studiis? GL. Est, nam in his est præcipua vitæ oblectatio: verum his oblecto me, non macero. Siquidem vel ad voluptatem studeo, vel ad utilitatem vitæ, non autem ad ostentationem. A cibo sumpto aut pascor literatis fabulis, aut lectorem adhibeo: nec unquam incumbo libris ultra horam, tum surgo, &, arrepta [4] testudine, paulipser obambulans in cubiculo, vel cantillo, vel repeto mecum quid legerim, &, si in promptu est congerro, refero, mox ad librum redeo. EU. Dic mihi bona fide, nullane sentis incommoda senectutis, quæ [5] feruntur esse plurima? GL. Somnus aliquanto deterior est, nec perinde tenax memoria, nisi quid infixero. [6] Liberavi fidem meam. Exposui vobis [7] magicas artes meas, quibus alo juventutem meam: nunc referat nobis pari fide Polygamus, unde tantum collegerit senii. PO. Equidem nihil celabo tam fidos sodales. EU. Narrabis etiam tacituris. PO. Cum [8] agerem Lutetiæ, quam non abhorruerim ab [9] Epicuro, nostis ipsi. EU. Sane meminimus: sed arbitrabamur te mores eos una cum adolescentia Lutetiæ relicturum. PO. Ex [10] multis quas illic adamaram, unam mecum abduxi domum, eamque gravidam.

1 Καταπότια, intelligit trochiscos, sive pilulas quas deglutimus, globuli medicati.

2 Temperantia.

3 Supp. rei, vel negotii est.

4 I. e. *Cithara*. Citharam testudinem dictam volunt, quod Mercurius eam de testudinis testa confecit.

5 Dicuntur.

6 Id est persolvi, quod debui: etenim qui promittit obstringit fidem suam.

7 *Magicus* dicitur à *mago*. Plenioremnominis hujus explicationem dixi in notis pag. 313. Hic vero ironice artes suas vocat *magicas*, ut respondeat ei, qui interrogaverat supra; *quibus artibus remoratus esset senectutem suam*.

8 Degerem.

9 A vita Epicurea, i. e. *voluptuaria*. Epicurus summum bonum constituit in voluptate. Hinc homines voluptuarii dicti *Epicurei*, & *Epicuri de grege porci*, ut ait Horatius. Quamvis non ea mens Epicuri fuerit, utpote qui ipse vitæ continentissimæ voluptatem animi, non corporis commendabat.

10 Puellis sc.

dam. EU. In ædes paternas? PO. Recta; sed mentitus eam esse conjugem cujusdam amici mei, qui mox esset venturus. GL. Id credidit pater? PO. Imo rem [1] olfecit intra quatriduum. Mox sæva [2] jurgia. Nec tamen interim temperabam à conviviis, ab alea, cæterisque malis artibus. Quid multis? Cum pater non faceret objurgandi finem, negans se tales gallinas alere velle domi; ac subinde minitans [3] abdicationem, [4] verti solum, & cum gallina mea gallus alio demigravi: ea mihi [5] genuit aliquot pullos. PA. Unde [6] res suppetebat? PO. Nonnihil furtim dabat mater, ac præterea [7] conflatum est æris alieni plus satis. EU. Reperiebantur tam fatui, ut tibi crederent? PO. Sunt qui nullis credant libentius. PA. Quid tandem? PO. Tandem ubi pater serio pararet abdicationem, interceserunt amici, ac bellum hoc his legibus composuerunt, ut nostratem uxorem ducerem, cum Galla [8] divortium facerem. EU. Erat uxor? PO. Interceserant [9] verba futuri temporis, sed accesserat congressus præsentis temporis. EU. Qui licuit igitur ab illa divertere? PO. Postrescitum est, meæ Gallæ [10] Gallum esse maritum, unde pridem se subduxerat. EU. Ergo nunc habes uxorem? PO. Non, nisi præter hanc octavam. EU. Octavam? Non

1 *Olfacere* hic methaphorice intelligendum est pro *præsentire*, vel *deprehendere*. Ita Terentius in Adelphis, *an non sex totis mensibus prius olfeciſſem?* Act. 3. Sc. 30.

2 Supp. orta sunt.

3 *Abdicatio* derivatur ab *abdicare*, quod proprie est, ex familia ejicere. Differentia inter *abdicare* & exhæredare est, quod *abdicare* significat filium expellere à bonis, dum pater vivit; *exhæredare* vero fit post mortem. Abdicare tamen gravius est, cum exhæredationem quoque in se contineat.

4 *Solum*, i. e. terram. *Vertere solum* dicuntur exsules; qui demigrant in aliam regionem.

5 Peperit.

6 Pecunia.

7 *Conflare æs alienum*, i. e. debita contrahere.

8 Respice pag. 230.

9 Alludit ad sententiam jurisconsultorum, quam sequuntur & Theologi. si quis dicat puellæ, *ducam te*, & mox habeat rem cum illa, ratum est matrimonium, perinde quasi dixisset *duco te*.

10 Nota lusum in voce *Gallus*, qui est in Gallia natus, vel gallus gallinaceus.

Non sine augurio dictus es [1] Polygamus. Fortassis steriles omnes decessere. PO. Imo nulla non reliquit aliquot [2] catulos domi meæ. EU. Ego malim totidem gallinas, quæ mihi ponerent ova domi. Non tædet [3] Polygamiæ? PO. Adeo tædet, ut si hæc octava moreretur hodie, perendie ducerem nonam. Imo hoc me male habet, quod non liceat habere binas, aut ternas, cum unus gallus gallinaceus tot gallinas possideat. EU. Equidem haud miror, gallinacee, si parum pinguisti, quodque tantum senii tibi collegeris. Nihil enim æque accelerat senectutem, quam immodicæ atque intempestivæ compotationes, impotentes amores mulierum, & [4] salacitas immoderata. Sed quis alit familiam? PO. Ex obitu parentum accessit res mediocris, & gnaviter laboratur manibus. EU. Descivisti igitur à litteris? PO. Plane [5] ab equis, quod ajunt, ad asinos; ex [6] heptatechno factus [7] monotechnus faber. EU. Miser, toties tibi ferendus erat luctus, toties cœlibatus? PO. Nunquam vixi cœlebs ultra dies decem, semperque nova nupta veterem luctum expulit. Habetis bona fide vitæ meæ summam. Atque utinam Pampirus narret nobis suæ quoque vitæ fabulam, qui satis belle portat ætatem. Nam, ni fallor, me duobus aut tribus annis est grandior. PA. Dicam equidem, si vobis audire vacat tale somnium. EU. Imo volupe fuerit audire. PA. Ubi domum rediissem, statim pater senex urgere cœpit, ut aliquod vitæ genus amplecterer,

1 I. e. qui sæpe duxit uxorem.

2 Liberos, quos & *pullos* vocavit.

3 Πολυγαμία, nuptiarum multitudo.

4 Salacitas à *salax*, i. e. libidine pruriens, & cujus membrum facile salit.

5 Ἀφ' ἵππων ἐπ' ὄνους inquiunt Græci. Proverbium spectat eos, qui à studiis honestioribus ad deteriora deflectunt: veluti si quis ex medico vespillo fiat.

6 *Heptatechnus* qui septum artium peritus est, totidem enim numerantur artes liberales, ex ἑπτὰ septem, & τέχνη ars.

7 *Monotechnus*, qui unius artes peritus est, ex μόνος, solus, unicus, & τέχνη ars.

rer, unde nonnihil quæstus accederet rei familiari: ac post longam consultationem placuit negotiatio. PO. Miror hoc vitæ genus arrisisse potissimum. PA. Eram natura [1] sitiens cognoscendi res novas, varias regiones, urbes, linguas, ac mores hominum. Ad id maxime videbatur [2] apposita negotiatio. Quibus ex rebus nascitur & prudentia. PO. Sed misera, videlicet quæ plerumque magnis malis sit illis emenda. PA. Sic est; itaque pater numeravit [3] sortem satis amplam, ut [4] dextro Herculé, ac bene fortunante [5] Mercurio, negotiationem [6] auspicarer. Simulque ambiebatur uxor cum ampliſſima dote, sed ea forma, quæ vel indotatam commendare poterat. EU. Successit? PA. Imo prius quam redirem domum, periit & [7] sors & usura. EU. Naufragio fortassis. PA. Plane naufragio. Nam impegimus in scopulum quavis [8] Malea periculosiorem. EU. In quo mari occurrit iste scopulus, aut quod habet nomen? PA. Mare non possum dicere, sed scopulus plurimorum infamis exitiis, Latine dicitur alea; quomodo vos Græci nominetis, nescio. EU. O te stultum! PA. Imo stultior pater, qui tantam summam crederet adolescenti. GL. Quid deinde factum est? PA. Nihil actum: sed cœpi cogitare de suspendio. GL. Adeon' erat Pater implacabilis? Nam res sarciri potest, & venia datur ubique [9] protopiro; multo magis [10] Pampiro debebaverum etiam usura, quæ ex usu pecuniæ à debitoribus dari solet.

1 Avidus.

2 Accommoda.

3 Satis magnam pecuniæ vim.

4 Alludit ad verba Persii. Herculi vovebatur decima bonorum pars, ita illo favente veteres rem domesticam prosperari credebant.

5 Qui non solum Deorum nuncius, sed & Mercatorum & furum Deus.

6 Inciperem, aggrederet, respice pag. 5.

7 *Sors & usura perit*, i. e. non solum prima pecunia, mihi à patre numerata,

8 *Malea* Laconiæ promontorium est, periculosissima navigatione, & multis naufragiis infame, ita ut in proverbium abierit. Nota paranomasiam in *Malea* & *alea*.

9 *Protopirus* qui primum experitur. Proverbium est συγγνώμη πρωτοπείρῳ, i. e. primum experienti ignoscendum.

10 *Pampirus* qui omnia expertus est.

1 Initia

debebatur. PA. Verum fortasse narras, sed interim miser excidi ab uxore. Nam parentes puellæ, simul atque cognoverunt hæc [1] auspicia, renunciarunt affinitatem. Et amabam, ut qui perditissime. GL. Miseret me tui. Sed quid interim consilii tentatum est? PA. Id quod solet in rebus desperatis. Pater [2] abdicabat, perierat [3] res, perierat uxor, undique audiebam, gurges [4] nepos, helluo. Quid plura? Serio mecum deliberabam, an suspenderem me, an aliquo conjicerem memet [5] in monasterium. EU. Crudele consilium. Scio utrum elegeris mitius [6] mortis genus. PA. Imo quod mihi tunc visum est crudelius; adeo mihi displicebam totus. GL. Atqui complures eo se dejiciunt, ut suavius vivant. PA. Corraso viaticulo, furtim me subduxi procul à patria. GL. Quo tandem? PA. In Hiberniam. Illic factus sum [7] Canonicus ex horum genere, qui [8] extime linei sunt, intime lanei. GL. Apud Hibernos igitur [9] hibernasti? PA. Non, sed duos menses apud hos versatus navigavi in Scotiam. GL. Quid [10] te offendit apud illos? PA. Nihil, nisi quod institutum illud mihi videbatur mitius quam pro meritis ejus, qui non uno suspendio dignus erat. EU. Quid in Scotia designatum est? PA. Illic ex lineo factus sum [11] pelliceus apud [1] Car-

1 Initia. *Auspicium* dictum est quasi *avispicium*, Augures enim ex avium volatu, cantu & pastu futura prædicere solebant.

2 Respice notas in pag. 354.

3 Pecunia.

4 Prodigus.

5 Juxta Belgarum proverbium: Desperatio facit militem aut monachum.

6 Ridet autor, quasi vero mundo mortui essent, qui sese in monasterium conjiciunt.

7 *Κανονικὸς*, regularis. Canonicorum originem referunt ad Gelasium I Pontificem circa annum 495. Canonicorum discrimen docent infra notæ in *Peregrin. Relig. ergo.*

8 Incedunt enim Canonici vestiti alba tunica, cum lineâ veste sub nigro pallio. Integumentum, quod humeris incumbit, velat cervicem & totum corpus, excepta fronte.

9 Hyemem transegisti.

10 Tibi displicuit.

11 Carthusii monachi incedunt vestiti interiore toga pellicea, exteriore pallio nigro, cui inducta est tunica alba, caput tegitur cucullo.

[1] Carthusios. EU. Homines plane mundo mortuos. PA. Ita mihi visum est, cum audirem illos canentes. GL. Quid? canunt etiam mortui? Quot menses apud illos egisti Scotos? PA. Propemodum sex. GL. O constantiam! EU. Quid illic offendit? PA. Quia mihi visa est vita segnis ac delicata. Deinde multos illic reperi non admodum sani cerebri, ob solitudinem, ut arbitror. Mihi parum erat cerebri; verebar ne totum periret. PO. Quo deinde devolasti? PA. In Galliam. Illic reperi quosdam totos pullatos, ex instituto divi [2] Benedicti, qui colore vestis testantur se lugere in hoc mundo; & inter hos, qui pro summa veste [3] cilicium ferrent reti simile. GL. O gravem corporis macerationem! PA. Heic egi menses undecim. EU. Quid obstitit, quo minus illic maneres perpetuo? PA. Quia plus illic reperi [4] cæremoniarum, quam veræ pietatis. Præterea audieram esse quosdam his multo sanctiores, quos [5] Bernardus ad severiorem disciplinam revocasset, pulla veste mutata in candidam: apud hos vixi menses decem. EU. Heic quid offendebat? PA. Nihil admodum. Nam hos reperi [6] sat commodos sodales. Sed movebat me Græcorum proverbium? [7] δεῖ τὰς χελώνας ἢ φαγεῖν, ἢ μὴ φαγεῖν. Itaque decretum

1 Monachi Carthusii, seu Carthusiani, unde ita dicta sint, lege in colloquio *Militis & Carthusiani.*

2 Quem postquam diu in deserto latuerat, Cassini vixisse ferunt, multosque monachos, ut suo more viverent, tribus votis astrinxisse. Obiit is circa annum 540.

3 Vestimentum ex pilis hircorum vel caprorum, quæ magnis villis sunt in Cilicia.

4 *Cæremoniæ* vel *Cærimoniæ* sunt sacrorum ritus. Earum originem (ut inquit Festus lib. III.) ab oppido Cære, alii à caritate dictam judicant. His Pontificiorum sacra abundant.

5 Vixit primum Bernardus cum XXX. Monachis in Cœnobio Cistertiensi, deinde Clarevallensi. Ab hoc originem ducunt monachi, quos Bernardinos vocant.

6 Forte ad cuticulam curandam.

7 Δεῖ τὰς χελώνας ἢ φαγεῖν, ἢ μὴ φαγεῖν, id est, *oportet testudines edere, aut non edere.* Proverbium dicitur in eos, qui negotium susceptum frigide tractant, neque explicantes, neque relinquentes. Ajunt enim testudinis carnem, si modice edatur, ventris tormina facere, rursum si copiose, lenire. Quod an verum sit, ego non dixero.

1 Mo-

cretum erat aut non esse monachum, aut insigniter esse monachum. Acceperam esse quosdam [1] Brigidenses, homines plane cœlestes; ad hos me contuli. EU. Quot menses illic egisti? PA. Biduum, nec id sane totum. GL. Usque adeo placuit hoc vitæ genus? PA. Non recipiunt, nisi qui mox obstringat se professioni. At ego nondum adeo insaniebam, ut facile me præberem capistro, quod nunquam liceret excutere. Et quoties audiebam canentes virgines, cruciabat animum uxor erepta. GL. Quid deinde? PA. Ardebat animus amore sanctimoniæ, nec usquam satisfiebat animo meo. Tandem obambulans incidi in quosdam [2] præferentes crucem. Hoc signum mihi protinus arrisit; sed remorabatur electionem varietas: alii gestabant albam, alii viridem, alii versicolorem, alii simplicem, alii duplicem, nonulli quadruplicem, alii alia atque alia figura variatam. Ego ne quid intentatum relinquerem, omnes ferme formas gessi. Verum ipsa re comperi, longe aliud esse circumferre crucem in pallio seu tunica, quam in corde. Tandem fessus inquirendo, sic mecum cogitabam: ut semel omnem sanctimoniam assequar, petam [3] terram sanctam, ac redibo domum sanctimonia onustus. PO. Num eo profectus es? PA. Maxime. PO. Unde suppetebat viaticum? PA. Demiror istud nunc denique tibi venire in mentem, ut rogares, ac non multo ante percunctatum fuisse. Sed nosti proverbium, [4] τὸ τέχνιον est crucigeri?

1 Monachi Brigidenses & monachæ origenem ducunt à *Brigida*, quam sanctissimam ferunt fuisse mulierem, ex Suecia Romam profectam. Fabulantur Papicolæ eam ordinis sui institutum ex ipsius Christi ore hausisse.

2 Monachos cruciferos, quos vide infra in *Funere*. Lepide dictum apud quendam nuper legere memini in istos crucigeros. *Si* gerere *est* ferre, *& sic* crux *est* furca *Latinis*, *Quid ni dicatur* furcifer.

3 Solebant quippe Pontificii, præcipue quidem ante aliquot secula, suscepti votis, grandique pietatis opinione, ultro citroque commeare Hierosolymam, quasi divinitus damnato loco quicquam sanctitatis inhæreret.

4 Τὸ τέχνιον πᾶσα γῆ τρέφει. Id est, *Artem quævis terra alit.* Adagium significat, eruditionem, artes & scientias esse perpetuum viaticum.

τέχνιον πᾶσα γῆ τρέφει. GL. Quam artem circumferebas? PA. [1] Chiromanticam. GL. Ubi eam didiceras? PA. Quid refert? GL. Quo præceptore? PA. Eo, qui nihil non docet, ventre. Prædicebam præterita, futura, præsentia. GL. Et sciebas? PA. Nihil minus: sed divinabam audacter, idque tuto, videlicet prius accepto pretio. PO. An ars tam ridicula poterat alere te? PA. Poterat, & quidem cum duobus famulis. Tantum est ubique fatuorum & fatuarum. Attamen cum Hierosolymam adirem, addideram me in comitatum cujusdam magnatis prædivitis, qui natus annos septuaginta, negabat se æquo animo moriturum, nisi prius adisset Hierosolymam. EU. Ac domi reliquerat uxorem? PA. Atque etiam liberos sex. EU. O senem impie pium! Atque illinc redisti sanctus? PA. Vis verum fatear? Aliquanto deterior, quam iveram. EU. Sic, ut audio, excussus est religionis amor. PA. Imo magis incanduit. Itaque reversus in Italiam, addixi me militiæ. EU. Itane religionem venabaris in bello? Quo quid esse potest sceleratius? PA. Erat sancta militia. EU. Fortassis in Turcas. PA. Imo [2] sanctius quiddam, ut tum quidam prædicabant. EU. Quidnam? PA. [3] Julius secundus belligerabatur adversus Gallos. Porro militiam mihi commendabat etiam multarum rerum experientia. EU. Multarum, sed malarum. PA. Ita post comperi. Et tamen heic durius vixi, quam in monasteriis. EU. Quid tum postea? PA. Jam mihi vacil-

1 Græce χειρομαντεία. Divinatio ex inspectis manibus, qua mendici vagabundi rudem populum decipere solent.

2 Hoc jactabant, qui Julio Pontifici aderant.

3 Fuit hic Julius Pontifex R. patria Genuensis, Sixti quarti Pontificis nepos, si non filius, animal nequissimum. Erasmus præfationem in aliquot Luciani dialogos à se versos, apud Hieronymum Buslidianum scriptam his verbis claudit. *In præsentia quidem in Italia mire frigent studia, fervent bella. Summus Pontifex Julius belligeratur, vincit, triumphat planeque Julium agit. Vale, &c. Bononiæ XV. Kalendas Decembris MDVI.* Unde lectori possit constare, quo tempore sit illud gestum.

1 Quales

vacillare cœpit animus, utrum ad negotiationem intermissam redirem, an religionem fugientem persequerer. Interim venit in mentem, utrumque alteri posse conjungi. EU. Quid? ut simul esses & negotiator & monachus? PA. Quidni? Nihil religiosius ordinibus [1] mendicantium: & tamen nihil similius negotiationi. Volitant per omnes terras ac maria, multa vident, multa audiunt: penetrant omneis domos, plebejorum, nobilium, atque regum. EU. At non cauponantur. PA. Sæpe nobis felicius. EU. Quod genus ex his delegisti? PA. Omnes formas expertus sum. EU. Nulla placuit? PA. Imo perplacuerant omnes, si licuisset statim negotiari. Verum perpendebam mihi diu [2] sudandum in choro, prius quam crederetur mihi negotiatio. Jamque cogitare cœpi de venanda [3] Abbatia: sed primum, non omnibus heic favet [4] Delia, & sæpe longa est venatio. Itaque consumtis hunc in modum annis octo, cum esset nuntiata mors patris, domum reversus, ex consilio matris duxi uxorem, & ad veterem negotiationem redii. GL. Dic mihi, cum tam subinde novam vestem sumeres, ac velut in aliud animal transformareris, [5] qui potuisti servare decorum? PA. Qui minus, quam hi qui in eadem fabula nonnunquam aliam atque aliam sumunt [6] personam. EU. Dic nobis bona fide, qui nullum vitæ genus non expertus es, quod omnium maxime probas? PA. Non omnibus omnia congruunt: mihi nullum magis arridet, quam

1 Quales sunt monachi Franciscani, & Carmelitæ, &c.

2 Canendum scil. quod monachorum est.

3 Abbatis munus & dignitas dicitur *Abbatia*.

4 Diana venationis Dea, ita dicta à patria Delo. Alludit autor ad Proverbium *irata Delia venari*. Allegoria sumitur à venatoribus, quibus, secundum Ethnicorum superstitionem, pulchre succedebat venatio, si Diana faveret.

5 Quo pacto.

6 Respice notas in Ux. μεμψίμ. sive *conjug.* Et vide infra *Exorcism.* in ipso fere limine.

quam hoc quod ſecutus ſum. EU. Multa tamen incommoda habet negotiatio. PA. Sic eſt. Sed quando nullum vitæ genus omnibus caret incommodis; hanc [1] Spartam, quæ contigit, orno. Verum nunc ſupereſt Euſebius, qui non gravabitur apud amicos vitæ ſuæ [2] ſcenam aliquam explicare. EU. Imo totam fabulam, ſi videtur, nam habet [3] actus non multos. GL. Erit magnopere gratum. EU. Ubi rediſſem in patriam, annum apud me deliberavi, quodnam vitæ genus amplecti vellem; ſimulque me ipſum exploravi, ad quod genus eſſem propenſus aut idoneus. Interim oblata eſt [4] præbenda, quam vocant, ſatis opimi proventus: accepi. GL. Vulgo male audit hoc vitæ genus. EU. Mihi, ut ſunt res humanæ, ſatis exoptandum videtur. An mediocrem felicitatem eſſe putatis, ſubito velut è cœlo dari tot commoda, dignitatem, ædes honeſtas, beneque inſtructas, annuos reditus ſatis amplos, ſodalitium honorificum, deinde templum, ubi, ſi libeat, vaces religioni? PA. Illic me luxus offendebat, & concubinarum infamia; tum quod plerique iſtius generis odere litteras. EU. Ego non ſpecto quid agant alii, ſed quid mihi ſit agendum: & melioribus me adjungo, ſi non poſſum alios meliores reddere. PO. In iſto genere vixiſti perpetuo? EU. Perpetuo, niſi quod interim quatuor annos primum

1 Proverbium eſt, *Spartam quam nactus es orna:* quo quis admonetur ut quamcunque provinciam nactus ſit, ei ſe accommodet, & pro ejus dignitate ſe gerat. Verba ſunt Agamemnonis ad Menelaum apud Euripidem; *Spartam nactus es, hanc guberna.* Sparta Peloponneſi civitas fuit nobiliſſima.

2 I. e. partem. Metaphorice vita ſæpius *fabula*, ejusque partes *ſcenæ* appellantur. Scenam aperit, qui operta patefacit.

3 Manet in eadem metaphora. Omnis enim fabula habet actus quinque. Juxta illud Horatii de arte Poëtica, *Neve minor quinto neu ſit productior actu.*

4 *Præbenda*, orum, pl. num. à præbeo, ſignificant proprie ligna & ſalem, quæ Parochi legatis publice Roma miſſis ſuppeditabant. Ita enim Horatius Satyr. 5. lib. 1. in qua iter ſuum ab urbe Roma Brunduſium uſque deſcribit. *Proxima Campano ponti quæ villula, tectum Præbuit, & parochi, quæ debent, ligna ſalemque.* Apud eccleſiaſticos deinde vox *Præbenda* æ. ſing. num. ſumi cœpta eſt pro eccleſiaſticis reditibus.

1 Pata-

mum egi [1] Patavii. PO. Quam ob rem? EU. Hos annos ita partitus sum, ut sesquiannum darem studio Medicinæ, reliquum tempus Theologiæ. PO. Cur id? EU. Quo melius & animum & corpus meum moderarer, nonnunquam & amicis consulerem. Nam & concionor nonnnunquam pro me sapientia. Sic hactenus satis tranquille vixi, contentus [2] unico sacerdotio, nec præterea quidquam ambiens, recusaturus etiam si offeratur. PA. Utinam liceret discere, quid agant cæteri nostri sodales, quibuscum tum familiariter viximus! EU. De nonnullis possum commemorare quædam; sed video nos non procul abesse à civitate: quare, si videtur, conveniemus in idem diversorium: ibi per otium de cæteris conferemus affatim. HUGUITIO *auriga*. Unde tam miseram sarcinam nactus es [3] lusce? HENRICUS *auriga*. Imo quo tu defers [4] istud lupanar, ganeo? HUG. Debueras istos frigidos senes alicubi [5] effundere in [6] urticetum, ut calescerent. HEN. Imo tu istum gregem cura ut præcipites alicubi in profundam [7] lamam, ut refrigerentur; nam [8] calent plus satis. HUG. Non soleo præcipitare sarcinam meam. HEN. Non? Atqui nuper vidi te sex [9] Carthusienses dejecisse in cœnum, sic ut pro candidis emergerent nigri: tu interim, quasi re bene gesta, ridebas. HUG. Nec injuria; dormiebant omnes, ac multum ponderis addebant currui meo. HEN. At mei senes egregie sublevarunt currum meum, per totum

1 Patavium, à vicino fluvio Pado, urbs est ditionis Venecæ, Academia celebris.

2 Non mirum equidem, si proventus satis opimi sint, ut ipse mox prædicavit.

3 Luscus est qui unum tantum habet oculum.

4 Id est; *ganeones ipsos*. Locus pro frequentantibus. *Lupanar* dicitur prostibulum, in quo lupæ, i. e. meretrices prostant.

5 Autigæ Brabantini id non raro facere solent.

6 *Urticetum* locus est urticis plenus.

7 *Lama* profundior lacuna est.

8 Vino scil.

9 Monachos. Vide paulo superius.

totum iter perpetuo garrientes. Nunquam vidi meliores. HUG. Non soles tamen talibus delectari. HEN. Sed hi seniculi boni sunt. HUG. Qui scis? HEN. Quia per eos ter bibi per viam [1] cerevisiam insigniter bonam. HUG. Ha ha hæ. Sic tibi boni sunt.

1 Hac enim illud difficile genus hominum mirum in modum delectari solet.

[1] ΠΤΩΧΟΠΛΟΥΣΙΟΙ.

Conradus, Bernardinus, Pastor, [2] Pandocheus, Uxor.

CO. [3] ATqui pastorem decet hospitalitas. PAS. [4] Pastor sum ovium; non amo lupos. CO. At non perinde fortassis odisti [5] lupas. Sed quo tandem merito sic abhorres à nobis, ut ne tecto quidem digneris? Neque enim te gravabimus cœna. PAS. Dicam, quia si conspiceretis in ædibus meis [6] gallinam aliquam, aut [7] pullos gallinaceus, eras in concione [8] traducerer apud populum. Hanc soletis referre gratiam communicati hospitii. CO. Non omnes sumus istiusmodi. PAS. Sitis cujusmodi voletis; ego vix sancto Petro fiderem, si tali

1 Πτωχοπλούσιοι, id est, divites mendici; à πτωχὸς *mendicus* & πλούσιοι *divites*. Intellige monachos Franciscanos, qui sunt ex ordine mendicantium.

2 Πανδοχεύς *Pandocheus*, caupo, qui quemvis hospitio excipit. Respice pag 270.

3 More Comicorum ex abrupto orditur colloquium, quasi jam ante colloquti fuissent. Inducit hic autor duos Franciscanos Conradum & Bernardinum, confabulantes cum pastore seu sacrifico ejus loci, & orantes ut liceat sibi apud eum diverterè: ille vero, cui mendicantium fratrum indoles plus satis nota esset, negat iis hospitium, veritus ne si forte in ædibus suis vidissent concubinam & liberos suos, ipse ab iis in concione traduceretur apud populum.

4 Nam à pascendo dicitur pastor.

5 Jocus ex ambiguo. *Lupa* uxor Lupi, & *Lupa* scortum, unde Lupanar, id est, prostibulum, in quo lupæ prostant.

6 Concubinam.

7 Liberos.

8 Reprehenderer, taxarer à vobis.

1 Infelix

tali cultu veniret ad me. CO. Si ita ſtat ſententia, ſaltem indica diverſorium aliud. PAS. Eſt in hoc vico diverſorium publicum. CO. Quod habet ſignum? PAS. In tabula penſili videbitis canem os inſerentem in ollam: hoc agitur in culina. Ad abacum rationalem ſedet lupus. CO. Signum [1] inauſpicatum. PAS. Fruamini. BE. Quod genus paſtoris hoc eſt? Per illum liceret perire fame. CO. Si non melius paſcit oves, quam nos, oportet eſſe parum obeſas. BE. In malis rebus opus eſt bono conſilio. Quid fiet? CO. [2] Perfricanda frons eſt. BE. Nimirum inutilis eſt pudor, cum urget neceſſitas. CO. Admodum: ſanctus [3] Franciſcus aderit nobis. BE. Pro fortuna. CO. Non exſpectabimus Pandochei reſponſum pro foribus, ſed recta irrumpemus in ipſum [4] vaporarium, nec facile patiemur nos ejici. BE. O facinus impudens! CO. Hoc ſatius, quam noctem agere ſub [5] dio, ac perire frigore. Interim depone pudorem in ſacculo, cras reſumturus, ubi videbitur. BE. Scilicet, ſic res ipſa ſuadet. PAN. Quod animantium genus hic video? CO. Servos Dei, filios ſancti Franciſci, vir optime. PAN. An Deus talibus ſervis delectetur, neſcio: ego mihi nolim multos eſſe domi. CO. Quam ob rem? PAN. Quia

1 Infelix, quia veteres omne quod inauſpicato fieret non proſpere ſucceſſurum opinabantur.

2 Frons habita eſt antiquitus pudori ſacra. *Perfrictæ frontis homines* dicuntur, qui omnem pudorem exuerunt.

3 Fuit hic Franciſcus Aſſiſienſis, quem Papicolæ divum vocant, homo inſulſus, & ſtupidus, de quo innumerabilia ficta miracula, & horrenda mendacia narrantur. Inter alia prodigioſa ſunt, quæ narrat liber Conformitatum, ut vocant, de quinque vulneribus Franciſci, quæ illi biennium ante mortem, poſtquam quadraginta dies in Alvernia monte jejunaſſet, impreſſa ſunt à Chriſto. Ipſe Franciſcus, fungus ille, nudus mori voluit, ut in hac parte Chriſto ſimilis eſſet. Vah! vide infra *Exeq. Seraph.*

4 A vaporibus dictum, idem quod Hypocauſtum, de quo dictum eſt in *Diverſoriis.*

5 Sub Jove frigido, ut Horatius ait, i. e. ſub aëre frigido.

Quia ad edendum & bibendum plusquam viri estis, ad laborandum nec manus habetis, nec pedes, Ohe vos estis filii sancti Franciſci. Soletis prædicare [1] eum esse virginem, & ille habet tot filios. CO. Spiritus filii sumus, non carnis. PAN. Infelix genitor ille. Nam quod in vobis pessimum est, animus est: corpore nimium valetis, planeque melius habetis ista parte, quam expediat nobis, qui alimus uxorem, & filias. CO. Tu forte suspicaris nos ex eorum genere, qui degenerant à progenitoris instituto: nos sumus [2] Observantes. PAN. Ego igitur observabo, ne quid adferatis detrimenti. Nam istud genus ego odi pessime. CO. Quam ob rem, te quæso? PAN. Quia circumfertis dentes, nec [3] circumfertis pecuniam. Hoc genus hospitum mihi est ingratissimum. CO. At laboramus vobis. PAN. Vultis, ostendam vobis quo modo laboretis? CO. Ostende. PAN. Inspicite picturam vobis proximam ad lævam: illic videtis vulpem concionantem, sed à tergo anser collum profert è cuculla. Rursum videtis lupum absolventem [4] confessum, sed prominet pars ovis occultatæ sub veste. Videtis simiam assidentem ægroto in veste Franciscana; altera manu præfert crucem, alteram habet in crumena ægrotantis. CO. Non inficiamur hac veste nonnunquam tegi lupos, vulpes, ac simias; sed fatemur etiam sæpe tegi porcos, canes, equos, leones, ac [1] regu-

1 Ita enim prædicant Papicolæ. Videatur de Franciſci virginitate, falsisque ejus miraculis portentosus liber, de quo supra.

2 Nam Franciscanorum mendicantium triplex ordo est, *Capucinorum*, *Observantium*, & *Gaudentium*. Horum ultimi incedunt calceati, & bene vestiti, duo priores tantum soleas plantis pedum habent alligatas, cinericeis tunicis induti, omnes vero nodoso fune cincti. Vide inferius annotata in *Ichthyophagiam*.

3 Franciscanis enim pecuniam contingere religio est. Cum ruri vagantur, habent pedissequum, qui peram gerat, nam à credulis mulierculis vanis suis nugis numos pro concione emendicant.

4 Scil. peccata sua.

1 Intel-

[1]regulos: quin eadem vestis tegit multos bonos viros. Vestis ut neminem reddit meliorem, ita nullum reddit deteriorem. Proinde iniquum est, quenquam ex veste æstimare: alioqui tua vestis, qua nonnunquam uteris, esset execranda, quæ multos tegit fures, homicidas, veneficos & adulteros. PA. De veste cedam, si [2]numeretis. CO. Rogabimus Deum pro te. PAN. Ego vicissim pro vobis, operam opera pensans. CO. Atqui non ab omnibus accipiendum. PAN. Cur vobis religio est contingere pecuniam? CO. Quia pugnat cum professione nostra. PAN. Itidem cum mea professione pugnat admittere gratuitum hospitem. CO. At nos cogit regula, non contingere pecuniam. PA. At mea regula [3]diversum præcipit. CO. Ubi est tua regula? PAN. Lege versus istos:

[4]*Hospes in hac mensa, fuerint cum viscera [5]tensa,*
Surgere ne properes, ni prius annumeres.

CO. Nos non erimus tibi sumptui. PAN. At qui mihi non sunt sumptui, ne quæstui quidem sunt. CO. Deus abunde pensabit, si quid officii nobis præstiteris. PAN. Istis verbis non alo familiam. CC. Abdemus nos in angulum vaporarii, neque cuiquam erimus molesti. PAN. Non fert tales homines hoc vaporarium. CO. Itaque nos ejicis, fortassis hac nocte devorandos à lupis. PAN. [6]Lupus lupinam non est, ut nec canis caninam. CO. Crudelis esses si hoc faceres Turcis: quales quales sumus, homines

1 Intelligit Basiliscos, facto nomine ab etymologia Græca. Est enim & Regulus avis, sic & infra in *Amicit.*

2 Nempe nummos.

3 Contrarium.

4 Hujusmodi versus, quos Leoninos vocant, ante seculum, rarissimo veterum exemplo, crassioribus Poëtis in deliciis fuerunt.

5 Id est extensa cibo.

6 Proverbium est, *Canis non est* (i. e. *edit*) *caninam.* Æqualitas enim non patit bellum.

homines sumus. PAN. [1]Surdo canitis. CO. Tu molliter foves corpus tuum, nudus recubans post vaporarium; & nos extrudis frigore nocturno perituros, etiamsi parcant lupi. PA. Sic vixit Adam in [2]paradiso. CO. Vixit, sed innocens. PAN. Et ego innocens. CO. Fortassis, detracta syllaba prima. At vide, si tu nos nunc extrudis è paradiso tuo, ne Deus te non recipiat in suum. PAN. [3]Bona verba. UX. Mi vir, tot tua malefacta saltem hoc beneficio pensa: patere hos hac nocte tecto nostro uti: sunt viri boni, senties quæstum hinc fieri uberiorem posthac. PAN. Ecce deprecatricem; suspicor convenire inter vos; nec admodum lubens audio hoc [4]elogium à muliere [5]Viri boni. UX. Hau: non ita est, sed cogita quoties peccaris alea, temulentia, rixis, pugnis; saltem hac [6]eleemosyna redime tua peccata, ne ejicias hos, quos optaris tibi adesse morienti. [7]Scurras & [8]sanniones recipis sæpenumero; & hos extrudis? PAN. Unde ista concionatrix nobis? Abi tu, & cura rem culinariam. UX. Id quidem fiet. BE. Mitescit, & sumit indusium lineum, spero fore recte. CO. Et mensam insternunt pueri. Bene habet, quod nulli veniunt hospites; alioqui nobis erat [9]exulandum. BE. Feliciter

1 *Surdo canis, littori loqueris, vento loqueris, mortuo verba facis* &c. Idem est ac si dicas, frustra loqueris: allegoria ducta ab aliquo, qui in surdum incidit, nec intelligitur.

2 *Paradisus* vox origine Persica fertur; per excellentiam hortus ille Eden, de quo sacræ litteræ. Hac voce designatur per translationem ipsum Cœlum.

3 Ironiæ species, Rhetoribus *Charientismus* dicta. Ea utimur ubi acerba dictu gratiosis verbis mollire studemus. Ita Davus apud Terentium, cum ei herus pristinum minaretur, inquit, *bona verba quæso*, i. e. *melius* ominare.

4 Testimonium honorificum.

5 Vulgus Gallorum *un bon homme*, virum bonum, appellat, cujus uxor est parum pudica.

6 Ἐλεημοσύνη, ab ἐλεεῖν misereri, significat omne beneficii genus, quo miseros prosequimur.

7 Nebulones, qui sese omnium risui exponunt.

8 *Sannio*, qui sannam facit, irrisor. *Sanna* est narium & vultus distorsio, irridendi causa.

9 Extra fores harum ædium manendum.

1 Cruciari,

citer cecidit, quod è proximo oppidulo retulimus nobiscum lagunculam vini, & agni coxam assam: alioqui hic, ut video, ne fœnum quidem impertisset nobis. CO Jam accubuere pueri: adjungamus nos in mensæ partem, sic tamen, ne cui incommodemus. PAN. Vobis imputandum arbitror, quod hodie nullum habeo convivam, præter domesticos & vos inutiles. CO. Nisi frequenter hoc accidit, imputa nobis. PAN. Frequentius quam vellem. CO. Noli [1] laborare; vivit adhuc Christus, qui non deseret suos. PAN. Audivi vos dici Evangelicos, & Evangelium prohibet per viam circumferri peram aut panes: vos manicas habetis pro pera, ut video, nec panes modo circumfertis, verum etiam vinum, & delicias carnium. CO. Fruere nobiscum, si libet. PAN. Meum vinum, ad istud collatum, [2] vappa est. CO. Gusta & de carnibus; nobis enim superest. PAN. O [3] felices mendicos! Uxor mea nihil hodie coxit, præter caules & laridum rancidum. CO. Communicemus, si videtur, nostros apparatus. Nam nostra nihil refert, quibus vescamur. PAN. Cur igitur non circumfertis caules & vappam. CO. Quoniam hæc nobis obtrudere maluerunt, apud quos hodie pransi sumus. PAN. Gratis pransi? CO. Maxime. Imo gratias etiam egerunt, & abeuntes his [4] apophoretis onerarunt. PAN. Unde venitis? CO. E [5] Basilea. PAN. Hui, è tam longinquo? CO. Sic est. PAN. Quod tandem genus hominum estis, qui sic oberratis sine jumento, sine crumena, sine famulitio, sine armis, sine commeatu? CO. Vides qualecunque vestigium Evangelicæ vitæ. PAN. Mihi videtur erronum vita, qui vagan-

1 Cruciari, animo angi.

2 *Vappa* vinum insipidum est, cujus vis evaporavit.

3 Nam splendidam, hercle, patiuntur paupertatem.

4 *Apophoreta*, quæ dantur in fine conviviorum, sic ut liceat cuique, si velit, domum auferre, ab ἀποφέρω aufero.

5 Quæ nobilissima Helvetiæ civitas est, ubi Erasmus mortuus & sepultus est.

vagantur cum [1] reticulo. CO. Tales errones erant Apostoli: talis erat & dominus Jesus. PAN. Nostis [2] artem chiromanticam? CO. Nihil minus. PAN. Unde igitur suppetit victus? CO. Ab eo, qui promisit. PAN. Quis ille? CO. Qui dixit, Nolite [3] esse soliciti; hæc omnia adjicientur vobis. PAN. Promisit, sed quærentibus regnum Dei. CO. Id facimus [4] pro virili. PAN. Apostoli clarebant miraculis, sanabant ægrotos: proinde non mirum illis ubique suppetisse victum: vos nihil tale potestis. CO. Possemus, si similes essemus Apostolis, & si res poscere t miraculum. At miracula data sunt ad tempus incredulis; [5] nunc nihil opus, nisi pia vita. Et sæpe felicius est ægrotare, quam valere; sæpe felicius mori, quam vivere. PAN. Quid igitur vos facitis? CO. Quod possumus, pro sua quisque dote [6] divinitus donata consolamur, exhortamur, admonemus, corripimus; ubi se dederit occasio: nonnunquam & concionamur, sicubi comperimus pastores [7] mutos: si non datur prodesse, damus operam ne quem lædamus moribus & lingua. PAN. Utinam cras velis nobis concionari! Nam dies est apud nos festus. CO. Cui divo? PAN. [8] Antonio. CO. Fuit is quidem vir bonus: sed unde dies

1 *Reticulum* hic significat facculum in modum retis contextum, quo viatores panem, & nummos gestant. Nisi forte intelligatur instrumentum, quo mendici leprosi vulgo uti solent. Dicitur etiam pro instrumento lusorio, quo pilam remittimus.

2 Χειρομαντεία, divinatio ex inspectis manibus, qua mendici vagabundi plebem argento emungere solent

3 Desumptum ex Evang. Matth. c. 6. v. 25.

4 Sup. parte, id est, pro viribus.

5 Quid ais Franciscane? Cur ergo Pontificii veræ Ecclesiæ suæ gloriam etiam hodie miraculis adstruere conantur?

6 A Deo.

7 Qui non satis strenue coram rudi popello declamant.

8 Qui tutelaris porcorum divus à Papicolis habetur. Nam quemadmodum Ethnici olim singulis rebus suos assignatos Deos vel divos habebant; ita & pontificii, permutatis modo nominibus, morbis, artificiis, immo & bestiis (uti ex hoc Antonio constat) peculiares suos sanctos asscriptos habent.

Eccle-

dies festus? PAN. Dicam. Abundat hic vicus subulcis propter vicinum nemus [1] glandiferum. Et persuasum est, Antonio delegatam curam ejus pecoris: & ideo colunt illum, ne sæviat [2] neglectus. CO. Utinam vere colerent illum! PA. Quo pacto? CO. Sanctissime coluit divos, quisquis imitatus est. PAN. Totus hic vicus cras perstrepet compotationibus, saltationibus, lusibus, rixis & pugnis. CO. Sic Ethnici quondam colebant [3] Bacchum suum. Miror autem, si sic cultus Antonius, non sævit in homines ipso pecore stultiores. Qualem habetis pastorem? mutum ac malum? PAN. Qualis sit aliis, nescio; mihi optimus est: nam hic potat totos dies: neque quisquam plures adducit, aut meliores combibones, magno meo bono. Atque adeo demiror illum nunc abesse. CO. Nos experti sumus parum commodum. PAN. Quid audio? salutastis hominem? CO. Ambivimus apud illum hospitium; ille non aliter quam lupos abegit à limine, & huc jussit abire. PAN. Ha, ha, nunc intelligo. Hinc est, quod noluit adesse, quod sciret vos heic futuros. CO. Estne mutus? PAN. Mutus? Nemo illo vocalior in vaporario; ac strenue [4] boat in templo: concionantem nunquam audivi. Sed quid pluribus opus? vos ipsi sensistis, ut intelligo, non esse mutum. CO. Estne peritus sacrarum literarum? PAN.

Ecclesiasticæ historicæ autores, si tamen iis in omnibus fides sit habenda, referunt hunc Antonium obiisse in eremo, natum annos 105. anno post natum Christum 361. Pingunt eum vulgo armatum igni sacro, additio porco, & tintinnabulo.

1 Abundantem glandibus, quibus præcipue vescuntur sues.

2 Non rite cultus.

3 Verum dicit autor. Illa enim veterum Bacchanalia fœda ac profana fuerunt: quique ea celebrabant, gerentes thyrsos, & pampinis hederisque coronati per sylvas, montes & nemora furibundi saltabant; dissono clamore, ululatu, tibiarum & cymbalorum cantu omnia replebant.

4 Dicitur *boëre* & *boare*, non à βοάω voco, sed à mugitu boum. Hinc *reboo*, ut Virgil. *Reboant sylvaque & magnus Olympus.*

1 Vul-

PAN. Ait se peritissimum: sed quidquid talium rerum didicit, didicit in [1] secreta confessione, sic ut fas non sit proferre apud alios. Quid multa? Dicam in summa, qualis est populus, talis est sacerdos, & plane [2] nacta est suum patella operculum. CO. Fortasse non dabit locum concionaturo. PAN. Dabit, [3] ad me recipio, [3] sed hac lege, ne quid in illum [4] jaculere, quemadmodum plerique soletis. CO. Rei malæ assueverunt, qui hoc solent: ego clam admoneo pastorem, si quid offendit: quod superest, [5] episcoporum est munus. PAN. At tales aves huc raro devolant. Equidem video vos esse viros bonos. Sed quid sibi vult ista vestium varietas? Nam plerique hoc ipso judicant vos esse malos, quod sic vestiamini. CO. Unde id? PAN. Nescio, nisi quod tales mihi comperiantur. CO. Multi hoc ipso judicant nos esse sanctos, [6] quod sic vestiamur: peccant utrique; sed tamen humanius peccant, qui ex veste bene de nobis suspicantur quam qui male. PAN. Esto sane. Sed quæ tandem utilitas tot [7] discriminum? CO. Quid tu censes? PAN. Mihi quidem nulla videtur, nisi in pompis, aut in bellis: in [8] pompis enim circumferuntur variæ personæ, sanctorum, Judæorum, Ethnicorum: has ex diverso

1 Vulgaris jocus in ignarum & stupidum.

2 Proverbium significat idem quod præcedit, *qualis est populus, talis est sacerdos.* Utimur eo, quoties similia similibus, mala malis, digna dignis eveniunt. Idem fere significat illud, *Similes habent labra lactucas*, de quo supra.

3 Promitto.

4 Metaph. à sagittariis; i. e. ne illum in concione traducas.

5 Ἐπίσκοπος, inspector. Hinc Episcopi peculiariter olim dicebantur sacri gregis inspectores, qui in ejus mores & doctrinas inquirebant.

6 Immo, Franciscanorum vesti divinam quandam vim ad æternam salutem inesse putarunt Papicolæ nonnulli. Vide infra Coll. *Funus*, & *Exeq. Seraph.*

7 Differentiarum.

8 *Pompæ* sunt spectacula, quæ populo exhibentur. Pompa dicitur porro omnis apparatus solennis, cum ostentatione. Per pompas vero intelligit hic autor ista spectacula publica, quæ celebrantur apud Papicolas in honorem divorum, vel divarum, vulgo *processiones.*

1 Cui

verso cultu dignoscimus. In bellis autem hoc præstaret cultuum varietas, ut suum quæque vexillum copiæ sequerentur, neque fieret ordinum confusio. CO. Pulcre dicis, & hæc vestis est militaris: alius alium ducem sequimur, sed omnes militamus sub uno Cæsare Christo. Verum in veste tria spectanda sunt. PAN. Quæ? CO. Necessitas, usus & decorum. Cur sumimus cibum? PAN. Ne pereamus fame. CO. Sic aliquando sumenda vestis, ne pereamus frigore. PAN. Fateor, CO. Hoc melius præstat hæc [1] vestis, quam tua: tegit enim & caput, & collum, & scapulas, unde plurimum est periculi. Usus postulat varia vestium genera. Equitaturo convenit brevis, quiescenti longa, in æstate tenuis, in hieme densa. Sunt Romæ, qui singulis diebus ter commutant vestem: mane sumunt duplicatam pellibus, sub meridiem accipiunt simplicem, rursus sub noctem aliquanto crassiorem. Verum non omnibus suppetunt mutatoria: proinde hæc vestis reperta est, una ad plurimos usus accommoda. PAN. Qui sic? CO. Si flat Boreas, aut si fervet sol, adducimus [2] cucullam: si calor offendit, demittimus vestem: si ambulandum, subducimus, aut succingimus etiam. PAN. Non pessime sapuit, quisquis hoc invenit. CO. Est autem hoc ad bene vivendum præcipuum, ut homo consuescat esse paucis contentus: alioqui si deliciis aut affectibus indulgere cœperimus, nullus erit finis. At nulla vestis inveniri potuit, quæ una tot commoditatibus subserviret. PAN. Assentior. CO. Nunc decorum inspiciamus. Dic mihi bona fide, si tu sumeres uxoris tuæ vestem, nonne dicerent omnes te facere præter decorum? PAN. Dice-

1 Cui scilicet cucullus annexus est.

2 Cucullum. Revise notas in pag. 191. & 41.

Dicerent me insanire. CO. Quid tu diceres, si illa sumeret vestem tuam? PAN. Fortasse nihil mali dicerem, sed contunderem eam [1] bonis fustibus. CO. Atqui nihil refert, qua veste utaris. PAN. Heic plurimum refert. CO. Nec mirum. [2] Nam & Ethnicorum leges puniunt virum ac fœminam, si diversi sexus cultum sumserint. PAN. Nec injuria. CO. Age, quid si senex octogenarius sumeret sibi vestitum adolescentis quindecim annos nati, aut contra, si juvenis sumeret vestem senis, nonne dicant omnes, rem esse [3] fustuario dignam? Aut si anus [4] coleretur ad modum adolescentulæ, & contra? PAN. Admodum. CO. Itidem, si [5] laicus sumat cultum sacerdotis, contra sacerdos laici? PAN. Uterque faceret indecore. CO. Quid si [6] privatus sumeret ornamentum principis, aut sacerdos privatus Episcopi, num faceret indecore? PAN. Scilicet. CO. Quid si civis sumeret cultum militis, plumas, ceteraque stultitiæ [7] Thrasonicæ insignia? PAN. Rideretur. CO. Quid si inter milites Anglus gestaret crucem albam, Helvetius rubram, Gallus nigram? PAN. Faceret impudenter. CO. Quid itaque miraris nostrum hunc cultum? PAN. Quid interfit inter privatum & principem, inter virum ac fœminam, scio: quid interfit inter monachum, ac non monachum, nescio. CO. Quid interest inter pauperem & divitem? PAN. Fortuna. CO. Et

1 Jocus est in contrariis, malis & bonis.

2 Immo & ipsius Dei leges, Deut. 22, 5.

3 *Fustigatione*, i. e. pœna, quæ fuste infligitur.

4 Cultu ornaretur.

5 Quemadmodum *Laicus* à λαὸς popularem significat, ita *Clericus* à κλῆρος sors, illum qui sorte ex popularibus electus esset, ad obeundam sacri ministerii functionem. Olim Christiani in Clericos & Laicos distincti. Satius autem foret, si Patres ab hoc discrimine abstinuissent, ex quo posterioribus seculis damnanda ecclesiasticorum tyrannis orta est.

6 Qui nullo magistratu fungitur.

7 *Thraso* nomen proprium glorioſi & insanientis militis est apud Terentium in Eunucho, ἀπὸ τῆς θράσους, hoc est, ab insolentia, & ferocitate. Hinc Thrasonicus pro arrogans, ferox.

1 Vilem,

Et tamen indecorum esset, si pauper imitaretur cultum divitis. PAN. Verum, ut nunc ferme coluntur divites. CO. Quid inter fatuum & sapientem? PAN. Aliquanto plus quam inter divitem & [1] tenuem. CO. Nonne [2] moriones aliter vestiuntur, quam qui sapiunt? PAN. Nescio quid vos deceat, attamen vester cultus non multum abest ab illorum cultu, si quis addat auriculas & tintinnabula. CO. Hoc plane deest: & sumus hujus mundi moriones, si modo vere sumus quod profitemur. PAN. Quid vos sitis, nescio: illud scio, multos esse moriones, gestantes auriculas & tintinnabula, qui plus sapiant iis, qui gestant pilea suffulta [3] pellibus, [4] epomides, reliquaque sapientum insignia. Itaque mihi stultissimum videtur, sapientiam profiteri veste potius quam ipsa re. Vidi quendam plusquam morionem, qui gestabat vestem usque ad talos demissam, epomidem [5] Magistri nostri: aderat & vultus, qui videri posset gravis Theologi: disputabat apud omneis, non sine specie gravitatis: magnatibus autem non minus erat jucundus, quam quivis alius morio, cum stultitiæ genere superaret omneis. CO. Quid igitur tu postulas? Ut princeps, qui ridet morionem, commutet cum illo vestem? PAN. Fortassis hoc postularet aliquando decorum, quod tu proponis, si libeat repræsentare veste quidquid est in animo. CO. Urges tu quidem, sed tamen arbitror, non sine caussa vestem suam additam

1 Vilem, pauperem.

2 *Morio* fictus stultus, qui risus caussa solet esse in pretio. Mæg. stultus.

3 Hoc apud Germanos aliquot Doctores juris: in Hispania Theologi insigniuntur flocco albo in summo Pileo, Lovanii pileo violaceo & epomide, quæ imponitur humeris, nulli usui futura, nisi ut significet Magistrū nostrum.

4 *Epomis* cuculli genus est, suffulta similiter pellibus, aut serico, quæ Magistris nostris ab humeris dependet.

5 *Magistri nostri* dicebantur Theologastri illi, vel Philosophi, quibus publice docendi potestas data erat. Etiam nunc hujusmodi barbaris titulis ornatos Magistros in Germania invenias.

ditam morionibus. PAN. Ob quam? CO. Ne lædantur à quoquam, si quid imprudenter dixerint, aut fecerint. PAN. Non dicam interim, quod ista res quosvis irritat potius ad lædendum, adeo ut frequenter è stultis fiant insani. Nec video cur, cum bos cornupeta, qui occiderit hominem, aut canis, aut sus, qui occiderit infantem, afficiantur supplicio; morio qui sceleratiora commiserit, præsidio stultitiæ sinatur vivere: illud expeto, cur vos distinguamini cultu à cæteris. Nam si quævis caussa sufficit ad diversum [1] cultum, oporteret pistorem aliter vestiri quam piscatorem, calcearium aliter quam vestiarium; aliter [2] pharmacopolam quam [3] œnopolam, aliter aurigam quam nautam. Vos, si sacerdotes estis, cur [4] secus vestimini quam reliqui sacerdotes? Si laici, cur à nobis differtis? CO. Olim monachi nihil aliud eramus, quam purior pars laicorum: & hoc intererat inter monachum & alium laicum, quod nunc interest inter frugalem & probum virum, suis manibus alentem familiam, & inter [5] Snaphanum ex prædationum reditu jactantem sese. Post Romanus Pontifex addidit nobis suos honores: vestis ex nobis nacta est dignitatem, quæ nunc nec laicorum est, nec sacerdotum; sed tamen hujus, qualis qualis est, non puduit aliquando [6] Cardinales & summos Pontifices. PAN. At tandem decorum illud unde sumitur? CO.

1 Vestitum.

2 *Pharmacopola*, qui vendit pharmaca, à πωλέω vendo, & φάρμακα medicamenta.

3 *Oenopola*, qui vendit vinum, à πωλέω vendo, & ὄινος vinum.

4 Aliter.

5 *Snaphanus* à Germanis dicitur prædo, seu latro, subito viatores ex arcibus invadens. Vox barbara, desumta à sclopetorum genere, quod facile nitrato pulvere oneratur & explodituer, ideoque ad subitas excursiones aptissimum. Snaphani, quo militum genere Germani hodie plurimum utuntur, hoc bello adversus infestissimos Gallos multis facinoribus innotescunt.

6 Fuerunt enim qui ex monachatu Franciscanorum ad Pontificatum maximum promoti variis honoribus & privilegiis istum ordinem auxerunt.

CO. Nonnunquam ex ipsa rerum natura, nonnunquam ex consuetudine mortalium & opinione. Nonne judicarent omnes absurdum, si quis tergore bubulo sic vestiretur, ut cornua prominerent in capite, & cauda traheretur humi? PAN. Ridiculum sane. CO. Rursum si quis vestem haberet, quæ faciem ac manus tegeret, pudenda ostenderet? PAN. Multo absurdius. CO. Ob id notati sunt ab Ethnicis quoque scriptoribus, qui [1] multitia sumerent fœminis etiam indecora. Verecundius enim est nudum esse, qualem te offendimus in vaporario, quam uti veste pellucente. PAN. Ego puto, totum hoc de cultu pendere à consuetudine ac persuasione mortalium. CO. Qui sic? PAN. Non multi sunt dies, quod heic diversati sunt, qui se prædicarent peragrasse varias regiones nuper inventas, & quas in priscorum [2] cosmographorum picturis desideramus. Hi se narrabant pervenisse ad insulam quandam cœli temperatissimi, ubi summi dedecoris loco habebatur tegere corpus. CO. Isti fortassis belluarum ritu vivebant. PAN. Imo, ut ajebant, humanissimam agebant vitam. Degebant sub rege; eum comitabantur ad opus mane, non amplius quam horam, etiam singulis diebus. CO. Quid operis faciebant? PAN. Evellebant radicum genus, quod illis tritici loco est, & tritico tum gratius tum salubrius: quo peracto redeunt ad suum quisque negotium, &, quod cujusque libitum est animo, faciunt. Sancte educant liberos, vitant & puniunt flagitia, sed nullum acerbius, quam adulterium. CO. Quo supplicio? PAN. Fœminis ignoscitur; datur

1 *Multitia* Romanis erant vestes pellucidæ sericæ vel bombynicæ, molli substamine intextæ, & in tantum tenues, ut per ea singula membra perspici possent. His utebantur insignes meretrices. Ita Juvenalis, Satyr. 2. perstringens Judices, & Philosophos inquit. - - - *Sed quid Non facient alii, cum tu multitia sumas.*

2 Κοσμόγραφος, mundi descriptor, à κόσμος mundus, & γράφω scribo.

datur hoc sexui: cæterum viris adulterii convictis hæc pœna est, ut per omnem vitam in publicum prodeant membro pudendo velo obtecto. CO. O grave supplicium! PAN. Atqui consuetudo persuasit illis, hoc esse quovis supplicio gravius. CO. Ubi contemplor quid possit persuasio, propemodum assentior tibi. Etenim si quis vellet furem, aut homicidam afficere extrema ignominia, nonne satis esset, si præcideret illi [1] interulam supra nates, si partes pudendas turpiter prominentes lupinis pellibus convestiret; caligas diversis coloribus variegaret: vestem, quæ thoracem tegit ac brachia, totam conscinderet, veluti rete faciens è veste, scapulas & pectus nudaret; barbam partim demeteret novacula, partim demitteret, partim intorqueret; capillos tonderet, adderet pileum undique sectum, cum ingenti fasciculo plumarum, ac sic juberet prodire in publicum? Nonne magis traduceret hominem, quam si morionis cucullam adderet cum auriculis prælongis ac tintinnabulis? Et tamen sic ultro sese ornant milites, ac sibi placent: & reperiunt quibus hoc pulcrum videatur, cum nihil possit esse insanius. PAN. Imo non desunt honesti cives, qui hoc pro viribus æmulentur. CO. Atqui si quis nunc conetur [2] Indorum æmulari cultum, qui plumis avium vestiuntur, nonne pueris omnibus videretur insanire? PAN. Prorsus. CO. Atqui quod nos miramur, etiam longe insanius est illo. Proinde ut verum est nihil esse tam absurdum quod non commendet assuetudo: ita negari non potest, in vestibus esse quoddam decorum, quod apud [3] sanos & cordatos semper decorum est: ac rursus indecorum,

1 Indusium.
2 Consulantur de moribus Indorum præcipue descriptiones itinerum Hollandorum, eorumque in utramque Indiam expeditiones.
3 Sanæ mentis homines.

rum, quod apud omneis qui ſapiunt, indecorum videri debet. Quis enim non ridet, quoties videt fœminas onuſtas longa veſtis [1] coronide, quæ nobilitatem generis caudæ longitudine metiuntur? Quanquam hoc non pudet imitari quosdam Cardinales, dumtaxat in palliis. Et tamen res eſt adeo violenta [2] conſuetudo, ut non ſit huic aut illi liberum mutare, quod receptum eſt. PAN. Satis de conſuetudine. Sed dic tu mihi quid ſentias, utrum exiſtimes ſatius, monachos non differre à cæteris cultu, an differre? CO. Equidem arbitror ſimplicius & Chriſtianius, non æſtimari quenquam ex cultu, modo ſit honeſtus ac decorus. PAN. Cur igitur vos non abjicitis cucullas? CO. Cur Apoſtoli non ſtatim veſcebantur cibis quibuslibet? PAN. Neſcio: dic tu. CO. Quoniam obſtabat invicta conſuetudo. Quod enim penitus infixum eſt animis hominum, multoque uſu confirmatum inveteravit, ac velut in naturam abiit, ſubito tolli ſine magna pernicie tranquillitatis humanæ non poteſt; ſed ita paulatim ſubmovendum eſt, quemadmodum [3] ille revulſit

1 Intellige extremam veſtis partem quæ terram vidit; nunc vulgo *cauda* dicta, & vere. Quid aliter *Coronis* ſignificet, diſce infra ex Colloq. *Conv. fab.* & *Conv. diſp.*

2 Inde *mos* violentiſſimus tyrannus dictus.

3 Ille, nempe Sertorius. Hiſtoria hæc eſt. Sertorius corporis robore atque animi conſilio parem naturæ indulgentiam expertus, proſcriptione Sullana dux Luſitanorum fieri coactus cum eos oratione flectere non poſſet, ne cum Romanorum univerſa acie confligere vellent, vafro conſilio ad ſuam ſententiam perduxit. Duos enim in conſpectu eorum conſtituit equos, alterum validiſſimum, alterum infirmiſſimum: ac deinde validi caudam ab imbecillo ſene paulatim carpi: infirmi à juvene eximiarum virium univerſam convelli juſſit. Obtemperatum imperio eſt. Sed cum adoleſcentis dextera irritoſe labore fatigaret, ſenio confecta manus miniſterium executa eſt. Tunc barbaræ concioni, quorſum ea res tenderet cognoſcere cupienti, ſubjecit: Equi caudæ conſimilem eſſe Romanorum exercitum, cujus partes aliquis aggrediens opprimere poſſit: univerſum conatus proſternere, celerius tradiderit victoriam quam occupaverit. Ita gens aſpera & duci difficilis, in exitium ſuum ruens, quam utilitatem auribus reſpuerat oculis prævidit. Hac igitur ſimilitudine fere utimur, ubi ſignificamus rem magis ingenio quam viribus ſæpiſſime poſſe perfici.

vulsit pilos caudæ equinæ. PAN. Tolerarem, si monachorum omnium esset unus cultus: [1] tot discrimina quis ferat? CO. Hoc malum usus invexit, qui nihil non invehit. [2] Benedictus non commentus est novum cultum, sed is quo tum utebatur cum suis, erat cultus [3] laici simplicis ac probi. Nec Franciscus invenit novam formam, sed hæc erat vestis pauperum ac [4] rusticorum. Posteriores additis quibusdam verterunt rem in superstitionem. Nonne videmus & hodie quasdam anus tenentes sui seculi cultum, qui magis est diversus à cultu horum temporum, quam meus cultus abest à tuo. PAN. Videmus. CO. Itaque cum hunc cultum vides, vides reliquias prisci seculi. PAN. Ergo nihil habet aliud sanctimoniæ cultus vester? CO. Nihil prorsus. PAN. Quidam jactant [5] istos cultus præmonstratos divinitus à diva Virgine matre. CO. Ista sunt hominum somnia. PAN. Sunt qui desperent se posse à morbo revalescere, ni vestiantur cultu [6] Dominicano: imo, qui ne sepeliri quidem velint, nisi [7] in veste Franciscana. CO. Ista qui suadent, aut

1 Quot enim monachorum ordines, tot vestimentorum varia genera.

2 A quo ducit originem ordo monachorum, quos Benedictinos vocant. Respice pag. 338.

3 Respice pag. 354.

4 Erat enim ipse Franciscus homo rusticus, ac idiota. Studuerat puer per exiguum tempus in templo Georgii Assisii, sed mox animum ad mercaturam appulit: à mercatura in militiam abiit, tandem ejus vitæ pertæsus Monachatum est amplexus.

5 Non modo Franciscanorum, sed & Dominicanorum habitum à Maria præmonstratum esse Pontificiorum libri mentiuntur.

6 Dominicani monachi dicti à Dominico pessimo isto Hispano, de quo diximus supra in pag. 265. Erit nobis infra quoque sæpius vocandus ad partes, præcipue in *Exequiis Seraphicis*. Adsi sunt male feriati monachi in libris suis mentiri hunc Dominicum plures ægros sanasse, mortuosque suscitasse, quam Christum: immo eum mortuum jam invocatum sex defunctos vitæ restituisse.

7 Narrat autor infra, in Colloquio de Seraphicis exequiis apud Italos, genere & litteris nobiles, plurimos ambisse, ut in veste Franciscana sepelirentur, quasi sordido isti vestitui aliqua vis ad æternam salutem inesset. Ipse Albertus Dux Carpensis, & Robertus Siciliæ Rex testamento caverunt, ut hoc habitu mortui induerentur. Inter alios quoque Rudolphus Agricola, & Christophorus Longolius viri eruditione clarissimi: tantum potuit præjudicata opinio.

1 Insi-

aut [1] captatores sunt, aut fatui: qui credunt, superstitiosi. Deus non minus dignoscit nebulonem in veste Franciscana, quam in militari. PAN. At minor est plumarum varietas in avibus, quam in vobis cultus. CO. An non itaque pulcrum est imitari naturam? Sed pulcrius vincere. PAN. Utinam vinceretis & rostrorum varietate! CO. Sed age, varietati quoque patrocinabor, si pateris. Nonne aliter vestitur Hispanus, aliter Italus, aliter Gallus, aliter Germanus, aliter Græcus, aliter Turca, aliter Saracenus? PAN. Scilicet. CO. Et in eadem regione quanta varietas vestium, etiam in ejusdem sexus, ætatis, & ordinis hominibus. Quanto alius cultus Veneto, alius Florentino, alius Romano? Atque hæc intra unam Italiam. PAN. Credo. CO. Hinc nata est & nostra varietas. Dominicus sumsit cultum à probis agricolis ejus Hispaniæ partis, in qua vixit: Benedictus à rusticis ejus Italiæ partis, in qua vixit: Franciscus ab agricolis diversæ partis: atque idem de cæteris. PAN. Proinde quantum video, vos nihilo estis sanctiores nobis, nisi sanctius vixeritis. CO. Imo pejores vobis, qui parum pie viventes, gravius offendamus animos simplicium. PAN. Est igitur aliqua spes de nobis, qui nec [2] patronum habemus, nec cultum, nec regulam, nec professionem? CO. Habes ô bone: vide ut serves. Quære à [3] susceptoribus tuis, quid professus sis in baptismo, quam vestem illic acceperis? Et humanam regulam desideras, qui regulam Evangelicam professus sis? Desideras hominem patronum, qui patronum habeas Jesum Christum? Cum duceres uxorem, nihil professus es? Cogita quid debeas

1 Insidiatores, & testamentorum captatores.

2 Mirum equidem, si cauponas Papicolæ Patronum non habeant, cum vel subulcis divus tutelaris Antonius sit.

3 *Susceptores* vocantur, qui infantem baptizandum suscipiunt, & pro eo spondent. Infanam Pontificiorum superstitionem & pompam tevise in *Conviv. Relig.*

debeas conjugi, quid liberis, quid familiæ, & senties te plus habere sarcinæ, quam si Franciſci regulam profeſſus eſſes. PAN. Credisne ullum [1] Pandocheum ingredi cœlum? CO. Quid ni? PAN. Multa fiunt, ac dicuntur in hac domo, quæ parum reſpondent Evangelio. CO. Quæ? PAN. Alius bibit plus ſatis, alius obſcœne loquitur, quidam rixantur, quidam [2] obtrectant: denique an cætera ſint caſta, neſcio. CO. His occurrendum eſt quantum potes: ſi non potes, certe ne alas quæſtus cauſſa hæc mala, neve accerſas. PAN. Nonnunquam parum bonæ fidei ſum in vino. CO. Qui ſic? PAN. Ubi ſenſero [3] illos plus ſatis incaleſcere, largiter aquam admiſceo. CO. Iſtud quidem levius eſt, quam ſi quibuslibet vendas vinum periculoſis medicamentis infectum. PAN. Dic mihi ſerio, quot dies fuiſti in hoc itinere? CO. Menſem ferme. PAN. Quis interim vos curat? CO. Nonne bene curantur, qui habent uxorem, liberos, parentes, & cognatos? PAN. Sæpenumero. CO. Tu non habes niſi unam uxorem, nos centum: tu non niſi unicam domum, nos centum: tu non niſi paucos liberos, nos innumeros: tu non niſi paucos cognatos, nos infinitos. PAN. Qui ſic? CO. Quia latius ſe porrigit cognatio ſpiritus, quam carnis. Et ita nobis pollicitus eſt Chriſtus, & experimur verum quod pollicitus eſt. PAN. Næ tu mihi præbuiſti ſat lepidum convivam: emoriar, niſi malim hanc confabulationem, quam paſtoris mei compotationem. Cras dignaberis aliquid dicere populo. Et, ſi poſthac continget te hac facere iter, ſcio tibi heic paratum locum. CO. Quid ſi alii veniant? PAN. Non erunt ingrati, modo tui ſimiles. CO. Meliores, uti ſpero.

PAN.

1 Cauponem. Reſpice *Diverſor*, in limine.

2 Aliis male dicunt.

3 Compotatores.

1 Simi-

PAN. Verum inter tam multos malos quomodo dignoscam bonos? CO. [1]Dicam paucis, sed in aurem. PAN. Dic. CO. Meminero: & faciam.

1 Simili joco alibi autor utitur. Indicat quiddam de malis monachis. Et hoc usu receptum est, ut res silendas, quamvis soli simus, tamen alteri submissiore voce dicamus.

ABBATIS ET ERUDITÆ.

[1]ANTRONIUS, MAGDALIA.

AN. QUam heic ego supellectilem video? MA. An non elegantem? AN. Nescio quam elegantem, certe parum decoram & puellæ, & matronæ. MA. Quam ob rem? AN. Quia librorum plena sunt omnia. MA. Tu tantus natu, tum abbas, & [2]aulicus, nunquam vidisti libros in ædibus [3]heroinarum? AN. Vidi, sed Gallice scriptos: heic video Græcos, & Latinos. MA. An soli Gallice scripti libri docent sapientiam? AN. Sed decet hoc heroinas, ut habeant quo delectent otium. MA. An solis heroinis licet sapere, & suaviter vivere? AN. Male connectis, sapere & suaviter vivere: non est muliebre sapere, heroinarum est suaviter vivere. MA. Nonne omnium est bene vivere? AN. Opinor. MA. [4]Qui potest autem suaviter vivere, qui non vivat bene? AN. Imo qui potest suaviter vivere, qui vivat bene? MA. Ergo tu [5]probas eos, qui vivunt male,

1 Aptum, hercle, stupidissimo Abbati nomen. Ἀνταῶνος ὄνος olim dicebatur, qui prægrandi mole corporis esset, cæterum ingenio stupido bardoque. *Antron* civitas fuit Thessaliæ, nomen inde fortita, quod cavernis & specubus abundaret. Illic ajunt quondam asinos insigni magnitudine fuisse, unde proverbium increbuit.

2 Plurimi enim ex istis crassis Abbatibus aulici sunt, qui ex Abbatia sua opimos reditus accipiunt.

3 *Heros* qui factis suis præclaris immortalitatem meritus est, semideus. *Heroina*, potens matrona.

4 Quomodo.

5 Laudas.

male, modo suaviter? AN. Arbitror illos bene vivere, qui vivunt suaviter. MA. Sed ista suavitas, unde proficiscitur; è rebus [1] extrariis, an ex animo? AN. E rebus extrariis. MA. O [2] subtilem abbatem, sed crassum Philosophum! Dic mihi, quibus rebus tu metiris suavitatem? AN. Somno, conviviis, libertate faciendi quæ velis, pecunia, honoribus. MA. Verum, si istis rebus Deus addiderit sapientiam, num vives suaviter? An. Quid appellas sapientiam? MA. Hoc est, si intelligeres hominem non esse felicem, nisi bonis animi; opes, honores, genus, neque feliciorem reddere, neque meliorem. AN. Valeat ista quidem sapientia. MA. Quid si mihi suavius sit legere bonum [3] auctorem, quam tibi venari, potare, aut ludere aleam; non videbor tibi suaviter vivere? AN. Ego non viverem. MA. Non quæro, quid tibi sit suavissimum, sed quid deberet esse suave. AN. Ego nolim meos monachos [4] frequentes esse in libris. MA. At meus maritus hoc maxime probat. Sed quam ob rem tandem non probas hoc in monachis tuis? AN. Quoniam experior illos minus morigeros: respondent ex [5] Decretis, ex Decretalibus, ex Petro, ex Paulo. MA. Imperas igitur quæ pugnant cum Petro & Paulo? AN. Quid illi doceant, nescio: sed tamen non amo monachum responsatorem: neque velim quenquam meorum [6] plus sapere, quam ego sapiam. MA. Istud ita vitari possit, si tu des operam, ut quam plurimum sapias. AN. Non

1 *Externis.* Extraria dicuntur quoque, quæ extra rem sunt, de qua agitur. Apposite hac voce utitur matrona, quo rudis ille Abbas stolide responderet.

2 Ironice.

3 Scriptorem.

4 Assiduos, studiosos.

5 Intelligit Decreta & Decretalia, quæ in corpore Canonico comprehenduntur. Miseri equidem, qui tantis nugis tempus perdunt.

6 Non mirum igitur, si crassus iste Abbas quærat dignum sua patella operculum.

1 Notat

Non est otium. MA. Qui sic? AN. Quia non vacat. MA. Non vacat sapere? AN. Non. MA. Quid obstat? AN. Prolixæ preces, cura rei domesticæ, venatus, equi, [1] cultus aulæ. MA. Itane ista tibi sunt potiora sapientia? AN. Nobis sic usu venit. MA. Jam illud mihi dicito, si quis Jupiter hanc potestatem tibi daret, ut possis & monachos tuos, & te ipsum vertere in quodcunque animal velles, an illos in porcos verteres, te ipsum in equum? AN. Nequaquam. MA. Atqui sic vitares, ne quis plus te uno saperet. AN. Mea non magni referret, quod genus animantis essent monachi, modo ipse essem homo. MA. An hominem esse censes, qui nec sapiat, nec velit sapere? AN. Mihi sapio. MA. Et sibi sapiunt sues. AN. Videre mihi [2] sophistria quæpiam, ita [3] argutaris. MA. Non dicam quid tu mihi videaris. Sed cur hæc displicet supellex? AN. Quia fusus & colus sunt arma muliebria. MA. Nonne matronæ est administrare rem domesticam, erudire liberos? AN. Est. MA. An rem tantam existimas administrari posse sine sapientia? AN. Non arbitror. MA. At hanc sapientiam docent me libri. AN. Ego domi habeo sexaginta duos monachos, tamen [4] nullum librum repe-

1 Notat luxum & magnificentiam porcorum istorum. Abbatum inquam.

2 *Sophistria*, pro muliere quæ sophisticis utitur argumentis, Respice pag. 198. & 226.

3 Argute argumenta colligis.

4 Egregiam vero laudem! Noverat Erasmus probe & in cute animalia ista, quæ non leviter ubique perstringit. En viri verba in *Ecclesiaste* suo, sive *de ratione concion.* lib. 2. *Pontifex toties exigit obedientiam à principibus, Episcopus à clericis ac Presbyteris suis, Abbas à monachis, additur jusjurandum, ut perjurii crimen objici possit, nisi per omnia mos geratur hominis voluntati, ne dicam libidini. Nam interdum fit, ut præpositus aliquis indoctus, stultus, fortassis nec sobrius monachum per sanctam Obedientiam, quasi per rem divinam obtestetur ut obtemperet. In quo? Non ut caste vivat, non ut a stineat ab ebrietate, non ut fugiat hypocrisim, sed quid? ne NB discat Græce, aut ne attingat libros eloquentium, aut aliud his etiam ineptius, quod intelligi malim, quam exprimere. Si monachus Baccho servit, si ventri indulget, si scortatur, si obtrectat, si odio & invidia madet, si nihil attigit sacrarum litterarum, nec perjurus est, nec inobediens. Si neglexit impetrata non sobrii ac supercilioſi præpositi, horrendum facinus admissum est.*

1 Con-

reperies in meo cubiculo. MA. Bene itaque [1] prospectum est monachis illis. AN. Feram libros, non fero Latinos. MA. Quapropter? AN. Quia non convenit ea lingua fœminis. MA. Exspecto caussam. AN. Quia parum facit ad tuendam illarum pudicitiam. MA. Ergo [2] nugacissimis fabulis pleni libri Gallice scripti [3] faciunt ad pudicitiam? AN. Aliud est. MA. Dic istud, quidquid est, aperte. AN. Tutiores sunt à sacerdotibus, si nesciant Latine. MA. Imo istinc minimum est periculi vestra opera; quandoquidem hoc agitis sedulo, ne sciatis Latine. AN. Vulgus ita sentit, quia rarum & insolitum est, fœminam scire Latine. MA. Quid mihi citas vulgum, pessimum bene gerendæ rei auctorem? Quid mihi consuetudinem, omnium malarum rerum magistram? Optimis assuescendum; ita fiet solitum, quod erat insolitum, & suave fiet, quod erat insuave: fiet decorum, quod videbatur indecorum. AN. Audio. MA. Nonne decorum est, fœminam in Germania natam discere Gallice? AN. Maxime. MA. Quam ob rem? AN. Ut loquatur cum his, qui sciunt Gallice. MA. Et mihi putas indecorum, si discam Latine, ut quotidie confabuler cum tot auctoribus, tam facundis, tam eruditis, tam sapientibus, tam [4] fidis consultoribus? AN. Libri adimunt multum cerebri fœminis, cum alioqui parum illis superfit. MA. Quantum vobis superfit, nescio; certe mihi quantulumcunque est, malim in bonis studiis consumere, quam in precibus sine mente dictis, in pernoctibus conviviis, [5] in exhauriendis, capa-

1 Consultum.

2 Ita res habet. Nam quid aliud habent plurimi isti libri Gallice scripti (vulgo *Romans*) quam mendaciorum & amatoriarum fabularum plaustra, quibus legendis cæca juventus magnam ætatis partem, melioribus studiis impendendam, turpiter perdit.

3 Conducunt.

4 Vere veterum libros, qui erudite conscripti sunt, fidos consultores vocat. Hinc illud: *optimi consultores mortui.*

5 Hac in parte non solum Abbates, sed & ipsi sacerdotes & monachi plus quam magistri sunt. Respice Colloquia de *Virgine μισογ*: & *Pœnit.* 1 Iro-

capacibus pateris. AN. Librorum familiaritas parit insaniam. MA. An colloquia combibonum, scurrarum, & sannionum tibi non pariunt insaniam? AN. Imo depellunt tædium. MA. Qui fiat igitur, ut tam amœni confabulones mihi pariant insaniam? AN. Sic ajunt. MA. At aliud ipsa loquitur res. Quanto plures videmus, quibus immodica potatio, & intempestiva convivia, quibus temulenta pervigilia, quibus impotentes affectus pepererunt insaniam? AN. Ego sane nollem uxorem doctam. MA. At ego mihi gratulor, cui contigerit maritus tui dissimilis. Nam & illum mihi, & me illi cariorem reddit eruditio. AN. Immensis laboribus comparatur eruditio, ac post moriendum est. MA. Dic mihi, [1] vir egregie, si cras tibi moriendum esset, utrum malles mori stultior an sapientior? AN. Si citra laborem contingeret sapientia. MA. Sed nihil homini citra laborem contingit in hac vita: & tamen quidquid paratum est, quantisvis laboribus comparatum est, heic relinquendum est: cur pigeat nos in re omnium pretiosissima [2] sumere laboris aliquid, cujus fructus nos in alteram quoque vitam comitatur? AN. Frequenter audivi vulgo dici, fœminam sapientem bis stultam esse. MA. Istuc quidem dici solet, sed à stultis. Fœmina quæ vere sapit, non videtur sibi sapere; contra, quæ cum nihil sapiat, sibi videtur sapere, ea demum bis stulta est. AN. Nescio quomodo fit, ut quemadmodum [3] clitellæ non conveniunt bovi, ita nec litteræ mulieri. MA. Atqui negare non potes,

1 Ironia. Heus bone vir.

2 Impendere.

3 *Clitellæ* sunt ἐπισάγματα, quibus farcinæ colligatæ mulis imponuntur. Quia vero hæ non bobus sed mulis adaptatæ sint, hinc in proverbio est: *Bovi clitellæ impositæ sunt*, ubi significari velimus negotium esse mandatum parum apto.

potes, quin magis quadrent clitellæ bovi, quam [1] mitra asino, aut sui. Quid sentis de Virgine matre? AN. Optime. MA. Nonne versabatur in libris? AN. Versabatur; at non in istis. MA. Quid igitur legebat? AN. [2] Horas canonicas. MA. Ad quem usum? AN. [3] Ordinis Benedictini. MA. Sit ita sane. Quid [4] Paula & Eustochium? Nonne versabantur in sacris libris? AN. Verum istuc nunc rarum est. MA. Sic olim [5] rara avis erat Abbas indoctus, nunc nihil vulgatius: olim principes & Cæsares eruditione non minus, quam imperio præeminebant. Neque tamen usque adeo rarum est, quam tu putas: sunt in Hispania, sunt in Italia non paucæ mulieres adprime nobiles, quæ cum quovis viro queant contendere: sunt [6] in Anglia Moricæ, sunt in Germania Bilibaldicæ & Blaurericæ. Quod nisi caveritis vos, res eo tandem evadet, ut nos præsideamus in scholis Theologicis, ut concionemur in templis; occupabimus mitras vestras. AN. Ista Deus avertat. MA. Imo vestrum erit hoc avertere. Quod si pergetis ut cœpistis,

1 *Mitra* Gr. *μίτρα*, significat cingulum, it. fasciam qua caput obligatur. Hoc loco ponitur pro tegumento capitis quo Episcopi, Abbates, ejusque farinæ homines utuntur. Egregium sane scomma.

2 Puta statas precatiunculas, quas certo numero Deo divisque admetiuntur Pontificii.

3 O horrendum ignorantiæ monstrum! quum Benedictus nondum esset natus.

4 *Paulam* hanc matronam Romanam, mortuo marito, plurimas suas facultates in pauperes erogasse ferunt: ejusque filiam *Eustochium* Latinatum, Græcarum, & Hebraicarum non solum fuisse peritissimam, sed in sacra scriptura supra sexum versatam. Vixerunt tempore Hieronymi. Non possum lectorem celare, hanc Paulam habuisse & alteram filiam Blosillam, quæ cum esse imprimis hortatu Hieronymi, monachali vitæ addixisset, ex duro vitæ genere, & macerationc corporis vitam finiit, unde plebs frequens in ejus funere occlamabat: *Quo usque genus detestabile monachorum non urbe pellitur? non lapidibus obruitur? non præcipitatur in fluctus? matronam nobilem seduxerunt*, &c. Qua oratione non obscure petebatur Hieronymus, qui Paulæ, ejusque filiabus acerrimos ad hanc professionem subdiderat aculeos.

5 Et jam superius annotavimus *rara avem* esse usitatam pro *re nova*, atque *rara*. Juvenelis: *Rara avis in terris, nigroque simillima cygno.*

6 Quas vocat Erasmus matronas, ex præclaris fuere familiis.

1 Alle-

cœpistis, citius anseres concionaturi sint, quam vos mutos pastores ferant. Videtis jam [1] inverti mundi scenam: aut [2] deponenda est persona, aut agendæ sunt suæ cuique partes. AN. Unde incidi in hanc fœminam? Si quando vises nos, ego te suavius accipiam. MA. Quibus modis? AN. Saltabimus, bibemus affatim, venabimur, ludemus, ridebimus. MA. Mihi quidem jam nunc ridere libet.

1 Allegoria à theatris, in quibus variæ scenæ. Tunc temporis improborum ecclesiasticorum vitia magis magisque viris nasutis aperiebantur.

2 Eadem est allegoria. Comici enim pro partibus suis varias induunt personas, quibus modo Regis, modo servi gestus exprimunt. *Persona* autem est facies apposititia. Respice notas in *Exercism.*

[1] EPITHALAMIUM PETRI ÆGIDII.

ALYPIUS, BALBINUS, MUSAE.

AL. DEum immortalem! quod ego novum spectaculum heic video? BA. Aut tu vides quod nusquam est, aut [2] mei parum prospiciunt oculi. AL. Atqui mirum spectaculum est & amabile. BA. [3] Enecas: dic. ubi vides? AL. Ad lævam in hoc [4] colle nemoroso, BA. Collem video. AL. Non vides [5] puellarum chorum? BA. Quid tibi venit in mentem, ut nos ad istum modum ludos facias?

1 Hoc Colloquio, cui inscribitur *Epithalamium*, i. e. carmen nuptiale celebrare voluit Erasmus nuptias amici sui, viri eruditissimi *Petri Ægidii*, tunc temporis civitatis Antverpiensis à libellis, cui dedicavit opusculuum suum parabolarum, sive similium. Fam dedicationem claudit autor his verbis. *Epithalamium tuum, quo minus & absolutum sit & editum, famulus meus in causa fuit, qui Lovanii, me quidem imprudente, reliquit exemplum. Bene vale. Basileæ, anno à Christo nato M D. XIV Idibus Octobris.* Adscripsi hæc, ut inde lector conjiceret, quo tempore fere hoc Colloquium scriptum fuerit.

2 Revisse frontem Colloquii senilis.

3 Quasi diceret, excrucias me, quum te amabile spectaculum ais videre, quod hic nusquam appareat. Sic & in Terentii Andr. & Phorm *Enecas.*

4 Indicat Parnassum montem, in quo Musas habitasse finxit antiquitas.

5 Novem Musarum chorum.

cias? Ego [1] ne muscam quidem puellam usquam conspicor. AL. Tace: prodeunt è nemore. [2] Papæ, qui nitor! quæ gratia! non humanum est hoc spectaculum. BA. Quæ hunc agitant [3] intemperiæ. AL. Agnosco; novem sunt Musæ, cum [4] tribus Gratiis: demiror quid agant; nunquam vidi [5] cultiores aut magis alacres: omnes sunt redimitæ lauro; & suum quæque gerit [6] organum. Porro Gratiæ quam amabiliter [7] sibi hærent! quam decet nullo adstricta cingulo vestis, ac liberis diffluens [8] laciniis! BA. At ego nunquam audivi quenquam magis delirantem, quam te. AL. Imo neminem vidisti me feliciorem. BA. Cur heic solus habes oculos? AL. Quia non bibisti [9] ex fonte Musarum: nam his solis conspicuæ sunt Musæ. BA. Ego affatim hausi [10] è fonte Scoti. AL. Non ille fons est Musarum, sed [11] lacus ranarum. BA. Non potes efficere, ut & ipse videam

1 Ne quidem muscam, id est nullam omnino. Plautina dictio est. Sueton. de Domitiano, cap. 3. Inter initia principatus quotidie secretum sibi horarium sumere solebat: nec quicquam amplius quam muscas captare, ac stylo præacuto configere: ut cuidam interroganti, esset ne quis intus cum Cæsare, non absurde responsum sit à Vibio Crispo: ne musca quidem.

2 Interjectio admirantis, vel subito mira audientis.

3 Id est, Furiæ. De tribus Furiis sæpius supra. *Hunc agitant Furiæ*, dicimus, ubi quis nobis videtur insanire.

4 Gratiæ, Gr. χάριτες, ab antiquis fictæ tres, Aglaia, Thalia, & Euphrosyne, Jovis & Eurynomes filiæ.

5 Meliori cultu ornatas.

6 Instrumentum.

7 Junctæ & consociatæ sunt. Quod gratiæ fere à poëtis sibi adhærentes depingantur, significat eos, quos gratia conjungit, ægre dissolvi. Inde Horatius lib. 3. Od. 21. *Segnesque nodum solvere Gratiæ.*

8. *Laciniæ* sinus, vel fimbria vestis.

9 Quem Poëtæ Hippocrenem vocant, ortum circa montem Heliconem in Bœotia, ex calcitratu Pegasi alati. Fabulata est antiquitas, eos, qui ex hoc fonte hausérant, repente Poëtas factos. Unde Persius in prologo. *Nec fonte labra prolui Caballino: Nec in bicipiti somniasse Parnasso Memini, ut repente sic poëta prodirem.*

10 Procul dubio jocus est in ambiguitate vocis *Scoti*, σκότος enim Græcis caligo est, & Scotus nomen proprium est subtilissimi istius ac pariter inutilissimi Joannis Duns, qui quæstionibus suis intricatis veritatem operuit. Inde *Scotistæ*. Non semel iste nobis extorsit notas.

11 Vere digitum intendit autor in Scotistarum quisquilias. Ejusmodi enim Philosophi (si tamen hoc nomine digni sint) nihil aliud quam ranarum instar strepunt, & semper in limo versantur.

videam hoc spectaculum? AL. Possem, siquidem adesset laurus: nam liquor è fonte limpido, ramo lauri adspersus, oculos reddit hujusmodi spectaculorum perspicaces. BA. Ecce laurus: ecce fonticulus. AL. Commodum profecto. BA. Aspergе. AL. Intende: videsne? BA. Quantum antea. Aspergе rursus. AL. Jamne vides? BA. Tantundem. Aspergе copiosius. AL. Jam vides, opinor. BA. Imo vix te video. AL. Miser, quam penitus oculos tuos obsedit [1] τὸ σκότος! Hæc ars vel aurigæ daret oculos. Verum non est quod crucieris: præstiterit fortasse non videre, ne tali præmio videas Musas, quali [2] Actæon vidit Dianam. Periculum enim esset, ne te vertant in [3] histricem, aut aprum silvestrem, aut porcum, aut camelum, aut ranam, aut graculum. Efficiam tamen ut audias, modo ne obstrepas. Jam huc deflectunt viam: occurramus. [4] Χαίρετε τριπόθητοι θεαί. MU. [5] Καὶ σὺ μάλα χαῖρε φιλόμβστε. AL. Quid vellicas? BA. Non præstas quod promiseras. AL. An non audis? BA. Audio, sed [6] velut asinus lyram. AL. Loquar igitur Latine. Quonam est iter tam cultis, tamque alacribus? Num invisitis [7] Lovanienſium Academiam. MU. [8] Bona verba. AL. Quam ob rem? MU. Quis nunc ille nobis locus, que ejiciat.

1 Id est, tenebræ. Vide modo annotata.

2 Fabula trita est, quam narrat Ovid. Metamorph. lib. 3. fab. 2. Actæon Aristæi & Autonoes filius, venando fessus, & petens locum ad refrigerandum se, forte pervenit ad fontem in valle Cargaphiæ, ad quam Diana nuda cum comitibus aliquot nymphis se abluebat, quæ irata mox eum in cervum mutavit, ne quod vidisset, posset eloqui: ita miser ille Actæon pro fera à suis canibus lacerатus est.

3 Histrix spinosum animal, quod spinis, in modum erinacei horreat, easque ejiciat.

4 Χαίρετε τριπόθητοι θεαί: Id est, *Avete optatissimæ Deæ.*

5 Καὶ σὺ μάλα χαῖρε φιλόμβστε. Id est, *Et tu multum salve amator Musarum.*

6 Quasi diceret, *audio, sed non quod intelligam.* Deflexum est à proverbio. *Asinus ad lyram:* quod quadrat in stupidos atque indociles, qui tractant artificium, cujus prorsus rudes sunt.

7 Est Lovanium Brabantiæ urbs primaria, insigni Academia nobilis.

8 Charientissimus. Respice pag. 348. & alibi.

cus, ubi tot porci obgrunniunt, obrudunt asini, [1] oblactiunt cameli, obstrepunt graculi, obgarriunt picæ? AL. Atqui sunt & illic, [2] quibus vestrum numen est venerandum. MU. Scimus; eoque post annos aliquot illic commigrabimus. Nondum revoluta seculorum [3] periodus diem illum fatalem advexit. Erit enim qui illic nobis amœnum exstruet domicilium, vel templum potius, quo vix alibi magnificentius ac sanctius. AL. Non est fas scire, quisnam tantum decus invecturus sit nostræ ditioni? MU. Tibi fas est, nostrorum sacrorum [4] mystæ. Non dubium est, quin tibi notum sit toto orbe celebre Buslidianorum nomen. AL. Heroicum genus nominasti, & ornandis summorum principum aulis natum. Quis enim non veneratur magnum illum [5] Franciscum Buslidium [6] Besontinæ ecclesiæ præsulem, qui unus non unum [7] Nestorem præstitit [8] Philippo maximi Maximiliani filio, Caroli, qui [9] major futurus est, patri? MU.

1 *Blactire* proprie camelorum est, ut *grunnire* porcorum.

2 Q. d. qui eruditionem, artes & scientias magni faciunt. Nam tunc temporis inter plurimos barbaros doctores fuerunt tamen pauci, qui politiorem litteraturam tenebris eruere in hac Academia Lovaniensi summa ope nitebantur.

3 Περίδος circuitus, ambitus.

4 *Mysta* dicitur, qui sacris initiatus, vel qui mysteriorum peritus est à μυέω, sacra doceo. It. μυςαγωγὸς.

5 Est hic ille Franciscus Buslidius Archiepiscopus Besontinus, qui Collegium trilingue Lovanii instituit, frater Ægidii & Hieronymi Buslidii, de quibus mox dicturi sumus.

6 *Besontium* vel *Bisontium* metropolis Burgundiæ, vulgo *Besançon*.

7 *Nestorem* hic accipe per antonomasiam pro prudenti, fido, & facundo sene, qualis fuit ille trisæchus Nestor, Nelei & Chloridis filius, passim apud Homerum laudatus.

8 Est hic Philippus XXIX. Hollandiæ comes, filius Maximiliani Cæsaris & Mariæ, Caroli bellicosi filiæ. In Hispania Joannam Ferdinandi regis filiam uxorem duxit, & ita jure matrimonii regni Hispanici administrationem adeptus anno 1506. in civitate Brugensi obiit, relictis duobus filiis Carolo, & Ferdinando, & quatuor filiabus. Vide infra Coloq. ἵππ. ἄνιππ. sive *Ement. nobil.*

9 Recte *major*, utpote qui omnis paterni imperii hæres, insuper Romanorum Imperator creatus est. Dein vero post cruentissima bella, innumeris triumphis clarus, abdicato imperio, privatus in monasterio ordinis Hieronymiani (est illud in Lusitaniæ, Castellæque finibus, haud procul à Placentia civitate,

MU. O felices nos, nisi fata virum illum terris invidissent! Quantus erat ille [1] Mæcenas honestorum studiorum, quam candidus fautor ingeniorum! Sed reliquit fratres duos, [2] Ægidium, admirabili judicio prudentiaque virum, & [3] Hieronymum. AL. Hieronymum novimus, omni litterarum genere perpolitum, omni virtutum genere decoratum. MU. Nec eum fata longævum esse patientur, tametsi nemo dignior est immortalitate. AL. Unde ista nostis? MU. Apollo nobis denarravit. AL. Quænam est ista fatorum invidia, ut optima quæque protinus [4] subducant. MU. Id quidem non est hujus temporis philosophari. Sed Hieronymus heic summa cum laude moriens universas opes suas destinabit instituendo Lovanii collegio, in quo gratis & publicitus tres linguas eruditissimi viri profitebuntur. Ea res magnum ornamentum adjunget & studiis, & Caroli gloriæ. Tum non illibenter versabimur Lovanii.

te, situm) ingenti religionis specie excessit ille gigas, qui Herculeos ultra terminos extendisse manus gloriabatur.

1 Id est, *fautor*. Mæcenas, ille Eques Romanus, qui sub Augusto Cæsare vixit, fuit doctorum virorum amantissimus. Hinc per antonomasiam præstantium ingeniorum fautores dicuntur Mæcenates.

2 Ægidius Buslidius, Hieronymi & Francisci frater, fuit regi Hispaniarum à rationibus. Extat Erasmi epistola ad eum scripta anno 1518. in qua mortem Hieronymi deflet, addito epitaphio Græco & Latino. Ea est mihi in editione Londinensi epist. 6 lib. 3.

3 Scripsit quoque ad hunc ipsum Hieronymum Buslidium, Ægidii, & Francisci fratrem, Erasmus epistolam, quæ est in editione Londinensi 9. lib. 29. de obitu Philippi, Maximiliani filii Ejus exordium hoc loco adscribere mihi non absurdum visum est. Hieronymo Buslidiano, præposito Ariensi, Consiliario regio Erasmus Roterod. S. D. *Rumor jam pridem hic perseverat acerbior, quam ut verum esse libeat credere, sed constantior tamen, quam ut vanus credi possit*, Philippum *principem nostrum è vivis excessisse. Quid querar, mi Buslidiane, quid vociferer, quem in usem, hominumve, Deumve? Quæ comploratio tam tragica, quæ huic tam atroci vulneri officiat? Nimio, heu nimio constitistis Hispaniæ, quæ quidem primum* Franciscum Buslidianum, *Archiepiscopum Bisontinum, nobis ademistis, neque tanti viri jactura contentæ principem etiam eum absorbuistis, quo (si vivere modo licuisset) nihil habuit hic orbis neque majus neque melius, &c. Cujus ego vicem hic potissimum deplorem?* Maximiliani *patris? &c. An liberorum magis, &c. An patriæ, &c. An potius orbis universi &c.* Plura si desideret lector, ipsam quærat epistolam scriptam ab Erasmo Bononiæ anno 1506.

4 Auferant, è medio tollant.

vánii. AL. Quo nunc igitur est iter? MU. Antverpiam. AL. Musæ & Gratiæ ad mercatum? MU. Nequaquam; imo ad nuptias. AL. Quid virginibus cum nuptiis? MU. Ad tales nuptias non est indecorum ire virgines. AL. Quas igitur nuptias narras? MU. Sanctas, puras, castas, ad quas non puderet ipsam adire [1] Palladem; & arbitror adfuturam. AL. Non est fas scire sponsi nomen & sponsæ? MU. Arbitror tibi non ignotum esse candidissimum illum juvenem, & omnibus politioris litteraturæ deliciis expolitissimum, [2] Petrum Ægidium. AL. Gemmam nominastis, non hominem. MU. Ei nubet Cornelia, virgunccula vel ipso digna Apolline. AL. Ille quidem vestri cultor eximius à teneris annis fuit. MU. Huic igitur canemus [3] epithalamium. AL. Et saltabunt Gratiæ? MU. Non modo saltabunt, verum etiam duo candidissima pectora indissolubilibus mutuæ benevolentiæ nodis [4] copulabunt, ut nihil unquam inter illos possit incidere vel iræ, vel tædii. Illa perpetuum nihil audiet, nisi, mea lux: ille vicissim nihil, nisi, Anime mi. Atque huic jucunditati ne senectus quidem quidquam detrahet, imo potius adjunget aliquid. AL. Demirarer, si, qui sic vivunt, possint senescere. MU. Recte mones: nam maturitas erit potius, quam senectus. AL. Atqui novi permultos, quibus intra menses treis, istæ verborum blanditiæ longe in diversum versæ sunt, & in convivio pro lepidis jocis volitabant [5] disci & quadrulæ. Maritus pro, Anime mi, audiebat

1 Sapientiæ & belli Deam.
2 Vide inscriptionem Colloquii.
3 Carmen nuptiale.
4 Juxta illud Horatii Od lib. 1. *Felices ter & amplius, Quos irrupta tenet copula, nec malis Divulsos querimoniis Suprema citius solvet amor die.*
5 Patinæ. Originem respice in *Diversoriis* pag. 276.

diebat, [1] fungus, [2] lagena, [3] spongia: uxor, [4] scropha, [5] Acco, [6] vomica. MU. Vera prædicas: sed istiusmodi nuptiæ [7] Gratiis iratis coierant; heiç perpetuo morum jucunditas alet mutuam benevolentiam. AL. Narras tu quidem raram matrimonii felicitatem. MU. Tam raras virtutes rara decet felicitas. AL. Quid? coibunt nuptiæ absque [8] Junone & Venere? MU. Juno quidem non aderit, rixosa Dea, & cui raro bene convenit cum suo Jove. Ne Venus quidem [9] illa terrestris & ebriosa, verum altera illa cœlestis, quæ conciliat formas animorum. AL. Proinde sterile matrimonium mihi narras. MU. Nequaquam: imo felicissime fœcundum. AL. Quid illa cœlestis gignit, nisi animos? MU. Imo addit & corpora, sed ipsis animis morigera, perinde quasi gemmeo [10] myrothecio indas [11] opobalsamum. AL. Ubinam est ea? MU. En tibi procul adventat. AL. Video: Deum immortalem, qui fulgor, quæ formæ majestas! ad hanc quidem altera Venus invenusta est. MU. Vides quam modesti [12] Cupidines, nequaquam cæci, quemadmodum illi, quibus altera dementat

1 *Fungus* pro stolido.

2 *Lagena* pro ebrioso, qui lagenas exhaurit.

3 *Spongia* item pro malido, & temulento, qui instar spongiæ, vinum imbibit. Isaacus Vossius ad Catulli carmen de Scorto Mamuriæ, quod incipit *Ain sane puella &c.* inter alia satis sordida; quam vero turpis visa fuerit Romanis spongiæ appellatio, patet quoque è Seneca Controv. lib. 3. in præfatione, cum Albutium reprehendit, qui in declamationibus *res dicebat omnium sordidissimas, acetum, pulejum, Damam, philerotem, laternas, spongias.*

4 Sus, quæ multos porcos peperit.

5 *Acco* nomen mulieris ob stultitiam nobilis, ita ut in proverbium abierit.

6 *Vomica* idem quod ulcus. Sic appellamus nobis molestos. Et Augustus Julias suas & Agrippam *non aliter quam tres vomicas, aut tria carcinomata sua appellabat.* Sueton. in Augusto.

7 Gratiis non faventibus, i. e. absque mutuo amore.

8 Nam & Juno nubentibus præesse credita, unde pronuba Juno.

9 Allusit ad hoc, quod Socrates apud Platonem facit duas Veneres & duos Cupidines.

10 *Myrothecium* vasculum unguentarium, μύρον unguentum.

11 Ὀποβάλσαμον, succus qui ex balsamo manat.

12 De Cupidine filio Veneris respice supra.

mentat animos mortalium, sed oculatissimi: nec habent insanas faces, sed ignes placidissimos; nec habent [1] plumbeas cuspides, quibus immittunt odium amantis, ac miseros animos amore non mutuo discruciant. AL. Plane matrem referunt. O felicem illam domum, & superis egregie caram! Cæterum licetne audire epithalamium carmen, quod illi destinastis? MU. Imo rogamus, ut libeat audire.

CLIO.

Candida laurigero nubit Cornelia Petro,
[2] Auspiciis adsint numina [3] dextra bonis.

MELPOMENE.

Contingat illis [4] turturum concordia,
[5] Corniculæ vivacitas.

THALIA.

Ille caritate [6] Gracchum Tiberium præcesserit.
Qui suæ vitam antepositi conjugis Corneliæ.

EUTERPE.

Illi caritate superet [7] conjugem Admeti ducis,
Quæ volens mortem mariti morte mutavit sua.

TER-

1 Solvent quicquid istud est ænigmatis, quæ alibi diximus.

2 De Auspiciis passim in colloquiis annotavimus, pag. 6 & alibi.

3 Propitia, felicia.

4 Est in hac ave singulare studium mutui amoris, & castitatis, ut ajunt: unde & offerebatur in sacrificio in puerpera & olim in nuptiis ejus concordia commendabatur.

5 *Cornicibus vivacior*: de vehementer annosis proverbialis hyperbole est, ab ejus avis prodigiosa vivacitate sumpta, cui Hesiodus novem tribuit hominis secula. Ita enim inquit ἐννέα τοι ζώει γενὰς λακέρυζα κορώνη. Id est, *ter tria secula hominu transmittit garrula cornix.* Credis lector? per me licet.

6 Tib. & C. Gracchorum patrem. Ferunt, eum cum aliquando in lecto par anguium reperisset & arioli eo prodigio considerato, jussissent neque interficere utrumque, neque dimittere, sed alterum modo: dixissentque matrem cæsum Tiberio, fœminam necatam Corneliæ mortem afferre, amore uxoris adductum, & quod se oppetere exacta jam ætate æquius esse putaret, quam Corneliam adhuc florentem, dimissa fœmina, matrem necasse, neque diu post vita abiisse, relicta sua uxore Cornelia cum XII. ex eo susceptis liberis. Plutarch in Tib. Graccho.

7 Admeti Thessalorum regis uxor fuit

TERPSICHORE.

Ille non flagret leviore [1] *flamma,*
Attamen fato meliore, quam olim.
[2] *Plautius raptæ sociæ gravatus*
Esse superstes.

ERATO.

Illa non flagret leviore flamma,
Attamen longe meliore fato,
Casta quam sanctum deamavit olim
[3] *Portia Brutum.*

CALLIOPE.

Sponsum moribus undiquaque sanctis
Nec [4] *Nasica probatus antecellat.*

URANIA.

Uxor moribus undiquabue castis
Vincat [5] *Sulpitiam Paterculanam.*

POLY-

fuit Alceste, quæ promptissime se morti obtulit, cum ægrotante marito ab oraculo responsum esset relatum, brevi illum moriturum, nisi quis amicorum pro eo moreretur. Extat de hac Alceste Euripidis tragœdia.

1 Amore.

2 Valerius Maximus lib. 4. cap. 6. de amore conjugali duo narrat exempla Plauticorum (sunt qui Plantiorum legunt.) Alterum, C. Plautii Numidæ, qui morte uxoris audita, doloris impotens pectus suum gladio percussit. Alterum M. Plautii, qui cum imperio Senatus classem sociorum sexaginta navium in Asiam reduceret, Tarentumque appulisset, atque ibi uxor ejus Oresilla, quæ illuc eum prosecuta fuerat, morbo presta decessisset; funerata ea, atque in rogum imposita, inter officium ungendi, & osculandi, stricto ferro incubuit. Quem amici, sicut erat, togatum & calceatum corpori conjugis junxerunt, ac deinde subjectis facibus utrumque concremaverunt.

3 Portia Catonis filia, cum maritum suum Brutum apud Philippos interemptum cognosceret, quia ferrum non dabatur, ardentes ore carbones hausit, & se suffocavit.

4 Hic est ille Scipio Nasica, qui à Senatu vir optimus judicatus matrem Deorum primitus advectam hospitio excepit. Quanquam autem præcipuas dignitates & munia obiisset, nil tamen superetat, unde mortuus tumulo mandaretur.

5 Legitur apud Livium de Sulpitia Paterculi filia, Fulvii Flacci uxore, quæ ob pudicitiam è centum matronis lecta fuit ad dedicandum Romæ Veneris simulachrum.

POLYHYMNIA.

Laudetur simili prole puerpera,
Accrescat domui res simul & decus,
Sed livore vacet, si fieri potest,
Factis egregiis debita gloria.

AL. Prorsus inviderem illi Petro Ægidio, nisi tantus esset hominis candor, ut ipse nemini possit invidere. MU. Sed jam tempus est, ut cœptum carpamus iter. AL. Nunquid est quod interim velitis renuntiari Lovanium? MU. Ut nostro nomine salutes amicos omnes candidos, ac nostri studiosos, sed præ cæteris vetustissimum nostri chori cultorem Joannem Paludanum, Jodocum Gaverium, Martinum Dorpium, & Joannem Borsalum. AL. Id quidem fiet diligenter: quid [1] cæteris? MU. Dicam in aurem. AL. [2] Res non est magni sumtus: itaque fiet quam primum.

1 Barbaris istis magistris, quos supra porcos, asinos, camelos &c. appellavit, & quorum eo tempore satis ingens copia erat.

2 Videtur hoc dictum in aurem, *ut suspendant sese.*

[1] EXORCISMUS, SIVE SPECTRUM.

THOMAS, ANSELMUS.

TH. QUid est bonæ rei, quod tecum rides tam suaviter, quasi thesaurum nactus sis. AN. [2] Non procul aberrat à scopo tua divinatio. TH. At

1 Ἐξορκισμὸς adjuratio. Intelligit autor adjurationem, qua utuntur Pontificii sacerdotes, in ejiciendis dæmoniis, ut ajunt, vel obtestandis spectris, quæ rudis popellus, ab istis veteratoribus deceptus, tametsi non videat, nonnunquam tamen se videre credit. Describturus itaque est in hoc Colloquio fictum ejusmodi spectrum, & vanissimam sacrificulorum quorundam superstitionem, qui aqua sua consecrata, Agnis Dei, ut vocant, crucibus, circulis, & certis verbis barbaris spectra, vel dæmones istos student abigere.

2 Id est, rem ipsam fere conjectura tua assequeris. Adagium ductum à jaculatoribus.

1 Ita

At non imparties sodali quidquid istuc est boni? AN. Imo jam dudum [1] optabam mihi dari quempiam, in cujus sinum effunderem hoc meum gaudium. TH. Age igitur, imparti. AN. Audivi modo fabulam lepidissimam, quam jures esse comicum figmentum, nisi mihi locus, personæ, totaque res esset tam nota, quam tu notus es mihi. TH. Audire gestio. AN. Nostine Polum Fauni generum? TH. Maxime. AN. Is est & auctor, & actor hujus fabulæ. TH. Facile crediderim. Nam ille vel [2] absque persona possit quamvis agere fabulam. AN. Sic est. Nosti, opinor, & prædium, quod habet non ita procul à [3] Londino. TH. Phy: non semel illic compotavimus. AN. Agnoscis igitur viam utrinque arboribus pari digestis intervallo septam. TH. Ad lævam ædium partem, altero fere [4] balistæ jactu. AN. Tenes. Alterum viæ latus habet alveum siccum, dumis ac vepribus obsitum: è ponticulo iter est in apertam planiciem. TH. Memini. AN. Jam pridem vagabatur rumor, ac fabula per ejus loci rusticos, juxta ponticulum hunc observari spectrum quoddam, cujus subinde exaudirentur miserandi ejulatus: suspicabantur [5] animam esse cujuspiam, quæ diris cruciatibus torqueretur. TH. Quis auctor erat istius rumoris. AN. Quis nisi Polus? Hoc [6] proœmium præstruxerat suæ fabulæ. TH. Quid isti venit in mentem, ut ista confingeret? AN. Nescio, nisi quia sic est hominis ingenium; gaudet hujusmodi com-

1 Ita fere Pamphilus ille Terentianus: *Sed quem ego potissimum exoptem nunc mihi cui hæc narrem dari?*

2 Alludit ad fabularum actores. Histriones personati agebant fabulas. *Persona* autem est facies appositicia.

3 Totius Angliæ oppido primario.

4 *Ballista* à βάλλω jacio, instrumentum bellicum est, quo tela vel saxa mittuntur.

5 Hujusmodi fabulas impii sacerdotes & monachi vulgo obtrudunt, ut homines simplices largiter dent, quo precious & Missis suis istas miseras animas ex hocto suo purgatorio liberare velint.

6 Προοίμιον, exordium. Vide infra *Conv. fabulos.*

commentis ludere ſtultitiam populi. Dicam quid nuper deſignarit hujus generis. Simul equitabamus aliquam multi[1] Richemondam, inter quos erant, quos tu diceres cordatos homines. Cœlum erat mire ſerenum, nec ulla uſquam nubecula ſuffuſcatum. Ibi Polus, intentis in cœlum oculis, ſignavit totam faciem ac ſcapulas imagine crucis; & vultu ad ſtuporem compoſito, ita ſecum: Deum immortalem! quid ego video? Rogantibus qui proxime equitabant, quid videret, rurſus obſignans ſe majore cruce: Avertat, inquit, clementiſſimus Deus hoc oſtentum. Cum inſtarent aviditate cognoſcendi, ille defixis in cœlum oculis, ac digito commonſtrans cœli locum, Nonne, inquit, videtis illic immanem draconem, igneis armatum cornibus, cauda in circulum retorta? Cum negarent ſe videre, atque ille juſſiſſet oculos intenderent, ac locum ſubinde commonſtraret, tandem unus quispiam, ne videretur parum oculatus, affirmavit, ſe quoque videre. Hunc imitatus eſt unus item atque alter: pudebat enim non videre quod tam eſſet perſpicuum. Quid multis? Intra triduum rumor hic totam Angliam pervaſerat, tale[2] portentum apparuiſſe. Mirum autem, quantum fama popularis addidit fabulæ. Nec deerant, qui, quid ſibi vellet oſtentum, interpretarentur ſerio. Horum ſtultitia ille, qui commentus fuerat argumentum, magna cum voluptate fruebatur. TH. Agnoſco hominis ingenium. Sed redi ad ſpectrum. AN. Interea[3] commodum divertit ad Polum Faunus quidam ſacerdos, ex eorum genere, quibus non ſatis eſt appellari Latine regulares,

1 *Richemonda* primaria urbs eſt Comitatus *Richmond-ſchire*, qui pars eſt agri Eboracenſis, Angl. *York*, in Anglia.

2 Idem quod oſtentum, quod aliquid portendit, vel oſtendit futurum.

3 Opportune.

lares, nisi [1] Græce cognomen idem accinatur, [2] parochus vici illic alicunde vicini. Is sibi non vulgariter videbatur sapere, præsertim in rebus sacris. TH. Intelligo; repertus est actor fabulæ. AN. Super cœnam ortus est sermo de rumore spectri. Cum Polus sentiret, Fauno rumorem hunc non solum auditum esse, verum etiam creditum, cœpit hominem obtestari, vir doctus ac pius succurreret animulæ tam dira patienti: & si quid dubitas, inquit, explora rem: obambula ad decimam juxta ponticulum, & audies miserum ejulatum: adjunge tibi quem voles comitem; ita & tutior audies, & certior. TH. Quid deinde? AN. Cœna peracta Polus ex more abit venatum, aut aucupatum. Faunus obambulans, cum jam tenebræ sustulissent certum de rebus judicium, tandem, audit miserandos gemitus: hos Polus artifex mire effingebat, abditus illic in [3] vepreto, adhibita ad id olla fictili: quo vox cavo reddita lugubrius quiddam sonaret. TH. Hæc fabula, ut video, vincit [4] Phasma Menandri. AN. Magis istuc dices, si totam audieris. Faunus domum se recepit, narrare cupiens quid audisset. Polus alia via compendiaria jam anteverterat. Ibi Faunus narrat Polo, quod erat actum, & aliquid etiam affingit, quo res esset admirabilior.

1 Ludit, vocantur enim Canonici, à κανὼν regula &c. Respice Colloq. *senile* pag. 337.

2 Parochi proprie, ἀπὸ τῦ παρέχειν, i. e. à præbendo dicti, quod legatis publice Roma missis ligna & sal suppeditare illorum munus esset, ut constat ex Horatio Sat. 5. lib. 1. *Proxima Campano ponti quæ villula tecta Præbuit, & Parochi, quæ debent, ligna, salemque.* Inter Pontificios vero parochus sumitur pro eo, qui Ecclesiæ præest, i. e. alicujus vici sacerdos. Si Budæo fides, ita dictus, à præbendo pane isto orbiculari, quem Papicolæ corpus domini appellant.

3 Loco dumis ac vepribus obsito, qualem paulo superius descripsit.

4 Menander Athenienſis. Græcorum Comicorum doctissimus, conscripsit LXXX. Comœdias, inter quas *Phasma*, i. e. spectrum fabulæ nomen est: in qua puella potiebatur amatore suo, ficta apparitione Deæ, cui fiebant sacra. Vide Donati notas in prologum Eunuchi Terentiani, ubi hæc verba. *Idem Menandri Phasma nunc nuper dedit.*

bilior. TH. Poterat interim Polus tenere risum? AN. Illene? Vultum habet in manu. Dixisses rem serio agi. Tandem Faunus, vehementer obtestante Polo, suscepit negotium exorcismi, ac totam eam noctem agit insomnem, dum [1] dispicit quibus modis rem aggrederetur tuto: nam sibi quoque misere metuebat. Primum itaque congesti sunt exorcismi efficacissimi, & additi novi nonnulli [2] per viscera beatæ Mariæ, per ossa beatæ [3] Werenfridæ. Deinde delectus est locus in planitie vicina vepreto, unde vox exaudiebatur: circumductus est [4] circulus satis amplus, qui crebras haberet cruces, variasque notulas. Hæc omnia peragebantur verbis conceptis. Adhibitum est vas ingens, plenum aquæ consecratæ. Addita est in collum sacra [5] stola, quam vocant, unde pendebat [6] initium Evangelii secundum Joannem. In loculis habebat [7] cerulam, à Romano pontifice quotannis consecrari solitam, quæ vulgo dicitur Agnus Dei. His armis olim se muniebant adversus noxios dæmones, prius quam illis [8] Franciſci cuculla cæpit esse formidabilis. Hæc omnia procurata sunt, ne, si spiritus malus esset, impetum faceret in [9] exorcistam. Nec tamen ausus est se solum huic

1 Animo peragit.

2 Scite depingit Pontificiorum insaniam, qui illud nomen Mariæ pro efficacissimo remedio adversus cacodæmones habent.

3 Apud Anglos olim hæc diva magno fuit in honore.

4 Eodem modo solent ii impostores, qui se magicos vocant, se circumscribere circulo, variis quisquiliis obtexto.

5 Στολὴ Græcis vestimentum. Ir genus vestis promissæ, Mediſque pro ptiæ. Hoc loco sumitur pro ornatu quodam, ex collo sacerdotum pontificiorum dependente in pectus.

6 Hujusmodi initia Evangelii secundum Joannem, non sine horrenda superstitione, in codicillis descripta, & nominibus Jesu & Mariæ in fronte signata, usurpantur à Papicolis non solum in exorcismis suis, verum etiam in tum hominum, tum pecorum morbis sanandis.

7 Ceream imagunculam.

8 Ridet autor dementiam eorum, qui inter alia, Franciscano cucullo nescio quam vim adversus Diaboli insultus adscribunt. Latine dici *cucullum*, non *cucullam* monui supra. Quæ de veste Franciscana dicta sunt revise pag. 356.

9 Ἐξορκιστὴς, est ille qui adjurat.

1 Nasus

huic circulo committere: sed decretum est, adhibendum esse sacerdotem alterum. Ibi Polus metuens, ne, si [1] nasutior adjunctus fuisset, proderetur fabulæ mysterium, adjungit [2] parochum quendam ex vicinia, cui rem totam aperit: sic enim postulabat actio fabulæ; & erat is, qui à tali ludo non abhorreret. Postridie rebus omnibus rite præparatis, sub horam decimam Faunus cum parocho circulum ingreditur. Polus, qui præcesserat, è vepreto gemit miserabiliter. Faunus auspicatur exorcismum. Interim Polus clam per tenebras subducit se in villam proximam. Illinc adducit aliam personam fabulæ: nec enim poterat nisi per multos agi. TH. Quid faciunt? AN. Conscendunt equos nigros, ignem occultum secum ferunt. Ubi non procul abessent à circulo, ignem ostentant, quo metu Faunum abigerent è circulo. TH. Quantum operæ sumsit Polus ille, ut falleret! AN. Sic est homo. Verum ea res propemodum pessime [3] cesserat illis. TH. Qui sic? AN. Nam equi subito prolato igne consternati parum abfuit quin & se præcipitarent, & sessores. Habes [4] primum actum fabulæ. Ubi reditum est in colloquium, Polus velut ignarus omnium, rogat quid esset actum. Ibi Faunus narrat sibi conspectos tuos deterrimos [5] cacodæmones, in nigris equis, oculis igneis, ac naribus spirantes ignem; qui tentassent ingredi circulum, verum efficacibus verbis abactos in [6] malam rem. His rebus cum accreviſſet animus Fauno, postero die summo cum apparatu

1 Nasus pro acumine, & sagacitate. immo & judicio veteribus usitatus est Hinc nasuti pro sagacibus, doctis, & salsis derisoribus.

2 Respice pag. 381.

3 Evenerat.

4 Habet enim fabula actus V. secundum illud Horatii, quod & superius annotavimus. *Neve minor quinto, neu sit productior actu.*

5 Malos Dæmones, κακὸς, *malus*, δαίμων Deus vel Dea, Genius, Angelus, ut vocant.

6 Utuntur hoc dicto, qui quempiam diris devovent, & ad Orci satellitium ablegant. Terent. in Eun Act. 3. Sc. 3. *Malam rem!* simile est *in malam crucem.*

ratu rediit in circulum: cumque diu multis obtestationibus provocasset spectrum, Polus rursum, cum [1] collega suo procul ostendit sese ex equis atris, horrendo fremitu, quasi cuperent irrumpere in circulum. TH. Nihil habebant ignis? AN. Nihil; nam id male cesserat. Sed audi aliud commentum. Ducebant longum funem: eo leviter per humum tracto, dum hinc atque hinc uterque se proripit, velut abacti exorcismis Fauni, sacerdotem utrumque, una cum vase quod habebant aquæ sacræ plenum, provolvunt in terram. TH. Hoc præmii tulit pro sua actione parochus? AN. Tulit: & tamen maluit hoc perpeti, quam deserere cœptam fabulam. His ita gestis, ubi reditum est ad colloquium, deprædicat apud Polum Faunus, quanto fuisset in periculo, & quam fortiter utrumque cacodæmonem suis verbis profligasset: jamque certam conceperat fiduciam, nullum esse tam noxium aut impudentem dæmonem, qui posset in circulum irrumpere. TH. Faunus ille non multum abest à fatuo. AN. Nihil adhuc audisti. Huc usque progressa fabula, commodum supervenit Poli gener: nam ejus filiam duxerat natu maximam, juvenis, ut scis, ingenio mire festivo. TH. Scio, nec abhorrens ab hujusmodi jocis. AN. Abhorrens? Nullum ille [2] vadimoniũ non desereret, si talis vel spectanda, vel agenda esset fabula. Huic socer rem omnem denarrat; atque illi delegat [3] partes, ut animam [4] agat. Sumit ornatum, ac lubens; convolvit se linteo, quemadmodum apud nos solent funera: habet prunam vivam in testa, quæ per linteum reddebat speciem incendii. Sub noctem

1 Socio: alioquin collegæ dicuntur, qui sunt unius collegii.

2 Id est, rem quamlibet seriam, & magni momenti. *Vadimonium* enim (quæ est sponsio se sistendi in judicio) deserere, turpe & damnosum erat.

3 In fabulis singuli histriones suas agunt partes.

4 Ut *agat animam*, hoc loco significat, ut ficto ejulatu, aliisque prætigiis simularet se esse animam illam, quæ tam dira patiebatur. Alioquin *agere animam* sumitur pro exhalare.

1 Pro-

ctem itum est ad locum, ubi hæc agebatur fabula. Audiuntur miri gemitus. Faunus [1] expedit exorcismos omnes. Tandem procul inter vepretum ostendit sese anima, subinde ostentans ignem, ac misere suspirans. Hanc cum Faunus obtestaretur, ut eloqueretur quisnam esset, subito prosiliit è vepreto Polus ornatu cacodæmonis, fictoque fremitu: Nihil, inquit, tibi juris est in hanc animam; mea est: ac subinde procurrit usque ad oram circuli, velut impetum facturus in exorcistam; moxque velut submotus verbis exorcismi, & vi aquæ sacræ quam illi multam asperserit, retrocessit. Tandem abacto [2] pædagogo dæmone, nascitur [3] dialogismus Fauni cum anima. Percunctanti, & obtestanti, respondit se esse animam hominis Christiani; Rogata, quo nomine vocaretur, respondit; Faunus: Faunus, inquit, idem mihi nomen est. Jamque ex communi nomine res cœpit illi magis esse cordi, ut Faunus Faunum liberaret. Cum Faunus multa percunctaretur; ne diutina confabulatio proderet [4] fucum, subducebat sese anima, negans sibi fas esse diutius colloqui, quod tempus urgeret, quo cogeretur abire, quo liberet dæmoni: pollicita tamen est sese postridie redituram hora qua fas esset. Rursus convenitur in ædibus Poli, qui [5] choragus erat fabulæ. Ibi denarrat exorcista quid esset gestum, nonnulla etiam admentiens, quæ sibi tamen persuadebat

1 Profert.

2 *Pædagogi* proprie dicebantur servi, qui heriles filios in scholas ducebant, atque inde domum reducebant, ἀπὸ τῆς παίδας ἄγεσθαι. Dein & ipsi magistri ita dicti. Hic vero optime Dæmonem, qui servabat animam, pædagogum vocat: imitatus Terentium, qui in Phorm. Act. 1. Sc. 2. Phædriam puellæ *pædagogum* nominat, quod eam servabat, nec unquam ab ea discedebat. Nunc & puerorum magistros pædagogos vocant.

3 Διαλογισμὸς confabulatio, hic idem est quod διάλογος, i. e. sermo ex interrogatione & responsione constans.

4 Fraudem. *Fucus* color factitius est, vero colori superadditus. Hinc pro quovis dolo. Est & insectum instar apis, quod non mellificat.

5 Χορηγὸς vel χορηγὸς, dux vel magister chori, qui in fabulis producit ac reducit personas. Præfectus fabulæ.

debat esse vera. Adeo favebat negotio quod agebatur. Jam hoc compertum erat, scilicet animam esse Christianam, quæ sub inclementissimo dæmone diris cruciatibus vexaretur. Huc omnis conatus intenditur. Verum in exorcismo proximo ridiculum quiddam accidit. TH. Obsecro, quidnam? AN. Cum Faunus evocasset animam, Polus qui dæmonem agebat, prorsus sic assiliit, quasi intra circulum irrupturus: cumque contra Faunus pugnaret exorcismis, multamque vim aquæ aspergeret, tandem exclamat dæmon, se ne[1] pili quidem facere ista omnia: [2]Rem, inquit, habuisti cum puella; mei juris es. Id cum Polus joco diceret, tamen forte fortuna verum dixisse visus est: nam exorcista hoc dicto tactus, illico recepit se in centrum circuli, & nescio quid[3] immussavit in aurem parocho. Id Polus sentiens, recepit sese, ne quid audiret, quod audire fas non esset. TH. Sane Polus religiosum ac verecundum agebat dæmonem. AN. Sic est, reprehendi poterat actio, quod parum meminisset[4] decori. Exaudivit tamen parochi vocem, indicentis[5] satisfactionem. TH. Quam? AN. Ut ter diceret precationem Dominicam; ex hoc conjiciebat, illum ter habuisse rem eadem nocte. TH. Hoc sane regularis ille[6] præter regulam. AN. Homines sunt, & lapsus erat humanus. TH. Perge, quid deinde

1 Vide supra æstimandi formulas.

2 Coitum, consuetudinem, amorem. Ita Terent. Eun. Act. 1. Sc. 2. *Quo cum tum uno rem habebam hospite.*

3 Salse ridet autor & impudicitiam & superstitionem istius Fauni (& mutato nomine cuiusvis ex sacrificulorum grege) qui Parocho adstanti confessus est in aurem, se cum puella rem habuisse, ut absolutus ejus criminis exorcismum tutius peragere posset. O impudentem insaniam!

4 Alludit ad id, quod in artificiosis fabulis (& hæc vera erat fabula) servandum sit τὸ πιθανὸν ἢ τὸ πρέπωον, id est, verisimile & decorum. Vide infra *Conviv. fabul.*

5 Quippe pro delictorum gravitate Sacerdotes Pontificii confitentibus imponunt pœnam, qua satisfaciant. Fauno huic Parochus mandavit, ut pœnæ loco ter diceret precationem Dominicam. Heu gravem pœnam!

6 Supple *perpetraverat.* Nam perpetuam voverat callitatem.

1 Utpote

deinde factum? AN. Jam Faunus [1] ferocior redit ad oram circuli, & ultro provocat dæmonem. At ille jam timidior refugiebat, Fefellisti me, inquiens: si sapuissem, non monuissem te. Persuasum est hoc multis, quæ semel sacerdoti confessus sis, prorsus abolita esse è memoria dæmonis, ne possit opprobrare. TH. Jocum plane ridiculum narras. AN. Sed, ut aliquando finiam fabulam, diebus aliquot hunc in modum colloquium habitum est cum anima. Summa huc evasit. Roganti exorcistæ, num [2] qua via posset è cruciatu liberari! respondit illa, posse, si pecunia, quam reliquisset fraude partam, restitueretur. Ibi Faunus, Quid, inquit, si per bonos viros dispensaretur in pios usus? Respondit, & hoc profuturum. Heic exhilaratus exorcista; summa diligentia percunctatus est, quanta esset summa. Illa dixit ingentem; quod illi erat bonum atque commodum. Indicavit & locum, sed procul dissitum, ubi thesaurus heic defossus esset. Præscripsit, in quos usus vellet impendi. TH. In quos? AN. Ut tres susciperent peregrinationem, quorum unus adiret [3] limina Petri, alter iret salutatum [4] Jacobum Compostellanum, tertius oscularetur pectinem Jesu, qui est [5] Treviris. Deinde per aliquot monasteria magna vis psalteriorum, ac [6] missarum perageretur. Quod superesset, ipse pro suo arbitratu dispensaret. Jam totus erat

1 Utpote quem parochus criminis absolverat.

2 Aliquo modo.

3 Intelligit Basilicam D. Petri, ut vocant, in Vaticano Romæ à Clero extructam, à Constantino magno amplificatam, à Julio II. novo augmento renovatam, à Paulo V. forma & magnificentia, qua hodie conspicitur, ædificatam.

4 Jacobus Apostolus ab Hispanis Compostellæ, vulgo *S. Jago*, quæ urbs Hispaniæ, & Galæciæ caput est, religiose colitur. Huc Pontificii undiquaque confluunt. Peregrinatores conchis donantur.

5 Augustæ Trevirorum, quæ est archiepisc. Germaniæ civitas, Mosellæ adjacens, nobis *Trier*. Hic pectinem quo I. Christus usus est servari jactant Papicolæ.

6 De *Missa* dictum est abunde supra in *piet. puer.* pag. 64.

erat in thesauro Fauni animus; illum toto pectore [1] devorat. TH. [2] Vulgaris morbus est, quanquam hoc nomine peculiariter male audiunt sacerdotes. AN. Ubi nihil esset omissum, quod ad pecuniæ negotium pertineret, exorcista submonitus à Polo, cœpit animam de curiosis artibus percunctari, de [3] alcumistica, deque [4] magia. Et ad hæc anima quædam respondit pro tempore, cæterum pollicita se plura indicaturam, simul atque illius opera liberata fuisset à pædagogo dæmone. Sit hic, si videtur tertius fabulæ actus. In quarto Faunus cœpit ubique serio prædicare rem prodigiosam, nihil aliud crepare in colloquiis, in conviviis; polliceri monasteriis magnifica quædam: & omnino nihil jam humile loquebatur. Adit locum, reperit signa, non ausus tamen est effodere thesaurum, quod anima injecisset [5] scrupulum, ingenti periculo facturum, si prius, quam essent peractæ missæ, thesaurus attingeretur. Jam multis [6] nasutioribus [7] subolebat [8] fucus. Cum tamen ille nusquam non deprædicaret suam stultitiam, clam admonitus est ab amicis, præsertim ab Abbate suo, ne, qui hactenus habitus esset vir prudens, nunc diversum de se specimen daret omnibus. Ille tamen nullius oratione potuit commoveri, quo minus crederet rem esse seriam: adeoque penitus hæc imaginatio occupavit animum hominis, ut præter spectra & malos genios nihil somniaret, nihil loqueretur. Abierat mentis habitus in ipsam

1 Metaph. ab helluone, q. d. magnam ejus spem jam animo concepérat

2 Quis enim nescit illa sacra auri fame maximam partem hominum vexari.

3 De Alcumistica mox dicturi sumus in sequenti colloq.

4 Μαγεία, vox origine Persica significat naturalium rerum cognitionem. Dein sumta est in malam partem pro scientia incantationum, quas vulgus credit posse fieri. De Magis & magicis dictum est in notis supra ad pag. 333.

5 Solicitudinem. Vide infra notas in *Ichthyoph*

6 Respice pag. 383.

7 Suspectus erat. Ita Plaut. in Casina, *Subolet hoc jam uxori*, & Terent in Phormione, *Numquid patri subolet?*

8 Respice pag. 385.

1 Arti-

ipsam faciem, quæ sic pallebat, sic erat extenuata, sic dejecta, ut larvam esse diceres, non hominem. Quid multis? minimum aberat à vera dementia, ni celeri remedio succursum fuisset. TH. Nimirum hic erit extremus actus fabulæ. AN. Eum tibi reddam. Polus & hujus gener hujusmodi [1] technam commenti sunt. Effinxerunt epistolam [2] raris litteris descriptam, idque non in chartis vulgaribus, sed in his, in quibus aurifices reponunt bracteas auri, subrubentibus, ut scis, [3] luto. Epistolæ sententia hæc erat: *Faunus dudum captivus nunc liber, Fauno liberatori suo optimo salutem æternam. Non est, mi Faune, cur te diutius in hoc negotio* [4] *macerés; respexit Deus animi tui piam voluntatem; & illius merito me liberavit à suppliciis: ego nunc feliciter* [5] *ago inter angelos. Te manet locus apud divum Augustinum, qui proximus est* [6] *Apostolorum choro. Ubi veneris ad nos, agam tibi gratias coram. Interim cura ut vivas suaviter. Datum è cœlo* [7] *empyreo,* [8] *Idibus Septembribus, anno millesimo quadringentesimo nonagesimo octavo, sub sigillo annuli mei.* Hæc epistola clam posita est in altari, ubi facturus erat [9] rem divinam Faunus. Ea peracta [10] subornatus est, qui eum submoneret de re, quasi casu deprehensa. Nunc eam circumfert epistolam, & ostentat ceu rem sacram: nihilque credit certius, quam eam è cœlo perlatam ab angelo.

TH.

1 Artificium, dolum. Vide infra pag. 396.

2 Insolitis.

3 *Luto* pro luteo. Color qui rufo proximus est, dicitur luteus, ut Luteum ovi pro vitello. Virg. *Et crocco mutabit vellera luto* pro *luteo*, *crocco*.

4 Crucies.

5 Vivo, dego, versor.

6 Papicolæ, ut angelorum, ita & Apostolorum & sanctorum varios in cœlo fingunt choros. Vide infra *Exequias Seraphicas*.

7 Cœlum Empyreum, ἐμπύριον οὐρανὸς, à Theologis appellatur cœlum undecimum, primum mobile, ut ajunt, ambitu suo complectens, Dei & beatorum sedes, à πῦρ ignis.

8 Qui est dies decimus tertius Septembris.

9 Sacra.

10 Aliquis.

TH. Istud non est liberasse hominem insania, sed mutasse insaniæ genus. AN. Sic est profecto, nisi quod nunc insanit suavius. TH. Antehac non soleo multum tribuere fabulis, quæ vulgo feruntur de spectris, sed posthac multo minus tribuam: suspicor enim ab hominibus credulis, & Fauni similibus, [1] multa pro veris prodita literis, quæ simili artificio sunt adsimulata. AN. Ego pleraque hujus generis esse credo.

1 Immo pleraque, & quid si ausim affirmare omnia Terruit & olim spectrorum & magorum fictus rumor Bataviam nostram, donec à nasutioribus hujusmodi Monachorum & sacrificulorum technæ sint detectæ.

[1] ALCUMISTICA.

[2] PHILECOUS, [3] LALUS.

PH. QUid est novæ rei, quod sic Lalus apud sese ridet, ac pene in cachinnos solvitur, subinde signans se cruce? Interpellabo felicitatem hominis. Salve multum, amicissime Lale. Videre mihi admodum felix. LA. Atqui felicior ero, si te impartiam hoc gaudio. PH. Fac igitur quam primum me [4] bees. LA. Nosti Balbinum? PH. Senem illum eruditum, ac vitæ etiam laudatæ? LA. Sic est ut dicis; sed nullus est mortalium, qui sapit omnibus horis, aut qui sit undiquaque perfectus. Habet hoc vir ille inter multas egregias dotes [5] nævi; jam olim insanit

1 Ridebis mecum, lector, in hoc Colloquio, insaniam eorum, qui student callere artem Alcumisticam, vel Alchymiam, ut vocant barbare, qua possint facere aurum vel argentum ex pulveribus metalli &c. nec non consuos dolos nebulonum illorum, qui vanissimam hanc artem jactantes incautorum loculos exhauriunt.

2 *Philecous* avidus audiendi.

3 *Lalus* loquax.

4 Felicem reddas.

5 Macula corpori innata dicitur proprie *nævus*. Inde pro quovis vitio.

1 Audi

nit in artem, quam vocant [1] alcumisticam. PH. Haud tu quidem nævum narras, sed insignem morbum. LA. Utcunque est, ille toties [2] delusus ab hoc hominum genere, tamen dudum mirifice passus est sibi [3] dari verba. PH. Quo pacto? LA. Adiit illum [4] sacerdos quidam: salutavit honorifice: mox sic exorsus est: Doctissime Balbine, mirabere fortassis, quod ignotus sic interpellem te, quem scio nunquam non sanctissimis studiis occupatissimum. [5] Annuit Balbinus; qui mos est illi; nam verborum est mire parcus. PH. Prudentiæ narras argumentum. LA. Verum alter prudentior sic pergit. Ignosces tamen huic meæ importunitati, si cognoris caussam, cur te adierim. Dic, inquit Balbinus, sed paucis, si potes. Dicam, inquit ille, quanto potero compendio. Scis, vir omnium doctissime, esse varia mortalium fata: ego nescio, utro in numero me ponam, felicium an infelicium. Etenim si meum fatum altera ex parte contemplor, videor mihi pulcre felix: si ex altera, nihil me infelicius. Urgente Balbino ut rem conferret in compendium; Finiam, inquit, doctissime Balbine. Id erit mihi facilius apud virum, cui totum hoc negotium sic notum est, ut nulli notius. PH. Rhetorem mihi depingis, non alcumistam. LA. Mox audies alcumistam. A puero mihi, inquit, con-

1 Audi acutissimum H. C. Agrippam. Alcumistica, sive ars, sive fucus, sive naturæ persecutio dici debeat, profecto insignis est, eademque impunis impostura, cujus vanitas eo ipso se facile producit, cum polliceatur, quæ natura nullo modo pati potest, nec attingere, cum tamen ars omnis non possit naturam superare, sed illam imitetur, & longis passibus sequatur, & multo fortior sit vis naturæ quam artis. Alcumistica autem, *Ars suspecta probis, ars ipsa invisaque multis, Invisos etiam cultores efficit artis. Mendaces adeo multi manifeste videntur. Qui se ipsos, aliosque simul frustrantur inertes.* Dum rerum vertere species tentant &c.

2 Deceptus.

3 *Verba dare, fumos vendere,* &c. pro fallere.

4 Iterum sacerdos vocandus est Erasmo ad partes. Nec mirum, nam ab hoc hominum genere illi multæ lachrymæ.

5 Capite scil. qui mos est eorum qui verborum parci sunt.

contigit hæc felicitas, ut artem omnium maxime expetendam discerem: illam, inquam, totius[1] philosophiæ medullam alcumisticam. Ad nomen alcumistices nonnihil experrectus est Balbinus, gestu duntaxat: cæterum gemitu jussit ut pergeret. Tum ille: Sed ô me miserum, inquit, qui non inciderim in eam viam, quam oportuit. Cum Balbinus rogasset, quasnam vias diceret: Scis, inquit, optime, (quid enim te fugit, Balbine, virum undiquaque doctissimum?) duplicem esse hujus artis viam: alteram, quæ dicitur[2] longatio: alteram, quæ dicitur curtatio. At mihi malo quodam fato contigit in longationem incidere. Balbino scisciante, quod esset[3] discrimen viarum: Impudentem me, inquit, qui hæc apud te loquar, cui sciam hæc omnia sic esse nota, ut nulli notiora. Itaque supplex huc ad te accurri, ut misertus nostri, digneris impartire nobis viam illam felicissimam curtationis. Quo peritior es hujus artis, hoc potes minore negotio communicare nobis. Noli tantum Dei donum celare fratrem dolore periturum. Ita te Jesus Christus semper majoribus locupletet dotibus. Cum hic non faceret obtestandi finem, Balbinus fateri coactus est, se prorsus ignorare, quid esset longatio aut curtatio; jubet exponat ipse vim harum vocum. Tum ille; Quanquam, inquit, scio me loqui peritiori; tamen, quando ita jubes, faciam. Qui totam ætatem in hac arte divina contriverunt, duabus rationibus[4] vertunt rerum species; altera quæ brevior est, sed plusculum habet periculi: altera

1 Est equidem Chymia ars separandis metallis utilissima: verum quis mihi ostendat divitem Alcumistam, qui tamen jactat se lapidem Philosophorum invenisse, quo possit aurum facere?

2 *Longatio & curtatio*, voces barbaræ, quibus perversi isti philosophi vanissimæ artis suæ mysteria insigniunt.

3 Quæ esset differentia.

4 Salse Agrippa. Dum rerum vertere species tentant, ac benedictum quendam Philosophorum, ut vocant, lapidem fabricare præsumunt, quo Midæ instar,

altera quæ longior est, sed eadem tutior. Ego mihi videor infelix, qui hactenus sudarim in ea via, quæ meo animo non arridet; neque quenquam nanciscì potui, qui alteram, cujus amore depereo, vellet indicare. Tandem Deus immisit in mentem, ut te adirem, virum non minus pium, quam doctum. Doctrina tibi præstat, ut facile possis dare, quod peto: pietas commovebit, ut velis opitulari fratri, cujus salus tibi in manu est. Ne longum faciam, cum hujusmodi sermonibus veterator ille amovisset à se suspicionem [1] fuci, fidemque feciisset, sibi viam alteram esse perspectissimam; jam pridem pruriebat Balbino animus. Tandem non temperans sibi, Valeat, inquit, illa curtatio, cujus ego ne nomen quidem unquam audivi, tantum abest ut teneam: die mihi bona fide, longationem tenes exacte? Phy, inquit ille, [2] ad unguem; sed displicet longitudo. Cum Balbinus rogasset, quantum temporis requireretur: Nimium, inquit; totus pene annus; sed interim tutissima est. [3] Ne labora, inquit Balbinus, etiamsi toto biennio sit opus, modo fidas arti tuæ. Ut rem in pauca conferam, convenit inter eos, ut negotium aggrederentur clam in ædibus Balbini: hac lege, ut ille suppeditaret [4] operam, Balbinus sumtum; lucrum ex æquo ac bono divideretur: quanquam impostor modestus ultro totum lucrum, quod proveniisset, Balbino deferebat.

instar, contacta omnia corpora illico in aurum argentumque permutentur, quin etiam è summis in accessisque cœlis quintam quandam essentiam deponere nituntur, qua jam non solum plures quam Crœsi divitias, sed & depulso senio rejuvenescentiam, perpetuam sanitatem, ac tantum non immortalitatem, una cum ingentibus opibus nobis polliceantur. *At nusquam totos inter, qui talia curant, Apparet ullus, qui re miracula tanta Comprobet.*

1 Fraudis, revise pag. 383.

2 Id est, *perfecte.* Metaphoram ductam volunt à marmorariis, qui planiciem operis ungue experiuntur, & cum non sentiunt juncturas, perfectum id esse intelligunt. Horat. *Ad unguem factus homo.* i. e. omni ex parte perfectus.

3 Q. d. ne crucia te, de longatione.

4 Laborem, artem.

ferebat. Utrinque juratum est de silentio, quod faciunt, qui mysteriis [1] initiantur. Jam illico numeratur pecunia, unde artifex mercaretur ollas, vitra, carbones, reliquaque quæ ad instruendam officinam pertinent. [2] Ibi noster alcumista suaviter in scorta, aleam & compotationes [3] decoquit eam pecuniam. PH. Hoc nimirum est [4] vertere rerum species. LA. Urgente Balbino, ut rem aggrederetur: An non tenes, inquit, illud: *Dimidium facti, qui bene cœpit, habet?* Magnum est bene præparare materiam. Tandem cœpit adornari fornax. Heic rursus erat opus novo auro, velut illecebra venturi auri. Siquidem ut piscis non capitur absque esca, ita aurum alcumistis non provenit, nisi pars auri admisceatur. Interea Balbinus totus erat in supputationibus: subducebat enim si [5] uncia pareret quindecim, quantum esset lucri rediturum ex unciis bis mille: tantum enim decreverat insumere. Cum hanc quoque pecuniam decoxisset alcumista, jamque mensem unum atque alterum multum operæ simulasset [6] circa folles & carbones, rogante Balbino, ecquid procederet negotium: primum obmutuit: urgenti tandem respondit: Sicut solent res præclaræ, quæ semper [7] difficiles habent aditus. Caussabatur erratum in emendis

1 Hoc est, *imbuuntur*. *Initiari* dicitur, ab initio sacris imbui. Hinc *initiatus* sacris imbutus. It. initiari pro auspicari.

2 Mox.

3 *Decoquere pecuniam* est nequiter profundere. Inde *decoctores* pro prodigis.

4 Eleganter Owenus in ejusmodi stolidum: *Rem decoxit mers chymicus, dum decoquit aurum. Et bona dilapidat omnia pro lapide.*

5 Pars assis duodecima.

6 Audi iterum Agrippam in hujusmodi insanos declamantem. Sic deterrimi carbones, sulphur, stercus, ac venena, lotia & omnis dura pœna est vobis melle dulcior, donec prædiis, mercibus, patrimoniis omnibus decoctis, & in cinerem & fumum conversis &c. per omnem vitam alcumistarum fraudibus expositi, jam senes facti in summa paupertate mendicare compellimini.

7 Juxta Græcorum & Latinorum proverbium δύσκολα τὰ καλὰ, i. e. difficilia quæ pulcra.

dis carbonibus: [1] quernos enim emerat, cum [2] abiegnis esset opus, aut [3] colurnis. Ibi perierant [4] aurei centum, nec eo segnius reditum est ad [5] aleam. Data nova pecunia, mutati carbones. Jamque majore studio res cœpta est, quam antea, quemadmodum in bello milites, si quid secus accidit, quam vellent, virtute [6] sarciunt. Cum menses jam aliquot ferbuisset officina, exspectaretur fœtus aureus, ac ne mica quidem auri esset in vasis, (jam enim & illud omne decoxerat alcumista) inventa est alia caussatio, nimirum vitra, quibus usus fuerat, non fuisse temperata sicut oportuit. Etenim ut [7] non ex quovis ligno Mercurius singitur, ita non ex quibuslibet vitreis conficitur aurum. Quo plus erat impensum, hoc minus libebat desistere. PH. Sic solent aleatores; quasi non multo satius sit hoc perdere, quam totum. LA. Sic est. Dejerabat alcumista, nunquam sibi sic [8] impositum fuisse: nunc errore deprehenso cætera fore tutissima, & hoc [9] dispendii magno cum fœnore sarturum sese. Mutatis vitreis [10] tertia instaurata est officina. Admonebat alcumista, rem felicius successuram, si Virgini matri, quæ ut scis, [11] Paraliis colitur, mitteret aliquot aureos dono: artem enim esse sacram, nec absque favore numinum rem prospere

1 E quercu.

2 Ex abiete.

3 E corylo, ut Servius, è cornu, ut Festus vult.

4 Nummus ex auro cusus, valens 25. denarios, sive 100. sestertios.

5 Experimentum periculosum, *alea* pro quavis fortuna & periculo. Respice notas in Coll. *proci & puel.* pag. 204.

6 Corrigunt, restituunt.

7 Proverbium, *Ex quovis ligno non fit Mercurius*, significat, non omnium ingenia disciplinis posse accommodari: sicuti faber, simulachrum Mercurii confecturus, ad id ligna seligit.

8 Deceptum.

9 Damni.

10 Tertio, vel tertia vice.

11 Nomen fictum. Opinor hoc intelligi Virginem Mariam, quam in Colloquio de peregrinatione religionis ergo Divam Parathalassiam vocat, id est habitantem ad mare. Quemadmodum enim *parathalassius* conflatur ex παρὰ *ad*, & θάλασσα *mare*, ita ex *Paralius* ex παρὰ *ad*, & ἅλς *mare*. Sic eam infra describit autor. *Habitat ad extremum Angliæ finem, inter occidentem, & septentrionem, haud procul à mari passuum fere tribus millibus.*

1 Virgini

prospere geri. Id consilium vehementer placuit Balbino homini pio, ut qui nullum prætermitteret diem, quin perageret rem divinam. Suscepit religiosam profectionem alcumista, nimirum in proximum oppidulum, atque illic [1] votivam pecuniam decoxit in ganeis. Reversus domum, nunciat sibi summam esse spem, negotium ex animi sententia succesſurum, adeo divam Virginem votis suis visam annuere. Ubi multo jam tempore sudatum esset, ac ne mica quidem auri nasceretur usquam, [2] expostulanti Balbino respondit, sibi nihil unquam tale accidisse in vita, toties artem experto, nec satis posse conjectare, quid esset in causa. Quum diu [3] divinatum esset tandem illud venit in mentem Balbino, num quo die prætermisisset audire [4] sacrum; aut dicere preces [5] horarias, quas vocant: nam nihil succedere his omissis. Ibi impostor, [6] rem, inquit, acu tetigisti. Me miserum, semel atque iterum id admissum est per oblivionem, & nuper à prolixo convivio surgens, oblitus sum dicere salutationem Virginis. Tum Balbinus; Non mirum, inquit, si res tanta non succedit. Recipit artifex se pro prætermissis sacris duobus duodecim auditurum, & pro unica salutatione decem repositurum. Cum alcumistam prodigum subinde defecisset pecunia, ne suppeterent petendi causæ, tandem hanc [7] technam commentus est: rediit domum admodum exanimatus; ac voce lamentabili, Perii, inquit

1 Virgini matri devotam.

2 Vide infra notas in *Absurda*, sub finem.

3 *Divinare* pro eo quod conjicere plus semel annotavi.

4 Missam, scilicet, ut vocant Papicolæ, hanc mox rem divinam appellavit.

5 Quas statis horis surdis divis occinunt cæci Papicolæ.

6 *Rem acu tangere*, idem est ac rem ipsam conjicere, & nihil aberrare. Metaphora sumpta videtur à lusu quopiam, in quo divinator, id quod alius notasset, summa acu tangebat.

7 Τέχνη, artificium. Sumitur sæpius, uti hoc loco, pro dolo, & fraude. Terent Eun. Act. 4. Sc. 4. *Parmenonis tam scio esse hanc technam, quam me vivere.*

inquit [1] funditus, Balbine, perii; actum est [2] de capite meo. Obstupuit Balbinus, & tanti mali causam avebat cognoscere. [3] Subodorati sunt, inquit, aulici, quod egimus; nec aliud exspecto, quam ut mox deducar in carcerem. Ad hanc vocem expalluit etiam serio Balbinus. Nam scis, apud nos [4] capitale esse, si quis alcumisticam exerceat absque principis permissu. Pergit ille: Non, inquit, metuo mortem; utinam illa contingat! metuo quiddam crudelius. Roganti quid hoc esset: Rapiar, inquit, aliquò in turrim, illic per omnem vitam cogar his laborare, quibus non libet. An ulla mors est, quæ non potior esse debeat, quam talis vita? Ibi res ventilata est consultatione. Balbinus, quoniam callebat artem Rhetoricam, pulsavit [5] omnes status, si qua periculum vitari posset. Non potes, inquit, inficiari crimen? Nequaquam, ait ille. Inter regios satellites res sparsa est: & habent argumenta, quæ dilui non possint. Ne defendi quidem factum poterat ob legem manifestam. Cum multis in medium adductis, nihil videretur firmi præsidii, tandem alcumista, cui jam opus erat præsenti pecunia: Nos, inquit, Balbine, lentis consiliis agimus; atqui res poscit præsens remedium. Jam arbitror adfuturos, qui me abripiant in [1] malam

1 Prorsus. Terent. And. Act. 1. Sc. 5. *pereo funditus.*

2 Vita mea. Sic dicitur, *condemnare aliquem capitis.*

3 *Subodorari* pro *investigare*, & *præsentire*, quo sensu dixit supra pag. 334. *olfacere.*

4 Crimen quod capitis pœna luitur. Ita de Alcumistices vanitate disserit H. Agrippa. Ideoque hæc ars non modo à Republ. Romanis legibus pulsa, sed etiam sacrorum Canonum decretis in tota Christiana ecclesia prohibita est. Quod si & hodie omnibus, qui absque singulari principis indultu Alcumisticam exercent, regno ac provinciis interdiceretur, addita etiam *bonorum* proscriptione, corporisque afflictione, profecto non tot adulterinos numos haberemus, quibus hodie fraudantur ferme omnes, magno Reipublicæ detrimento.

5 Ridet autor istos, quos vocant, status in genere juridiciali, nempe *statum conjecturalem*, an posset rem negare. *Statum finitivum*, an de nomine rei movere quæstionem, & intricare judicem. *Statum qualitatis*, an legibus & jure se excusare. *Statum quantitatis*, an facti crimen imminuere. O vanas subtilitates!

1 Carce-

[1] malam rem. Denique cum nihil occurreret Balbino, tandem alcumista; Nec mihi quidquam occurrit, inquit, nec quidquam supereſſe video, niſi ut fortiter peream, niſi forte hoc placet, quod unum supereſt: utile magis quam honeſtum, niſi quod [2] durum eſt telum neceſſitas. Scis, inquit, hoc hominum genus avidum eſſe pecuniæ; eoque facilius corrumpi poſſe, ut ſileant. Quamvis durum ſit illis [3] furciferis dare quod [4] profundant, tamen, ut nunc res ſunt, nihil video melius. Idem viſum eſt Balbino; ac numeravit aureos triginta, quibus redimeret ſilentium. PH. Miram Balbini liberalitatem mihi prædicas. LA. Imo in re honeſta citius dentem extudiſſes ab eo, quam nummum. Sic proſpectum eſt alcumiſtæ, cui nihil erat periculi, niſi quod non haberet quod daret amicæ. PH. Demiror Balbino in tantum nihil eſſe [5] naſi. LA. Heic dumtaxat naſo caret, in cæteris naſutiſſimus. Rurſum nova pecunia inſtruitur fornax, ſed præmiſſa ad Virginem matrem precatiuncula, ut cœptis faveret. Jam totus exierat annus, dum, illo nunc hoc, nunc illud cauſſante, [6] luditur opera, & perit impenſa. Interim exſtitit caſus quidam riduculus. PH. Quisnam? LA. Alcumiſta furtivam [7] conſuetudinem habebat cum uxore cujusdam aulici: maritus concepta ſuſpicione cœpit hominem obſervare. Tandem cum illi nunciatum eſſet, ſacrificum eſſe in cubiculo, præter exſpectationem rediit domum, pulſat oſtium. PH. Quid facturus

1 Carcerem, crucem, exitium, reviſe pag. 383.

2 *Neceſſitas durum telum*, de re inevitabili dicitur, juxta Græcorum dictum, τῇ ἀνάγκῃ οὐδὲ οἱ θεοὶ μάχονται, id eſt: *contra neceſſitatem ne quidem Dii pugnant.*

3 Nebulonibus, reſpice notas in pag. 42.

4 Prodigant, decoquant.

5 Naſus pro judicii acumine, hinc naſutus. Reſpice notas in pag. 383. & alibi.

6 Perit. Sic proverbio dicitur *oleum & operam perdere*, pro quicquid inſumitur rei aut laboris, id perdere.

7 Rem. Συνουσίαν veneream.

ćturus homini? LA. Quid? nihil ſuave: aut occiſurus erat, aut [1] exſecturus. Ubi maritus inſtans minitaretur, ſe vi effracturum oſtium, ni aperiret uxor, magnopere trepidatum eſt, & circumſpicitur præſentaneum aliquod conſilium. Nec erat aliud, quam quod ipſa dabat [2] res. Abjecit tunicam, ac per feneſtram anguſtam dejecit ſeſe, non abſque periculo, nec ſine vulnere, ac fugit. Scis tales fabulas illico ſpargi. Itaque permanavit & ad Balbinum. Neque id fore non divinarat artifex. PH. Heic itaque [3] medius tenetur. LA. Imo felicius elapſus eſt hinc quam è cubiculo. Audi technam hominis. Nihil [4] expuſtulabat Balbinus, ſed nubilo vultu ſatis indicabat ſe non ignorare, quod vulgo ferebatur. Noverat ille Balbinum eſſe virum pium, in nonnullis pene dixerim ſuperſtitioſum. Et qui tales ſunt, in quamvis magno peccato facile condonant ſupplici. Itaque [5] data opera injicit mentionem de ſucceſſu negotii, queritans non perinde ſuccedere, ut ſolet, aut vellet: addebat ſe vehementer mirari, quid eſſet in cauſſa. Ibi per occaſionem commotus Balbinus, qui alioqui videbatur deſtinaſſe ſilentium, & erat qui facile commoveretur. Non eſt, inquit, obſcurum quid obſtet; peccata obſtant, quo minus ſuccedat quod à puris pure tractari convenit. Ad hanc vocem [6] artifex procubuit in genua, ſubinde tundens pectus, & vultu voceque lacrymabili: Veriſſimum, inquit, dixiſti Balbine: Peccata, inquam, obſtant: ſed mea peccata, non tua: non enim pudebit me turpitudinem meam apud te, velut apud ſacerdotem ſanctiſſimum, confiteri. Vicerat me carnis infirmitas, pertraxerat me Satanas

1 Demeſſurus adultero teſtes caudamque ſalacem, ut Horatius inquit Sat. 2. lib. 1.

2 Locus, occaſio.

3 Hæret, captus eſt. Metaphora ab athletis, qui quos adverſarios medios tenent, faciſe ſuperant.

4 Querebatur, objurgabat. Vide *Abſurda* in fine.

5 Conſilio.

6 Multus artifex, veterator.

Satanas in laqueos suos. Et ô me miserum! è sacrifico factus sum adulter. Non tamen omnino periit hoc munus, quod misimus Virgini matri. Perieram certo exitio, ni illa [1] succurrisset. Jam maritus effringebat fores, fenestra erat arctior, quam ut possem elabi: in tam præsentaneo periculo venit in mentem sanctissimæ Virginis; procidi in genua, obtestatus sum, si gratum fuisset munus, ut opitularetur. Nec mora, repeto fenestram, (sic enim urgebat necessitas) & satis amplam reperi ad effugium. PH. Credidit ista Balbinus? LA. Credidit: Imo etiam ignovit, & admonuit religiose, ne se præberet ingratum beatissimæ Virgini. Numerata est rursus pecunia, danti fidem se posthac rem sacram pure tractaturum. PH. Quis tandem finis? LA. Perlonga est fabula, sed ego paucis absolvam. Cum ejusmodi commentis diu lusisset hominem, neque mediocrem pecuniarum vim ab eo extorsisset, tandem venit ille, qui nebulonem à puero noverat. Is facile divinans illum idem agere apud Balbinum, quod nusquam non egerat, clam [2] aggreditur illum: exponit qualem artificem domi suæ foveret; monet ut quam primum [3] ableget hominem, ni mallet ipsum aliquando [4] compilatis scriniis fugere. PH. Quid heic Balbinus? Videlicet curavit hominem conjiciendum in carcerem? LA. In carcerem? Imo numeravit viaticum, obtestans per omnia sacra, ne, quod accidisset, [5] effutiret. Et sapuit, mea quidem sententia, qui hoc maluerit, quam esse fabula conviviorum, & fori; deinde venire in pericu-

1 Adjuvasset, opem tulisset.

2 Convenit.

3 Dimittat.

4 *Compilatis*, id est, undique surreptis, & congestis. Sic Horat. Sat. 1. lib 1. --- *Ne me Crispini scrinia lippi Compilasse putes.* Quasi diceret verbis Terentianis, *Bona convasare, atque hinc se proripuit conjicere in pedes.*

5 Garriendo divulgaret. *Effutire* idem quod effundere. Translatio est à vase *futili* nomine; quod patulo ore, fundo acuto instabile, nihil prorsus continet, unde *futilis* ejusmodi dicitur, ut nihil intra se contineat, & semper inanis sit.

periculum [1] confiscationis. Nam impostori nihil erat periculi: artis tantum tenebat, quantum asinus quivis; & in hoc genere favorabilis est impostura. Quod si furti crimen intentasset, à suspendio tutum reddebat [2] unctio; neque quisquam lubens gratis alat talem in carcere. PH. Misereseeret me Balbini, nisi ipse gauderet deludi. LA. Nunc mihi properandum est in aulam: alias referam his etiam multo stultiora. PH. Cum vacabit, & audiam lubens, & fabulam fabula pensabo.

1 Ut bona in fiscum redigerentur.
2 Erat enim iste nequam sacerdos, qui cum esset unctus, ut solent sacrifi culi Pontificii, exemtus haberetur à pœnis, quas magistratus sontibus infligi solet.

[1] HIPPOPLANUS.

Aulus, Phaedrus.

AU. DEum immortalem, [2] ὡς σεμνοπροσωπεῖ noster Phædrus, & subinde in cœlum suspicit! Adoriar. Quid accidit novæ rei, Phædre? Quam ob rem istud interrogas, Aule? AU. Quoniam è Phædro mihi videris factus [3] Cato; tanta est in vultu severitas. PH. Non mirum, amice; modo [4] confessus sum peccata mea. AU. Phy, jam desino mirari: sed dic age, bona fide confessus es omnia? PH. Omnia quæ quidem in mentem veniebant,

1 *Hippoplanus* est qui vendendis & emendis equis alios fallit. Quemadmodum autor in superiori colloquio graphice descripsit technas & nequitia Alcumistæ, ita in hoc depictum dat impostorem, qui ab equisone deceptu illum ipsum simili dolo capit, & pari refert.

2 Ὡς σεμνοπροσωπεῖ, id est. *quam severum vultum præ se fert.*

3 De Catonis severitate dictum est in *Conviv. Relig.* pag. 163. & in *Diversorius* pag. 271.

4 Sacerdoti scil. qui semotis arbitris vulgi confessiones auriculares audit, dein, si ita videtur, peccata remittit.

niebant, unico dumtaxat excepto. AU. Cur unum hoc reticuisti? PH. Quia nondum potuit mihi displicere. AU. Oportet esse peccatum suave. PH. An peccatum sit, nescio: sed tamen, [1] si vacat, audies. AU. Audiam equidem libens. PH. Scis quanta sit impostura apud nostros in his qui vendunt, aut locant equos? AU. Plus scio quam vellem, non semel ab illis [2] delusus. PH. Nuper incidit mihi iter, cum satis prolixum, tum etiam accelerandum. Adeo quendam ex [3] illis, quem dixisses ejus generis minime malum; & incredebat mihi cum homine nonnihil etiam amicitiæ. Narro mihi rem esse seriam; opus esse præstrenuo equo: si unquam præbuisset se mihi bonum virum, nunc præstaret. Ille pollicetur sese sic mecum acturum, ut ageret cum fratre suo carissimo. AU. Fortassis & fratri [4] impositurus. PH. Inducit in stabulum, jubet ut eligam ex omnibus equis quemcunque vellem. Tandem unus plus cæteris arridebat. Ille probat judicium meum, deierans eum equum frequenter à multis expetitum esse; se eum maluisse servare amico singulari, quam ignotis addicere. Conventum est de pretio: numeratur pecunia præsens; conscendo. Mira alacritate gestiebat equus in egressu; dixisses feroculum esse: nam erat obesulus & pulchellus. Ubi jam equitassem sesquihoram, sensi plane lassum, nec calcaribus quidem impelli posse. Audieram tales ab illis ad imposturam ali, quos è specie judicares insignes, cæterum laboris impatientissimos. Ego continuo [5] mecum: Captus sum. Age, [6] par pari referam, ubi rediero domum.

1 Si tibi sit otium.
2 Deceptus.
3 Scil. qui vendunt, aut locant equos, equisonibus.
4 Imponere cum dativo, pro *fallere*
5 Supple, ita locutus sum.
6 Vices reponam. Proverbium est, quod interpretatione non egeat, quum homini sit innatum, ut talis velit esse in alios, quales illos in se experiatur. Terent. Eun. Act. 3. Sc. 1. *Par pari refertо, quod eam mordeat.*

domum. Quid heic consilii capiebas, eques absque equo? PH. Id quod res dabat, [1] deflexi in proximum vicum. Illic clam apud quendam mihi notum deposui equum, & conduxi alterum: profectus sum quo destinaram; reversus sum, reddo conductitium equum, reperio meum [2] sophistam, ut erat, obesum & pulcre requietum: eo vectus redeo ad impostorem: rogo ut in stabulo suo alat dies aliquot, donec repetiero. Percunctatur quam commode me gesserit. Egovero deiero per omnia sacra me nunquam in vita conscendisse tergum equi felicioris; volasse potius quam ambulasse, nec tam longo itinere unquam sensisse lassitudinem, nec pilo factum ob laborem macriorem. Hæc cum illi persuasissem esse vera, tacitus secum cogitabat, equum illum alium esse, quam hactenus suspicatus esset. Itaque priusquam abirem, rogabat num mihi venalis esset equus: primo negabam; quod si incideret iter denuo, non facile foret nanciscí similem: attamen nihil esse mihi tam carum, quod non esset venale precio largo, etiamsi quis me ipsum, inquam, cuperet emtum. AU. Næ tu pulcre [3] Cretensem agebas cum Cretensi. PH. Quid multis? Non dimittit me, nisi pronunciata equi [4] indicatura. Indicavi non paulo pluris quam emeram. Digressus ab homine, mox suborno, qui mihi [5] partem agat hujus fabulæ, pulcre instructum atque edoctum: is ingressus domum inclamat locatorem: ait sibi opus esse insigni equo, & laboris egregè patienti. Alter

2 Diverti.

2 Equum fucatum vocat Sophistam. Philosophi olim dicti sophistæ, dein nomen id datum est iis, qui fallacibus conclusionibus vanam sapientiæ speciem præ se ferebant.

3 Id est, improbum agebas cum improbo. *Cretenses* olim male audierunt; hinc & proverbio dicitur, *Cretensis incidit in Cretensem*, hoc est *nebulo in nebulonem*, vel *perfidus in perfidum*. Notum est illud Epimenidis Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται κακὰ θήρια, γαστέρες ἀργαί. *Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri.*

4 Æstimatione.

5 Respice notas in pag. 383.

Alter ostendit multos, & pessimum quemque maxime [1] prædicat; solum illum quem mihi vendiderat, quoniam existimabat vere talem qualem prædicaveram, non laudat. At alter illico rogat, num & ille venalis esset: nam descripseram illi formam equi, & locum indicaram. Locator primum obticescere, atque alios ambitiose prædicare. Cum iste cæteris utcunque probatis semper ageret de uno illo, tandem locator apud se; Plane fefellit me judicium de illo equo; siquidem hic peregrinus statim agnovit hunc inter omnes. Cum instaret ille, tandem hic, venalis est, inquit: sed pretio fortasse deterreberis. Non est, inquit ille, magnum pretium, si rei dignitas respondeat: indica. Indicavit aliquanto pluris, quam indicaram ipsi, captans & hoc lucri. Tandem convenit de pretio, datur [2] arrha satis magna, nempe regalis [3] aureus, ne qua suspicio incideret simulatæ emtionis. Emtor jubet equo dari pabulum; se mox aitrediturum, & abducturum: dat etiam [4] stabulario [5] drachmam. Ego simul atque cognovi pactionem esse firmam, sic ut rescindi non posset, rursus ocreis & calcaribus armatus redeo ad locatorem, anhelus clamo. Adest ille; rogat quid velim. Illico, inquam, adornetur equus meus: Nam è vestigio proficiscendum est ob rem maxime seriam. Atqui modo, inquit, mandabas ut aliquot dies alerem equum tuum. Verum, inquam; sed præter exspectationem objectum est negotium, idque [6] regium, quod nullam patitur dilationem. Heic ille: eliges ex omnibus quem voles: tuum habere non potes. Rogo quam ob rem? Quo-

1 Commendat, laudat.

2 *Arrha* vel *Arrhabo* nummus est, vel omne id, quod datur ad contractus confirmationem.

3 Nummus ex auro cusus, valens 100. sestertios.

4 Puero vel servo qui stabuli curam gerit.

5 Nempe Drachmam Ægineam.

6 Ex mandato regis.

Quoniam venditus est, inquit. Ibi ego simulata magna perturbatione: Prohibeant, inquam, [1] superi quod dicis. Hoc objecto itinere non venderem meum equum, etiam si quis numeret quadruplum. Incipio rixam, clamo me perditum. Tandem [2] incaluit & ille. Quid opus, inquit, his jurgiis? Indicasti equum, ego vendidi: si numero pretium, nihil habes quod mecum agas; sunt in hac urbe leges: ad exhibendum equum me non potes compellere. Cum diu clamassem, aut equum exhiberet, aut emtorem, tandem iratus numerat pretium. Emeram quindecim aureis, æstimaram viginti sex. Ille æstimarat triginta duobus. Cogitabat apud se, præstat hoc lucrifacere, quam equum reddere. Abeo dolenti similis, ac vix placatus etiam data pecunia. Ille rogat ut boni consulam; se aliis in rebus pensaturum hoc incommodi. Sic impositum est impostori. Habet equum nullius pretii. Exspectat ut, qui arrham dedit, veniat numeratum pecuniam. At nemo venit, nec unquam venturus est. AU. Interim nunquam [3] tecum expostulavit? PH. [4] Qua fronte, aut quo jure id faceret? Convenit quidem semel atque iterum, conquestus est de fide emtoris. Verum ego ultra expostulavi cum homine, dicens illum eo malo dignum, qui [5] præpropera venditione tali equo me spoliarit. Hoc est crimen tam bene collocatum, mea sententia, ut non possim inducere animum confiteri. AU. Ego mihi [6] statuam poscerem, si quid tale designassem; tantum abest, ut confessurus sim. PH. An ex animo loquaris,

1 Dii.

2 Scil. ira, i. e. succensuit.

3 De te questus est. Expostulatio est adversus eum, quem incusamus. Vide infra Coll. *Absurda*, in fine.

4 Qua impudentia? aut quo pudoris signo? Frons olim pudori sacra. Hinc impudentes *perfrictæ frontis* dicuntur. Vide supra.

5 Nimis festinata.

6 Tanquam peracto heroico facinore. Nam bene meritis olim honoris gratia statuæ ponebantur.

loquaris, neſcio; mihi tamen addis animum, quo magis lubeat talibus [1] facere fucum.

1 *Fucum facere* pro imponere, fallere. *Fucus* proprie color factitius, hinc pro fraude, & impoſtura, teviſe *Exorciſm.* pag 385.

[1] ΠΤΩΧΟΛΟΓΊΑ.

[2] IRIDES, [3] MISOPONUS.

IR. QUam ego huc novam avem video advolare? Agnoſco faciem, ſed veſtis non convenit. Aut ego prorſus hallucinor, aut hic eſt Miſoponus. Audendum eſt: compellabo hominem, quamlibet [4] pannoſus. Salve, Miſopone. MI. Iridem video. IR. Salve, Miſopone. MI. Tace, inquam. IR. Quid? an ſalvere non vis? MI. Non iſto quidem nomine. IR. Quid accidit? An non es idem qui fueras? An cum veſte mutatur & nomen? MI. Non; ſed vetus receptum eſt. IR. Quis tum eras? MI. [5] Apitius. IR. Ne te pudeat veteris ſodalis, ſi quid melioris obtigit fortunæ: non diu eſt, quod eras [6] ordinis noſtri. MI. Concede huc ſodes, & audies rem omnem. Non pudet ordinis veſtri, ſed pudet primi ordinis. IR. Quem ordinem narras? [7] Franciſcanorum? MI. Nequaquam, ô bone,

1 Πτωχολογία, hoc eſt, *ſermo de mendicis.* Agitur enim in hoc colloquio de mendicorum impoſturis, & quibus præſtigiis veteratores iſti, qui ſeſe artem alcumiſticam callere jactant, popellum ſtolidum deludant.

2 *Irides* vox Patronymica, q. d. *Iri filium.* Paupertas *Iri*, Ithacenſis, qui fuit aſſecla procorum Penelopes, in proverbium abiit, Ipſe, ut Homerus refert ab Ulyſſe domum reverſo, pugno interfectus eſt.

3 *Miſoponus* oſor laboris, μισῶ odi, πόνος labor.

4 Male veſtitus, pannis obſitus.

5 Fuit Apitius Senecæ coætaneus nepotum omnium, ut Plinius inquit, altiſſimus gurges, qui libros aliquot de gulæ irritamentis reliquit. Reſpice pag. 93.

6 Conditionis noſtræ, ſcil. mendicus.

7 Vide Colloq. de Franciſcanis.

1 Pro-

ô bone, sed [1] decoctorum. IR. Næ tu istius ordinis sodales habes quam plurimos. MI. Eram [2] re lauta; prodegi strenue. Ubi res defecit, nullus agnoscebat Apitium. Profugi pudore, verti me ad vestrum collegium: hoc malui, quam fodere. IR. Sapuisti. Sed unde subito novus nitor corporis? Nam de veste mutata non perinde miror. MI. Quam ob rem? IR. Quia Dea [3] Laverna multos subito ditat. MI. An suspicaris me furto parasse rem? IR. Hoc fortassis ignavius. Rapina igitur? MI. Non per vestram [4] Peniam, nequne furto, neque rapina. Sed de nitore corporis prius expediam, quod tibi videtur mirabilius. IR. Nam apud nos eras totus ulcerosus. Nimirum sum usus amicissimo medico. IR. Quonam? MI. Non alio quam me ipso, nisi si quem arbitraris mihi me ipso amiciorem. IR. Atque nesciebam te callere rem medicam antehac. MI. Totum illum ornatum ipse [5] pigmentis affixeram, thure, sulphure, resina, visco, linteis, cruore. Ubi visum est, quod affixeram, detraxi. IR. O impostorem! nihil te videbatur miserabilius. Poteras in tragœdia sustinere personam [6] Job. MI. Sic tum ferebat egestas; quanquam fortuna nonnunquam & cutem mutare solet. IR. Dic igitur de fortuna. Repertus est thesaurus aliquis? MI. Non; sed repertus est quæstus vestro paulo commodior. IR. Qui potuisti facere quæstum, cum non suppeteret [7] fors? MI. [8] Artem quævis terra alit. IR. Intelligo. Dicis

1 *Prodigorum.* Decoquere idem quod bona nequiter profundere.

2 Dives. *Res* pro censu, seu opibus.

3 *Laverna* furum Dea. Hinc & fures *Laverniones* dicti.

4 Πενία paupertas.

5 Coloribus factitiis, fuco.

6 Is enim, ut S. litteræ declarant, inter alias calamitates & ulcerosus fuit.

7 Pecunia.

8 *Artem quævis terra alit* Gr. τὸ τέχνιον πᾶσα γῆ τρέφει proverbium est, quo significatur artes atque scientias certissimum esse viaticum.

Dicis artem incidendi [1] loculos. MI. [2] Bona verba. Dico artem alcumisticam. IR. Vix quindecim dies sunt, quod nos reliquisti, & artem assequutus es, quam alii vix multis annis perdiscunt? MI. Nactus sum viam compendiariam. IR. Quam, obsecro? MI. Ars vestra conflaverat mihi quatuor ferme [3] aureos. Bona quadam fortuna incidi in veterem congerronem, qui nihilo felicius rem administrarat quam ego. Compotabamus: cœpit, ut fit, narrare suas fortunas: paciscor hac lege, ut ille biberet immunis, mihi communicaret artem. Communicavit bona fide: ea nunc vectigal est mihi. IR. Non licet discere? MI. Tibi vel gratis impartiam, ob pristinum sodalitium. Scis nusquam non inveniri plurimos hujus artis avidissimos. IR. Audivi, & credo. MI. In horum familiaritatem quacunque occasione memet insinuo; jacto artem. Ubi sensero [4] larum hiantem, [5] escam paro. IR. Quo pacto? MI. Ultro eos moneo, ne temere credant ejus artis professoribus. Nam plerosque esse impostores, id agentes [6] præstigiis suis, ut exhauriant loculos incautorum. IR. Istuc [7] proœmii parum accommodum tuo negotio. MI. Imo illud etiam addo, ne quid mihi ipsi credant, ni rem certam oculis ac manibus deprehenderint. IR. Miram artis fiduciam mihi narras. MI. Jubeo illos adesse, dum peragitur

1 Vox *Loculus* præter varias significationes, quas obtinet, hoc loco sumitur pro sacculo in quo pecunia servatur, qui & *marsupium* dicitur

2 Ironiæ, species, quam Charientismum vocant: revise pag. 348. & alibi

3 *Aureus*, nummus est ex auro cusus, valens 100. sestertios.

4 *Larus hians* dicitur, qui avidus inhiat prædæ; est enim Larus avis avida, & vorax.

5 Esca θήλεια, qua capiuntur pisces & aves. Petron; de eloquentiæ magistris. *Nisi tanquam piscator, eam imposuit hamis escam, quam scierit appeturos esse pisciculos, sine spe prædæ moratur in scopulo.*

6 *Præstigiæ*, vanæ rerum species.

7 Προοίμιον, exordium. Vide infra notas in *Conv. fabulos.*

1 Mitta-

tur [1] metamorphosis: jubeo attentos esse: quoque minus dubitent, jubeo ut ipsi manibus rem omnem peragant, me procul spectante, nec digitum admovente: liquefactam materiam jubeo ut purgent ipsi, aut aurifici purgandam deferant: prædico quantum argenti aurive sit eliquandum: denique quod eliquatum est, jubeo ut pluribus deferant ad [2] Lydium lapidem explorandum. Reperiunt pondus prædictum, reperiunt purgatissimum aurum aut argentum: nihil enim refert, nisi quod minore periculo mihi quidem res tentatur in argento. IR. Proinde nihil habet ars tua [3] fuci? MI. Merus fucus est. IR. Nondum video [4] præstigium. MI. Faxo ut videas. Primum paciscor de mercede, eam nolo mihi numerari, nisi prius edito artis experimento. Trado illis pulviculum, quasi hujus vi conficiatur totum negotium. Rationem conficiendi pulveris non communico, nisi magna mercede redemerint. Exigo jusjurandum, ne proferant arcanum artis intra sex menses cuiquam mortalium aut immortalium. IR. Nondum audio fucum. MI. Fucus omnis est in uno carbone in hoc parato. Excavo carbonem, in eum infero liquefactum argentum, quantum prædico reddendum: post infusum pulverem, sic instruo vas, ut non solum inferne & à lateribus cingatur prunis, verum etiam superne: persuadeo hoc esse artis. Inter carbones, qui superne imponuntur, unum admisceo, qui tegit argentum, aut aurum. Id vi caloris liquefactum defluit in reliquam materiam, quæ liquescit, puta stannum, aut æs: repurgatione facta invenitur quod admixtum est. IR. Ars expedita: sed quomodo fallis, si alter rem agat

1 Μεταμόρφωσις transfiguratio, à μεταμορφόω, transfiguro.
2 *Lapis Lydius* coticula est, qua exploratur aurum.
3 Fraudis.
4 Respice notas in pag. 255.

gat ſuis manibus? MI. Cum is me præſcribente perfecit omnia, priusquam moveatur vas alcumiſticum, accedo tandem, & circumſpicio, ne quid forte ſit omiſſum. Ajo mihi videri ſuperne deeſſe unum atque alterum carbonem, clam appono meum; fingo me eum tollere ex acervo reliquorum, at illic ante ſic poſitum, ut nulli poſſit agnoſci, & illum fallere. Tollo. IR. Cæterum cum illis absque te[1] periculum facientibus non ſuccedit, quid adfers? MI. Mihi nihil eſt periculi, jam numerata pecunia. Aliquid comminiſcor, aut ollam fuiſſe[2] inſinceram, aut carbones vitioſos, aut ignem parum ſcite temperatum. Denique pars eſt artis, quam profiteor, non diu hærere in eodem loco. IR. An tantus eſt proventus iſtius artis, ut te poſſit alere? MI. Et quidem ſplendide: poſthac tu quoque ſi ſapis, relinques iſtam miſeriam, & noſtro accedes ordini. IR. Imo citius illud agam, ut te revocem in[3] noſtrum ordinem. MI. Ut volens repetam quod ſemel effugi, ac deſeram bonum quod inveni? IR. Habet hoc noſtra profeſſio, dulceſcit aſſuetudine. Proinde cum multi ſint, qui deficiant ab inſtituto divi[4] Franciſci, aut Benedicti; quem unquam vidiſti, qui diutius verſatus in ordine noſtro defecerit? Nam tam paucis menſibus vix guſtare potueras, quid eſſet mendicitas. MI. Is guſtus me docuit, eſſe rem omnium miſerrimam. IR. Cur igitur nemo deficit? MI. Fortaſſe quia natura miſeri ſunt. IR. Ego hanc miſeriam ne cum regum quidem fortuna commutarim. Nihil enim regno ſimilius, quam mendicitas. MI. Quid ego audio? nihil nivi ſimilius, quam carbo. IR. Dic mihi, qua re potiſſimum beati ſunt reges?

1 *Periculum facere*, hoc eſt rem tentare, experiri.
2 Impuram.
3 Mendicorum ſcil.
4 De Franciſcanis & Benedictinis monachis conſulatur Colloq. Franciſcan. pag. 360.

1 Cen-

ges? MI. Quia faciunt quod animo collubitum est. IR. Ista libertas, qua nihil suavius, nemini regum magis adest, quam nobis. Nec dubito, quin multi reges sint, qui nobis invideant. Sive bellum est, sive pax, nos tuto vivimus: non describimur ad militiam, non vocamur ad munia publica, non [1] censemur: cum populus expilatur exactionibus, nullus inquirit in vitam nostram: si quid admissum est etiam atrocius, quis dignetur in jus vocare mendicum? Etiam si pulsamus hominem, pudet pugnare cum mendico. Regibus nec in pace nec in bello licet suaviter agere; & quo majores sunt, hoc plures metuunt. Nos, veluti Deo sacros, etiam religione quadam metuit vulgus offendere. MI. Sed interim sordescitis in pannis, & casulis. IR. Quid ista faciunt ad veram felicitatem? Extra hominem sunt, quæ narras. His pannis debemus nostram felicitatem. MI. At vereor ne vobis brevi peritura sit felicitatis istius bona pars. IR. Qui sic? MI. Quia jam hoc [2] mussant civitates, ne mendicis liberum sit quo libet evagari, sed unaquæque civitas suos alat mendicos, & in his qui valent, adigantur ad laborem. IR. Cur hoc moliuntur? MI. Quia comperiunt ingentia facinora sub mendicitatis prætextu perpetrari. Deinde non minimam perniciem ex vestro ordine nasci. IR. Istiusmodi fabulas frequenter audivi. Id fiet [3] ad Calendas Græcas. MI. Fortasse citius, quam velles.

CON-

1 Censentur subditi, cum numeratis singulis, de facultatibus æstimatis indicitur exactio. Livius Lib. 1. de Servio Tullio. *Censum instituit rem saluberrimam tanto futuro imperio: ex quo belli pacique munia non viritim, ut ante, sed pro habitu pecuniarum fierent.*

2 *Civitates mussant*, hoc est, tacitus in civitatibus rumor spargitur. *Mussare* proprie est murmurare, & quasi muri vocem reddere, vel tacite loqui, Respice pag. 239.

3 *Ad Calendas Græcas*, pro nunquam. Nam apud Latinos prima dies mensis cujusque est dicta Calendæ, apud Græcos vero non fuit temporis computatio per Calendas, sed per νουμηνίας, seu novilunia.

2 In

CONVIVIUM [1] FABULOSUM.

[2] POLYMYTHUS, [3] GELASINUS, [4] EUTRAPELUS, [5] ASTAEUS, [6] PHILYTHLUS, [7] PHILOGELOS, [8] EUGLOTTUS, [9] LEROCHARES, [10] ADOLESCHES.

PO. UT non decet civitatem bene institutam esse sine legibus ac principe, ita nec convivium oportet [11] ἄναρχον esse ἢ [12] ἄνομον. GE. [13] Istuc vero perplacet, ut unus totius populi nomine respondeam. PO. Heus, puer, [14] adfer huc talos; [15] horum suffragiis decernetur regnum, cuicunque faverit Jupiter. Euge, Eutrapelo favit Jupiter. Non fuere sortes cæcæ; non poterat magis idoneus eligi, etiamsi [16] per singulas tribus [17] viritim collecta

1 In quo convivæ fabulis narrandis certant.

2 *Polymythus*, fabulosus.

3 *Gelasinus*, ridiculus.

4 *Eutrapelus*, facetus.

5 *Astæus*, urbanus.

6 *Philythlus*, amans nugarum.

7 *Philogelos*, amans risus.

8 *Euglottus*, bene loquax.

9 *Lerochares*, qui gaudet inepiis.

10 *Adolesches*, nugator.

11 Ἄναρχον sine principe.

12 Ἄνομον sine lege.

13 Hic in vestibulo observandum venit, Erasmum exacte observare regulas Rhetoricas, tradentes allegoriam in quo rerum genere incipit, in eo quoque desinere debere. Nam *Polym.* incipit metaphora sumta à republica, & *Gelas.* quoque in eadem metaphora permanens respondit.

14 Alludit ad usum veterum, qui talis, hoc est ossiculis quadratis, ludebant, & pro variis figuris, in talorum lateribus pictis, aut lucrum aut damnum sentiebant. De talorum ludu consule colloquium infra

15 *Horum talorum suffragiis*, &c. Apposite tribuit autor talis suffragia, quia olim Populus Romanus talis suffragia dabat. Suffragium est vox illa, quæ dabatur, in Comitiis Romanorum, & in tabellis describebatur, qua unusquisque suam declaratabat voluntatem de aliquo magistratu creando, aut reo damnando &c. Ferebantur hæc primum voce & palam, donec ferrentur tabellariæ leges, sed de his mox.

16 Permanet adhuc in eadem metaphora allegorica. *Per singulas tribus*, ait, quia olim in comitiis tributim suffragia colligebantur. *Tribus* autem appellavit Romulus tres partes urbis Romæ, in quas eam distribuerat. Dein ab aliis regibus auctæ, & immutatæ sunt.

17 Per singulos viros.

1 Puncta

collecta fuissent [1] puncta. Vulgo jactatur proverbium non tam vanum, quam parum Latinum, [2] Novus rex, novus lex. [3] Νομοθέτει γὲν, ὦ βασιλεῦ. EUT. [4] Quod felix faustumque sit huic convivio: Primum edico, ne quis heic [5] proferto præter ridiculas fabulas. Cui deerit fabula, [6] drachma multator; ea pecunia in vinum insumitor. Atque in legitimis fabulis etiam ex tempore conficta habentor, modo servetur [7] τὸ πιθανὸν, ἢ πρέπον. Si nulli defuerit fabula, duo, quorum alter lepidissimam, alter [8] frigidissimam fabulam dixerit vini pretium pendunto. Convivator à vini sumtu immunis esto; ciborum sumtum unus suppeditato: hujus rei si quid inciderit controversiæ, Gelasinus arbiter ac judex esto. [9] Hæc si vos sciveritis, rata sunto. Qui legi parere noluerit, abito; sic tamen ut postridie ad compotationem redire [10] jus fasque sit. GE. Legem à rege latam nostris suffragiis ratam esse volumus. Sed unde [11] proficiscetur fabularum circulus? EUT. Unde, nisi à convivatore? AS. Licet-

1 Puncta colligi dicuntur pro more Romanorum, qui primum per multos annos suffragium tulerunt viva voce dein vero punctis in tabellis. Hinc illud Horatii *omne tulit punctum*, & Cicero in Orat. pro L. Murena: *recordor quantum hæ quæstiones in senatu habitæ punctorum nobis detraxerint.*

2 Est solœcismus pro *Nova lex.*

3 Νομοθέτει γὲν ὦ βασιλεῦ, i. e. *Statue ergo leges, o rex.*

4 Ab hac solemni precatione solebant olim auspicari, qui rem seriam agebant apud populum.

5 Notandum est, Eutrapelum regum more loqui, quippe omnia verba profert in imperativo modo: alludens forte ad leges XII. tabularum, simili modo conceptas.

6 Æginæa scil. quæ valet sex sestertios.

7 Τὸ πιθανὸν ἢ τὸ πρέπον, i. e. verisimile & decorum.

8 Omnium maxime invenustam. Contrarium *frigidi* est *facetum, plausibile.*

9 Perpetua allegoria à Comitiis Romanorum sumpta, nulla quippe senatusconsulta rata erant, nec populum obstringebant, nisi rogatione à senatorio magistratu facta populus respondisset. Dabantur itaque in Comitiis duæ tabellæ, una, in qua scriptum erat *uti rogas*, duobus tantum primis elementis. V. R. altera, in qua scriptum erat *antiquo*, una etiam littera A.

10 Æquum sit, liceat.

11 Incipiet.

Licetne, rex, dicere [1] tria verba? EUT. An tu credis nefastum esse convivium? AS. Jureconsulti negant legem esse, quæ non sit æqua. EUT. Assentior. AS. At tua lex æquat optimam fabulam pessimæ. EUT. Ubi voluptas quæritur, ibi non minus laudis promeretur qui pessime dixit, quam qui optime, eo quod non minus delectet. Velut inter cantores nemo voluptati est, nisi qui aut insigniter bene cecinerit, aut egregie male. Nonne plures rident audito [2] coccyce, quam audita luscinia? Heic mediocritas laudem non habet. AS. At, cur [3] plectuntur qui laudem auferunt? EUT. Ne nimia felicitas provocet illis [4] Nemesim aliquam, si simul & laudem auferrent & immunitatem. AS. Per [5] Bromium [6] Minos ipse nunquam tulit legem æquiorem. PHILY. Nullam feres legem de modo bibendi? EUT. [7] Dispecta re, sequar exemplum [8] Agesilai Lacedæmoniorum regis. PHILY. Quid is fecit? EUT. Is cum tempore quodam [9] sympotiarchus talorum arbitrio delectus esset, rogante [10] architriclino, quantum cuique vini juberet apponi: Si largior, inquit, vini copia parata est, dato cuique quantum poposcerit, si malignior, omnibus ex æquo distribuito. PHILY. Quid sibi voluit

1 Tria verba dixit pro paucis: quod alter ludens torquet ad dies nefastos, quibus justitium erat, nec licebat Prætori dicere tria verba, *Do, Dico, Addico.* Sic Ovidius in Fastis. *Ille nefastus erit, per quem tria verba silentur* De tribus verbis revise quæ annotavimus in pag. 209.

2 Κόκκυξ. Latine Cuculus.

3 Voluit enim Eutrapelus, ut duo, quorum alter lepidissimam, alter frigidissimam fabulam dixisset, vini pretium penderent.

4 Nemesis Dea insolentiæ & arrogantiæ vindex, quæ spes immoderatas & vetat & punit.

5 *Bromius* Bacchi epitheton ἀπὸ τῦ βρέμειν, à fremendo.

6 *Minos* Cretensium rex, qui primus illis leges dedit, ob inclitam justitiam fingitur à Poëtis inferorum judex cum Æaco, & Rhadamantho.

7 Bene considerata.

8 Cujus vitam & res præclare gestas multi scriptores memorarunt.

9 Συμποσιάρχης, convivii præfectus, vel qui modum convivis imponit.

10 Ἀρχιτρίκλινος, Architriclinus, cui cura adornandi convivii commissa est.

1 *Laco-*

voluit [1] Lacon ille cum hæc diceret? EUT. [2] Hoc agebat, ut neque temulentum, neque rursum querulum esset convivium. PHILY. Qui sic? EUT. Quia sunt qui gaudent largius bibere, sunt qui gaudent parcius: reperiuntur & [3] abstemii, qualis dicitur fuisse [4] Romulus. Itaque si nulli datur vinum nisi poscenti, primum nemo compellitur ad bibendum; & tamen nihil desiderant, quibus grata est largior potatio. Ita fit ut nemo tristis sit in convivio. Rursus, si parcior copia vini distribuitur æquis portionibus in singulos, satis habent qui bibunt moderatius: neque quisquam in æqualitate potest obmurmurare, quando qui largius erat hausturus, æquo animo componit sese ad temperantiam. Hoc exemplum si placet, utar. Volumus enim hoc convivium fabulosum esse, non vinosum. PHILY. Quid igitur bibebat Romulus? EUT. Idem quod bibunt [5] canes. PHILY. An non istud indignum rege? EUT. Nihilo magis quam quod reges spirant aëre cum canibus communi: nisi quod illud interest; Rex non bibit eandem aquam, quam biberet canis: sed aërem quem efflavit rex, haurit canis: & vicissim quem efflavit canis, haurit rex. Plus gloriæ tulisset [6] Alexander ille magnus, si cum canibus bibisset. Nihil enim pejus regi, qui tot hominum millibus vigilat, quam vinolentia. Cæterum Romulum abstemium fuisse, declarat [7] apophthegma non infestiviter ab illo dictum. Etenim

1 *Laconia* Peloponnesi regio est, cujus civitas primaria Lacedæmon, ejus incolæ vocantur Lacones, qualis erat Agesilaus rex.

2 Illud volebat indicare.

3 Abstemius dicitur, qui non bibit vinum, ex *abs* & *temetum*, vinum, unde *temulentus*, i. e. ebrius.

4 Primus Romanorum Rex.

5 Canes natura à vino abhorrere dicuntur.

6 Is enim natura fuit vinosus, & non solum in convivio quodam ebrius Clytum sibi charissimum optimeque de se meritum hasta transfixit, aliaque mala facinora præ nimia temulentia perpetravit, sed ipse Babylone, inter pocula, vino, & veneno periit.

7 Ἀπόφθεγμα, dictum breve & acutum, ἀποφθέγγομαι, eloquor.

nim cum quidam videns illum abstinere à vino, dixisset: Vinum vile futurum, si omnes biberent quemadmodum ille; Imo, inquit, tum arbitror fore carissimum, si biberent omnes vinum quemadmodum ego. Bibo enim quantum libet. GE. Utinam heic adesset noster[1] Joannes Botzemus [2] Canonicus Constantiensis, qui nobis Romulum quendam referret! nam & is abstemius non minus est, quam dicitur, alioqui comis ac festivus conviva. PO. Age, si simul potestis, non dicam [3] sorbere & flare, quod Plautus ait esse difficile; sed edere & audire, quod est perfacile, [4] bonis avibus [5] auspicabor fabulandi munus. Si parum erit lepida fabula, scitote [6] Batavam esse. Opinor aliquot vestrum auditum Macci nomen. GE. Non ita diu est quod periit. PO. Is cum venisset in civitatem quæ dicitur [7] Leydis, ac vellet novus hospes innotescere joco quopiam, (nam is erat homini mos;) ingressus est officinam calcearii: salutat. Ille cupiens [8] extrudere merces suas, rogat numquid vellet. Macco conjiciente oculos in ocreas ibi pensiles, rogat sutor, num vellet ocreas? Annuente Macco, quærit aptas tibiis illius, inventas alacriter protulit, &, ut solent, [9] inducit illi. Ubi jam Maccus esset eleganter ocreatus; Quam belle, inquit,

1 Vir Erasmo charus, & ad quem variæ ab illo scriptæ extant epistolæ. Inter eas legi unam, quæ est mihi in editione Londinensi lib. 12. epist. 32. hisce verbis incipientem. *Hoc mihi jucundior tua fuit epistola, vir clarissime, quod novi lucrum amici cum veteris recordatione copulavit.* Urbanum *jam pridem amabam. Abstemium libenter agnosco.*

2 Καγονικὸς, regularis.

3 *Non possum simul sorbere & flare* apte quis dixerit, ubi significare velit, negotia quædam id genus esse, ut pariter à se tractari nequeant.

4 *Bonis avibus*, id est felicis successus spe. Modus loquendi ab auguribus, qui ex avium volatu, pastu, cantu, &c. futura prædicebant.

5 Incipiam. Quia veteres nil nisi auspicato gerebant, *auspicari* usitatissimum est pro incipere.

6 Batavi olim simplices & ingenui habiti.

7 *Leida* verum urbis nomen, aliis *Lugdunum Batavorum.*

8 Respicit ad illud Horatii, *Laudat venales qui vult extrudere merces.* Epist. lib. 2.

9 Induit.

1 Acci-

inquit, congrueret his ocreis per calceorum duplicatis soleis. Rogatus an & calceos vellet, annuit. Reperti sunt, & additi pedibus. Maccus laudabat ocreas, laudabat calceos. Calcearius tacite gaudens, succinebat illi laudanti, sperans pretium æquius, posteaquam emtori tantopere placeret merx. Et jam erat nonnulla contracta familiaritas. Heic Maccus: Dic mihi, inquit, bona fide, nunquamne [1] usu venit tibi, ut, quem sic ocreis & calceis ad cursum armasses, quemadmodum nunc armasti me, abierit non numerato pretio? Nunquam, ait ille. Atqui si forte, inquit, veniat usu, quid tu tum faceres? Consequerer, inquit calcearius, fugientem. Tum Maccus, serione ista dicis, an joco? Plane serio, inquit alter, loquor; & serio facerem. Experiar, ait Maccus. En pro calceis præcurro, tu cursu sequere. Simulque cum dicto [2] conjecit se in pedes. Calcearius [3] è vestigio consecutus est, quantum poterat, clamitans, Tenete furem. Ad hanc vocem cum cives undique prosiliissent ex ædibus, hoc commento cohibuit illos Maccus, ne quis manum injiceret; ridens ac vultu placido: ne quis, inquit, remoretur cursum nostrum; certamen est de [4] cupa cervisiæ. Itaque jam omnes præbere se certaminis spectatores. Suspicabantur autem calcearium dolo clamorem eum fingere, ut hac occasione [5] anteverteret. Tandem calcearius cursu victus, sudans & anhelus domum rediit. Maccus tulit [6] brabeum. GE. Maccus iste effugit quidem calcearium, at non effugit furem. PO. Quam ob rem? GE. Quia furem ferebat secum. PO. Forte tum non erat ad manum

1 Accidit.

2 *Conjicere se in pedes.* Terentianum est, in Eunucho & Phorm. pro quo Cicero dixit pro Cælio, *conjicere se in fugam.*

3 Mox.

4 Cupa, id. quod dolium, vas ingens.

5 Scil. Macco currenti.

6 Βραβεῖον præmium, quod victori in certamine dabatur.

num pecunia, quam postea resolvit. GE. Verum erat [1] actio furti. PO. Ea quidem post intentata est, sed jam magistratibus aliquot innotuerat Maccus. GE. Quid attulit Maccus? PO. Quid attulit? rogas? in caussa tam vincibili? Magis periclitatus est [2] actor quam [3] reus. GE. Qui sic? PO. Quia gravabat illum actione calumniæ, & intendebat legem [4] Rhemiam, quæ dictat, ut qui crimen intenderit, quod probare non possit, pœnam ferat quam laturus erat reus, si convictus fuisset. Negabat se contrectasse rem alienam invito domino, sed ultro deferente, nec ullam pretii mentionem interceßisse. Se provocasse calcearium ad certamen cursus; illum accepisse conditionem; nec habere quod queratur, cum esset cursu superatus. GE. Hæc actio non multum abest [5] ab umbra

1 Jus agendi vel intentandi accusationem de furto. *Actionem* vocant Jurisconsulti jus, quod cui que debetur in judicio prosequendi. Propter quod Ulpianus duo actionum genera esse scribit: in rem, quæ dicitur vindicatio: & in personam, quæ conditio appellatur. In rem actio est, per quam rem nostram, quæ ab alio possidetur, petimus. In personam actio est, qua cum eo agimus, qui obligatus est nobis ad faciendum aliquid dandumve.

2 Calcearius, qui actionem furti intentavit.

3 *Reus* est qui in rem, hoc est, causam, ac judicium vocatus est, uti hoc loco Maccus ille. *Reus stipulando* est qui stipulatur. *Reus promittendo*, qui suo nomine quid pro altero respondit. *Reus voti*, qui suscepto voto se obligat (unde & *damnatus voti*, qui promissa vota jam solvit. Sed hæc sunt propria sacrorum verba) Virgil. *Constituam ante aras voti reus.*

4 Quam alii eandem faciunt cum Memmia. Manutius vero inter Rhemiam & Memmiam distinguit. Non tantum eâ latum fuit, ne eorum, qui reipublicæ causa abessent, nomina inter reos reciperentur, sed & ut calumniatoribus pœna imponeretur. Hac lege calumniatori in fronte imprimeretur littera, quæ eum calumniatum esse interpretabatur.

5 Proverbium de umbra asini refertur ad Demosthenem, qui defendens quendam in causa capitali coram judicibus parum attentis, hujusmodi fabulam intertexuit. Juvenis iter faciens, cum nullibi æstum meridianum effugeret, sub asino resedit. Cæterum id Agaso non sinebat, clamans asinum locatum, non asini umbram. Alter asseverabat esse conductam. Post acerrimam rixam in jus ambulant. Demosthenes hæc prolocutus repente à tribunali discessit. Rogatus à judicibus ut reliquum fabulæ narraret, respondit; de umbra asini liber audire, viri causam de vita periclitantis audire gravamini.

1 Sunt

umbra asini. Quid tandem? PO: Ubi satis risum est, quidam è judicibus vocavit Maccum ad cœnam, & numeravit calceario pretium. Simile quiddam accidit Daventriæ [1] me puero. Erat tempus illud, quo regnant piscatores, [2] frigent lanii. Quidam adstabat ad fenestram [3] fructuariæ, sive Græce mavultis, [4] oporapolidis, fœminæ vehementer obesæ, oculis intentis in ea quæ proposita venum erant. Illa ex more invitavit, si quid vellet: & cum videret hominem intentum ficis: Vis, ait, ficos? sunt perquam elegantes. Cum ille annuisset, rogat quot libras vellet: Vis, inquit, quinque libras? Annuenti, tantum ficorum effudit in gremium. Dum illa reponit [5] lances, ille se [6] subducit, non cursu, sed placide. Ubi prodisset acceptura pecuniam, vidit emtorem abire, insequitur majore voce, quam cursu. Ille dissimulans pergit quo cœpit ire: tandem multis ad fœminæ vocem concurrentibus, restitit. Ibi in populi [7] corona agitur caussa: risus oboritur: emtor negabat se emisse, sed quod ultro [8] delatum fuisset accepisse: si vellet experiri apud judices, se [9] comparituram. GE. Age, narrabo fabulam tuæ non admodum dissimilem, fortasse nec inferiorem, nisi quod hæc non habet auctorem perinde celebrem, atque est

1 Sunt qui id ipsum, quod nunc narrabitur, Erasmo accidisse ferunt. Is enim, ubi nonum annum ageret, à Patre Daventriam missus est, litterarum rudimentis imbuendus.

2 *Tempus quo regnant piscatores, lanii vero frigent* circuitio est, qua designat autor Pontificiorum Quadragesimam, ut vocant, quam abstinendo à carnibus observant.

3 Quæ fructus arborum vendit.

4 *Oporapolis* vox composita ex Gr. ὀπώρα proprie autumnus, sed & fructus autumnales, & πωλέω vendo.

5 Intellige hic per lances illa duo vascula lancium escariarum similitudine, in quorum altero pondus, in altero res ponderanda ponitur: & libræ *bilances* dictæ, à duabus lancibus.

6 Abit.

7 Cœtu, vel circumstantis vulgi conventu. Ita Ovid. Metamorph. lib. XIII. *Consedere duces, & vulgi stante corona*, &c.

8 Oblatum.

9 Adfuturum.

est Maccus. [1] Pythagoras totum mercatum dividebat in tria hominum genera; quorum alii prodiissent ut venderent, alii ut emerent: hoc utrumque genus ajebat solicitum esse, proinde nec felix: alios non ob aliud venire in forum, quam ut spectent, quid illic proferatur, aut quid agatur: hos solos esse felices, quod vacui curis, gratuita voluptate fruerentur. Atque ad hunc modum dicebat philosophum versari in hoc mundo, quemadmodum illi versarentur in mercatu. Verum in nostris [2] emporiis quartum hominum genus obambulare solet, qui nec emunt, nec vendunt, nec otiosi contemplantur, sed observant solicite, si quid possint [3] involare. Atque in hoc genere reperiuntur quidam mire [4] dextri, dicas esse [5] Mercurio favente natos. Convivator dedit fabulam cum [6] coronide; ego dabo cum [7] proœmio. Nunc accipite quod nuper accidit Antverpiæ. Sacrificus quidam receperat illic mediocrem summam pecuniæ, sed argenteæ. Id impostor quidam animadverterat. Adiit sacrificum, qui gestabat in [8] zona crumenam nummis [9] turgidam: salutat civiliter; narrat sibi datum negotium à suis, ut vici sui [10] parocho mercaretur novum pallium [11] sacrum, quæ

1 Pythagoras Samius, ille toties decantatus Philosoph qui μετεμψύχωσιν sive commigrationem animæ de corpore in corpus docuit, ideoque à carnibus abstinuit.

2 Ἐμπορίων, forum.

3 Hoc est *furaris*; juxta illud Catulli: *Huc redde pallium meum, quod involasti. Involare* enim sonat *in vola tenere. Vola* media pars manus vel pedis est.

4 Apti, callidi.

5 Mercurius enim non solum facundus, sed & mercatorum & furum Deus à Poëtis fingitur. Hinc eum laudat Horatius Od. 10. lib. 1. *Callidum, quicquid placuit, jocoso condere furto.*

6 *Coronis* est rei alicujus apex, per translationem sumitur pro rei fine, vel quod ornatus gratia additur, uti hoc loco.

7 Προοίμιον proprie exordium, quo cantores ac citharœdi præludunt. Hic pro initio.

8 More antiquo, *ζώνη cingulum* à ζωννύω *cingo*. Olim viatoribus, militibus &c zona lata fuit, in qua æra, seu pecuniam ferebant. Hinc proverbium, *zonam perdidit*, i. e. crumenam cum nummis.

9 Plenam.

10 *Parochi*, qui olim dicti, nunc revise in notis in *Exorcismum* pag. 381.

11 Hoc est, ut ipse autor paulo post exponit, quo sacrificus vestitus est, dum missam, ut vocant, peragit.

1 Emptio.

quæ ſumma veſtis eſt ſacerdoti rem divinam peragenti. Rogat, hac in re commodaret ſibi tantillum operæ, ut ſecum iret ad eos, qui vendunt hujusmodi pallia, quo videlicet ex modo corporis ipſius ſumeret majus aut minus; nam ſibi videri ſtaturam ipſius cum parochi magnitudine vehementer congruere. Hoc officium, cum leve videretur, facile pollicitus eſt ſacrificus. Adeunt ædes cujusdam. Prolatum eſt pallium, ſacrificus induit, venditor affirmat mire congruere. Impoſtor cum nunc à fronte, nunc à tergo contemplatus eſſet ſacrificum, ſatis probavit pallium; ſed cauſſatus eſt, à fronte brevius quam par eſſet. Ibi venditor, ne non procederet [1] contractus, negat id eſſe pallii vitium, ſed crumenam turgidam efficere, ut ea parte offenderet brevitas. Quid multa? Sacrificus deponit crumenam: denuo contemplantur. Ibi impoſtor averſo ſacrificо crumenam arripit, ac ſemet [2] in pedes conjicit. Sacerdos curſu inſequitur ut erat palliatus, & ſacrificum venditor. Sacrificus clamat, Tenete furem: venditor clamat, Tenete ſacrificum: impoſtor clamat, Cohibete ſacrificum furentem: & creditum eſt, cum viderent illum ſic ornatum in publico currere. Itaque dum alter alteri in mora eſt, impoſtor effugit. EUT. Dignus qui non ſimplici ſuſpendio pereat, tantus artifex. GE. Niſi jam pendet. EUT. Utinam non ſolus, ſed una cum illo qui talibus [3] portentis favent in perniciem Reipublicæ. GE. Non favent gratis. [4] Catena eſt, quæ demiſſa in terras pertingit ad Jovem. EUT. Ad fabulas redeundum. AS. Ad te redit [5] ordo, ſi fas eſt regem [1] in

1 Emptionis, & venditionis.

2 Aufugit. Reſpice pag. 417.

3 Nebulonibus, qui peſtes & portenta ſunt in republica bene inſtituta.

4 Alludit ad catenam argenteam de qua fabulatur Homerus. Videtur enim indicare, quod ex talibus impoſtoribus nonnunquam aliquid lucri veniat ad præfectos, & eos qui magiſtratu funguntur.

5 *Ordo* id eſt vices, ſcil. narrandi.

[1] in ordinem cogere. EUT. Non cogar; imo volens veniam in ordinem; alioqui [2] tyrannus essem, non rex, si leges quas aliis præscribo, recusem. AS. Veruntamen ajunt [3] principem esse supra leges. EUT. Istuc non omnino falso dictum est, si principem accipias summum illum principem, quem tum vocabant Cæsarem. Deinde si sic accipias superiorem legibus, quod alii coacti utcunque servant, illum suapte multo cumulatius præstare. Quod enim animus est corpori, hoc est bonus princeps Reipublicæ. Quid opus erat addere, bonus, [4] quando malus princeps non est princeps: quemadmodum spiritus impurus, qui invasit corpus hominis, non est animus. Sed ad fabulam; & arbitror convenire, ut rex regiam fabulam adferam. [5] Ludovicus Galliarum rex, ejus nominis undecimus, cum rebus domi turbatis [6] peregrinaretur apud Burgundiones, occasione [7] venationis nactus est familiaritatem cum Conone quodam homine rustico, sed animi simplicis ac sinceri. Nam hoc genus hominibus dele-

1 *In ordinem cogere*, id est, cæteris facere æqualem.

2 *Tyrannus* olim dicebatur Rex, vel Monarcha, in bonam partem, nam ut C. Nepos ait *Omnes habentur & dicuntur tyranni, qui potestate sunt perpetua in ea civitate, quæ libertate usa est.* Dein vero *Tyranni* dicti sunt principes crudeles ac violenti, subditorum flagella, qualia fuerunt ista monstra horrenda inter Cæsares Romanos.

3 Illæ formulæ loquendi Romanis usitatæ, *Quod principi placuit: per principis genium: ad principis statuam*, de Cæsare intelligebantur. *Imperatori* nomen proprie militare est. *Regis* nomen Romanis invisum, *Principi* vero amabilius fuit.

4 Consule elegantem Erasmi libellum de Christiani principis institutione.

5 Est Ludovicus ille, qui patri Carolo septimo in imperium successit, homo callidus, acutus, & insidiosus. Obiit apud Turonas Plessiaci Ao 1483. Ejus vitam memorat Ph. Cominæus, historicorum ejus temporis præstantissimus.

6 Nam puer undecennis Patri Carolo bellum intulit. Post modo in gratiam receptus, denuo factionibus nobilium adductus in Delphinatum abiit, sequentibus multis ex optimatibus. Pater continuo in Delphinatum profectus magno exercitu adeo factiosos terruit, ut paucis exceptis ad debitam obedientiam redierint. Ipse vero Ludovicus, Patris iram veritus, in Burgundiam secessit.

7 Cui supra modum addictus fuit, ut Cominæus testatur.

1 Μόναρ-

delectantur [1] monarchæ. Ad hujus ædes frequenter diverterat rex ex venatu; & ut plebejis rebus nonnunquam delectantur magni principes, apud eum magna cum voluptate vescebatur rapis. Mox ubi Ludovicus [2] restitutus, jam [3] rerum potiretur apud Gallos, submonuit Cononem uxor, ut regem veteris hospitii commonefaceret; adiret illum, & rapas aliquot insignes illi dono adferret. Tergiversatus est Conon, se lusurum operam: principes enim non meminisse talium officiorum, sed vicit uxor. Deligit Conon rapas aliquot insignes; [4] accingitur itineri. Verum ipse per viam captus illecebra cibi, paullatim devoravit omnes, una dumtaxat excepta insigniter magna. Ubi Conon prorepsisset in aulam, qua rex erat iturus, statim agnitus est à rege, & accersitus. Ille magna cum alacritate [5] detulit munus; rex majore cum alacritate accepit; mandans cuidam è proximis, ut diligenter reponeretur inter ea, quæ haberet cariſſima. Cononem jubet secum prandere: à prandio egit Cononi gratias; & cupienti repetere rus suum, jussit pro rapa numerari mille coronatos aureos. Hujus rei fama cum, ut fit, per omne regis famulitium esset pervagata, quidam ex aulicis dono dedit regi equum non inelegantem. Rex intelligens, illum provocatum benignitate, quam præstiterat Cononi, [6] captare prædam; vultu majorem in modum alacri accepit munus; & convocatis primoribus consultare cœpit, quo munere pensaret equum tam bellum, tamque pretiosum. Interim, qui donarat equum spes [7] opimas animo concipiebat, sic cogitans: Si sic pensavit rapam donatam

1 Μίναρχος vel ας, qui solus dominatur.
2 Nempe post sextum secessus sui annum.
3 Res pro imperio. Initium regni Ludovici hujus incidit in annum 1462.
4 Parat se itineri.
5 Obtulit.
6 Inhiare prædæ.
7 Magnas.

tam à ruſtico, quanto munificentius penſaturus eſt equum talem oblatum ab aulico? Cum regi veluti de re magna conſultanti alius aliud reſponderet; diuque [1] vana ſpe lactatus eſſe captator; tandem rex: Venit, inquit, in mentem, quod illi donem: & accerſito ex [2] proceribus quopiam, dixit in aurem, ut adferat id quod reperiret in cubiculo (ſimulque locum deſignat) ſerico deligenter obvolutum. Adfertur rapa: eam, ut erat obvoluta, rex ſua manu donat aulico; addens, ſibi videri bene penſatum equum [3] cimelio, quod ſibi conſtitiſſet mille coronatis. Digreſſus aulicus dum tollit linteum, pro theſauro reperit, non carbones, quod ajunt, ſed rapam jam [4] ſubaridam. Ita [5] captator ille captus, riſui fuit omnibus. AS. Jam ſi permittis, rex, ut, [6] plebejus loquar regalia, referam quod ex tua fabula venit in mentem de eodem Ludovico. Nam ut anſa anſam, ita fabula trahit fabulam. Quidam famulus, cum vidiſſet pediculum repentem in veſte regia, flexis genibus, ac ſublata manu, ſignificat, ſe neſcio quid officii præſtare velle. Ludovico præbente ſe ſuſtulit pediculum, & clam abjecit. Rogante rege quid eſſet, puduit fateri. Cum inſtaret rex, faſſus eſt fuiſſe pediculum. Lætum, inquit, [7] omen eſt; declarat enim me eſſe hominem, quod hoc genus vermiculorum peculia-

1 Productus eſſet. *Lactare*, teſte Donato, eſt in aliquam voluptatem inducere. unde oblectare ſignificat fruſtrationem, niſi forte metaph. à matribus. Terent. in Andr. Act 4. Sc. 1. *Niſi me lactaſſes amantem, & falſa ſpe produceres?*

2 Magnatibus *Proceres* proprie capita trabium, quibus extans parietis pars nititur. Hinc pro principibus civitatis, vel qui dignitate eminent.

3 Κειμήλιον Græci eſt pretioſum aliquid, quod ſervandi cauſa ſeponitur, apud Homerum.

4 Aliquantulum ſiccam. *Sub* in compoſitione cum adjectivis eam ſignificationem ſere obtinet.

5 *Captator captitur* dicitur de eo, qui in eas incidit inſidias, quas aliis ſtruxerat. Reviſe *Conviv. Relig.* ἀιρῶν ἀιρεθῆναι. Hoc loco autor detorquet ad fruſtrationem captatoris.

6 Qui eſt ex plebe, dicitur *plebejus*.

7 *Omen* hic ſignificat *ſignum*, *portentum*. Dicitur proprie *omen* quaſi *oremen*, hoc eſt futuræ rei ſignum, quod ex ſermone loquentis capitur.

culiariter infestet hominem, præsertim in adolescentia. Jussitque pro officio numerari coronatos quadraginta. Post dies aliquam multos alter quidam, qui viderat illi feliciter cessisse tam humile officium; nec animadvertens, plurimum interesse, ex animo facias quid, an arte; simili gestu aggressus est regem, ac rursus illo se præbente, simulabat se tollere quiddam è veste regia, quod mox abjiceret. Cum urgeret rex tergiversantem, ut diceret, quid esset, mire simulato pudore, tandem respondit esse pulicem. Rex intellecto [1] fuco. Quid, inquit, an tu me facies [2] canem? Jussit [3] tolli hominem, ac pro captatis quadraginta coronatis infligi quadraginta plagas. PHI. Non tutum est, ut audio, cum regibus facetiis ludere. Quemadmodum enim leones se nonnunquam placide præbent [4] fricanti, iidem, ubi lubitum est, leones sunt, & jacet collusor; [5] itidem favent principes. Sed adferam tuæ fabulam non dissimilem, ne recedamus interim à Ludovico, cui pro delectamento erat [6] corvos hiantes fallere. Dono acceperat alicunde decem millia coronatorum. (Quoties autem principibus obtigit nova pecunia, venantur omnes [7] officiarii, & captant aliquam prædæ partem. Id [8] non fugiebat Ludovicum.) Cum igitur ea pecunia expromta esset in mensa, quo magis irritaret spem omnium, sic loquutus est circumstantibus: Quid?

1 Fraude, respice pag. 406. & alibi superius.

2 Nam canes & feles maxime insidiantur à pulicibus.

3 Scil. sublimem in humeros, ut vapularet.

4 Palpanti.

5 Eodem modo.

6 *Corvos hiantes fallere* dicitur, qui captatores avidos frustratur, ac deludit. Ita & dicitur *lupus hians*, quia uterque vorax & famelicus; pro eo qui re sperata frustratus abit. Ita Horatius Satyr. 5. lib. 2. de Corano Nasicæ Socero, cui ille spe testamenti ostentata, moriens nil nisi plorare reliquit. - - *plerumque recoctus Scriba ex quinque viro corvum deludit hiantem: Captatorque dabit risus Nasica Corano.*

7 Vox pejoris notæ. Vulgus ministros principum officiarios vocat, ita & infra.

8 Non ignorabat Ludovicus.

Quid? an non videor vobis rex opulentus? Ubi collocabimus tantam pecuniæ vim? Donatitia est, donari vicissim convenit. Ubi nunc sunt amici, quibus pro suis in me officiis debeo? Adsint nunc, priusquam effluat hic thesaurus. Ad hanc vocem accurrere permulti: nemo non sibi sperabat aliquid. Rex cum vidisset aliquem maxime inhiantem, & jam oculis devorantem pecuniam; ad eum conversus, Amice, inquit, quid tu narras? Ille commemorabat se diu aluisse falcones regios, summa fide, nec sine gravibus impendiis: alius aliud adferebat; suum quisque officium verbis quantum poterat [1] exaggerabat, idque non sine mendaciis. Rex omnes benigne audiebat, & singulorum orationem comprobabat. Hæc consultatio dilata est in longum tempus, quo diutius spe metuque torqueret omnes. Adstabat inter hos primus [2] Cancellarius; nam & hunc jusserat acciri. Is cæteris prudentior, non prædicabat officia sua, sed agebat spectatorem fabulæ. Ad hunc tandem conversus rex: Quid, inquit, narrat meus Cancellarius? Solus ille nihil petit, nec prædicat officia sua. Ego, inquit Cancellarius, plus accepi à benignitate regia, quam promeruerim: nec ulla de re magis solicitus sum, quam ut regiæ in me munificentiæ [3] respondeam; tantum abest, ut velim flagitare plura. Tum rex: Unus igitur, inquit, omnium non eges pecunia? Ne egerem, inquit alter, jam tua præstitit benignitas. Ibi rex versus ad alios: Næ ego sum, inquit, regum omnium magnificentissimus, qui tam opulentum habeam Cancellarium. Heic magis accensa spes est omnibus, futurum ut pecunia cæteris distribueretur, quandoquidem ille nihil [4] ambiebat. Ad hunc modum

1 Extollebat, verbis magnifice prædicabat.

2 Vox recens. Cancellarii dicuntur, qui Regibus sunt ab epistolis, & secretis.

3 Vicissim dignum quid referam.

4 Appetebat.

modum ubi satis diu lusisset rex, coegit Cancellarium, ut totam eam summam domum auferret. Moxque versus ad cæteros jam mœstos: Vobis, inquit, erit alia exspectanda occasio. PHILO. Fortasse [1] frigidius videbitur quod narraturus sum; proinde depreçor doli mali suspicionem, furtive; ne videar de industria ambiisse immunitatem. Adiit eundem Ludovicum quidam, petens ut munus, quod forte vacabat in eo pago, in quo habitabat, juberet in ipsum transferri. Rex audita petitione, expedite respondit, Nihil efficies: videlicet amputans omnem spem impetrandi quod petebatur. Petitor item, mox actis regi gratiis, discessit. Rex in ipsa fronte colligens hominem esse non omnino [2] siniſtri ingenii, supicansque illum non intellexisse quod respondisset, jubet eum revocari. Redit. Tum rex, Intellexeras, quid tibi responderim? Intellexi. Quid igitur dixi? Me nihil effecturum. Cur igitur agebas gratias? Quoniam, inquit, [3] est domi quod agam: proinde magno meo incommodo persequuturus eram heic spem ancipitem: nunc beneficium interpretor, cito negasse beneficium; meque lucratum, quidquid eram perditurus, si vana spe [4] lactatus fuissem. Ex eo responso rex conjectans hominem minime segnem, ubi pauca percunctatus esset, Habebis, inquit, quod petis, quo mihi bis gratias agas; simulque versus ad officiarios, Expediantur, inquit, huic sine mora [5] diplomata, ne heic diu suo damno hæreat. EUG. Non deest quod referam de Ludovico; sed malo de nostro

1 Non ita venustum, nec plausibile, sed ineptum, resp. pag. 413.
2 Infelicis.
3 Sunt mihi domi negotia mea.
4 Respice notas in pag. 424.
5 Litteræ principum aut magistratuum sigillis munitæ dicuntur διπλώματα à διπλόω *duplico*, quod in duas plicas contracta gestentur.

nostro [1] Maximiliano. Qui ut nequaquam solitus est defodere pecuniam; ita clementissimus erat in eos, qui [2] decoxerant, modo nobilitatis titulo commendarentur. Ex hoc hominum genere cum cuidam juveni vellet opitulari, mandavit illi legationem, ut à civitate quadam, [3] titulo nescio quo, peteret centum millia florenorum. Talis autem erat titulus, ut si quid impetratum esset [4] dexteritate legati, pro lucro duci posset. Legatus extorsit millia quinquaginta; Cæsari reddidit triginta. Cæsar lætus insperata præda, dimisit hominem, præterea nihil inquirens. Interea [5] quæstores & [6] rationales [7] olfecerant plus acceptum fuisse quam exhibitum. Interpellant Cæsarem, ut accerseret hominem. Accitus est: venit illico. Tum, Maximilianus: Audio, inquit, te accepisse millia quinquaginta. Fassus est. Non exhibuisti nisi triginta millia. Fassus est & hoc. Reddenda est, inquit, ratio. Promisit se facturum; ac discessit. Rursum cum nihil esset actum, interpellantibus officiariis revocatus est. Tum Cæsar, Nuper, inquit, jussus es reddere rationem. Memini, inquit ille; & [8] in hoc sum. Cæsar suspicans, illi rationem nondum satis esse subductam, passus est illum sic abire. Cum sic eluderet, officiarii vehementer insta-

1 Maximilianus, qui vivente patre Friderico III. Romanorum rex factus, eidem successit, ex Maria Burgundia suscepit Philippum, patrem Caroli V. Inde autor supra in Epithalamio Petri Ægidii vocat *Philippum Maximi Maximiliani filium, Caroli, qui major futurus esset, patrem.*

2 *Decoquere pecuniam*, est nequiter profundere. Respice *Alcumisticam.*

3 Prætextu.

4 Felici administratione.

5 *Quæstores* dicti à quærendo, quod conquirerent publicas pecunias, & maleficia. Apud Romanos fuerunt tria eorum distincta genera. Alii fuerunt Quæstores Urbani, vel Ærarii: alii Quæstores parricidii, vel rerum capitalium: alii Quæstores Provinciales, qui provincias gererent, & eorum vectigalia conquirerent. Hoc loco intelligit autor eos quos vulgo vocamus *Thesaurieros.*

6 Qui principi sunt à rationibus.

7 *Olfacere* hic per translationem significat *præsentire*, vel *deprehendere. An non sex totis mensibus prius olfeciissem?* Terent. Adelph. Act. 3. Sc. 3.

8 Jam in conficienda ratione totus sum occupatus.

1 Nempe

instabant; clamitantes, non esse ferendum, ut ille tam palam illuderet Cæsari. Persuaserunt, ut accersitus juberetur inibi præsentibus ipsis exhibere rationem. Annuit Cæsar. Accitus venit illico, nihil tergiversatus. Tum Cæsar, Nonne, inquit, pollicitus es rationem? Pollicitus, respondit ille. Jam, inquit, opus est: en adsunt qui [1] excipient; nec est diutius tergiversandi locus. Assidebant officiarii, paratis ad id codicillis. Ibi juvenis sat dextre; Non detrecto, inquit, rationem, invictissime Cæsar, verum hujusmodi rationum non sum admodum peritus, ut qui nunquam reddiderim: isti qui assident, talium rationum sunt peritissimi; si vel semel videro quemadmodum illi tractent hujusmodi rationes, ego facile imitabor. Rogo jubeas illos vel exemplum edere; videbunt me docilem. Cæsar sensit dictum hominis, quod non intelligebant hi, in quos dicebatur, ac [2] subridens, Verum, inquit, narras; & æquum postulas. Ita juvenem dimisit: Subindicabat enim, sic illos Cæsari solere reddere rationem, quemadmodum ipse reddiderat; nimirum, ut bona pecuniæ portio penes ipsos remaneret. LE. Nunc tempus est, ut [3] ab equis, quod ajunt, ad asinos descendat fabula; à regibus ad Antonium sacrificum [4] Lovanienſem; qui [5] Philippo cognomento Bono fuit in deliciis. Hujus viri feruntur multa vel jucunde dicta, vel jocose facta, sed pleraque [6] sordidiora. Nam plerosque lusus suos condire solitus est [7] unguento quodam, quod

1 Nempe rationem. Hoc est, qui de ea judicabunt, an bona fide reddita sit, nec ne.

2 Aliquantulum, vel leviter ridens. Virg. 1. Æneid. *Olli subridens hominum sator atque Deorum.*

3 Ita Græci ἀφ' ἵππων ἐπ' ὄνους. Proverbii sensum revise in notis pag. 335. & alibi.

4 Lovanii (quod primarium Brabantiæ oppidum est) vel natum vel degentem

5 Philippus cognomento bonus, Burgundiæ dux, obiit Brugis 1467. ætat. 73.

6 Aliquo modo narratu turpia.

7 Stercore scil.

1 Bonum

quod non admodum eleganter sonat, sed pejus olet. Deligam unum ex mundioribus. Invitarat unum atque alterum [1] bellum homunculum forte obvios in via. Cum rediisset domum, reperit culinam frigidam, nec erat nummus in loculis; quod illi nequaquam erat insolens. Heic opus erat celeri consilio. Subduxit se tacitus: & ingressus culinam fœneratoris, quicum illi erat familiaritas, quod frequenter ageret cum illo; digressa famula, subduxit unam ex ollis æneis una cum carnibus jam coctis, ac veste tectam deferebat domum: dat coquæ: jubet protinus effundi carnes & jus in aliam ollam fictilem, simulque fœneratoris ollam defricari donec niteret. Eo facto mittit puerum ad fœneratorem, qui depositio pignore [2] drachmas duas à fœneratore [3] sumat mutuo, sed accipiat [4] chirographum, quod testaretur talem ollam missam ad ipsum. Fœnerator non agnoscens ollam, utpote defrictam ac nitentem, recipit pignus, dat chirographum, & numerat pecuniam; ea pecunia puer emit vinum. Ita [5] prospectum est convivio. Tandem cum appararetur prandium fœneratori, dedesiderata est olla. Heic jurgium adversus coquam. Ea cum gravaretur, constanter affirmavit, neminem eo die fuisse in culina præter Antonium. Improbum videbatur hoc suspicari de sacrifico. Tandem itum est ad illum, exploratum an apud illum esset olla: [6] ne musca quidem olla reperta. Quid multis? Serio flagitata est ab illo olla, quod solus ingressus esset culinam, quo tempore desiderata est, Ille fassus est sumsisse

1 Bonum compotatorem, hilarem socium.

2 Drachmas Ægineas, quarum singulæ valent sex sestertios.

3 *Sumere* vel *accipere mutuo* idem est quod mutuari.

4 Χειρόγραφον, litteræ propria manu ad confirmandam fidem subscriptæ, à Χειρ manus & γράφω scribo.

5 *Prospicere*, pro curare.

6 *Ne musca quidem*, hoc est nulla omnino olla. Plautina phrasis.

sumsisse commodato ollam quandam, sed quam remisisset illi, unde sumserat. Id cum illi pernegarent, & incaluisset contentio, Antonius adhibitis aliquot testibus, Videte, inquit, quam periculosum est, cum horum temporum hominibus agere sine chirographo: intenderetur mihi propemodum [1] actio furti, ni manum haberem fœneratoris. Et protulit [2] syngraphum. Intellectus est dolus: fabula magno cum risu per totam regionem dissipata est, ollam oppignoratam ipsi, cujus erat. Hujusmodi dolis libentius favent homines, si commissi sunt in personas odiosas, præsertim eos qui solent aliis imponere. AD. Næ tu nobis mare fabularum aperuisti, nominato Antonio: sed unam dumtaxat, eamque brevem referam, quam audivi nuperrime. Agitabant simul convivium aliquot belli, ut dicunt, homunculi, quibus nihil [3] prius in vita, quam ridere. Inter hos erat Antonius, atque alter item, & ipse celebris hoc genere laudis, ac velut [4] æmulus Antonii. Porro quemadmodum inter philosophos, si quando conveniunt, proponi solent quæstiunculæ de rebus naturæ; ita heic statim nata est quæstio, quænam esset hominis pars honestissima. Alius [5] divinabat oculos, alius cor, alius cerebrum, alius item aliud: & suæ quisque divinationis rationem adferebat. Antonius, jussus dicere sententiam, dixit os sibi videri partem omnium honestissimam; & addidit causam nescio quam. Tum alter ille, ne quid ipsi conveniret cum Antonio, respondit, eam partem qua sedemus, sibi videri honestissimam. Cum id videre-

1 Vide quæ dixi supra pag. 418.

2 Συγγραφὴ, *scriptio*. Scheda manu contrahentium subscripta.

3 Dignius, charius, jucundius

4 Notum est: *æmulor tibi* pro invideo. *Æmulor te* pro imitor. Ita hic *æmulus* significat, qui non sine invidia imitatur, & de laude contendit.

5 Conjiciebat.

videretur omnibus absurdum, attulit hanc caussam, quod is diceretur vulgo honoratissimus, qui primus consideret: hoc honoris [1] competere parti quam dixisset. Applausum est huic sententiæ, & risum est affatim. Placuit homo sibi de hoc dicto; visusque est in eo certamine victus Antonius. Dissimulavit Antonius, qui non ob aliud detulerat ori primam honestatis laudem, nisi quod sciret illum velut æmulum suæ gloriæ diversam partem nominaturum. Post dies aliquot, cum rursus uterque vocatus esset ad idem convivium, ingressus Antonius offendit æmulum cum aliis aliquot confabulantem, dum adornatur cœna: & aversus emisit clarum ventris crepitum ante faciem alterius. Ille indignatus, Abi, inquit, scurra, ubinam didicisti mores istos? Tum Antonius, Etiam indignaris? inquit, Si te salutassem ore, resalutasses: nunc te salute parte corporis, vel te judice, omnium honestissima, & scurra vocor. Sic recuperavit prius amissam gloriam Antonius. Diximus omnes, nunc superest ut pronuntiet judex. GE. Id faciam, sed non prius quam suum quisque cyathum ebiberit. En [2] auspicor: sed [3] lupus in fabula. PO. Haud lævum omen adfert Levinus [4] Panagathus. LEV. Quid actum est inter tam lepidos congerrones? PO. Quid aliud? Certatum est fabulis, donec lupus intervenires. LEV. Huc igitur adsum, ut perficiam fabulam: volo vos omnes

1 Deberi.

2 Incipio, anteeo.

3 *Lupus in fabula* proverbio dicitur, ubi de improviso quis intervenit, qui sodalitium interpellat, vel de quo sermo est. Lupum ei, quem primum viderit, vocem adimere fabulata est antiquitas. Forte hinc origo; est enim in hoc adagio indictio silentii. Alii aliam volunt originem, quam hic referre mora est. Vid. Terent. Adelph Act. 3. Sc. 1. CT. *Quidnam est? S. Lupus in fabula.* CT *Pater adest*, &c.

4 Παναγαθὸς omni o bonus, seu omnium optimus: pithetum aptum Levino, qui Belgis *Lieven* dicitur, i. e. dilectus.

1 *Scyti-*

omnes cras apud me prandere prandium Theologicum. GE. [1] Scythicum promittis convivium. LEV. [2] Αὐτὸ δείξει. Nisi fatebimini hoc fuisse vobis fabuloso convivio jucundius, non recuso dare pœnas. Nihil jucundius, quam cum serio tractantur nugæ.

1 *Scythicum*, hoc est triste, severum. Respice in Naufragio *Concionem Scythicam*. pag. 260.

2 Αὐτὸ δείξει, id est; *rei ipsa demonstrabit.*

PUERPERA.

[1] EUTRAPELUS, [2] FABULLA.

EU. SAlva sit optima Fabulla. FA. Salve multum, Eutrapele. Sed quid tandem novæ rei accidit, quod nunc salutator insolens adveneris, quem hoc triennio toto nemo nostrum vidit? EU. Dicam; forte præteriens has ædes, vidi [3] cornicem obvinctam candido linteo: demirabar quid esset caussæ. FA. Adeone hospes es in hac regione, ut ignores hoc esse [4] symbolum puerperii in ædibus? EU. Eho, an non prodigium est, videre [5] cornicem albam? Sed extra jocum; sciebam maxime: verum suspicari non potui, te puellam vix dum ingressam decimum sextum annum, tam mature didicisse difficillimam artem [6] gignendi liberos, quam ægre discunt quædam ante annos triginta. FA. Ut tu semper

1 *Eutrapelus*, quasi dicas facetus.

2 *Fabulla* quæ fabulatur, vel fabulando delectatur.

3 Annulum ferreum, aut aliquid ejus loco additum óstio, quo pulsatur, vel attrahitur. Imitatur autor Græcos, qui id κοῤῥώνην vocant. Obtinet hic mos in plerisque Belgicæ urbibus, ut cornicem ædium, in quibus puerpera decumbit, linteolo obvinciant: ne quis accedens graviori impulsu eam turbet.

4 Signum, reliquas significationes quære supra pag. 312.

5 Ludit in ambiguitate vocis *Cornicis*, quæ & avem & annulum ferreum significat. Cæterum si quid rarum admodum sit, id *albus Corvus*, vel *alba cornix* dicitur.

6 Pariendi.

per es quod diceris, Eutrapele! EU. Ut nunquam deest Fabullæ fabula! Demiranti igitur commodum occurrit [1] Polygamus. FA. Is qui nuper [2] extulit uxorem decimam? EU. Is ipse, sed quod te fugit, opinor, rursum tam ambitiose [3] procum agit, quasi hactenus vixerit cælebs. Hic percunctanti quid accidisset novæ rei, Muliebre corpus, inquit, in his ædibus per medium sectum est in duo. Ob quod, inquam, facinus? Si verum est, inquit, quod rumore populari jactatur, heic mater familias [4] sustinuit [5] deglubere maritum suum: simulque cum risu subduxit sese. FA. Homo crasse facetus. EU. Ego me protinus [6] intro conjicio, tibi felicem partum gratulaturus. FA. Salutem mihi gratulare, si voles, Eutrapele; felicem partum tum gratulaberis, cum quod [7] enixa sum videris de se præbere specimen boni viri. EU. Pie tu quidem & vere, mea Fabulla. FA. [8] Nullius Fabulla sum, nisi Petronii. EU. Uni quidem Petronio paris; at non uni vivis, opinor. Cæterum hoc quoque gratulor, quod puerum enixa es. FA. Sed quas ob causas felicius judicas peperisse masculum quam fœminam? EU. Quin tu potius, Fabulla Petronii (jam enim vereor, mea, dicere) illud mihi [9] expedis, quas ob causas vos magis gaudetis peperisse masculos quam fœminas? FA. Quid aliæ sentiant, nescio; ego nunc me gaudeo peperisse masculum, quia sic visum est Deo: si maluisset ille puel-

1 *Polygamum* qui sæpe duxit uxorem.

2 *Efferre* verbum funebre est, & cadavera mortuorum efferri dicuntur. Gr. ἐκφέρεσθαι. Terent. And. Act. 1. Sc. 1. *Effertur, mus* &c. Et Juvenalis Sat. 1. de Locusta venefica. *Instituitque rudes melior Locusta propinquas. Per famam & populum nigros efferre maritos.*

3 *Procum agere*, id est, ambire virginis, vel mulieris nuptias.

4 Ausa est.

5 Cutem detrahere mariti sui.

6 Ingredior ædes.

7 Peperi.

8 Dixerat Eutrapelus *mea Fabulla*, pro *cara*. Illa secus intelligit, & caste respondet se unius esse Petronii.

9 Enarras.

1 Respi-

puellam, maluissem & ipsa. EU. An putas Deo tantum esse otii, ut etiam parturientibus obstetricetur? FA. Quid agat ille potius, Eutrapele, quam ut propagatione servet quod condidit? EU. Quid agat, ô bona? Imo, ni Deus esset, non arbitror suffecturum [1] tot negotiis. Exulat [2] Christiernus Danorum rex, pius Evangelii fautor. [3] Franciscus Galliarum rex [4] hospes est Hispaniarum, nescio quam ex ipsius animi sententia, vir certe dignus meliore fortuna. [5] Carolus molitur [6] monarchiæ proferre [7] pomœria. [8] Ferdinandus rerum suarum satagit in Germania: [9] Bulimia pecuniarum urget aulas omnes: periculosos motus concitant agricolæ, nec tot stragibus ab instituto deterrentur: populus meditatur [10] anarchiam: pericu-

1 Respicit autor tumultus, qui eo tempore tum in Politicis, tum in Ecclesiasticis fervebant, cum jam Lutherus, aliique palam Papatum oppugnare audérent.

2 Christiernus, seu Christianus Secundus Danorum Rex anno 1523 cum uxore Isabella Caroli V. sorore & quinque parvis liberis, thesauro regio secum ablato Hafniæ navem conscendit, & viginti navibus se in Hollandiam contulit, cum tamen regnum facile posset tueri: plebs enim illi ad dictissima. Reversus in Daniam primum XIV. annos captivus detentus est à Friderico primo in insula Alsena: postmodo jure suo cedens privatus obiit anno 1559.

3 Franciscus Galliarum rex adversus Carolum V. bellum gerens, per Alpes in Italiam perrumpens, postquam infeliciter oppugnasset Ticinum, ab Hispanis carcere detentus est, dein duris conditionibus, liberisque obsidibus datis, in Galliam dimissus. Vide infra

4 Imo captivus in Hispania.

5 Carolus V. scil.

6 *Monarchia*, unius imperium.

7 *Proferre Pomœria*, propriè de urbibus dicitur. Nam *Pomœrium*, dictum quasi postmurium, locus est, ut Livius inquit, circa murum, quem in condendis urbibus, quondam Hetrusci, qua murum ducturi erant, certis circa terminis inaugurato consecrabant; & hoc spatium, quod neque habitari, neque arari fas erat, non magis quod post murum esset, quam murus post id. Pomœrium Romani appellarunt. Transfert autor ad imperium, & pomœria vocat fines. Sic Justinus initio histor. *Fines imperii tueri magis, quam proferre, mos erat.*

8 Scil. Ferdinandus Frater Caroli V. qui primum Romanorum rex, dein fratre mortuo Cæsar electus est.

9 Βυλιμία, & βόλιμος bovina, i. e. ingens fames.

10 Ἀναρχία status est eorum, qui principe carent, omni in genere Politiæ contrarius, cum nemo præest aliis, nec quisquam alteri tanquam legitimo magistratui obtemperat, sed quilibet facit quod sibi lubet.

riculosis [1] factionibus collabitur ecclesiæ domus: hinc atque hinc distrahitur illa Jesu tunica [2] inconsutilis. Vinea Domini non ab uno jam apro vastatur; simulque periclitatur [3] sacerdotum cum decimis auctoritas, Theogolorum dignitas, monachorum majestas: nutat [4] confessio, vacillant [5] vota, labascunt [6] leges Pontificiæ, vocatur in discrimen [7] eucharistia, exspectatur [8] Antichristus, totus orbis parturit nescio quid magni mali. Interim superant & imminent Turcæ, nihil non populaturi, si successerit quod agunt: & tu rogas quid agat potius? Imo tempus arbitror, ut suo quoque regno [9] prospiciat in tempore. FA. Quod hominibus videtur maximum, id fortasse videtur Deo nullius momenti. Sed ab hac fabula Dei personam si vis, secludamus. Dic quæ te causæ moveant, ut felicius existimes peperisse [10] catulum, quam catellam. EU. Piæ mentis est, hoc judicare optimum, quod dedit Deus citra controversiam optimus. Verum si Deus tibi daret poculum crystallinum, nonne maximas ageres gratias? FA. Agerem. EU. Quid si idem daret vitreum; num pares ageres? Sed vereor ne tibi molestiam adferam

1 Habet & vox *factio* significationem bonam, hic vero denotat seditionem, conspirationem.

2 D. Jesu crucifixi vestimenta milites partiti sunt, & inter ea fuit tunica ἄῤῥαφος, ἐκ τῶν ἀνωθεν ὑφαντὸς δι' ὅλου. Id est *inconsutilis a summo contexta per totum.* Joan. 19. *Christi tunicam distrahi* allegorice dicitur de variis Christianorum schismatibus.

3 Non mirum equidem, jam enim ecclesiasticorum tyrannorum arrogantia cordatioribus displicebat. De decimis respice *Naufragium* in fine.

4 Scil. illa confessio auricularis Pontificiis usitata.

5 Quæ vulgus Pontificiorum solet suscipere.

6 Nasutiores enim superbi Romanorum Pontificis imperium tunc detrectare cœperunt.

7 Εὐχαριστία proprie grata beneficiorum recordatio, unde Theologis mysterium cœnæ Dominicæ, cujus præcipua pars est gratiarum actio. Hoc loco intellige panes illos orbiculares, quos Papicolæ in verum Corpus & Sanguinem Christi paucis verbis a sacerdote prolatis converti affirmant.

8 Ἀντίχειστος, Christi adversarius, quis ille sit *Theologi certant, & adhuc sub judice lis est.*

9 Consulat, ejus curam gerat.

10 Puerulum, quam puellam.

feram pro solatio, hæc apud te philosophans. FA. Imo Fabullæ nihil est jam à fabulis periculi. Jam quartam hebdomadam decumbo, satisque valeo vel ad luctam. EU. Quin igitur è nido provolas? FA. Vetuit rex. EU. Qui rex? FA. Imo tyrannus. EU. Qui quæso? FA. Sybilla dicam, mos. EU. Heu quam iste rex multa præter æquum exigit. Pergamus igitur philosophari de chrystallo, & vitro. FA. Marem, uti conjicio, natura præstantiorem, ac firmiorem judicas, quam fœminam. EU. Sic arbitror. FA. Nimirum viris auctoribus. Num igitur viri vivaciores sunt, quam fœminæ? Num à morbis immunes? EU. Nequaquam, sed in genere viribus antecellunt. FA. Sed ipsi rursus superantur à camelis. EU. Imo prior creatus est masculus. FA. Prior conditus est Adam, quam Christus. Et solent artifices in posterioribus se ipsos vincere. EU. At Deus mulierem viro subjecit. FA. Non statim melior est qui imperat: & nuptam subjicit, non fœminam: ac rursus nuptam ita subjicit, ut cum utrique sit potestas alterius, mulierem tamen velit viro [1] morem gerere, non ut præstantiori, sed ut ferociori. Dic, Eutrapele, uter infirmior, qui cedit alteri, an cui ceditur? EU. Tibi quidem heic cedam, si mihi declararis, quid senserit [2] Paulus, scribens Corinthiis, cum viri caput dicit esse Christum, mulieris caput virum. Rursus cum virum dicit imaginem & gloriam Dei; mulierem gloriam viri. FA. Istud expediam, si mihi declararis, an solis viris datum sit esse membra Christi. EU. Absit: id quidem datum est omnibus hominibus per fidem. FA. Qui fit igitur, ut caput unum cum sit, non habeatur omnibus membris commune? Deinde, cum Deus

1 Obsequi, parere, obedire.

2 Epist. ad Corinth. 1. Cap. 11. v. 3. & 7.

Deus hominem fingeret ad imaginem sui, utrum hanc imaginem expressérit in corporis figura, an in animi dotibus? EU. In animi dotibus. FA. At in his quid tandem habent viri nobis præcellentius? In utro sexu plures sunt temulentiæ, rixæ, pugnæ, cædes, bella, rapinæ & adulteria? EU. At soli viri bellum gerimus pro patria. FA. Sed iidem sæpius deserto loco turpiter fugitis: nec semper pro patria, sed frequentius pro sordido [1] salariolo deseritis uxorem, & liberos, pejores gladiatoribus ultro corpora vestra traditis in servilem necessitatem vel moriendi, vel occidendi. Jam ut maxime jactes mihi virtutem bellicam, nemo vestrum, si semel esset expertus quid sit parere, non mallet decies in acie stare, quam subire semel, quod nobis toties est experiendum. In bello non semper venitur ad manus: & si venitur, non in quavis exercitus parte [2] discrimen est. [3] Tui similes disponuntur in acie media, alius est in [4] subsidiis, alius tuto sedet [5] post principia, denique plurimos servat deditio & fuga: nobis cominus cum morte conflictandum est. EU. Ista non nunc primum audio, verum suntne hæc vera quæ dicuntur? FA. Nimium vera. EU. Visne igitur, Fabulla, ut marito tuo persuadeam, ne posthac te contingat? Nam eo pacto tuta fueris ab isto discrimine. FA. Equidem nihil malim, si possis. EU. Quid præmii feret [6] orator

1 *Salarium* idem quod *stipendium*, si de militibus dicatur. Salariolum diminut.

2 Periculum.

3 Quasi diceret ignaviores, ut numerum augeant. Nam alæ & cornua sustinent belli molem.

4 In Romanorum acie, tertio ordine disponebantur *Triarii*, qui dicebantur esse in subsidiis, subsidebant enim presso altero genu. Unde Plautus *Agite nunc, subsidite, quasi solent triarii*; & *subsidium* pro auxilio.

5 *Post principia* in bellis tutissimus locus est, unde Thraso ille Terentianus Eun. Act. 4. Sc. 7. *Hic ego ero post principia.* Siquidem in prima acie stabant hastati: in secunda principes; hos sequebantur scutati, atque eos Triarii. Livius lib. 8. Sic castrensi vocabulo ipsi milites *principia* dicti.

6 *Orator* qui orationem habet, vel orat, ut impetret. *Exorator* qui orando impetrat.

1 *Sti-*

tor hic, si persuaserit? FA. Dabo decem linguas bubulas fumo duratas. EU. Istas malim, quam decem linguas luscíniarum. Non rejicio conditionem: verum contractum hunc ratum esse nolim prius, quam interceſſerit [1] stipulatio. FA. Addatur, si libet, & si qua alia [2] cautio. EU. Id fiet ex animi tui sententia post mensem exactum. FA. Quin potius nunc fit ex animi mei sententia? EU. Dicam: quia vereor ne post mensem non sit eadem animi tui sententia. Itaque & tibi solvendum esset duplex præmium, & mihi duplex esset sumenda opera, persuadendi, ac dissuadendi. FA. Age, fiat ut voles. Sed interim perge demonstrare, quare viri sexus sit præstantior fœmineo. EU. Video te meditatam [3] monomachiam: quam ob rem in præsentia quidem consultius arbitror tibi concedere. Congrediar alias, sed armatus, nec absque [4] subsidiario milite. Nam ubi lingua res geritur, ne septem quidem viri pares sunt uni fœminæ. FA. Nimirum hoc telo armavit nos natura; quanquam ne vos quidem elingues estis. EU. Fortassis; sed ubi puellus? FA. In conclavi proximo. EU. Quid illic? coquit olus? FA. Nugator; apud nutricem est. EU. Quam mihi nutricem narras? An est alia nutrix, quam ea, quæ mater est? FA. Quid ni? vulgo fit. EU. [5] Pessimum mihi nominas auctorem rei bene gerendæ, vulgum, Fabulla. Vulgo peccant, vulgo luditur alea, vulgo commeatur ad [6] fornices, vulgo fraudatur, potatur, insanitur. FA. Sic amicis visum est, censuerunt enim, parcendum huic

1 *Stipulatio* est verborum conceptio, quibus is, qui interrogatus, datur m, facturumve se id quod interrogatus est, respondet.

2 *Cautio* vox juridica, fidejussio qua cavetur.

3 Μονομαχία, certamen singulare.

4 *Subsidiarius miles*, qui defessis commilitonibus in auxilium venit. Vide modo annotata.

5 Ita & in colloquio Abbatis & Erudítæ, *Quid mihi citas vulgum, pessimum bene gerendæ rei auctorem.*

6 Lupanaria, prostibula.

huic ætati tam teneræ. EU. Atqui si natura dedit vires ad concipiendum, haud dubie dedit & ad lactandum. FA. Probabile quidem est. EU. Dic mihi, nonne sentis, esse dulcissimum matris vocabulum? FA. Sentio. EU. Itaque si fieri possit, patereris aliam mulierem esse matrem tui partus? FA. Minime gentium. EU. Cur igitur volens plusquam dimidiatum matris nomen transfers in fœminam alienam? FA. [1]Bona verba, Eutrapele; non divido filium; sola, totaque sum mater. EU. Imo heic tibi, Fabulla, [2]reclamat in os ipsa natura. Cur terra dicitur omnium parens? an quod gignat tantum? Imo multo magis quod nutriat, ea quæ genuit. Quod aqua gignit, in aquis educatur. In terra nullum animantis aut plantæ genus nascitur, quod eadem terra succo suo non alat: nec est ullum animantis genus, quod non alat suos fœtus. Ululæ, leones, & viperæ educant partus suos; & homines suos fœtus abjiciunt? Obsecro te, quid crudelius iis, qui prolem educationis tædio dicuntur exponere; FA. Abominanda dicis. EU. Atqui non perinde factum abominantur homines. An non expositionis genus est, infantulum tenerum, adhuc à matre rubentem, matrem spirantem, matris opem ea voce implorantem, quæ movere dicitur & feras, tradere mulieri, fortassis nec corpore salubri nec moribus integris; denique cui pluris sit pecuniæ pauxillum, quam totus infans tuus? FA. Delecta est mulier salubri corporis temperatura. EU. Hoc medici certius judicent, quam tu. Sed finge heic illam tibi vel parem, vel aliquanto, si vis, superiorem: an nihil interesse censes utrum

1 Charientissmus. Respice pag. 348.
2 Contradicit tibi.
3 Fuit ea in veterum ethnicorum moribus immanitas, ut, cum fera nulla sit, qui fœtus suos non diligit, ipsi quos alere nollent liberos, eos recens natos aut interficere, aut exponere fas putarent. Muret. in Præf. Heautont.

utrum infans tenellus cognatum illum & familiarem hauriat succum, & calore jam assueto foveatur, an alienis cogatur assuescere? Triticum in aliud solum jactum, degenerat in avenam, aut siliginem: vitis in alium collem translata, mutat ingenium: plantula revulsa à parente terra, flaccescit, ac velut emoritur; eoque quantum fieri potest, cum terra nativa transferunt. FA. Imo narrant plantas translatas & insitas exuere silvestre ingenium, & fructus edere generosiores. EU. At non protinus ut natæ sunt, ô bona. Veniet & olim hoc tempus, si Deus voluerit, ut adolescentem tuum ableges ab ædibus, litteris jam ac severioribus disciplinis imbuendum, quæ functio patris est potius, quam matris. Nunc ætas tenera fovenda est. Porro cum ad salubritatem firmitatemque corporis plurimum refert qualis sit alimonia, tum vero præcipue quo succo tenerum illud ac molle corpusculum imbuatur. Nam heic quoque locum habet illud Flacci dictum. [1] *Quo semel est imbuta recens servabit odorem Testa diu.* FA. De corpore non ita multum laboro, modo sit animus, qualem optamus. EU. Pie tu quidem, sed parum philosophice. FA. Quam ob rem? EU. Cur tu igitur quoties concidis holus, quereris aciem cultri [2] retusam esse, & jubes exacui? Cur acum rejicis obtusa cuspide, cum ea res non adimat artem? FA. Non deest ars, sed obstat instrumentum parum idoneum. EU. Cur, quibus est opus oculorum acie, vitant lolium & cæpas? FA. Quia vitiant oculos. EU. Nonne animus est qui cernit? FA. Est; nam nihil vident exanimes. Sed quid agat faber vitiata securi? EU. Agnoscis igitur corpus esse mentis [3] organum? FA. Apparet. EU. Et fateris, vitiato corpore non

1 Epist. 2. lib. 1.
2 Hebetem.
3 Ὄργανον, instrumentum.

non agere animum, aut incommodius agere? FA. Non dissimile veri dicis. EU. Age, videor mihi nactus ingenium philosophicum. Finge igitur animum hominis [1] demigrare in corpus galli gallinacei, num ederet vocem quam nunc edimus? FA. Nequaquam. EU. Quid obstaret? FA. Quia desunt labra, dentes, & lingua similis: nec [2] epiglottis, nec tres adsunt [3] cartilagines à tribus motæ musculis, ad quos pertinent nervi à cerebro demissi, nec fauces, nec os simile. EU. Quid si in corpus suis? FA. [4] Grunniret suillo more. EU. Quid si in corpus cameli? FA. Caneret ut canit camelus. EU. Quid si in corpus asini, quod evenit [5] Apulejo? FA. Ruderet, opinor, ut asinus. EU. Nimirum fatetur hoc ille, cum cuperet inclamare Cæsarem, contractis quantum potuit labris, [6] vix O sonuit, Cæsarem nullo pacto potuit exprimere. Idem cum fabulam auditam, ne excideret, describere cuperet, damnavit cogitationem tam asininam, cum ungulas intueretur solidas. FA. Et merito. EU. Ergo lippientibus oculis, minus videt animus, oppletis sordibus auribus, minus audit: ubi cerebrum occupat pituita, minus olfacit: ubi stupet membrum, minus sentit: ubi malis humoribus vitiata est lingua, minus gustat. FA. Negari non potest. EU. Non ob aliud, nisi quia vitiatum est

1 Demigrationem illam animarum, Græcis μετεμψύχωσιν, primus docuit Pythagoras ille Samius, unde & discipulos à carnibus abstinere jussit.

2 Ἐπιγλωττὶς ex ἐπὶ & γλῶσσα, quasi parva lingua. Est autem caruncula palato annexa interius juxta radicem linguæ, cujus acutior pars, fauces versus sita, iter cibi impedit, ne impetu quodam deferatur, & ne ad illud operculum resultet.

3 *Cartilago*, est nec os, nec caro, sed intermedium quoddam.

4 *Grunnire* porcorum est, *rudere* asinorum.

5 L. Apulejus Afer, Madauræ natus, Philosophus Platonicus, scripsit XI. libros Metamorphoseos de asino aureo, in quibus se à saga Thessalica in asinum mutatum, humanam mentem retinuisse fingit.

6 Narrat hoc Apulejus ille de se, Lucianum secutus.

1 De-

eſt organum. FA. Arbitror. EU. Nec inficiaris, plerumque vitiari cibo potuque. FA. Fateor; ſed quid iſtuc ad bonam mentem? EU. Proinde quid lolium ad perſpicaces oculos? FA. Quia vitiat organum animi. EU. Probe reſpondes. Verum illud[1] expedi: unde fit quod alius alio celerius intelligit, ac tenacius meminit? Alius alio citius iraſcitur, aut moderatius odit? FA. Sic conditus eſt animus. EU. Non ſic elaberis. Unde fit, ut qui prius fuit ingenio celeri, felici memoria, poſtea fiat oblivioſus ac tardus, ſive plaga, ſive caſu, ſive morbo, ſive ſenio? FA. Tu nunc mihi videre[2] ſophiſtam agere. EU. Proin tu contra fac agas ſophiſtriam. FA. Opinor hoc te velle dicere, quod animus quemadmodum cernit & audit per oculos & aures, ita per organa quædam intelligit, meminit, amat, odit, iraſcitur & placatur. EU. Recte conjectas. FA. Quæ tandem ſunt iſta organa? & ubi ſunt? EU. Oculos ubi ſint vides. FA. Et aures, & nares, & palatum ubi ſit, ſcio. Et toto corpore contactum eſſe video, niſi cum ſtupor occupat membrum. EU. Amputato pede tamen intelligit animus. FA. Intelligit; itidem & manu. EU. At qui vehementem plagam accipit in[3] tempus capitis, aut in occipitium, concidit mortuo ſimilis, omnique ſenſu ſuo vacat. FA. Iſtuc aliquoties vidi. EU. Ex hoc colligis intra[4] cranium eſſe intelle-

1 Declara.

2 Sophiſtæ olim vocabantur Philoſophi, deinde vox illa in deteriorem partem ſumta eſt, pro iis qui falſis diſſerendi methodis vanam Philoſophiæ ſpeciem præ ſe ferunt. Et femina ejus modi *Sophiſtria*.

3 *Tempora capitis*. Gr. κρόταφος, ἀπὸ τοῦ χροτεῖν τὴν ἁφὴν, quod ibi evidens ſit venarum pulſus. Voſſius in Etymologico. *Tempus* accommodatur τοῖς κροτάφοις, quæ uſitatius *tempora* dicuntur, vel *timpora*, differentiæ cauſa. Sane Hercul. Cioſ. in illud II. Faſtor. *Caſta ſacerdotum tempora fronde tegit*, ait in Urſini codice, & iſtic & alibi *tempora* ea notione ſcribi. Ita autem vocantur, non quia, *quaſi tempora, quibusdam intervallis mutantur*, quod ait Iſidor. lib. XI. Cap. 1. ſed quia inde *tempus*, hoc eſt, *anni ſive ætas hominis* dignoſcitur.

4 Κρανίον calva, calvaria.

1 *Fuma-*

intellectus, voluntatis ac memoriæ organa; minus quidem crassa, quam sunt aures & oculi, sed tamen materialia. Quandoquidem & spiritus, quos habemus in corpore subtilissimos, corporales sunt. FA. An ista quoque vitiantur cibo potuque? EU. Maxime. FA. Cerebrum procul abest à stomacho. EU. Ita summa[1] fumarii pars abest à foco; tamen illi si insideas, senties vaporem. FA. Non experiar. EU. At si mihi non credas, sciscitare è[2] ciconiis. Itaque refert qui spiritus, qui vapores à stomacho subvolent in cerebrum & in organa mentis. Nam hi si crudi sint ac frigidi, recidunt in stomachum. FA. Næ tu mihi[3] metam distillatoriam describis, qua ex floribus herbisque succum exhalantem excipimus. EU. Haud ita male conjectas. Nam hepar, cui fel adhæret, ignis loco est, stomachus patella, cranium summæ metæ[4] colophon; atque adeo, si vis, nasus fistulæ plumbeæ vice fungatur. Itaque ex hoc mutuo fluxu ac refluxu humorum nascitur fere quidquid est morborum, ut varie delabitur varius humor nunc in oculos, nunc in stomachum, alias in scapulas, interim in cervicem, aliove. Quoque magis intelligas; cur qui vino immodico sese ingurgitant, sunt male memores? Qui cibis aluntur subtiliorum spirituum, minus torpent ingenio? Cur[5] coriandrum memoriam emendat? [6] Elleborus mentem

1 *Fumarium*, Ciceroni caminus.

2 Illæ enim solent super caminos nidos struere.

3 Tubum, per quem spiritus exhalant, vocat metam, quia is est ad formam metæ, inferiori parte latus, superne in angustum desinens.

4 Κολοφὼν fastigium, apex. Aliam hujus vocis significationem & originem respice pag. 67.

5 Coriandri vires lege apud Plinium lib. 20. cap. 20.

6 *Elleborus*, vel *Helleborus*, Gr. ἑλλέβορος, Latinis alio nomine *Veratrum*. Herba est tantam purgandi vim habens, ut melancholicis vel furiosis dari soleat. Unde proverbio dicitur, si quis est mente minus sana, ei opus esse helleboro, vel jubemus eum navigare Anticyram, insulam ad sinum Maliacum & Octam montem sitam, in qua optimum ejus herbæ genus nascebatur.

tem purgat? Cur expletio vehemens [1] epilepsim adducit, quæ stuporem adfert simul omnibus sensibus, quemadmodum & somnus profundus? Denique ut immodica sitis aut inedia, ingenii memoriæque vim elidit in pueris, ita cibus immodicus in pueris gignit ingenii stuporem, si credimus Aristoteli, nimirum igniculo mentis velut obruto ingesta materia. FA. Estne igitur corporeus animus, ut à rebus corporalibus afficiatur? EU. Animi rationalis natura non corrumpitur quidem ipsa, sed organis vitiatis impeditur illius vis & actio: velut artifex frustra valet arte, si destituatur idoneis instrumentis. FA. Quanta, quave specie est animus? EU. Ridicule percunctaris de magnitudine aut figura, cum fatearis incorporeũ. FA. Ego corpus intelligo, quod sentitur. EU. Imo quæ non sentiuntur, perfectissima sunt, veluti Deus & angeli. FA. Audio Deum & angelos spiritus appellari; at spiritum sentimus. EU. Hac voce litteræ sacræ ob rudes homines [2] balbutiunt, [3] mentem significantes puram ab omni commercio rerum sensibiliũ. FA. Quid igitur interest inter angelum & animum? EU. Hoc ipsum quod inter limacem & cochleam, aut, si mavis, testudinem. FA. Corpus igitur domicilium est animi magis, quam instrumentum. EU. Nihil vetat instrumentum adjunctum dici domicilium. Atque hac quidem de re variant philosophorum sententiæ. Sunt qui dicant, corpus esse vestem animæ, sunt qui domicilium, sunt qui instrumentum, sunt qui [4] harmoniam. Horum quodcunque dixeris, consequitur actiones animi, corporis affectionibus impediri.

1 *Epilepsis* ponitur pro ἐπιλήψια (proprie *invasio*) morbus Comitialis.

2 Non admodum perfecte loquuntur.

3 Hinc ille autor distichorum moralium: *Di Deus est animus, nobis ut carmina dicunt; Hic tibi præcipue sit pura mente colendus.*

4 Ἁρμονία, (ἀπὸ τῦ ἁρμόζειν, hoc est *congruere*) Latinis compositio, concentus, convenientia.

diri. Primum, si quod vestis est corpori, idem corpus est animo; quantum ad corporis valetudinem faciat vestis, declaravit[1] Hercules: ne quid de coloribus, aut pilorum pelliumque generibus referam. Cæterum an eadem anima sufficiat pluribus corporibus deterendis, quemadmodum corpus multas deterit vestes, viderit[2] Pythagoras. FA. Non incommodum foret, si juxta Pythagoram liceret, ut vestibus, ita corporibus mutatoriis uti: sic ut mensibus hibernis sumeretur corpus obesum, crassæque texturæ, æstivis rarius & gracilius. EU. Atqui parum, opinor, esset commodum, si quemadmodum multis vestibus detritis, tandem & corpus deterimus, ita multis corporibus detritis, tandem & anima senesceret, deficeretque. FA. Non sane. EU. Jam quemadmodum ad corporis salubritatem, agilitatemque refert, qua veste sit amictum, ita refert quod corpus circumferat anima. FA. Profecto si corpus vestis est animæ, video multos homines admodum varie cultos. EU. Sic est. Et tamen nonnulla pars hujus rei sita est in nobis, quam commode vestiatur anima. FA. Valeat igitur vestis: dic aliquid de domicilio. EU. Atqui ne quod dico, tibi videatur commentum, Fabulla, ipse dominus Jesus suum corpus [3] templum appellat. Et Petrus Apostolus

1 Nam cum Dejanira marito suo Herculi vestem infectam sanguine Centauri Nessi dono misisset, ut eum isto dono ab amore Joles revocaret; isque eam vestem sacrificaturus indutisset, in tantam versus est rabiem, ut sese in constructum rogum dederit præcipitem. Consule Ovidii Metamorph. lib. 9.

2 Pythagoras, de quo supra ajebat animâ suam in varia corpora demigrasse. Sic enim inducit eum loquentem Ovid. Metamorph. lib. xv. *Morte carent animæ, semperque priore relicta Sede, novis domibus vivunt, habitantque receptæ. Ipse ego nam memini Trojani tempore belli Panthoides Euphorbus eram: cui pectore quondam Hæsit in adverso gravis hasta minoris Atridæ.*

3 Nota sunt verba Christi Joan. 2. v. 19 λύσατε τὸν ναὸν τοῦτον, i. e. *Destruite templum hoc*, &c.

1 Extant

ſtolus ſuum corpus [1] tabernaculum appellat. Nec defuerunt, qui corpus dixerunt animæ ſepulcrum, [2] σῶμα dictum arbitrantes quaſi σῆμα: alii carcerem mentis appellarunt, nonnulli [3] præſidium, velut arcem munitam. Quorum animus eſt undiquaque purus, in templo habitat. Qui non tenentur amore rerum corporalium, horum animus agit in tabernaculo, libenter exſiliturus, ſi vocet imperator. Qui prorſus excæcati ſunt vitiis ſpurciſſimis, ut nunquam adſpirent ad auram libertatis Evangelicæ, horum animus jacet in ſepulcro. Cæterum, qui moleſte luctantur cum vitiis, nec adhuc poſſunt quod volunt, horum animus habitat in carcere, ſubinde clamans ad liberatorem omnium: [4] Educ de carcere animam meam, ut confiteatur nomini tuo, domine. Qui graviter pugnant cum ſatana, vigilantes & excubantes adverſus inſidias illius, qui circumit, ut leo quærens quem devoret, horum animus verſatur in præſidio, unde injuſſu imperatoris non licet diſcedere. FA. Si corpus eſt animi domicilium, plurimos video, quorum animus male habitet. EU. Sic eſt, videlicet in ædibus perſtillantibus, opacis, ventis omnibus obnoxiis, fumoſis, [5] pituitoſis, laceris, ac ruinoſis, denique putribus & infectis. Et tamen Cato primam felicitatis partem judicat, bene habitare. FA. Tolerabilis res, ſi liceret in aliud immigrare domicilium. EU. [6] Emigrare non licet, niſi cum evocat locator. Verumtamen

1 Extant verba Petri Epiſt 2. Cap. 1. v. 13. ἐφ' ὅσον εἰμὶ ἐν τούτῳ τῷ σκηνώματι, &c. *quam diu ſum in hoc tabernaculo*, & verſ. 14. εἰδὼς ὅτι ταχινή ἐστιν ἡ ἀπόθεσις τοῦ σκηνώματός μου, &c. *ſciens cito futurum ut deponam tabernaculum meum.*

2 Σῶμα *corpus*, σῆμα *ſepulcrum.*

3 Sic Socrates apud Platonem inquit animam humanam in hoc corpore velut in præſidio poſitam eſſe, unde fas non ſit diſcedere injuſſu imperatoris, nec diutius in eo immorari, quam viſum ſit ei, qui collocavit. Vide *Concin. Relig* pag. 165. atque ibi ea, quæ annotavimus in vocem *præſidium.*

4 Extat locus Pſalm. 143.

5 Male humidis.

6 Scil. ex ædibus conductitiis, quibus corpus noſtrum comparatur: & quidem vere. Reviſe quæ annotavimus in pag. 164.

1 Pavi-

rumtamen si non licet emigrare, licet arte curaque nostra domicilium animi commodius reddere, quemadmodum in ædibus mutantur fenestræ, attollitur [1] solum, incrustantur aut convestiuntur [2] tabulatu parietes, [3] situs igni [4] suffituque purgatur. Id in senili corpore jamque ruinam minitante difficillimum est. Plurimum autem [5] conducit, si puerile corpus ab ipso protinus ortu, sicut oportet, curetur. FA. Tu quidem matrem ac nutricem medicam esse jubes. EU. Plane jubeo, quod attinet ad delectum ac moderationem cibi, potusque, motus, somni, balneorum, unctionum, frictionum, vestitus. Quam multos esse censes, qui gravissimis morbis ac vitiis obnoxii sunt, [6] epilepsiæ, gracilitati, imbecillitati, surditati, fractis lumbis, distortis membris, infirmo cerebro, stupori mentis, non ob aliud, nisi quod à nutricibus indiligenter curati sunt? FA. Demiror te non pro pictore factum fuisse [7] Franciscanum, qui tam belle concioneris. EU. Ubi te [8] Claranam videro, tum ego tibi Franciscanus concionabor. FA. Ego sane libens scire cupiam, quid sit anima, de qua tam multa audimus, dicimusque, cum nemo viderit. EU. Imo nemo non videt, cui sunt oculi. FA. Video [9] pictas animas infantuli specie. Verum cur non adduntur alæ, quemadmodum angelis?

1 Pavimentum.

2 Tabulis.

3 *Situs* hic squalorem significat, vel sanguinem illam, quæ ex humoribus oritur, præsertim in locis sole carentibus.

4 Fumo odorifero, *suffitus* à suffire, i. e. fumum aliquem excitare.

5 Juvat, prodest.

6 Respice pag. 445.

7 Monachum scil. De Franciscanis non semel in colloquio Franciscanorum, & alibi.

8 Id est, monacham ordinis *Claræ*, quæ Pontificiis diva est. Fuit hæc Clara Francisci illius, de quo tota mendaciorum plaustra finguntur, coætanea, institutrixque ordinem virginum monacharum sub durissimo vitæ genere. Vide infra notas in *Ichthyoph.*

9 Pictores Pontificii fingunt aliquando in picturis, suis, animas, infantulorum specie, ex Purgatorio in cœlum volare.

1 Ridet

angelis? EU. Quoniam[1] delabentibus è cœlo fractæ sunt alæ, si qua Socraticis fabulis habenda fides. FA. Quo modo igitur subvolare dicuntur in cœlum? EU. Quoniam fides & caritas faciunt, ut illis renascantur alæ. Has alas petebat ille pertæsus domicilium sui corporis, dum clamat, [2] *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam?* Nec enim alias alas habet anima, cum sit incorporea; nec ullam habet speciem, quæ corporis oculis sit conspicua; sed certius cernuntur ea, quæ videmus animo. Credisne Deum esse? FA. Maxime. EU. At nihil minus videri potest, quam Deus. FA. Videtur in rebus [3] conditis. EU. Itidem videtur animus ex actione. Si quæris quid agat in corpore vivo, contemplare corpus exanime. Cum vides hominem sentire, cernere, audire, moveri, intelligere, meminisse, ratiocinari; certius vides animam adesse, quam nunc vides hunc cantharum: potest enim falli sensus unus; tot argumenta sensuum non fallunt. FA. Proinde, si non potes ostendere animam, sic illam notis quibusdam pinge, quasi mihi velis describere Cæsarem, quem nondum vidi. EU. Aristotelis definitio in promtu est. FA. Quæ? Nam ajunt istum esse probum rerum omnium [4] depictorem. EU. *Anima est actus corporis* [5] *organici*, [6] *physici, vitam habentis in potentia.* FA. Cur [7] actum vocat potius, quam iter aut viam? EU. Non heic cavetur aurigis

1 Ridet autor opinionem Socratis, aliorumque Philosophorum, asserentium animas de cœlo labi. Quasi diceret; ideo animabus non addunt picto res alas, quia, cum juxta fabulas Socraticas è cœlo delaberentur, fractæ sunt alæ. Notum est angelos vulgo depingi alatos.

2 Verba Davidis Ps. 55.

3 Creatis, factis.

4 Verum est. Sed ethnicus ille suo more quascunque res definit. Nunc equidem saniora philosophiæ dogmata sequi licet, & melioribus definitionibus niti, postquam didicimus non de re aliqua judicare, nisi eam clare & distincte percepimus.

5 Ὀργανικὸς, instrumentalis.

6 Φυσικὸς, naturalis.

7 Cum Aristoteles animam *actum* vocat, intelligit ἐντελέχειαν quandam, hoc est perfectionem, & continuatam

rigis aut equitibus, sed animæ ratio definitur. Et [1]actum vocat formam, cujus naturæ est agere, cum materiæ ratio sit pati. Omnis autem corporis motus naturalis ab animo proficiscitur. Est autem varius corporis motus. FA. Intelligo. Sed cur addit *organici?* EU. Quoniam anima nihil agit, nisi per organa, hoc est, instrumenta corporis. FA. Cur addit *physici?* EU. Quia [2] Dædalus frustra fingeret tale corpus. Ideoque addit *vitam habentis in potentia.* Forma non agit in quidvis, sed in materiam capacem. FA. Quid si angelus immigraret in corpus hominis? EU. Ageret quidem, sed non per organa naturalia, nec vitam daret corpori, si abesset anima. FA. Habeone jam totam animæ rationem? EU. Habes [3] Aristotelicam. FA. Equidem accepi, celebrem esse philosophum; & vereor ne sapientum [4] centuriæ mihi [5] scribant hæreseos

quandam & perennem motionem. Sed *Fabulla*, simulans se ut vocabulum Philosophicum non intelligere, ut Eutrapelo risum excitet, detorquet ad jureconsultos, qui destinguunt inter *iter, actum*, & *viam*.

1 Audi Barlæum in elegantissima oratione de animæ humanæ admirandis *Tot retro seculis investigatum fuit, quid anima sit Quæsivit Chaldæus, nec invenit, quæsivit Ægyptius, nec reperit quæsivit Græcus, & nescivit semper Alius substantiam esse vult, alius accidens. Hic corpus, hic spiritum. Critias sanguinem esse contendit. Negat Zeno, & ignem esse vult. Hippo aquam esse clamat, Diogenes aerem, Heraclitus vaporem, Pythagoras numerum esse dicit. Democritus etiam atomos in anima invenit Aristoteles entelechiam esse contendit. Alii cor ipsum animus esse videtur, unde excordes, vecordes, concordesque dicuntur. Dicæarchus, omnibus deterior, animam nihil esse dicit prater inane nomen. Harum sententiarum, prater postremam falsam, quæ sit vera. Deus aliquis viderit, quæ sit verisimillima magna est quæstio. Singuli dum aliud dicunt, probabile est scire neminem.*

2 Fuit Dædalus Athenienses, ut narrant, fabrorum omnium ingeniosissimus, qui permulta utilissima instrumenta invenit, & miranda opera fabricatus est. Ejus volatum, cum Icaro filio, quem pueri norunt, lege in Ovidii Metamorph. lib. 8. Ab hoc dicitur *dædalus* vel *dædaleus* a, um, artificiosus, ingeniosus.

3 Id est, juxtu Aristotelis definitionem.

4 Agmina.

5 Contra me, tanquam hæreticam, agant. *Dica* libellus est, continens actionem, quam contra aliquem in judicio experimur. Ex Græcorum phrasi desumptum est, illi enim dicunt δίκην γράφεσθαι, id est, litem intendere, in jus vocare. *Hæresis* Gr. αἵρεσις electio, apud Ecclesiasticos scriptores in malam partem

seos dicam, si quid refrager. Alioqui quidquid adhuc dixit de anima hominis, competit in asinum & bovem. EU. Imo in scarabeum quoque & limacem. FA. Quid igitur interest inter animam bovis & hominis? EU. Qui dicunt animam nihil aliud esse, quam harmoniam qualitatum corporis, fatentur non ita multum interesse, videlicet harmonia soluta perire animas utriusque. Ne ratione quidem distinguitur bovis ab hominis anima, sed quod boum minus sapit, quam hominum; quemadmodum videre est & homines, qui minus sapiunt quam bos. FA. Næ isti bubulam habent mentem. EU. Attamen illud ad te pertinet, quod pro [1] testudinis qualitate modulatior est harmonia. FA. Fateor. EU. Nec parvi refert, ex quo ligno quave figura sit facta testudo. FA. Verisimile dicis. EU. Nec ex quorumlibet animantium intestinis fiunt canoræ [2] fides. FA. Audivi. EU. Atque hæ quidem ex aëris circumfusi madore aut siccitate laxantur, contrahuntur, nonnunquam & rumpuntur. FA. Istuc vidi non semel. EU. Heic igitur potes opem præstare non vulgarem infantulo tuo, ut animus illius testudinem habeat bene temperatam, minimeque vitiatam, ne laxa sit segnitie, ne stridula sit iracundia, ne rauca sit temulentia. Nam hos affectus inserit in nobis nonnunquam [3] educatio, victusque ratio. FA. Admonitionem accipio; sed exspecto quo pacto tuearis Aristotelem. EU. Ille quidem descripsit in genere animam animantem, [4] vegetantem, ac sentientem. Anima dat vitam, sed non protinus animal est, quod vivit. Vivunt enim & senescunt, & emo-

partem sumitur pro dogmate, quod orthodoxæ fidei non consonum est. De *Hæreticis* vide annotata in pag. 322.

1 *Testudo* hoc loco significat instrumentum musicum. Revise pag. 229. & 333.

2 Chordæ.

3 Consule libellum Plutarchi περὶ τῆς τῶν παίδων ἀγωγῆς.

4 Corroborantem.

emoriuntur arbores, at non sentiunt: quanquam his quoque nonnulli sensum tribuunt stupidum. In adhæsis vix deprehenditur sensus, in spongia deprehenditur ab avulsoribus, in arboribus materiarum cæsores sensum comperiunt, si quid illis credimus. Ajunt enim si palma ferias truncum arboris, quam velis cædere, quemadmodum fere solent[1] materiarii, difficilius arbor inciditur, ut semet contraxit metu. Quod autem vivit, ac sentit, animal est. Nihil autem prohibet esse[2] vegetabile, quod non sentit, veluti fungi, betæ, caules. FA. Ista si vivunt utcunque, si sentiunt utcunque, si moventur cum adolescunt, quid prohibet eadem dignari animalis cognomine? EU. Non ita visum est[3] majoribus, neque nobis fas est ab illorum placitis discedere, ac ne refert quidem ad hoc, quod nunc agimus. FA. Atqui non feram eandem esse animam scarabei & hominis. EU. Non est eadem, ô bona, sed ratio[4] quadantenus communis est. Animat, vegetat, sensibile reddit corpus tuum anima tua. Idem agit scarabei anima in suo corpore. Nam quod quædam aliter, aut aliud agit anima hominis, quam scarabei, partim in caussa est materia. Non canit, non loquitur scarabeus, quia caret organis ad hæc idoneis. FA. Illud igitur dicis, si anima scarabei demigraret in corpus hominis, idem ageret quod agit anima humana. EU. Imo ne si mens quidem angelica, quemadmodum dixi. Nihil

1 Fabri lignarii, vel qui ligna cædunt, ad suppeditandam ædificiorum materiam.

2 Quod vegetari, i. e. corroborari potest Philosophorum est (veterum præcipue) loqui de vegetativis, & vegetabilibus, aliisque barbaris vocabulis Non: Marcellus in libro de proprietate sermonis inquit. *Inter vegetum & vigens hoc inter est, quod vegetum sit incolume, vigens forte. Nam vegetum corporis, vigens etiam animi possumus dicere.* Quid ergo sibi volunt istæ sophistarum animæ vegetativæ?

3 Itane? Respondebit tibi Jul. C. Scaliger, qui exerc. 306. inquit, *nihil infelicius esse iis ingeniis, quæ mordicus tenent, majores nostros nihil ignorasse.*

4 Ex aliqua parte.

hil autem interest inter angelum & animam humanam, nisi quod hominis anima [1] in hoc [2] condita est, ut agat corpus humanum naturalibus organis instructum, quemadmodum anima scarabei non movet nisi corpus scarabei. Angelus non in hoc conditus est, ut animet corpus, sed ut absque corporalibus organis intelligat. FA. Num idem potest anima? EU. Potest quidem à corpore semota. FA. Non est igitur sui juris, dum est in corpore. EU. Non profecto: nisi si quid accidat præter communem naturæ cursum. FA. Verum tu mihi pro una anima plures animas effudisti, animantem, vegetantem, sensibilem, intelligentem, memorem, volentem, irascentem, concupiscentem. Mihi satis erat una. EU. Ejusdem animæ diversæ sunt actiones: ex his varia sortitur cognomina. FA. Non satis [3] assequor quod dicis. EU. At faciam ut assequaris. Tu in cubiculo es uxor, in officina es textrix [4] aulæorum, in taberna es aulæorum venditrix, in culina es coqua, inter famulos & famulas es domina, inter liberos es mater: & tamen hæc omnia es eadem in domo. FA. Satis tu quidem [5] pingui Minerva philosopharis. Sic igitur est animus in corpore, quemadmodum ego in domo? EU. Sic. FA. Atqui dum ego texo in officina, non coquo in culina. EU. Neque enim tu es anima tantum, sed anima corpus circumferens: corpus autem non potest simul pluribus inesse locis: anima, quoniam est forma simplex, sic est in toto corpore, ut in singulis corporis partibus sit tota, quamvis non idem agat per omnes partes, nec eodem modo per quomodolibet affectas. Nam sapit ac meminit in cerebro,

1 In eum finem.
2 Creata, facta.
3 Scil. mente, id est, *non satis intelligo.*
4 Quæ & *tapeta*, vel *tapetæ.*
5 *Pingui* vel *crassa Minerva* seu *Musa*; id est, non acute, sed simpliciter, indocte, & absque exactissima cura.

cerebro, iraſcitur in corde, concupiſcit in hepate, audit in auribus, cernit in oculis, olfacit in naribus, guſtat in palato & lingua, ſentit in omnibus partibus corporis, quæ [1] nervaceum aliquid habent adjunctū. Neque enim ſentit in pilis, nec ſummis unguibus: ac ne pulmo quidem per ſe ſentit, nec hepar, fortaſſe nec lien. FA. Proinde in quibusdam partibus animat tantum ac vegetat. EU. Ita videtur. FA. Si in uno homine facit hæc omnia eadem anima, conſequitur, ut fœtus in utero materno ſtatim ut augeſcit, quod eſt vitæ ſignum, ſimul & ſentiat, & intelligat; niſi forte unius hominis initio plures ſunt animæ, deinde cæteris cedentibus, una peragit omnia. Ita ut primum homo fuerit planta, mox animal, poſtremo homo. EU. Quod dicis, fortaſſe non abſurdum videatur Ariſtoteli. Nobis probabilius eſt, ſimul cum vita infundi rationalem animam, ſed quæ, velut igniculus, immerſa materiæ ſupra modum humidæ nondum queat exſerere vires ſuas. FA. Animus igitur illigatus eſt corpori, quod agit movetque? EU. Non aliter quam teſtudo domui, quam circumfert. FA. Eam movet quidem, ſed ſic ut ſimul moveatur, quemadmodum gubernator flectit navem quo vult, ſed ipſe interim cum navi movetur. EU. Imo quemadmodum [2] ſciurus volvit caveam rotatilem, mobilis interim & ipſe. FA. Sic & afficit anima corpus, ac viciſſim afficitur? EU. Sane quod ad operationes attinet. FA. Ergo quod ad naturam pertinet, par eſt anima [3] morionis animæ Salomonis? EU. Nihil abſurdum. FA. Itaque pares ſunt & angeli, quandoquidem carent materia, quæ parit, ut ais, inæqualitatem. EU. Jam ſatis philoſophiæ. Quin potius hæc Theologos

1 Ex nervis conſtans.

2 *Sciurus* animalculum notiſſimum, Græce σκίουρος.

3 Stulti, quis autem vulgo dicatur morio dictum eſt ſupra in notis.

gos torqueant; nos hoc agamus, quod cœpimus. Si tota mater esse vis, cura corpusculum infantuli tui, quo posteaquam sese explicuit ex vaporibus mentis igniculus, bonis & commodis organis utatur. Quoties audis puerum tuum vagientem, crede illum hoc abs te flagitare. Cum vides in pectore duos istos veluti [1] fonticulos turgidos, ac lacteo liquore vel suapte sponte manantes, crede naturam admonere te tui officii. Alioqui cum infans jam fari meditabitur, ac blanda balbutie te [2] mammam vocabit, qua fronte hoc audies ab eo, cui mammam negaris, & ad [3] conducticiam mammam [4] relegaris, perinde quasi capræ aut ovi subjecisses? Ubi jam erit fandi potens, quid si te pro matre vocet semimatrem? Virgam [5] expedies, opinor. Atqui vix semimater est, quæ recusat alere, quod peperit. Potior genituræ pars est nutricatio teneri puelli. Alitur enim non solum lacte, sed & fragrantia materni corporis; requirit eundem liquorem jam notum & familiarem, quem hausit in corpore, & [6] unde coaluit. Atque ego quidem sum in hac sententia, ut existimem in pueris ex lactis natura & indolem vitiari, non aliter quam in frugibus & plantis, terræ succus mutat ingenium ejus quod alit. An putas temere vulgo dici, *Iste malitiam cum lacte nutricis imbibit?* Ne illud qui-

1 Mammas scil. Ita Plutarchus in libello de puerorum educatione. Σοφὸν δ' ἄρα καὶ ἡ πρόνοια δισσὰς ἐνέδυσε ταῖς γυναιξὶ τὰς μαστούς, ἵνα καὶ, εἰ δίδυμα τέκοιεν, δισσὰς ἔχοιεν τὰς τῆς τροφῆς πηγάς. Id est: & plane sapiens est providentia, quæ bina mulieribus ubera dedit, ut etiamsi gemellos partu edidissent, uterque haberet alimenti sui fontem.

2 Ita fere apud nos Belgas infantuli matres balbutientes appellant.

3 Ad ubera nutritia conductæ.

4 Utitur autor verbo efficaci, quo matrem à conductitia nutrice faciat abhorrere. Est enim *relegare* exulem facere, & *relegati* dicuntur in exilium missi, unde *relegatio*.

5 Promes

6 Recte. Hinc Belgæ proverbio dicunt: lac maternum infantibus proprium est, nec negare licet iis quod ipsi secum attulerunt.

quidem opinor, quod à Græcis dici ſolet, *Ut nutrices:* cum ſignificant aliquem male paſci: paullulum enim [1] præmanſi in os inſerunt infantis, maximam partem deglutiunt ipſæ. Proinde ne peperit quidem, quæ quod enixa eſt, mox abjicit. Iſtuc enim [2] abortire eſt, non parere. Et in tales fœminas mihi competere Græcorum videtur etymologia, qui μήτηρ dici putant à μή τηρεῖν hoc eſt, à non ſervando. Nam prorſus [3] conductitiam nutricem infantulo adhuc à matre tepenti adſciſcere, genus eſt [4] expoſitionis. FA. Accederem, ni delecta eſſet mulier, in qua nihil deſideres. EU. Ut nihil referat, quod lac bibat mollis infantia, quam ſalivam cum præmanſo cibo deglutiat; ut talis contigerit nutrix, qualem haud ſcio an ulla reperiatur, an putas ullam eſſe, quæ nutricationis omne tædium devorare poſſit, quemadmodum mater? ſordes, aſſeſſiones, vagitus, morbos, ſervandi nunquam ſatis diligentem curam? Si eſt quæ pariter amet ut mater, erit quæ pariter curet. Quin & illud fiet, ut ſegnius amet te filius, nativa illa caritate velut in duas matres diſtracta: nec tu ſimili pietate duceris erga filium, ut jam grandior minus libenter ſit obtemperaturus juſſis tuis; & tu frigidius illius curam habitura, in cujus moribus fortaſſe videbis nutricem. Præcipuus autem diſcendi gradus eſt, mutuus inter docentem ac diſcentem amor. Ergo ſi nihil deceſſerit illi nativæ pietatis [5] fragrantiæ, facilius illi inſtillabis præcepta recte vivendi. Neque enim heic parum valet mater, vel ob hoc, quod materiam tractet molliſſimam, & in omnia ſequacem. FA. Ut video, non tam facilis eſt res peperiſſe, quam vulgus exiſti-

1 Ante manducati.

2 *Abortire*, i. e. edere abortum, hoc eſt, immaturum fœtum.

3 Idem probat Plutarchus, cum ait: Αἱ τίτθαι δὲ καὶ αἱ τροφοὶ τὴν εὔνοιαν ὑποβολιμαίαν καὶ παρέγγραπτον ἔχουσιν, ἅιτε μίσθῳ φιλοῦσαι. Id eſt: *Nutricum amor ſubditiius eſt, atque adſcititius, utpote mercedis gratia diligentium.*

4 Quid ſit exponere infantes, reſpice pag. 440

5 Bono odori.

1 Ver-

existimat. EU. Si mihi parum habes fidei, en tibi Paulus aperte de muliere loquens: [1] *Salva*, inquit, *fiet per liberorum generationem.* FA. Salva est igitur quæ peperit? EU. Nequaquam; sed addit, [2] si liberi permanserint in fide. Nondum absolvisti genitricis munus, nisi primum tenerum corpusculum filii, mox animum æque mollem recta educatione finxeris. FA. Atqui istuc matribus [3] in manu non est, ut filii perseverent in pietate. EU. Fortassis; sed tantum habet momenti vigilans admonitio, ut Paulus existimet matribus imputandum, si liberi degenerent à piis moribus. Denique, si præstiteris quod in te situm est, Deus opem suam conjunget cum tua diligentia. FA. Mihi quidem, Eutrapele, tua persuasit oratio, si queas idem persuadere parentibus & marito. EU. Istuc [4] ad me recipio, modo tu me tuo juves suffragio. FA. Polliceor. EU. Sed licetne videre puellum? FA. Licet maxime. Heus [5] Syrisca, voca nutricem una cum infante. EU. [6] Scitus admodum puer. Vulgo dicitur [7] veniam deberi primum experienti. At tu prima statim experientia summam artis expressisti. FA. Non est sculptilis

1 Verba Pauli extant in I. Epist. ad Timoth. Cap. 2. v. 15.

2 Vox *liberi* non habetur, sed addit eam autor, quia sic hunc locum intelligit, & vocem *permanserint* refert ad *liberos*. En Pauli verba: Σωθήσεται δὲ διὰ τῆς τεκνογονίας, ἐὰν μείνωσιν ἐν πίστει, καὶ ἀγάπῃ, καὶ ἁγιασμῷ μετὰ σωφροσύνης. Hoc est. *Salva tamen fiet per generationem liberorum, si manserit in fide, ac dilectione, & sanctificatione cum castitate.* Hinc constat, quamvis Paulus mulierem in singulari numero posuerit, & *liberos* in plurali, tamen illud *manserint* esse referendum ad omnes feminas, ut sequentia docent: quid enim fides, dilectio, sanctificatio & castitas liberorum ad salutem matrum? Hujusmodi locutio Paulo non insolita.

3 In matrum arbitrio non situm est.

4 Polliceor.

5 *Syrisca* ancillæ nomen est, ut Syrus servi. Romani servos suos sæpe Syros vocabant, quod Judæorum & Syrorum gens (ut Cicero ait) quasi servituti nata esset.

6 Bellus, venustus.

7 Græcorum proverbium est συγγνώμη πρωτοπείρῳ. Id est, *primum experienti venia*, q. d. Ignoscendum est iis, qui rudes in novo quopiam negotio per imperitiam peccant.

lis imago, ut arte sit opus. EU. Verum; sed fusile sigillum est. Utcunque res habet, feliciſſime[1] cecidit: utinam pari felicitate cadant imagines, quas intexis aulæis! FA. At tu contra felicius pingis, quam gignis. EU. Sic visum est naturæ, cum omnibus paria facere. Quam solicita est natura, ne quid pereat! Duos homines in uno repræsentavit: nasus & oculi patrem referunt, frons ac mentum matrem exprimunt. An tu posses hoc tam carum pignus alienæ fidei concredere? Mihi bis crudeles videntur esse, quæ id facere sustinent. Quandoquidem non solum faciunt id infantis, quem[2] ablegant, periculo, verum etiam suo, propterea quod in his lac aversione corruptum sæpenumero periculosos morbos pariat. Itaque fit, ut, dum unius formæ corporis[3] consulunt, parum consulant duorum corporum vitæ: dumq; cavent, ne contingat præproperum senium, conjiciunt sese in mortem præproperam. Quod est inditum puero nomen? FA. Cornelius. EU. Hoc erat nomen avi paterni. Utinam virum integerrimum & moribus nobis referat! FA. Dabitur opera, quod quidem in nobis erit. Sed heus Eutrapele, unum quiddam obnixe te rogarim. EU. Imo puta me tuum esse mancipium; imperabis & impetrabis quæ voles. FA. Proinde non prius te[4] manumittam, quam hoc mihi beneficium cœptum absolvas. EU. Quodnam? FA. Ut præscribas mihi primum, quibus rationibus queam infantis valetudini consulere: deinde cum erit firmior, quibus rudimentis ad pietatem præparandus sit rudis animus. EU. Id faciam lubens, pro mea quidem sapientia; sed

1 Evenit.
2 Supra dixit *relegare*.
3 Curam gerunt.
4 Dicit *manumittam*, pro *dimittam*, quia Eutrapelus dixerat se mancipium, (i. e servum) quod, ut à manucapiendo dictum, ita & manumittebatur, cum Dominus ei libertatem donaret.

sed proximo colloquio: nunc [1] orator adeo maritum ac parentes. FA. Precor exorator ut sies.

1 Respice pag. 438.

[1] PEREGRINATIO RELIGIONIS ERGO.

MENEDEMUS, OGYGIUS.

ME. QUid hoc novæ rei? Nonne Ogygium vicinum meum video, jam totos sex menses non visum cuiquam? [2] Interisse rumor erat. Ipsus est, nisi prorsus hallucinor. Adibo ac salvere jubebo. Salvus sis, Ogygi. OG. Salve & tu, Menedeme. ME. Quæ regio te nobis reddidit incolumem? Nam tristis rumor heic sparserat, te [3] navigasse Stygiam paludem. OG. Imo, [4] gratia superis, sic interim valui, ut vix unquam antehac melius. ME. Ita semper vanitatis coarguas ejusmodi rumores. Sed quid istuc ornatus est? obsitus es conchis [5] imbricatis, stanneis ac plumbeis imaginibus oppletus undique [6] culmeis ornatus torquibus; brachium habet

1 Si quidquam unquam scripsit Erasmus se dignum, sane nasutissimi viri ingenium produnt hæc duo sequentia colloquia, quorum alterius *Peregrinatio religionis ergo*, alterius ἰχθυοφαγία, sive *piscium esus* inscriptio est. In hoc priori graphice depingit insaniam eorum, qui religionis ergo peregrinationes suscipiunt, atque hinc sibi pietatem vindicant: patiterque acritet perstringit prodigiosas ecclesiasticorum, ut vocant, ejus temporis fraudes, quibus quæstus gratia, credulam plebeculam illudebant. Videbis hic, lector, insignia ista pontificiorum sactorum mysteria, detecta, videbis vanissimam miraculorum & sanctarum, si Diis placet, reliquiarum ostentationem explosam, atque divorum gregem adunco naso suspensum.

2 Mortuum esse.

3 Id est, te ex hac vita migrasse. *Styx* seu *stygia palus* fons ad Nonacrin Arcadiæ est, tam exitialis, ut potus mox mortem adferat. Hinc Poëtæ finxerunt hanc esse paludem apud inferos, per quam Charon, inferorum portitor, defunctorum animas transvehit.

4 Gratia sit Diis.

5 Id est, Imbricum specie incurvatis, vel figuram imbricum referentibus. Est enim imbrex incurvata regula, per quam imber defluit.

6 Ex culmo vel stramine factis.

habet [1] ova ſerpentum. OG. [2] Viſi divum Jacobum Compoſtellanum, & hinc reverſus, [3] Virginem Parathalaſſiam apud Anglos percelebrem, quin potius hanc [4] reviſi: nam ante annos tres inviſeram. ME. Animi gratia, ut arbitror. OG. Imo religionis cauſſa. ME. Iſtam, opinor, religionem docuerunt te Græcæ litteræ. OG. Mater uxoris [5] voto ſeſe obſtrinxerat, ut ſi filia peperiſſet maſculum vitalem, ego divo Jacobo præſens præſenti ſalutem dicerem, & gratias agerem. ME. Salutaſti divum tuo dumtaxat, & ſocrus nomine? OG. Imo totius familiæ verbis. ME. Equidem arbitror nihilo minus ſalutis futurum fuiſſe familiæ, etiam ſi Jacobum inſalutatum reliquiſſes. Sed obſecro, quid reſpondit agenti gratias? OG. Nihil, ſed offerenti munus viſus eſt arridere, & capite leviter annuere; ſimulque porrexit hoc imbricatum putamen. ME. Cur iſta potius donat, quam alia? OG. Quoniam his abundat ſuggerente vicino mari. ME. O. benignum divum, qui & obſtetricatur parturientibus, & operam dat [6] hoſpitibus! Verum quodnam iſtuc novum vovendi genus, ut otioſus aliis laborem imponat aliquis? Si tu te voto adſtringeres, ut ſi quod ageres, feliciter cederet, ego jejunarem bis in hebdomade, an credis me facturum quod voviſſes? OG.

1 Per jocum globulos iſtos, quibus utuntur Pontificii ad numerandas preces, appellat ova ſerpentum, quia illa ſic cohærent cum prodeunt.

2 Eſt ille Hiſpanorum divus tutelaris, dictus illis St. Jago. Habet Compoſtellæ, quæ eſt Galeciæ Metropolis, ſimulachrum, ad quod viſendum ex diverſis regionibus peregrinantes confluunt. Sacrificuli ejus loci, hinc quæſtum captantes, ſtultis iſtis ſalutatoribus conchas dant.

3 Intelligit ſimulachrum Mariæ, quod Angli ſuperſtitioſe tunc temporis colebant *Parathalaſſiam* eam vocat, i. e ad mare: ex παρὰ *ad*, & θάλασσα *mare*. Reviſe notas in Alcumiſticam pag. 396.

4 Iterum viſi.

5 De Pontificiorum votis, quibus Deo & divis ſuis ſe obſtringunt, vide ſupra in Colloquiis *de votis temere ſuſceptis*, de *naufragio*, &c.

6 Advenis.

1 Os

OG. Non credo, etiam si tu ipse tuo nomine voviſſes. Nam tibi [1] divis os oblinere ludus est. At socrus est; [2] mos gerendus erat. Nosti mulierum affectus, & mea quoque referebat. ME. Si non præstitisses votum, quid erat periculi? OG. Non poterat me divus vocare in jus, fateor: sed poterat in posterum esse surdus ad vota mea, aut tacitus aliquid [3] calamitatis immittere in meam familiam. Nosti principum mores. ME. Dic mihi, quid valet agitque vir optimus Jacobus? OG. Multo frigidius solito. ME. Quid est in caussa, senium? OG. Nugator, scis divos non senescere. Verum [4] hæc nova persuasio, quæ late per orbem divagatur, facit, ut infrequentius salutetur solito: & si qui veniunt, salutant tantum; nihil, aut quam minimum donant, dictitantes eam pecuniam rectius collocari in egenos. ME. [5] Impia persuasio! OG. Itaque tantus Apostolus, qui solet totus gemmis & auro fulgere, nunc stat ligneus, vix sebaceam habens candelam. ME. Si verum est, quod audio, periculum est, ne reliquis divis idem [6] veniat usu. OG. Imo circumfertur epistola, quam hac de re scripsit ipsa Virgo Maria. ME. Quæ Maria? OG. Quæ cognomen habet à lapide. ME. Apud [7] Rauracos, ni fallor.

1 *Os oblinere* vel *sublinere alicui*, hoc est verba dare, demulcendo decipere, vel fraude illudere, ut in Plauto sæpius. Desumta metaphora à ludi genere quo dormientibus ora pinguntur.

2 Terentianum est, ex Eunucho Act. 1. Sc. 2. *Mos gerundus est Thaidi.*

3 *Calamitas* proprie à rusticis dicitur grando, quæ calamos, i. e culmos segetemve dejicit. Terent. Eun Act. 1. Sc. 1. *Nostri fundi calamitas.* Inde pro quavis miseria ac ærumna.

4 Novam persuasionem vocat, qualem Papicolarum superstitio in visitandis & colendis simulachris, & ecclesiasticorum technæ in eludenda plebe palam fiebant.

5 Ironice istam persuasionem impiam vocant: quid enim magis pium, quam erogare in pauperes, quod alioquin crassi isti pastores & monachi ventri dant?

6 Accidat.

7 *Rauraci* populi ad Rhenum, Helvetiis vicini, Basilienſis territorii incolæ. Vide Jul. Cæsarem lib. 1. & 7.

1 Forte

fallor. OG. Ea est. NE. [1]Lapideam igitur divam mihi narras. Sed cui scripsit? OG. Nomen ipsa indicat epistola. ME. Per quem missa est? OG. Haud dubie quin per angelum, qui pofuerat scriptam in [2] suggesto, unde concionatur is, ad quem scripta est. Et ne quid fraudis suspiceris, videbis epistolam [3] αὐτόγραφον. ME. Itane agnoscis manum angeli, qui est Virgini [4] ab epistolis? OG. Quid ni? ME. Quo tandem argumento? OG. Legi epitaphium [5] Bedæ, quod ab angelo insculptum est: elementorum figuræ per omnia congruunt. Legi & [6] syngraphum [7] divo Ægidio missam: congruunt. An non hæc satis arguunt rem? ME. Fasne est inspicere? OG. Fas, si dejeres te taciturum. ME. Oh! [8] lapidi dixeris. OG. Jam sunt & [9] lapides hoc nomine infames, quod nihil celent. ME. Muto igitur dicito, si lapidi parum fidis. OG. Hac lege recitabo: tu fac utramque [10] arrigas aurem. ME.

1 Forte simulachrum ex lapide fuit.

2 Suggestus, ûs, & suggestum, i. locus excelsior unde orationes ad populum haberi solent.

3 Αυτόγραφον, id est; ab ipsa scriptam.

4 Qui virgini ministrat in scribendis epistolis.

5 *Beda* monachus Britannus, Græce, Latineque pro barbarie seculi sui eruditus, & scriptis in novum & vetus fœdus clarus, vixit sub Joanne VI. qui pontificatum iniit anno Christi 700. ob vitæ modestiam venerabilis dictus. Corpus ejus Genuæ conditum falso proditur, ejusdemque epitaphium ab Angelis insculptum fingitur: quod noster ridet. Constat e monumentis fidedignis, hunc virum nunquam maria transfretasse: verum anno 735. in monasterio Girwensi (cum à puero monasticam vitam amplexus esset) mortuum & sepultum.

6 Συγγραφὴ scriptio, aliquando idem quod χειρόγραφον, i. e. cautio alicujus manu scripta.

7 Nota est fabula de Carolo Magno, qui quum deperaret veniam admissorum, S. Ægidius, si Diis placet, impetravit epistolam ab angelo, continentem hunc versiculum. *Ægidii merito Caroli peccata remitto.*

8 *Lapidi dixeris*, id est dixeris tacituro, simile est *pisci dixeris, parieti loqueris* &c.

9 Loquitur de lapide Lydio, qui & index dictus, quod auri bonitatem indicet. De Barto in hunc lapidem vertio lege jucundissimam fabulam in Ovidii Metamorph. lib. 2.

10 *Utramque aurem arrigas*, id est diligenter auscultes. Terent. in Andr. Act. 5. Sc. 7. *arrige aures Pamphile.* Translatio est à pecudibus, quæ, si quid eminus audiant, aures erigere solent.

1 Nomen

ME. Arrexi. OG. *Maria mater Jesu* [1] *Glaucopluto S.D. Quod Lutherum sequutus strenue suades, supervacaneum esse invocare divos, à me quidem isto nomine bonam magnamque inisti gratiam, scito. Nam antehac tantum non enecabar improbis mortalium opplorationibus. Ab una postulabantur omnia, quasi filius meus semper infans esset, quia talis fingitur, pingiturque in sinu meo, ut ex nutu matris adhuc pendeat, neque quidquam ausit negare petenti, videlicet metuens, ne si quid neget roganti, ego vicissim ipsi negem mammam sitienti. Et nonnunquam ea petunt à Virgine, quæ verecundus juvenis vix auderet petere à* [2] *lena, quæque me pudet litteris committere. Interim negotiator lucri caussa navigaturus in Hispaniam, committit mihi pudicitiam suæ concubinæ. Et virgo* [3] *Deo sacra,* [4] *abjecto velo fugam adornans, deponit apud me famam integritatis suæ, quam ipsa* [5] *terdit prostituere. Occlamat mihi miles impius, &* [6] *ad lanienam conductus: Beata Virgo da prædam opimam. Occlamat aleator: Fave diva, pars lucri tibi* [7] *decidetur. Et si parum faveat alea, me conviciis lacerant, maleque precantur, quæ non adfuerim sceleri. Occlamat quæ quæstui turpi semet exponit, Da proventum uberem. Si quid negem, illico reclamant, Ergo ne sis mater misericordiæ. Aliorum vota non tam impia sunt, quam inepta. Clamat innupta: Maria, da mihi formosum ac divitem sponsum. Clamat nupta: Da mihi bellos* [8] *catulos. Clamat gravida: Da mihi facilem partum. Clamat anus:*

1 Nomen sacerdotis fictum.

2 *Lena*, mulier, quæ scortis prostituendis quæstum facit. *Leno* vir.

3 Sacrata, quæ in monasterium detrusa perpetuam vovit castitatem.

4 *Abjecto velo*, id est, relicto monachalis vitæ genere. Velum, seu flammea jam olim ethnicis sacerdotibus & virginibus Vestalibus pudicitiæ signum fuit. Vide supra Colloq. de Virg. μισόγαμε: *Non omnes virgines sunt, quæ velum habent.*

5 Cupit.

6 Cædem.

7 Dabitur tibi portio lucri.

8 Infantulos.

anus: Da diu vivere sine tussi sitique. Clamat senex delirus: Da repubescere. Clamat philosophus: Da nodos insolubiles nectere. Clamat sacerdos: Da sacerdotium opimum. Clamat episcopus: Serva meam ecclesiam. Clamat nauta: Da prosperos cursus. Clamat præfectus: Ostende mihi filium tuum antequam moriar. Clamat aulicus: Da vere confiteri in mortis [1] *articulo. Clamat rusticus: Da tempestivam pluviam. Clamat rustica: Serva gregem & armentum incolume. Si quid renuo, illico sum crudelis. Si* [2] *relego ad filium, audio: Vult ille quidquid tu vis. Itane ego sola & mulier, & virgo* [3] *dabo operam navigantibus, belligerantibus, negotiantibus, ludentibus aleam, nubentibus, parturientibus,* [4] *satrapis, regibus & agricolis? Atqui quod dixi, minimum est præ his quæ patior. Sed his negotiis nunc multo minus gravor: quo quidem nomine tibi gratias agerem maximas, nisi commodum hoc incommodum majus secum traheret: plus est otii, sed minus est bonorum, minus est opum. Ante salutabar Regina cœlorum, Domina mundi: nunc vix à paucis audio, Ave Maria. Ante vestiebar gemmis & auro, abundabam* [5] *mutatoriis,* [6] *deferebantur aurea gemmeaque donaria: nunc vix tegor dimidiato palliolo, eoque corroso à muribus. Proventus autem annui vix tantum est, ut alam miserum* [7] *ædituum, qui accendat lucernulam aut candelam sebaceam. Atquè hæc tamen poterant ferri, ni majora etiam moliri dicereris. Huc tendis, ut ajunt, ut, quidquid usquam est divorum, exigas ex ædibus sacris. Etiam atque etiam vide quid agas. Non deest aliis divis quo suam ulciscantur injuri-*

1 Puncto, ut ajunt.
2 A me dimitto.
3 Opem feram.
4 *Satrapa* vel *satrapes* Gr. σατράπης, vox origine Persica, est Provinciæ præfectus.
5 Scil. vestibus.
6 Offerebantur.
7 *Ædituus*, quem veteres, teste Varrone, Ædituum vocabant, custos erat tuendæ ædis sacræ.

1 Nam

injuriam. Ejectus è templo Petrus, potest tibi vicissim [1] *occludere regni cœlestis ostium. Paulus habet gladium; Bartholomæus cultro armatus est; Guilielmus sub pallio monachi totus armatus est, non sine grâvi lancea. Quid autem agas cum Georgio & equite &* [2] *catâphracto, hasta simul & gladio formidabili? Nec inermis est* [3] *Antonius: habet sacrum ignem. Sunt item & cæteris sua* [4] *vel arma, vel mala, quæ, quibus volunt, immittunt. Me vero quantumvis inermem, non tamen ejicies, nisi simul ejecto filio, quem ulnis teneo. Ab hoc non me patiar divelli: aut hunc una mecum extrudes, aut utrumque relinques, nisi mavis habere templum sine Christo. Hæc te scire volui: tu cogita, quid mihi respondendum censeas. Nam mihi plane res cordi est. Ex æde nostra lapidea, Calendis Augusti, anno filii mei passi* 1524. *Virgo lapidea mea manu subscripsi.* ME. Minax profecto ac formidabilis epistola. Cavebit, opinor, Glaucoplutus. OG. Si sapit. ME. Quam ob rem non eadem de re scripsit huic optimus ille Jacobus? OG. Nescio, nisi quod longius abest, & his temporibus intercipiuntur omnes epistolæ. ME. Sed quis Deus te redegit in Angliam? OG. Ventus illuc invitabat mire secundus, atque id propemodum eram pollicitus divæ [5] Parathalassiæ, me post biennium ipsam revisurum. ME. Quid petiturus ab illa? OG. Nihil

1 Nam eum clavibus cœli armatum fingunt papicolæ.

2 Καταφράκτῳ, i. e. circumquaque armis munitus, à καταφράσσω munio. Neque id mirum: fuit enim hic Georgius sub Diocletiano tribunus militum, ideoque in divorum numerum relatus operam dat militibus.

3 Porcorum divus tutelaris. Revise colloq. *Francisc.*

4 Nam velut ethnici Diis, ita Pontificii divis suis singulis peculiarem quandam vim tribuunt, qua possint vel prodesse vel nocere. Sic Joannem Baptistam partis sui cultoribus morbum comitialem, Hubertum rabiem, alioisque alia mala immittere posse fingunt.

5 Quæ habitat ad mare respice pag. 460.

Nihil novi, nisi illa vulgaria, familiam incolumem, [1] rem uberiorem, longævam lætamque vitam in hoc seculo, & perennem felicitatem in futuro. ME. Non poterat eadem præstare Virgo mater apud nos? Habet Antverpiæ templum longe augustius, quam in Parathalasso. OG. Haud nego posse, verum aliis in locis alia largitur, sive sic visum est animo illius, sive, ut est benigna, semet in hoc nostris affectibus accommodat. ME. De Jacobo frequenter audivi: sed obsecro te, describe mihi regnum istius Parathalassiæ. OG. Equidem expediam quam potero paucissimis. Celeberrimum nomen est per universam Angliam, nec temere reperias in ea insula, qui speret res suas fore salvas, quin illam quotannis aliquo munusculo pro facultatum modulo salutarit. ME. Ubi [2] habet? OG. Ad extremum Angliæ finem, inter Occidentem & Septentrionem, haud procul à mari, passuum fere tribus millibus. Vicus est vix alia re victitans, quam commeantium frequentia. Collegium est [3] Canonicorum, sed quibus à Latinis regulæ cognomen additur; medium genus inter monachos, & canonicos, quos seculares appellant. ME. [4] Amphibios mihi narras; quod genus est fiber. OG. Imo & crocodilus. Sed omissis [5] cavillis, tribus verbis expediam quod vis. In odiosis canonici sunt, in favorabilibus monachi. ME. Adhuc mihi quidem ænigma refers. OG. Quin addam [6] Apodixin mathematicam. Si Romanus pon-

1 Opes ampliores. *Res* pro censu sæpius notata.

2 Habitat.

3 Quos regulares vocant, κανὼν regula. Differentiam vide in notis mox infra ponendis.

4 *Amphibii* qui ancipitem vitam vivunt, ex ἀμφὶ utrinque & βίος vita. Ita animalia amphibia dicuntur, quæ & in terra & in aqua vivunt.

5 Jocis, irrisionibus.

6 Ἀπόδειξις est demonstratio, quæ proprie fit Mathematicis per litteras depictas, ab ἀποδείκνυμι, *demonstro*, talis enim demonstratio certissima est.

1 Per

pontifex [1] fulmine feriat omnes monachos, [2] tum canonici fuerint, non monachi. Sin idem permittat omnibus monachis uxorem ducere, tum fuerint monachi. ME. O novos favores; utinam abducant & meam! OG. Sed ut [3] ad rem: [4] Collegium hoc vix alios habet proventus quam ex liberalitate Virginis. Nam majora quidem donaria servantur. Cæterum si quid est nummorum, aut levioris pretii, cedit in alimoniam [5] gregis & præfecti, quem illi Priorem vocant. ME. Probæ vitæ? OG. Non illaudatæ; pietate ditiores, quam annuo [6] censu. Templum est nitidum & elegans; verum in eo non habitat Virgo, sed illud honoris gratia cessit filio. Illa suum habet templum, ut dextra sit filio. ME. Dextra? Quo igitur spectat filius? OG. Bene mones. Cum occidentem spectat, dextram habet matrem! ubi se vertit ad Solis exortum, sinistra est. Nec heic tamen habitat; nondum enim ædificium est absolutum, & locus est undique perflabilis, patentibus ostiis, patentibus fenestris; & in propinquo est Oceanus ventorum pater. ME. Durum, ubi igitur habet illa? OG. In eo templo, quod inabsolutum dixi, est sacellum angustum, ligneo tabulatu constructum, ad utrumque latus per angustum ostiolum admittens salutatores. Lumen est exiguum, nec fere nisi ex cereis; fragrat odor naribus gratissimus. ME. Hæc omnia congruunt religioni. OG. Imo si introspicias,

1 Per Pontificis Romani fulmen intelligitur excommunicatio illa horrenda, ut vocant, qua quis à Romana ecclesia alienus & Diabolo tradendus damnatur. Revise *Inquisit. de fide*, in principio.

2 Distinguuntur enim Canonici in *Seculares*, qui durum vitæ genus rejiciunt, & juxta seculi mores dissolutius vivunt, & *Regulares*, qui præscriptam regulam, & canonem sequuntur.

3 Scil. redeamus.

4 Forte hoc illud est Collegium, quod in vico cui à S. Maria nomen (Anglis *Sant Maries*) in Cornubia proxime *Falemouth* & Oceano, qui Britanniam & Galliam interluit.

5 Scil. Monachorum.

6 Reditu, proventu.

trospicias, Menedeme, dicas divorum esse sedem, adeo gemmis, auro, argentoque nitent omnia. ME. Accendis animum, ut eo me conferam. OG. Haud pœnituerit itineris. ME. Nihil est illic olei sacri? OG. Ineptè. [1] Oleum istud non resudat nisi è sepulcris divorum, velut Andreæ & Catharinæ. [2] Maria sepulta non est. ME. Erravi, fateor. Sed absolve fabulam. OG. Quo latius se spargat religio, alia aliis locis ostenduntur. ME. Et fortassis ut uberior sit largitio, juxta illud, [3] *Fit cito per multas præda petita manus.* OG. Et nusquam non præsto sunt [4] mystagogi. ME. Ex canonicis? OG. Nequaquam: illi non adhibentur, ne per occasionem religionis alienentur à religione, ac dum observant virginem, parum ipsi consulant suæ virginitati. Tantum in intimo sacello, quod dixi conclave divæ Virginis, adstat altari canonicus quidam. ME. In quem usum? OG. Ut recipiat servetque quod datur. ME. An dant qui nolint? OG. Minime, sed nonnullos pius quidam pudor huc adigit, ut dent adstante quopiam, non daturi si testis abesset: aut largius dant aliquanto, quam erant daturi. ME. Affectum humanum dicis, & mihi non inexpertum. OG. Imo vero sunt quidam adeo dediti sanctissimæ Virgini, ut dum simulant sese munus imponere altari, mira dexteritate suffurentur, quod alius posuerat. ME. Fac nullum adstare; an non in tales illico fulminaret Virgo? OG. Qui

1 *Oleum istud* sacrum nempe. Rident autor portentosa mendacia de oleo sacro ex sepulchris divorum sudante.

2 Non enim eam mortuam, sed in cœlum sublatam esse meminit quidam non erubuerunt.

3 Extat versus in Nasonis Amorum lib. 1. Eleg. 8.

4 Μυσταγωγὸς idem quod μύστης, qui sacris initiatus est, mysteriorum peritus, nam μυέω, proprie est *doceo sacra*, quod in passivo μυοῦμαι significat, initior sactis. Aristoph. in Pluto Act. 4. Sc. 2. μυῶν ἓν ἐμυήθης &c. *Num igitur sacris initiatus es?* Est etiam, juxta Ciceronem Orat. in Verr. 4. is qui hospites ad ea quæ visenda sunt, ducere solet, quo sensu in hoc colloquio fere accipiendus.

1 Ipsum

Qui magis id faceret Virgo, quam ipse [1]Pater æthereus, quem non verentur nudare suis ornamentis, vel perfollo templi pariete? ME. Non satis mihi constat, utrum magis debeam admirari, illorumne impiam confidentiam, an Dei lenitatem. OG. Ad latus itaque Septentrionale porta quædam est, non templi, ne quid erres, sed [2]septi, quo tota clauditur area templo adjacens. Ea ostiolum habet perpusillum, quale videmus in valvis nobilium, ut qui velit ingredi, primum tibiam periculo exponere cogatur, deinde caput etiam submittat. ME. Profecto tutum non fuerit ad hostem ingredi per tale ostiolum. OG. Recte conjectas. Narrabat mystagogus olim virum equestris ordinis, equo insidentem, per hoc ostium elapsum è manibus inimici, qui jam fugienti imminebat. Ibi miser desperans sui, subita cogitatione salutem suam commendavit divæ Virgini, quæ erat in proximo. Nam ad hujus aram fugere decreverat, si valva patuisset. Et ecce rem inauditam. Subito totus eques erat intra septa templi, altero frustra foris insaniente. ME. Et faciebat tam admirandæ narrationis fidem? OG. Maxime. ME. Id quidem non admodum facile apud te hominem philosophum. OG. Ostendebat in ostio laminam cupream clavis affixam, quæ habebat imaginem equitis servati, eoque cultu, quo tum Anglica gens utebatur, quem & in vetustioribus picturis videmus: quæ

1 Ipsum Deum depingere, ejusque simulachrum (ô dementiam) in templis ostentare non verentur Pontificii, neglecto Pauli monito in Actis Apostolorum Cap. XVII. cum ait, ὁ Θεὸς ὁ ποιήσας τὸν κόσμον καὶ πάντα τὰ ἐν αὐτῷ, οὗτος κύριος ὑπάρχων τοῦ οὐρανοῦ καὶ γῆς οὐκ ἐν χειροποιήτοις ναοῖς κατοικεῖ, οὐδὲ ὑπὸ χειρῶν ἀνθρωπίνων θεραπεύεται, προσδεόμενός τινος. Hoc est. *Deus qui fecit mundum, & omnia quæ in eo sunt, hic quum sit cæli & terræ dominus, non in templis manu factis habitat, neque manibus hominum colitur, aliquo indigens &c.*

2 Septum, sepes, vel sepimentum, à *sepio.*

quæ si non mentiuntur,[1] frigebant id ætatis tonsores, & qui pannos tingunt ac texunt. ME. Qui sic? OG. Quia [2] barbatus erat non aliter quam capræ; & universa vestis nullam habebat rugam, adeoque non erat major corpore, ut strictu corpus ipsum redderet angustius. Erat altera lamina, cellæ figuram ac magnitudinem referens. ME. Jam dubitare fas non erat. OG. Subter ostiolum erat cratis ferrea, quæ peditem tantum transmitteret. Non conveniebat ut equus post eum calcaret locum, quem prior eques Virgini consecrasset. ME. Et merito. OG. Hinc ad Orientem est sacellum [3] prodigiis plenum: eo me confero. Excipit alius mystagogus. Illic oravimus paulipser. Mox exhibetur nobis articulus humani digiti, è tribus maximi: exosculor: deinde rogo cujus sint reliquiæ. Ait, Sancti Petri. Num Apostoli, inquam? Ajebat. Deinde contemplans magnitudinem articuli, qui gigantis videri potuerit: Oportuit, inquam, Petrum fuisse virum prægrandi corpore. Ad hanc vocem è comitibus quidam in cachinnum solutus est: id certe moleste tuli. Nam si is siluisset, æduus nos nihil celasset reliquorum. Eum tamen utcunque placavimus, datis aliquot [4] drachmis. Ante ædiculam erat tectum, quod ajebat hiberno tempore, cum nix obtexisset omnia, eo subito fuisse delatum è longinquo. Sub eo tecto putei duo ad summum pleni: fontis venam ajunt esse sacram divæ Virgini; liquor est mire frigidus, efficax medicando capitis stomachique doloribus. ME. Si frigida medetur doloribus capitis & stomachi, posthac & oleum extin-

1 In usu non erant, sæpius supra, *frigent lanii, friget lusus.*

2 Cæsar testatur Britannos sua ætate fuisse capillo promisso, atque omni parte corporis rasa, præter caput & labrum superius.

3 Miraculis, portentis, sed fictis, ut constat ex sequenti.

4 De Drachmis vide supra pag. 413. & alibi.

extinguet incendium. OG. Miraculum audis, ô bone: alioqui quid esset miraculi, si frigida sedaret sitim? ME. Et ista sane est una pars fabulæ. OG. Affirmabant eum fontem de repente prosiliisse è terra jussu sanctissimæ Virginis. Ego cuncta diligenter circumspiciens, rogabam quot essent anni, quod ea domuncula fuisset eo deportata: dixit aliquot secula. Alioqui parietes, inquam, non præ se ferunt aliquid vetustatis. Nõn repugnabat. Ne columnæ quidem hæ ligneæ. Non negabat esse nuper positas, & res ipsa loquebatur. Deinde hæc, inquam, tecti [1] culmea arundineaque máteria videtur esse recentior. Assentiebatur. Ac ne trabes quidem hæ, inquam, transversæ, nec ipsa tigna quæ culmos sustinent, videntur ante multos annos posita. Annuebat. Atqui cum jam nulla casæ pars supereset; unde igitur constat, inquam, hanc esse casulam illam è longinquo delatam? ME. Obsecro quomodo sese ab hoc nodo expediebat ædituus? OG. Scilicet incunctanter ille ostendit nobis pervetustam ursi pellem tignis affixam; ac propemodum irrisit nostram tarditatem, qui ad tam manifestum argumentum non haberemus oculos. Itaque persuasi, & tarditatis culpam deprecati, vertimus nos ad cæleste lac beatæ Virginis. ME. O matrem filii similimam! ille nobis tantum sanguinis sui reliquit in terris; hæc tantum lactis, quantum vix credibile est esse posse uni mulieri [2] uniparæ, etiamsi nihil bibisset infans. OG. Idem caussantur de cruce Domini, quæ privatim ac publice [3] tot locis ostenditur, ut si fragmenta conferantur in unum, navis onerariæ justum onus videri possint; & tamen crucem suam bajulavit Dominus. ME. An non tibi quoque mirum

1 Ex culmis, vel stramine.
2 Quæ unicum perperit infantem.
3 De ficto ligno crucis respice *Nauf.* pag. 262.

mirum videtur? OG. Novum fortasse dici possit, mirum nequaquam, cum Dominus, qui hæc auget pro suo arbitrio, sit omnipotens. ME. Pie tu quidem interpretaris: at ego vereor ne multa talia fingantur ad quæstum. OG. Non arbitror Deum passurum, si quis ipsum ad istum irrideat modum. ME. Imo cum à sacrilegis spoliatur & mater & Filius & Pater [1] & Spiritus, ne tantulum quidem sese commovent interdum, ut vel nutu, vel crepitu deterreant sceleſtos. Tanta est numinis lenitas. OG. Sic est: sed audi reliqua. Id lac servatur in altari summo; in cujus medio Christus, ad dextram mater, honoris gratia. Lac enim matrem repræsentat. ME. Conspicuum est igitur? OG. Videlicet inclusum crystallo. ME. Liquidum igitur. OG. Quid liquidum mihi narras, cum fusum sit ante annos mille quingentos? Concretum est; dicas cretam tritam, [2] alboque ovi temperatam. ME. Quin igitur nudum ostentant? OG. Ne contaminetur virorum osculis lac virgineum. ME. Probe dicis. Nam sunt, opinor, qui os admoveant nec [3] purum, nec virgineum. OG. Ubi nos videt mystagogus, accurrit, lineam vestem induit, sacram [4] stolam addidit cervici, procubuit religiose, & adoravit: mox nobis lac sacrosanctum osculandum porrexit. Heic in extremo altaris gradu religiose procubuimus & ipsi; Christoque primum salutato, Virginem oratiuncula tali, quam in hoc ipsum pararam, appellavimus: [5] *Virgo parens, quæ*

1 Vide quæ modo diximus de impietate Papicolarum, qui imagines Dei & Spiritus sancti effingere, ac in suis templis ostentare audent.

2 Vel albumine.

3 Castum.

4 Στολὴ Græcis quodlibet vestimentum. Erat & genus vestis promissæ, Medisque propriæ. Hic vero intellige ornatum illum, qui Pontificiis sacerdotibus linea veste indutis ex collo dependet in pectus; unde autor hanc stolam sacram vocat.

5 Lac Evangelicæ doctrinæ in litteris sacris denotat prima Christianæ religionis rudimenta.

1 Ευχα-

quæ tuis virgineis uberibus lactare meruisti cœli terræque dominum, filium tuum Jesum, optamus, ut illius sanguine purificati proficiamus, & nos ad felicem illam infantiam columbinæ simplicitatis, quæ nescia malitiæ, fraudis ac doli, lac Evangelicæ doctrinæ concupiscit assidue, donec proficiat in virum perfectum, in mensuram plenitudinis Christi, cujus felici consortio frueris in æternum, cum Patre & Spiritu sancto. Amen. ME. Pia sane deprecatio. Quid illa? OG. Visus est uterque annuere, nisi me fallebant oculi. Nam subsilire videbatur sacrum lac, & candidior aliquanto affulgebat [1] eucharistia. Interim mystagogus ad nos accessit, tacitus quidem, sed tabellam porrigens, qualem apud Germanos offerunt, qui in pontibus [2] telos exigunt. ME. Equidem sæpenumero male percatus sum illis petacibus tabellis, cum per Germaniam iter facerem. OG. Dedimus drachmas aliquot, quas ille obtulit [3] Virgini. Mox per interpretem ejus linguæ pulcre peritum, & juvenem blandæ cujusdam eloquentiæ (nomen erat, ni fallor, Robertus Aldrisius) percunctatus sum, quam potui civilissime, quibus argumentis cognitum haberet, hoc esse lac Virginis. Id ego sane pio studio scire cupiebam, quo possem impiis quibusdam hæc omnia ridere solitis [4] os obturare. Primum mystagogus [5] obducta fronte obticuit: jussi ut interpres instaret; sed blan-

1 Εὐχαριστία quæ proprie grata beneficiorum recordatio est, & Theologis Christianis peculiariter mysterium Cœnæ dominicæ, ut vocant, cujus præcipua pars consistit in gratiarum actione, significat hic panem illum orbicularem, quibusdam verbis conceptis à sacrificulo Pontificio in verum corpus & sanguinem Christi conversum, quem rudi popello deceptores isti adorandum præbent, & moribundis post auditam confessionem auricularem in os intrudunt, uti autor infra narrat in Colloq. *de funere.*

2 Τέλος id est, tributum, sive vectigal.

3 Dein crumenæ suæ, opinor.

4 Convincere veritatis, ita ut taceant, neque posthac contradicant.

5 *Rugis in fronte contractis*, quod indignationis signum est.

blandius etiam. Ille vero blandissime, adeo ut si matrem ipsam nuper puerperam talibus verbis appellasset, non fuerit ægre latura. At [1] mystagogus tanquam afflatus numine quopiam, nos intuens oculis stupentibus, ac veluti horrore vocem [2] blasphemam execrantibus: Quid opus, inquit, ista percunctari, cum habeatis tabulam [3] authenticam? Et omnino videbatur nos ut [4] hæreticos ejecturus, nisi drachmæ [5] deliniissent hominis ferociam. ME. Quid vos interim? OG. Nos? quid censes? Non aliter quam fuste icti, aut fulmine tacti, nosmet illinc subduximus, suppliciter audaciæ veniam comprecati; sic enim convenit in rebus sacris. Inde proficiscimur ad [6] ædiculam, hospitium divæ Virginis.. Huc euntibus aperit sese quidam [7] hierophanta ex illis [8] Minoribus; nosque veluti noscitans intuetur: aliquantulum progressis occurrit alius, itidem contemplans nos: post etiam tertius. ME. Fortasse cupiebant te pingere. OG. At ego longe diversum suspicabar. ME. Quid istuc? OG. Sacrilegum quempiam suppilasse nonnihil ex [9] mundo sacræ Virginis, & in me suspicionem intentam esse. Itaque sacellum ingressus, tali precatiuncula saluto matrem Virginem: *O sola fœminarum omnium mater & virgo, mater felicissima, virgo purissima; nunc te puram impuri visimus,*

1 Vide supra pag. 468.

2 Maledicentem.

3 Instrumenta & scripta authentica dicuntur apud Jurisconsultos, quæ certam & justam habent autoritatem.

4 Hæreticus, Gr. αἱρετικὸς, est proprie *is, qui electionem facit, vel eligit.* Sed apud ecclesiasticos scriptores sumitur pro eo, qui à sana recepta doctrina aberrat. Sic Pontificii Reformatos, Reformati Pontificios Hæreticos appellant.

5 Mitigassent.

6 Ædicula, sive *sacellum.*

7 Ἱεροφάντης qui sacra & ceremonias docet, & demonstrat, ab ἱερὸν sacrum, & φαίνω ostendo.

8 *Minores* sunt Franciscani. Nam Franciscos iste suos sectatores divisit in fratres hosce *Minores*, quibus ipse se associavit, *Clarissas*, & *Pœnitentes.*

9 Id est, ex ornamentis. Dicitur autem mundus muliebris. Respice Colloq. *Adolesc. & scorti.*

1 Loqui-

visimus, salutamus, donariolis nostris utcunque colimus: utinam donet nobis filius tuus, ut sanctissimos tuos mores imitantes, mereamur & nos per Spiritus sancti gratiam spiritualiter dominum JESUM *intimis animi visceribus concipere, semelque conceptum nunquam amittere, Amen.* Simulque exosculatus aram, deposui drachmas aliquot, & abii. ME. Quid heic Virgo? Nullone nutu dedit signum auditæ precatiunculæ? OG. Lumen, ut dixi, erat ambiguum, & illa stabat in tenebris ad dextrum latus altaris. Postremo me sic dejecerat oratio prioris mystagogi, ut non auderem oculos attollere. ME. Istius igitur profectionis non erat admodum lætus exitus. OG. Imo multo lætissimus. ME. Reddidisti animum: nam mihi quoque cor in genua deciderat, ut tuus loquitur [1] Homerus. OG. A prandio repetimus templum. ME. Audebas, suspectus sacrilegii? OG. Fortassis, sed ipse mihi suspectus non eram. Nescit pavorem mens sibi bene conscia. Trahebat me tabulæ visendæ cupiditas, ad quam mystagogus nos relegarat. Eam diu quæsitam tandem invenimus: verum in alto defixam, ut non quibusliber oculis legi posset. Mihi tales sunt oculi, ut nec [2] lynceus dici possim, nec omnino [3] luscitosus. Itaque legentem Aldrisium oculis obiter affectatus sum, nec illi satis fidens in re tanta. ME. Excussa est omnis dubitatio? OG. Puduit me mei, qui [4] subdubitassem; adeo res tota illic ponebatur ob oculos; nomen, locus, res ut erat ordine gesta: breviter, nihil omissum. Dictus

1 Loquitur ita Homer. Iliad. Ο Τάρβησαν, πᾶσιν δὲ παρὰ πόσι κάππεσε θυμός. Id est, *Expaverunt, omnibus autem in pedes decidit animus.*

2 Qui acutissimo visu pollet, dicitur *Lynceus.* Alii derivant a animali, quod omnium quadrupedum clarissime cernere dicitur, & *Lynx* appellatur, alii a *Lynceo* quodam, qui primus fodinas metallorum perscrutatus est.

3 *Luscitosus*, vel *luscitiosus* dicitur, qui propius admota oculis videt, remota vero non.

4 *Sub* in compositione non raro diminuit, *Subdubitassem*, i. e. aliquantulum dubitassem.

1 Con-

ctus est Gulielmus Lutetiæ natus, vir pius cum alias, tum præcipue religiosus in conquirendis toto orbe divorum reliquiis. Is peragratis regionibus plurimis, monasteriis ac templis undique lustratis, tandem pervenit [1] Constantinopolim. Nam hujus Gulielmi frater illic agebat Episcopum. Is jam adornantem reditum, admonuit esse virginem quandam Deo dicatam, quæ lac haberet Virginis matris; abunde felicem futurum si vel precario, vel pretio, vel arte portionem aliquam posset nanciscì. Nam cæteras reliquias omnes, quas hactenus collegerat, [2] nihil esse ad tam sacrum lac. Ibi Gulielmus non conquievit, donec exorat dimidium ejus lactis. Eo thesauro plus quam [3] Crœsus sibi videbatur. ME. Quid ni? & quidem præter spem. OG. Recta domum properat: in itinere morbus occupat. ME. Ut nihil est in rebus humanis nec diu, nec undiquaque felix. OG. Ubi videt periculum, accersit clam Gallum fidissimum ejus peregrinationis comitem, & religiose [4] stipulatur silentium. Committit illi lac, ea lege, ut si incolumis domum redeat, deponat eum thesaurum in ara divæ Virginis, quæ colitur Lutetiæ in augusto templo, utrinque [5] Sequanam præterlabentem intuens: & amnis ipse videtur honoris gratia decedere numini Virginis. Ut rem in pauca conferam, sepultus est Gulielmus: alter properat, & hunc morbus corripit. Is desperans sui; tradit Anglo comiti lac, sed multis obtestationis adstricto, ut faceret, quod fuerat ipse

1 Constantinopolis, dicta quasi urbs Constantini, sita est in finibus Thraciæ, olim Byzantium appellata. Hodie Imperatoris Turcarum sedes.

2 Esse nullius pretii præ isto lacte.

3 Crœsi Lydorum regis opulentia apud Græcos in proverbium abiit. Hinc *Crœso ditior.*

4 Stipulatur, qui promissum accipit.

5 *Sequana*, Gallis *Seine*, fluvius Galliæ est admodum fœcundus & saluber, mediam Lutetiam intersecans.

ipse facturus. Moritur hic; recipit ille, & in aram deponit lac canonicis ejus loci præsentibus, qui tum temporis adhuc dicebantur regulares, quales adhuc sunt [1] apud Divam Genovefam. Ab his impetravit lactis dimidium. Id delatum in Angliam, tandem in [2] Parathalassum detulit, huc vocante mentem illius [3] afflatu spiritus. ME. Pulcre certe sibi constat hæc narratio. OG. Imo ne qua residere posset dubitatio, adscripta erant nomina episcoporum [4] à suffragiis, quia lac illud invisentibus non absque munusculo, tantum impartierunt [5] relaxationis, quantum [6] ex suo dimenso largiri possunt. ME. Quantum id est? OG. Dierum quadraginta. ME. Etiam apud inferos [7] dies est? OG. Certe tempus est. ME. Ubi totum hoc dimensum semel fuerint elargiti, non supereſt quod largiantur? OG. Minime. [8] Subscatet enim subinde

1 *Apud divam Genovefam*, id est, in templo Petri & Pauli, quod est Lutetiæ constructum anno 499. à Clodoveo, hortatu istius Genovefæ, quam divam vocant, ibi sepultæ anno 521.

2 Respice initium hujus Colloquii.

3 Instinctu. Metaph. à ventis, qui cum navium vela implent, afflare vel aspirare dicuntur.

4 Qui sunt à suffragiis, i. e. qui suffragia dant.

5 Scil. è Purgatorio.

6 Id est, *ex modo præscripto*. Nam Pontifex Romanus tantum relaxationis concedit, quantum velit, Episcopis vero certum modum præscripsit. *Dimensum* vel *demensum* erat certa mensura frumenti, ex quaternis modiis constans, quam servi in mensis totius victum singulis mensibus à Dominis accipiebant; ita dictum à *demetiendo*. Vide Terent. in Phorm. Act. 1. Sc. 1. *Quod ille unciatim vix de demenso suo suum defraudans genium comparsit miser.*

7 Rider autor dementiam eorum, qui credunt ab istis veteratoribus ecclesiasticis, animulis suis relaxationem aliquot dierum in Purgatorio posse concedi. Hinc rogat, cum apud inferos nullus sit dies, quomodo per aliquot dies relaxatio dari possit? Adversus has fraudes agit quoque in libro 2. *Eccles.* sive *de ratione concion. Nihil erat necesse in ceremoniis Mosen imitari. Nec ista fiunt gratis, verum hic est episcoporum à suffragiis quæstus præcipuus, &c. Idem accidit in Pontificum condonantibus. Principio pauci dies relaxabantur de satisfactione ab ecclesia præscripta, &c. verum res paulatim inundavit, ut quamvis, levissimo de causis majus spatium relaxaretur, imo nulla de causa: si vel conducticius episcopus moveret manum. Postremo relaxationes dilatatæ sunt usque ad Purgatorium. Hinc jam quæstus uberrimus; ac per falsos NB. Prophetas persuasum est populo, nummo in rubrum scrinium conjecto omnes abstersas esse maculas, Romanoque Pontifici esse in manu animas quas velit, aut quot velit, ex igni purgatorio in cœlum eximere.*

8 Paulatim denuo affluit.

1 *Dolium*

inde quod dent, ac plane diversum quiddam accidit heic atque in dolio [1] Danaidum. Illud enim cum continenter impleatur, semper tamen inane est: hinc si semper haurias, nihilo tamen minus est in dolio. ME. Si centum hominum millibus largiantur [2] quadraginta, singuli tantundem habent? OG. Tantundem. ME. Et si qui ante prandium acceperunt quadraginta, rursus sub cœnam poscèrent quadraginta, præstone esset quod daretur? OG. Imo si hora eadem decies. ME. Utinam mihi tale scriniolum esset domi; non optarim nisi tres drachmas, modo sic scateant. OG. Quin optas ut totus fias aureus, tantundem accepturus ex voto. Verum ad fabulam redeo. Addebatur & illud pii cujusdam [3] candoris argumentum: lac Virginis, quod aliis compluribus in locis ostendebatur, satis quidem esse venerandum; hoc tamen cæteris esse venerabilius, quod illa abraderentur à saxis, hoc ex ipsis Virginis uberibus effluxisset. ME. Unde id constabat? Oh! narrarat hoc Virgo Constantinopolitana quæ lac dederat. ME. Et illi fortasse communicarat divus [4] Bernardus. OG. Sic arbitror. ME. Cui natu grandi [5] contigit gustare lac ex eadem mamma, quam suxit puer Jesus. Unde miror, illum

1 *Dolium Danaidum*, proverbium est in eos, qui frustra laborant, & operam perdunt, item in avaros, & prodigos. Ejus origo hæc est. Danaus Belinius Argivorum Rex (à quo postea & ipsi Græci Danai appellati) quinquaginta genuit filias, ab avi nomine Belides, à patris vero Danaides dictas. Quas, cum una nocte maritos suos interfecisset, præter unam Hypermnestram, quæ Lyncæum maritum servavit, hoc apud inferos supplitio plecti Poetæ fingunt, ut assidue aquam in dolium pertusum inferre cogantur.

2 Scil. dies relaxationis è Purgatorio.

3 Sinceritatis.

4 Fuit hic Bernhardus, natus Castellione Burgundiæ oppido, Cisterciensis ordinis propagator, dein Clarevallensis Abbas. Vixit vitam monachicam cum aliquot sociis, circa annum à Christo nato M. CXV. Multa scripsit stylo suavi, unde mellifluus dictus.

5 Ironice refert autor fabulam Pontificiam de Bernardo.

lum mellifluum dici potius quam lactifluum. Sed quomodo lac Virginis dicitur, quod non fluxit ex uberibus? OG. Fluxit & illud, sed laxo, cui forte lactans insidebat, excretum concrevit; deinde volente Deo sic multiplicatum est. ME. Recte. Perge. OG. His itaque peractis, dum paramus abitum, obambulantes interim, & si quid offerretur spectatu dignum circumspectantes, rursum adsunt myitagogi; [1] limis intuentur, digito subnotant, accurrunt, abeunt, recurrunt, nutant, videbantur compellaturi, si fuisset audaciæ satis. ME. Nihil ibi metuebas? OG. Imo faciem illis obverti, sic arridens & intuens, quasi ad compellandum invitarem. Tandem unus aggressus, rogat quod mihi nomen esset: [2] edo. Num is essem, qui ante biennium affixit votivam tabellam litteris Hebraicis? Fatebar esse me. ME. Scribis Hebraice? OG. Minime; sed isti quidquid non intelligunt, Hebraicum vocant. Mox accersitus, ut conjicio, venit illius collegii [3] πρῶτος ὕστερος. ME. Quod istuc dignitatis nomen est? Non habent [4] abbatem? OG. Non. ME. Cur ita? OG. Quia nesciunt Hebraice. ME. Non episcopum? OG. Nequaquam. ME. Quam ob rem? OG. Quia Virgo pauperior etiamnum est, quam ut emat [5] pedum ac [6] mitram nimio venalem. ME. Non saltem Præpositum? OG. Ne id quidem. ME. Quid obstat? OG. Quia Præpositus dignitatis est nomen,

1 Scil. oculis, id est, oculis obliquis, ac semiclausis.

2 Dico, effero, pronuntio.

3 Πρῶτος ὕστερος, id est, primus posterus, sic vocat autor eum, qui in hoc collegio erat dignitate proximus illi, quem Priorem dicunt.

4 Forte enim nomen Abbatis derivant à vocabulo Syro *Abbas*, quod patrem significat.

5 *Pedum* proprie est pastoralis baculus, vel virga incurva, qua pecudum pedes detinentur. Ita Virgil. in Bucol. *At tu sume pedum.* Hic intellige Episcopalem baculum.

6 *Mitra* Gr. μίτρα, cingulum & fasciam significat. Hoc loco intellige tegumentum capitis quo Episcopi, Abbates aliique ecclesiastici Papicolæ, utuntur.

nomen, non sanctimoniæ. Et ideo canonicorum collegia nomen abbatis rejiciunt, Præpositi libenter amplectuntur. ME. Atqui πρῶτος ὕστερος antehac audivi numquam. OG. Næ tu magnopere rudis es[1] grammatices. ME. [2]Ὑστερόπρωτον novi in [3] tropis. OG. Teneo. Hic qui Priori proximus est, Prior est posterior. ME. [4]Suppriorem dicis. OG. Is me salutavit satis humaniter. Narrat quantopere laudatum sit à multis, ut versus eos legerent: quot frustra extersa perspicilla. Quoties advenisset aliquis vetustus Theologiæ, aut Juris Doctor, adductus est ad tabellam: alius dicebat esse litteras Arabicas, alius fictitias: tandem repertus est qui legeret titulum. Is descriptus erat verbis ac litteris Romanis, sed majusculis. Græci versus erant descripti Græcis majusculis, quæ prima specie, videntur referre majusculas Latinas. Rogatus descripsi sententiam carminum Latine, verbum verbo reddens. Hujus opellæ cum præmiolum oblatum constanter recusarem, affirmans nihil esse tam arduum, quod in Virginis sanctissimæ gratiam non essem cupidissime facturus, etiamsi litteras juberet illinc perferre Hierosolymam. ME. Quid opus te [5] grammatophoro, cum illi tot angeli adsint [6] à manibus atque [7] à pedibus? OG. Ille protulit è crumena ligni fragmentum desectum è trabe, in qua Virgo mater visa est consistere. Odor mirus protinus arguebat esse rem [8] oppido sacram. Ego vero tam insigne munus pronus & nudato

1 Attis Grammaticæ.

2 Ὑστερόπρωτον Grammatici vocant, cum in oratione quod natura prius est, posterius refertur.

3 Τρόπος, à verbo τρέπω, verto, est rhetoribus elocutio, quæ vocem à nativa significatione immutat.

4 Quem mox *protonhysteron* vocavit, nunc barbare *Suppriorem* nominat.

5 Γραμματόφορος, vel γραμματοφόρος, litterarum lator, Tabellarius.

6 Qui pro ea epistolas scribant.

7 Quorum pedibus utitur, vel qui illius epistolas ferant.

8 *Oppido* adverbium, pro *valde*, vel multum. Originem reviſe pag. 10.

1 Jam

to capite, summa cum veneratione terque quaterque exosculatus, reposui in crumenam. ME. Licet ne videre? OG. Per me quidem licebit. Cæterum si jejunus non es, aut si nocte proxima[1] fuit tibi res cum uxore, non suaserim ut videas. ME. Ostende: nihil periculi. OG. En tibi. ME. O te beatum isto munere! OG. Ego, ne is insciens, non permutarim hoc tantillum fragmentulum cum universo auro[2] Tagi: includam auro, sed sic ut per crystallum pelluceat. Tum Hysteroprotus ubi me videt tam religiose gestientem eo munusculo, judicans non indignum, cui majora quoque committerentur, rogat, num quando vidissem secreta Virginis. Ea vox me nonnihil commovit; non tamen ausus sum percunctari, quæ diceret secreta Virginis. Siquidem in rebus tam sacris etiam linguæ lapsus non vacat periculo. Nego me vidisse, sed videndi cupidissimum esse dico. Inducor jam velut[3] afflatus numine. Accenditur una atque altera tæda cerata: ostenditur imaguncula nec magnitudine, nec materia, nec opere præcellens, sed virtute pollens. ME. Moles non multum habet momenti ad edenda miracula. Vidi[4] Christophorum Lutetiæ, non [1] hama-

1 Jam olim superstitio, ex ethnicis orta, inter Christianos grassata est, ut non liceret iis rem sacram facere, aut sacrum quid statim aspicere, si cum uxoribus consueverant. Gregorius M. Respons. ad Quæst. X Aug. Episcop. Aug. *Vir cum propria conjuge dormiens intrare ecclesiam non debet, sed neque lotus intrare statim debet.* Paulo post *Et quamvis de hac re diversæ hominum nationes diversa sentiant atque custodire videantur, Romanorum tamen semper ab antiquioribus usus fuit, post admixtionem propriæ conjugis & lavacri purificationem ab ingressu ecclesiæ paulatim reverenter abstinere.* Sed quanto rectius (*sunt verba doctissimi Grævii in lectionibus Hesiodeis*) sapiens illa fœmina, cum consuleretur, quando post concubitum liceret mysteriis interesse, respondit: si cum tua uxore rem habuisti, statim, si cum aliena, nunquam.

2 *Tagus* Lusitaniæ fluvius auriferas arenas volvit.

3 Respice pag. 478.

4 Rursum autor naso suspendit adunco Gigantem illum divum Christophorum, quem navigantes implorant papicolæ, quod Christum humeris per mare portasse dicatur. De hujus portentosa statua, quæ colitur Lutetiæ: vide *Naufragium*.

[1] hamaxiæum aut [2] colosseum, sed monti justo parem; nullis tamen illic miraculis nobilem, quod quidem audierim. OG. Ad pedes Virginis est gemma, cui nondum apud Latinos aut Græcos nomen inditum: Galli à bufone dederunt nomen, eo quod bufonis effigiem sic exprimat, ut nulla ars idem possit efficere. Quodque majus est miraculum, pusillus est lapillus; non prominet bufonis imago, sed in ipsa gemma velut inclusa pellucet. ME. Fortassis imaginantur bufonis similitudinem; quemadmodum infecta [3] filicis stirpe imaginamur aquilam. Et quemadmodum pueri, quid non vident in nubibus? Dracones ignem spirantes, montes igni candentes, armatos [4] concurrentes. OG. Imo ne sis nescius, nullus bufo vivus evidentius exprimit seipsum, quam illic erat expressus. ME. Hactenus [5] pertuli fabulas tuas; post hac alium quære, cui persuadeas de bufone. OG. Nihil mirum est, Menedeme, te sic affectum esse. Nec mihi quisquam persuasurus erat, etiamsi totus ordo Theologorum asseverasset, nisi his oculis, hisce, inquam, oculis vidissem, intuitus essem, comperissem. Sed interim mihi videris satis incurius rerum naturalium. ME. Quam ob rem? Quia non credo volare asinos? OG. An non vides, quam ludat artifex natura in omnium rerum coloribus ac formis exprimendis, cum aliis quidem in rebus, sed præcipue in gemmis? Deinde quam admirandas vires gemmis illis indiderit, prorsus incredibiles,

1 Ἁμαξιαῖα, onera Græcis dicuntur prægrandia, quæ plaustrum implent, à voce ἅμαξα vel ἁμαξα plaustrum currus.

2 Κολοσσαῖα simulacra dicuntur, quæ tantæ molis sunt, ut videantur pares isti Colosso ingenti, in portu Rhodiensi olim ex ære fuso, & inter septem orbis miracula habito, unde & quævis imagines immensæ magnitudinis Colossi dictæ sunt.

3 Filix herba, dicta (ut volunt) quasi minus felix arvis. Hujus radix, transversim secta, aquilam volantem exprimit.

4 Invicem irruentes.

5 Patienter audivi.

les, ni cominus experientia faceret nobis fidem? Dic mihi, crediturus eras chalybem intactum à magnete attrahi, & rursus ab eodem depelli sine contactu, nisi vidisses oculis? ME. Profecto nunquam, etiam si decem Aristoteles mihi dejerassent. OG. Ne protinus igitur fabulosum clames, si quid audis nondum experimento compertum. In [1] ceraunia fulminis videmus imaginem, in [2] pyropo vivum ignem; in [3] chalazia grandinis & speciem & rigorem, etiamsi conjicias in medium ignem: in [4] smaragdo profundas ac pellucidas maris undas: [5] carcinias cancri marini speciem imitatur, [6] echites viperæ, [7] scarites scari pisces, [8] hieracites accipitris, [9] geranites gruis collum effictum exhibet; [10] ægophthalmus caprinum oculum ostendit: est qui suillum, est qui tres simul hominis oculos: [11] lycophthalmus lupi pingit oculum quatuor coloribus, rutilo & sanguineo, in medio nigrum candido cingitur: [12] cyameam nigram si aperias, fabam in medio reperies: [13] dryites truncum arboris effingit, & ligni in modum ardet quoque: [14] cissites & [15] narcissites hede-

1 *Ceraunia*, seu *Ceraunius lapis*, à Gr. κεραυνος, *fulmen*.

2 *Pyropus*, gemma sic dicta ab igneo fulgore, à Gr. πῦρ, πυρὸς *ignis*.

3 *Chalazias*, gemma sic dicta, quod grandinis figuram & colorem referat, à Gr. χάλαζα, *grando*.

4 *Smaragdus*, Græce Σμάραγδος vel μάραγδος, à verbo μαρμαίρω splendeo, gemma est viridis.

5 *Carcinias* gemma sic dicta, quod cancri speciem præ se ferat, à Gr. καρκίνος, *cancer*.

6 *Echites*, gemma viperæ figuram referens, à Gr. ἔχις, *vipera*.

7 *Scarites* gemma dicta à pisce, qui veteribus *Scarus* appellatus fuit.

8 *Hieracites*, gemma dicta à colore accipitris, qui Gr. ἱέραξ.

9 *Geranites*, gemma sic dicta, quod gruis collum referat, à Gr. γέρανος, *grus*.

10 *Ægophthalmus*, gemma sic dicta ab oculo caprino, αἴξ Gr. *caper*, & ὀφθαλμὸς *oculus*.

11 *Lycophthalmus* gemma, quæ lupi oculum exhibere videtur, λύκος Gr. *lupus*, & ὀφθαλμὸς, *oculus*.

12 *Cyamea* gemma nomen habens à Gr. κυαμος, *faba*.

13 *Dryites* gemma sic dicta à Gr. δρῦς, *arbor*.

14 *Cissites* dicta est gemma à Gr. κισσὸς, *hedera*.

15 *Narcissites* gemma dicitur, quæ Narcissi colorem refert, & venas hederæ distinctas.

hederam pingit; [1] astrapias fulminis radios è medio candido seu [2] cyaneo jaculatur; [3] phlegontites incendium intus ostendit, quod non exeat: in [4] anthracitide videas scintillas quasdam discurrere: [5] crocias croci colorem reddit; [6] rhodites rosæ; [7] chalcites æris: [8] aëtites aquilam exprimit, cauda candicante: [9] taos pavonis picturam habet: [10] chelidonia aspidis: [11] myrmecites innatam habet formicæ repentis imaginem: [12] cantharias scarabeum totum exprimit: [13] scorpites scorpium mire depingit. Sed quid ego hæc persequor, quæ sunt innumera, cum nulla sit naturæ pars vel in elementis, vel in animantibus, vel in plantis, quam illa veluti faciviens non expresserit in gemmis? Miraris in hac gemma bufonem expressum? ME. Miror naturæ tantum esse otii, ut sic ludat omnium rerum imitatione. OG. Voluit exercere curiositatem humani ingenii, nosque vel sic ab otio propellere. Et tamen quasi nihil sit, quo fallamus tædium temporis, [14] insanimus in [15] moriones, in aleas, in [16] præstigiarum ludibria. ME. Verissima prædicas. OG. Addunt quidam non

1 *Astrapias* gemma fulgur imitans, à Gr. ἀστραπὴ, *fulmen.*

2 *Cyaneus* idem quod *Cæruleus.* Nam Cyanus gemma coloris cærulei est

3 *Phlegontites* gemma, quæ urere videtur, à Gr φλέγω, *uro.*

4 *Anthracitis* gemma intus quasi prunam ostendens, à Gr. ἄνθραξ, *carbo.*

5 *Crocias* gemma croci colorem referens.

6 *Rhodites* gemma rosei coloris, à Gr. ῥόδον, *rosa.*

7 *Chalcites* a χαλκὸς, *æs.*

8 *Aëtites* à Gr. ἀετὸς, *aquila.*

9 *Taos* a Gr. ταὼς, *pavo.*

10 *Chelidonia*, significat Aspidis genus. Hinc & *Chelidonia* gemma est, aspidem referens. Alioquin *chelidonia* herba est, de qua vide annotata in Colloq. *conviv. relig* item ventus, qui & favonius, dicitur

11 *Myrmecites* gemma sic dicta à Gr. μύρμηξ, *formica.*

12 *Cantharias* à Gr. κάνθαρος, *scarabeus.*

13 *Scorpites* à Gr. σκόρπιος, *scorpius.*

14 *Insanimus in moriones* &c. Id est, *non sine magna insania amamus.*

15 *Moriones* sunt ficti stulti, qui ut risum excitent principibus in deliciis esse solent

16 *Præstigiæ*, vanarum rerum species.

1 *Nu-*

non leves, hoc gemmarum genus si admoveas aceto, innatare motis etiam membris. ME. Cur bufonem addunt Virgini? OG. Quia hæc spurcitiem omnem, virulentiam, fastum, avaritiam, & quidquid est terrenarum cupiditatum, vicit, calcavit, extinxit. ME. Væ nobis, qui tantum bufonem geramus in pectore! OG. Puri erimus, si sedulo colamus Virginem. ME. Quomodo gaudet coli? OG. Gratissimum illi cultum præstiteris, si fueris imitatus. ME. [1]Numero dixisti; sed istuc perdifficile est. OG. Est sane, sed idem pulcherrimum. ME. Age, perge, quod cœperas. OG. Deinde commonstrat aureas argenteasque statuas. Hæc, inquit, mere aurea est, hæc argentea inaurata: addit singulis pondus, pretium, ac doni auctorem. Cum ad singula mirabundus gratularer Virgini tam beatam opulentiam; mystagogus, Quoniam, inquit, video te pium spectatorem, non arbitror æquum, ut te quidquam celem; videbis quæ Virginis sunt secretissima: simulque depromit ex ipso altari [2] mundum rerum admirabilium; cujus singulas partes si pergam recensere, dies hic non sufficerit narrationi. Sic illa sane peregrinatio mihi felicissime cessit. Expletus sum affatim spectaculis, & hoc inæstimabile donum mecum aufero pignus ab ipsa Virgine datum. ME. Nullumne fecisti periculum quid valeat lignum tuum? OG. Feci: in diversorio quodam ante triduum reperi quendam mente captum, cui jam parabantur vincula; lignum hoc suppositum est illius cervicali, clam ipso; obdormit somno profundo pariter ac prolixo: mane surrexit integræ mentis. ME. Non fuerat

[1] phrene-

1 *Numero*, id est expedite, & compendio.

2 Ornatum muliebrem. Vide supra.

1 phrenēsis, sed 2 paroenia fortassis. Huic malo solet mederi somnus. OG. Cum libebit jocari, Menedeme, fac aliam tibi quæras materiam; in divos jocis ludere, nec pium est, nec tūtum. Imo vir ipse narrabat sibi in somnis apparuisse mulierem admiranda specie, quæ poculum ipsi porrexerit. ME. 3 Elleborum, opinor. OG. Istuc incertum est; illud certissimum, hominem mentis esse compotem. ME. Præteristi 4 Thomam Cantuariensem Archiepiscopum. OG. Minime gentium. Nulla peregrinatio religiosior. ME. Audire gestio, nisi molestum est. OG. Imo te quæso, ut audias. 5 Cantium dicitur ea pars Angliæ, quæ Galliam & Flandriam spectat. Hujus 6 metropolis est 7 Cantuaria. In ea sunt duo monasteria pene contigua; utrumque 8 Benedictinos habet. Id quod habet divi Augustini titulum, videtur antiquius: hoc quod nunc appellatur divi Thomæ, sedes

1 *Phrenesis* Gr. φρενῖτις, mentis delirium est, seu inflammatio membranarum cerebri, acutam febrem, & mentis perturbationem inducens.

2 *Paroenia* Gr. παροινία, ebrietas, vel deliratio ex vino.

3 *Elleborus* vel *Helleborus*, herba purgandi vim habens, alio nomine Latinis *veratrum*.

4 Est hic Thomas Becker (de cujus sumtuosissimo sepulcro apud Britannos loquitur autor in convivio relig.) qui obscuris parentibus Londini natus, irrepserat in familiam Theobaldi Cantuariensis Episcopi, à quo ipse ad Archidiaconatum evectus, dein liberorum Henrici secundi Angliæ regis pædagogus, mox Cancellarius regni factus, post Theobaldi obitum Archiepiscopatum Cantuariensem adeptus est. In hoc vero dignitatis gradu Angliam pessimis factionibus turbavit infligans Pontificem Romanum in Regem suum promotorem, qui quosdam ecclesiasticos contumaces ad supplicium postulabat. Ergo iste seditiosus Thomas Becker primum à rege in exilium missus, dein ope Pontificis Romani, minitantis fulmen in Henricum, restitutus in Archiepiscopatum, tandem cum iterum iterumque regi suo turbas excitaret, à quibusdam conjuratis equitibus in templo cathedrali, quod hic autor descripturus est, gladiis trucidatus est anno 1170. Papicolæ hominem adscripsetunt ordini divorum, ejusque diem festum quotannis 11. Kal. Januar. celebrant.

5 *Cantium*, vulgo *Kent*.

6 Μητροπολις, quasi urbium aliarum mater. Urbs primaria.

7 *Cantuaria*, Anglis *Canterbury*.

8 Monachi Benedicti regulam secuti. Vide *Colloq. senil.* pag. 338.

1 *Præsul*,

des archiepiscopi fuisse videtur, ubi cum paucis electis monachis vitam ageret; quemadmodum & hodie [1] præsules habent ædes ecclesiæ contiguas, sed ab ædibus reliquorum canonicorum semotas. Olim enim fere tum episcopi, tum canonici monachi erant. Id arguunt manifesta rerum vestigia. Templum autem divo Thomæ sacrum tanta majestate sese erigit in cœlum, ut procul etiam intuentibus religionem incutiat. Itaque nunc suo splendore vicini luminibus officit, & locum antiquitus religiosissimum velut obscurat. Turres sunt ingentes duæ, procul veluti salutantes advenas, miroque nolarum ænearum boatu longe lateque regionem vicinam personantes. In vestibulo templi, quod est ad austrum, stant saxo sculpti tres armati, qui manibus impiis virum sanctissimum trucidarunt: addita sunt gentis cognomina, [2] Tusci, Fusci, Berri. ME. Cur tantum honoris habetur impiis? OG. Videlicet idem honoris habetur iis, quod habetur Judæ, Pilato, Caiphæ, cohorti militum sceleratorum, quos operose sculptos vides in auratis altaribus. Adduntur cognomina, ne quis posthac usurpet gloriæ caussa. Ingeruntur oculis, ne quis aulicus posthac injiciat manus vel in episcopos, vel in possessiones Ecclesiæ. Nam tres illi satellites à peracto facinore [3] versi sunt in rabiem, nec reddita mens est, nisi implorato Thomæ sanctissimi favore.

1 *Præsul*, olim Sacerdos Martis, qui præ aliis sacerdotibus, à saltando *Salius* dictis, saltabat. Pontificiis primarius sacerdos.

2 Forte hæc nomina fingit autor. Baker in Chronico Angliæ non tres, sed quatuor equites fuisse affirmat, qui hominem gladiis trucidarunt: Horum nomina sunt *Reinold Enbunse*, seu *Beirenson*, *Hugh Morvil*, *Willem Tracy* & *Richard Britton*.

3 Hæc jocose narrat. Illi enim equites, qui Thomam necaverant, ut quidam narrant, a Pontifice veniam perpetrati facinoris consecuti sunt: alii vero scriptores Angliæ affirmant eos ipsi Regi invisos intra triennium periisse.

favore. ME. O perpetuam [1] martyrum clementiam! OG. Ingressis aperit sese spatiosa quædam ædificii majestas. Ea pars quoslibet recipit. ME. Nihilne illic visendum? OG. Nihil præter structuræ molem, & libros aliquot columnis affixos, in quibus est [2] Evangelium Nicodemi, & sepulcrum nescio cujus. ME. Quid deinde? OG. Cancelli ferrei sic arcent ingressum, ut conspectum admittant ejus spatii quod est inter extremam ædem & chori, quem vocant, locum. Ad hunc conscenditur multis gradibus, sub quibus [3] testudo quædam aperit ingressum ad latus Septentrionale. Illic ostenditur altare ligneum divæ Virgini sacrum, pusillum, nec ulla re visendum, nisi monumento vetustatis luxum hisce temporibus exprobrante. Illic vir pius dicitur extremum vale dixisse Virgini, cum mors immineret. In ara est cuspis gladii, quo præfectus est vertex optimi præsulis, ac cerebrum contusum, videlicet quo mors esset præsentior. Hujus ferri sacram rubiginem amore martyris religiose sumus exosculati. Hinc digressi subimus [4] cryptoporticum; ea habet suos mystagogos. Illic primũ exhibetur calvaria martyris perforata; reliqua tecta sunt argento, suma cranii pars nuda patet [5] osculo. Simul ostenditur plumbea lamina, Thomæ Acrensis titulum habens insculptum.

1 Μάρτυρ testis: sed apud Christianos peculiariter μάρτυρες dicuntur, qui & ore & sanguine doctrinam Christi sanciverunt.

2 Præter alia Evangelia, Protevangelia, similiaque prodigiose mentita scripta, prodiit & Evangelium Nicodemi, Pharisæi illius, qui venerat ad Christum noctu, ut ab eo institueretur. Vid. Joan. 3. v. 2 & 3. In opusculo meo de Græcæ, Latinæ & Belgicæ lingua amœnitatibus, de hujusmodi commentis egi capite XXII.

3 Præterquam quod *Testudo* significat animal illud tardigradum, & instrumentum musicum, machinam bellicam, & militum globum, etiam sumitur, veluti hoc loco, pro fornice, seu arcuato ædificio, ad modum testitudinis.

4 *Cryptoporticus* est porticus subterranea, à κρυπτὸς, occultus.

5 Ut quis eam osculari possit.

ptum. Pendent ibidem in tenebris induſia [1] cilicina, cingula, ſubligariaque, quibus antiſtes ille ſubigebat carnem ſuam, ipſo adſpectu horrorem incutientia, nobiſque mollitiem ac delicias noſtras exprobrantia. ME. Fortaſſis & monachis ipſis. OG. Iſtac de re nec affirmare poſſum, nec negare; nec refert quidem mea. ME. Vera narras. OG. Hinc redimus in chori locum. Ad latus Septentrionale reſerantur arcana: dictu mirum, quantum oſſium illinc prolatum ſit, calvaria, menta, dentes, manus, digiti, integra brachia, quibus omnibus adoratis fiximus oſcula; nec erat futurus finis, niſi qui mihi tum comes erat ejus peregrinationis parum commodus, interpellaſſet oſtentandi ſtudium. ME. Quis iſte? OG. Anglus erat nomine Gratianus Pullus, vir eruditus ac pius, ſed minus affectus erga partem hanc [2] religionis, quam ego volebam. ME. [3] Viclevita quiſpiam, opinor. OG. Non arbitror; etiamſi libros illius legerat, incertum unde nactus. ME. Is offendit myſtagogum? OG. Prolatum eſt brachium adhuc carnem habens ſanguinolentam; hujus oſculum exhorruit, ac vultu quoque tædium quoddam præ ſe ferebat. Mox ſua recondidit myſtagogus. Hinc ſpectavimus altaris tabulam & ornamenta, mox

1 Ex cilicio facta. Veſtis quæ ex hircorum vel capellarum pilis fit, vocatur *cilicium*, quod ejus uſus in Cilicia ortus ſit.

2 Immo ſtultiſſimæ ſuperſtitionis.

3 Tempore quo hæc ſcripſit Eraſmus, in Anglia *Viclevitæ* dicebantur quotquot à dogmatibus pontificiis deflectebant, & religionem Chriſtianam ab eccleſiaſticorum fraudibus repurgatam profitebantur, nomine admodum inviſo, atque atro carbone notato. Nam Joannes Vicleſus, à quo cæteri Viclevitæ appellati ſunt, ſtrenuus Romani Pontificis adverſarius, poſt longum exilium, carceres & perſecutiones obiit in Anglia anno 1387. Verum oſſa ejus, poſtquam jam annos plus quadraginta ſepultus fuiſſet, juſſu Pontificis carnifex ſepulchro eruta concremavit, & ne quid de tam inſigni, ſi diis placet, hæretico, ſupereſſet, cinſeres in ventos diſperſit.

mox quæ sub altari fuerant recondita, opulenta omnia: diceres [1]Midam [2] & Crœsum fuisse mendicos, si spectares vim auri atque argenti. ME. Heic nihil [3] osculorum? OG. Non, sed aliud votorum genus tetigit animum meum. ME. Quodnam? OG. Suspirabam domi meæ nihil esse talium reliquiarum. ME. Sacrilegum votum. OG. Fateor; & supplex veniam precatus sum à divo prius quam pedem efferrem templo. Post hæc ducimur in [4] sacrarium. Deus bone, quæ illic pompa vestium holosericarum, quæ vis candelabrorum aureorum? Ibidem vidimus [5] pedum divi Thomæ. Videbatur arundo lamina argentea obvestita: minimum erat ponderis, nihil operis, nec altius quam usque ad cingulum. ME. Nulla crux? OG. Nullam vidi. Ostensum est pallium, holosericum quidem, sed crasso filo, nullo auro gemmisve insigne. Aderat & sudarium, sudoris ex collo contracti, manifestasque sanguinis notas retinens. Hæc vetustæ frugalitatis monumenta libenter sumus exosculati. ME. Ista non ostenduntur quibuslibet? OG. Nequaquam, ô bone. ME. Unde tibi tantum est habitum fidei, ut nihil arcani celaretur? OG. Erat mihi nonnihil notitiæ cum [6] R. P. Gulielmo

1 Midas rex, quod Silenum à Phrygibus captum, Baccho reddidisset, impetravit ab eo veniam petendi quidquid vellet, & nimium avidus petiit, ut quæcunque contigisset, aurum fierent. Id vero cum illi Bacchus concessisset, jamque omnia quæ attingebat, & cibus & potus in aurum verterentur, miser iste voto suo deceptus, petiit supplex ut restitueretur. Bacchus ejus misertus jussit ut ad flumen Pactolum perveniret, ibique se lavaret, & sic rediret in pristinum statum. Vis autem illa aurum efficiendi à Mida transiit in fluvium, qui inde aureas arenas volvere dicitur. Vide Ovid. Metamorph. lib. 9. Sic opes Midæ in proverbium abierunt.

2 Opulentissimus fuit Lydorum rex Crœsus; unde *Crœso ditior*, per amplificationem Hyperbolicam pro ditissimo.

3 Sup. datum est?

4 Ædiculam, in qua sacra servantur.

5 Respice pag. 479.

6 R. P. id est, Reverendo Patre. Hic Guliel-

lielmo Waramo archiepiscopo; is me tribus verbis commendavit. ME. Ex multis audio virum singulari præditum humanitate. OG. Quin potius dicas ipsam esse humanitatem, si noris. Jam ea doctrina, ea morum sinceritas, ea vitæ pietas, ut nullam absoluti [1] præsulis dotem in eo desideres. Ab his igitur deducimur ad superiora. Nam post altare summum rursus velut in novum templum ascenditur. Illic in sacello quodam ostenditur tota facies optimi viri inaurata, multisque gemmis insignita. Heic casus quidam inopinatus pene totam illam felicitatem interturbavit. ME. Exspecto quid mali dicas. OG. Heic minimum inuit gratiæ comes meus Gratianus. Is à precatiuncula rogavit mystagogum assessorem: Heus: inquit, bone pater, verumne est, quod audio, Thomam dum viveret, fuisse benignissimum erga pauperes? Verissimum, inquit ille, cœpitque multa de illius erga [2] tenues beneficentia commemorare. Tum

Gulielmus Waram sub Henrico VIII. Angliæ rege Cancellarius, ut vocant, & Archiepiscopus Cantuariensis obiit anno 1532. Erasmus noster inscripsit illi dedicationem duarum Euripidis tragœdiarum; Hecubæ nempe, & Iphigeniæ in Aulide, quas è Græco Latinas fecerat, ut mihi constat ex editione, ab ipso autore recognita, & typis Frobenianis vulgata anno 1530. Singulare ejus viri encomium vide in Autoris Chiliadibus, Proverb. *Ne bos quidem pereat.* Eum quoque miris laudibus prosequitur in Ecclesiaste suo, sive de ratione concionandi libro 1. *Hic mihi succurrit vir omni memoria seculorum dignus Gulielmus Waramus Archiepiscopus Cantuariensis, totius Angliæ Primas, non ille quidem titulo, sed re Theologus; erat enim juris utriusque doctor, legationibus aliquot feliciter obeundis inclaruit, & Henrico regi ejus nominis septimo, summæ prudentiæ principi, gratus, charusque factus est. His gradibus evectus est ad Cantuariensis ecclesiæ fastigium, cujus in ea insula prima est dignitas. Huic oneri per se gravissimo additum est aliud gravius. Coactus est suscipere Cancellarii munus, quod quidem apud Anglos plane regium est, atque huic uni honoris gratia quoties in publicum procedit regia corona sceptro regio impositæ gestatur. Nam hic est velut oculus, os, ac dextra regis, supremusque totius regni Britannici judex.* Dein eum plurimis verbis laudat quæ hic referre tædet; Verum si hominem nosse vis, lector, lege Gilberti Burnet, nunc episcopi Salisburiensis, historiam reformationis Anglicanæ: eam ubi perspexeris, non dicas forsan illum Waramum tantis encomiis dignum.

1 Respice pag. 487.

2 Tenuis fortunæ homines.

Tum Gratianus: Non arbitror eum affectum in illo mutatum esse, nisi forte in melius. Assensus est mystagogus. Rursus ille: Cum igitur vir sanctissimus tam liberalis fuerit in egenos, cum adhuc pauper esset, & ipse [1] præsidiis pecuniarum egeret ob corpusculi necessitatem; an non putas æquo animo laturum nunc, cum tam opulentus sit, nec ullius egeat, si qua mulier paupercula, domi habens liberos famelicos, aut filias ob dotis inopiam de pudicitia periclitantes, aut maritum morbo decumbentem, omnibusque [2] præsidiis destitutum, precata veniam, detrahat ex his tantis opibus aliquam particulam sublevandæ familiæ, velut à volente sumens vel dono, vel mutuo? Ad hæc cum nihil responderet [3] assessor capitis aurei; Gratianus, ut est vehemens, Ego, inquit, plane confido sanctissimum virum etiam gavisurum, quod mortuus quoque suis opibus sublevaret inopiam pauperum. Ibi mystagogus [4] corrugare frontem, porrigere labra, [5] Gorgoneis oculis nos obtueri: nec dubito, quin sputo, conviciisque nos ejecturus fuerit è templo, nisi cognovisset nos ab archiepiscopo commendatos. Equidem utcunque placavi blandis verbis iram hominis, negans Gratianum quidquam horum ex animo loqui, sed suo more ludere; simulque drachmas aliquot depositi. ME. Ego

1 Nam ille Thomas Becket, de quo supra diximus, quum ab Henrico Secundo Angliæ rege multatus foret exilio, interim apud Pontificem Romanum biennium, & apud Galliarum regem quinquennium latitavit, usus eorum liberalitate, atque multa adversus regem suum machinatus, ut tandem restitutus Angliam Pontificia tyrannide premeret.

2 Auxiliis.

3 Mystagogus ille, qui juxta assidebat, & totam Thomæ faciem inauratam ostendebat.

4 Quod indignationis signum est. Vide supra: *Mystagogus obducta fronte obticuit.*

5 *Oculis Gorgoneis*, id est, oculis ad horrorem incutiendum formidabilibus. Nam Gorgones tres Phorci filiæ truculento visu à Poetis finguntur, præcipue Meduſa, una ex iis, tam atrox visu ut ejus caput à Perseo amputatum homines quotquot illud conspexissent mox in lapides converteret.

1 Ba-

Ego sane tuam pietatem vehementer adprobo. Verum mihi nonnunquam serio venit in mentem, quo colore possint excusari à crimine, qui tantum opum insumunt templis exstruendis, ornandis, locupletandis, ut nullus omnino sit modus. Fateor in sacris vestibus, in vasis templi, deberi cultui solemni suam dignitatem: volo & structuram habere majestatem suam. Sed quorsum attinent tot [1] baptisteria, tot candelabra, tot statuæ aureæ? quorsum [2] organorum, quæ vocant, immensi sumtus? nec unicis interim contenti sumus: quorsum ille musicus [3] hinnitus, magno censu conducendus, [4] cum interim fratres & sorores nostræ vivaque Christi templa siti fameque contabescant? OG. In his quidem nemo vir pius ac prudens modum non desiderat: verum quoniam hoc vitium ex immodica quadam pietate nascitur, favorem promeretur, præsertim quoties in mentem venit diversus morbus istorum, qui templa suis opibus spoliant. Ista fere donantur à potentibus ac monarchis, deterius peritura in aleam ac bellum. Et si quid hinc alienes, primum habetur pro sacrilegio: deinde contrahunt manus suas qui dare solent, insuper & invitantur ad rapinam. Igitur harum rerum magis illi custodes sunt, quam domini. Denique malim videre templum sacra supellectile luxurians, quam, ut sunt quædam, nuda, sordida, stabulis equorum similiora quam templis. ME. At legimus olim lauda-

1 Βαπτισήριον lavacrum, cui Pontificiorum infantes immerguntur.

2 Ὄργανον, quod vis instrumentum verum hoc loco intellige instrumentum musicum, pro quo sæpius absolute ponitur.

3 Concentum musicum fastidiose *hinnitum* vocat, qui proprie equorum est.

4 Audi nostrum hunc autorem fere iisdem verbis in ejusmodi luxum declamantem, *Unde mihi videntur vix excusari posse à peccato capitali, qui sumtibus immodicis aut extruunt aut ornant monasteria, seu templa, quum interim tot viva Christi templa fame periclitentur, nuditate horreant, rerumque necessariarum copia discrucientur.* In *Convivio Religioso.*

laudatos episcopos, qui vasa sacra divendiderunt, eaque pecunia [1] subvenerunt egenis. Laudantur & hodie, sed laudantur tantum; imitari nec licet nec libet, opinor. ME. Remoror tuam narrationem. Nunc exspecto fabulæ [2] catastrophen. OG. Accipe; paucis expediam. Inter hæc prodiit summus ille mystagogus. ME. Quisnam? Abbas loci? OG. [3] Mitram habet, [4] census habet abbaticos; solo nomine caret, & Prior dicitur, ob id, quod Archiepiscopus abbatis loco est. Nam antiquitus quisquis erat ejus ditionis Archiepiscopus, idem erat & monachus. ME. Equidem vel camelus appellari sustineam, si census esset Abbate dignus. OG. Mihi quidem visus est vir pius juxta & prudens, neque [5] Scoticæ Theologiæ rudis. Is nobis aperuit thecam, in qua reliquum sancti viri corpus quiescere dicitur. ME. Vidisti ossa? OG. Id quidem fas non est; nec liceret, nisi admotis scalis: sed auream thecam theca contegit lignea: ea funibus sublata opes nudat inæstimabiles. ME. Quid audio? OG. Vilissima pars erat aurum: [6] gemmis raris ac prægrandibus collucebant, nitebant ac fulgurabant omnia, quædam superabant ovi anserini magnitudinem. Ibi multa cum veneratione circumstabant aliquot monachi: sublato tegumento adoravimus omnes. Prior candida virga, demostrabat

1 Opem tulerunt.

2 Καταστροφὴ, i. e. rei exitus, ἀπὸ καταστρέφω, subverto, it. finio, claudo: *fabulæ catastrophen* vocat Autor finem narrationis, quam fabulæ comparat Habet autem omnis fabula πρότασιν, id est fabulæ initium, ἐπίτασιν, quasi dicas intentionem, hoc est, vehementissimum Comœdiæ actum, qui proxime antecedit catastrophen, & καταστροφὴν quæ ultima pars fabulæ est, totius rei exitum aperit, & tumultum componit.

3 Vide quæ superius annotavimus.

4 Annuos proventus.

5 Theologiam Scoticam vocat, quæ obducta est inutilibus quæstionibus, quales orbi obtulit inter Joh. Duns Scotus, de quo sæpius supra.

6 Affirmat hoc, quod dixerat superius in convivio Religiosorum. *Quum essem apud Brittannos, vidi tumbam divi Thomæ, gemmis innumeris summaque precii onustam, præter alia miracula divitiarum.*

1 Qui

strabat contactu singulas gemmas, addens nomen Gallicum, pretium & auctorem doni. Nam præcipuas [1] monarchæ [2] dono miserant. ME. Oportuit illum esse præditum insigni memoria. OG. Recte conjectas, quanquam juvat & exercitatio; frequenter enim hoc agit. Hinc reducit in cryptoporticum. Illic domicilium habet Virgo mater, sed [3] subobscurum, semel atque iterum ferreis cancellis circumsepta. ME. Quid metuit? OG. Nihil, opinor, nisi fures. Nec enim unquam vidi quidquam divitiis onustius. ME. Cæcas mihi divitias narras. OG. Admotis lucernis vidimus plusquam regale spectaculum. ME. Vincit opibus [4] Parathalassiam? OG. Specie longe superat, [5] abstrusa novit ipsa. Hæc non ostenditur nisi magnatibus aut præcipuis amicis. Postremo reducimur in sacrarium: illic detractum est scrinium nigro contectum corio; depositum est in mensam; apertum est; mox [6] omnes flexis genibus adorarunt. ME. Quid inerat? OG. Fragmenta quædam linteorum lacera, pleraque mucci

1 Qui dicantur Monarchæ revise pag. 13. & alibi.

2 Inter alios Ludovicus VII. Galliarum rex, eo peregrinatum veniens, anno 1179 septennium post Thomæ cædem, gemmam ingentis pretii, quam Regalem Franciæ appellabant (Autor ad id respicit, cum dicit *addens nomen Gallicum, pretium, & autorem doni*) obtulit cum scypho aureo magni ponderis. Eodem tempore idem centum vini dolia monachis annuatim concessit. Postea Henricus Octavus Angliæ rex, cum Pontificiam religionem aboleret, & res ecclesiasticas invaderet, prædictam gemmam annulo insertam pollice gestavit. Et ex spoliis solius monumenti hujus Thomæ duæ cistæ repletæ sunt, tam capaces ut singulis esferendis vix octo robusti homines sufficerent, cum nihil auro vilius inde exportaretur anno 1538.

3 Parum obscurum.

4 Respice quæ in limine hujus Colloquii dicta sunt.

5 Occulta, secreta.

6 Quid mirum si tanto in honore habeant muccosa Thomæ sudariola? Ipse Rex Henricus Secundus, licet misere ab hoc Thoma exagitatus, ubi Cantuariam accessit, paulo post ejus cædem ex equo ante templum descendit, calceos caligasque exuit, & nudis pedibus ad sepulchrum Thomæ arrepsit, & ut magis mireris insanam ac vix credibilem in rege superstitionem, ibidem se virgis cædi à monachis jussit.

mucci vestigium servantia. His, ut ajebant, vir pius extergebat sudorem à facie sive collo, pituitam à naribus, aut si quid esset similium sordium, quibus non vacant humana corpuscula. Ibi meus Gratianus rursum non optimam iniit gratiam. Huic & Anglo, & noto, nec mediocris auctoritatis viro, Prior benignus unum è linteolis obtulit dono, credens, sese munus longe gratissimum offerre. Sed Gratianus hoc parum gratus, non sine fastidii significatione digitis contrectavit unum, & contemtim reposuit, porrectis labiis, veluti [1] poppysmum imitans. Nam hic illi mos erat, si quid ostenderet, quod tamen contemnendum esse judicaret. Meum animum simul & pudor, & timor discruciabant. Prior tamen, ut est homo stupidus, dissimulabat hoc factum; nosque post oblatum vini poculum humaniter dimisit. Cum rediremus Londinum. ME. Quid oportuit, cum jam non procul abesses à litore tuo? OG. Sic est: sed ego: [2] litus illud perquam lubens fugi, magis infame fraudibus ac rapinis, quam ullæ sunt [3] Maleæ naufragiis. Dicam quod proxima vidi trajectione. Complures [4] à litore Caletiensi [5] scalmo devehebamur ad navem majorem. In his erat Gallus quidam juvenis, pauper ac [6] pannosus. Ab

1 De *poppysmo* vel *poppysmatibus* dictum est supra in Colloq. *ux.* μεμψ. pag. 232. Videatur porro Politiani Miscellan. lib. cap. XXXII.

2 Illud littus Angliæ non immerito Autori nostro invisum, ipse enim ex Anglia in Galliam profecturus in littore Dovariensi spoliatus est. Vide sis ejus vitam.

3 *Malea* promontorium est Laconiæ, naufragiis infame, circa quod propter reflantes inde ventos periculosissima navigatio est. Vide Colloq. senil. *Scopulus malea periculosior.*

4 *Littus Caletiense* ita dictum à *Caleto*, quod est inferioris Normaniæ oppidum, Anglis ereptum à Gallis anno 1558. vulgo *Calais*. Ex hoc littore, directe opposito littori Rhutupino, celerrimus trajectus est per Oceanum in angustissimas fauces contractum, in Angliam & Galliam.

5 *Scalmus* Gr. σκαλμός, lignum est quo remus alligatur. Hoc loco intelligit Autor minorem cymbam.

6 Pannis obsitus.

1 Id

Ab hoc exigunt [1] dimidium drachmæ. Tantum enim extorquent à singulis [2] ob breviſſimam vectationem. Ille excuſabat paupertatem: iſti per jocum explorant ſcilicet, ac detractis calceis inter [3] ſuppactas ſoleas reperiunt decem aut duodecim drachmas: eas eripiunt palam ridentes, & conviciis ludentes in ſceleratum Gallum. ME. Quid juvenis? OG. Quid aliud? Flebat. ME. Num ex auctoritate faciebant iſta? OG. Prorſus eadem, qua furantur ſarcinas hoſpitum, qua tollunt crumenas, ſi quando datur opportunitas. ME. Mirum eſt iſtos tantum audere facinus, tot teſtibus conſciis. OG. Sic aſſueverunt, ut recte fieri putent. Spectabant è majore navi complures, in cymba aderant aliquot Angli negotiatores, qui fruſtra obmurmurabant. Illi velut in re faceta gloriabantur, deprehenſum ſceleratum Gallum. ME. Ego iſtos maritimos fures ludens ac jocans ſubigerem in crucem. OG. Atqui talibus ſcatet utrumque litus. Heic mihi conjecta, [4] *Quid domini faciant, auſint cum talia fures?* Proinde poſthac quaslibet [5] ambages malim, quam illud compendium. Ad hæc, quemadmodum ad inferos facilis deſcenſus, ſed reditus difficillimus; ita per hoc litus ingreſſus non admodum facilis, exitus difficillimus eſt. [6] Hærebant Londini nautæ aliquot Antverpienſes: cum illis decreveram me mari committere.

ME.

1 Id eſt, tres ſeſtertios. De drachmis ſuperius non ſemel.

2 Scil. per fretum illud, quod Doveram à Caleto ſeparat. Angl. The ſtrait of Calleis. Gall. Pas de Calais.

3 Fixas, nam ſuppingere, eſt, ut inquit Caſaubonus, ἦλας ἐγκρούειν, hoc eſt, *clavos infigere*. Ita Plautus in Bacchid. Act. 2. Sc. 3. facit Chryſalum loquentem de Theotimo locupletiſſimo *Qui ſoccis haberet auro ſubpactum ſolum.* Et in Trinum. Act. 3. Sc. 2. Statimus inquit. *Fulmentas jubeam ſuppingi ſoccis.* Ex quibus duobus Comici locis notandus eſt (ut hoc obiter extra oleas moneam) veterum divitum luxus, qui calceos ſuos aureis clavis figerent.

4 Verſus eſt ex Virgil. Ecloga 3. Per fures hic intellige *ſervos furaces.*

5 Circuitus.

6 Morabantur.

ME. Habet ea regio nautas adeo [1] sanctos? OG. Ut simia semper est simia, fateor, ita nauta semper est nauta: verum si [2] ad hos conferas qui rapto vivere didicerunt, angeli sunt. ME. Meminero, si quando me quoque libido ceperit eam insulam invisendi. Sed [3] in viam redi, unde te deduxi. OG. Ergo Londinum petentibus haud procul a relicta Cantuaria, occurrit via vehementer cava simul & angusta, præterea declivis sic utrinque abrupto aggere, ut non possis effugere: nec vitari potest, quin [4] hac facias iter. Ad ejus viæ lævum latus est [5] mendicabulum aliquot seniculorum: ab iis procurrit aliquis, simulatque sentiunt advenientem equitem: conspergit aqua [6] sacra, mox offert calcei summam partem obvinctam æreo circulo, in quo vitrum est gemmæ specie. Exosculati dant numulum. ME. In ejusmodi via malim mendicabulum seniculorum, quam gregem [7] valentium latronum. OG. Gratianus equitabat mihi sinister, propior mendicabulo: conspersus est aqua, [8] tulit utcunque. Ubi porrigeretur calceus, rogabat quid sibi vellet. Ait calceum esse S. [9] Thomæ. [10] Incanduit homo; & ad me versus, Quid, inquit, sibi volunt hæ pecudes, [11] ut osculemur calceos omnium bonorum virorum? Quin eadem

1 Cur nautas Antverpienses vocat sanctos? an per jocum designat eos esse superstitiosos, quod frequentent oppidum, in quo tot divi coluntur?

2 Quos modo maritimos fures appellavit.

3 Ad sermonem.

4 Per hanc.

5 *Mendicabulum* locus est, quo mendici conveniunt, sive mendicorum cœtus, & pro ipsa mendicitate & mendico sumitur.

6 A sacrificulo consecrata.

7 Fortium.

8 Passus est.

9 Procul dubio istius Thomæ Becket, Archiepiscopi Cantuariensis, de quo superius.

10 Metaph. valde succensuit.

11 Ridet multis in locis Autor noster nefariam sui temporis hominum superstitionem. De hac re agit quoque in Ecclesiaste suo, sive de ratione concionandi lib. 2. *Deforme*, inquit, *exemplum est pharmacopolarum, qui mensa in foro posita ostentant dentes eductos, lapides è vesicis ejectos, diplomata magnatum, quos à morte revocarunt, magnaque vanitate de narrant*

eadem opera porrigunt osculandum sputum, aliaque corporis excrementa? Miserabat me seniculi, datoque nummulo consolatus sum tristem. ME. Mea sententia, non omnino præter caussam incanduit Gratianus. Si calcei soleæque servarentur, ut argumentum frugalis vitæ, non improbarem: cæterum impudens videtur, soleas, calceos, & subligaria cuiquam osculanda obtrudere. Nam si quis id sua sponte faciat ex ingenti quodam [1] pietatis affectu, venia dignum arbitror. OG. Præstabat ista non fieri, ne quid dissimulem: verum ex his rebus quæ subito corrigi non possunt, soleo si quid inest boni decerpere. Delectabat interim animum meum illa contemplatio, virum bonum esse similem ovi; malum, noxiæ bestiæ. Vipera posteaquam periit, mordere quidem non potest, odore tamen sanieque inficit: ovis cum vivit, lacte nutrit, lana vestit, fœtura ditat: mortua porrigit utile corium; totaque esculenta est. Itidem viri feroces, & huic mundo dediti, dum vivunt, omnibus incommodi sunt, mortui strepitu nolarum, ambitiosa sepultura molesti sunt vivis, nonnunquam & successorum [2] inaugurationibus, hoc est, novis exactionibus; probi vero nulla non ex parte magnam omnibus de se præbent utilitatem. Velut hic divus, dum in vivis esset, exemplo, doctrina, monitis ad [3] pietatem invitabat, consolabatur destitu-

narrant sua præclara gesta quæstus gratia. Horum non dissimiles sunt, quos NB. nimium diu tulit mundus, qui circumferunt reliquias ac statuas sanctorum, summa impudentia jactantes miracula quæ nunquam gesta sunt, & interdum plusquam scurrili impudentia fœnum aut stramenta ex latrina fortassis aut horreo sumta offerunt simplicibus osculanda. Ostendunt carbones è foco sumtos, mentientes his assum fuisse Laurentium, &c.

1 Non hæc equidem pietas, sed metu superstitio appellanda est. Sed ita oportuit Erasmum loqui.

2 Cur non potius *instaurationibus*, vel *renovationibus?* De augurio, id est, divinatione ex pastu, cantu, & volatu avium superius dictum. Veteribus rem seriam nisi auspicato genere nefas erat. Hinc inaugurare pro consecrare, & divinare.

3 Ut quidem illi visum est, quin etiam ad rebellionem adversus regem. Vide quæ diximus pag. 486.

destitutos, sublevabat egenos: ac mortui pene major utilitas. Exstruxit hoc locupletissimum templum, sacerdotum ordini per universam Angliam plurimum auctoritatis conciliavit. Hoc denique calcei fragmentum alit egenorum conventiculum. ME. Est quidem ista pia contemplatio: sed demiror te, cum illo sis animo, nunquam invisisse antrum [1] sancti Patricii, de quo [2] prodigiosa quædam vulgo jactant, nec mihi satis verisimilia. OG. Imo nulla heic tam prodigiosa potest esse narratio, quin res ipsa superet. ME. Ergo illuc quoque penetrasti? OG. Enavigavi paludem vere [3] Stygiam, descendi in fauces [4] Averni: vidi quidquid [5] apud inferos geritur. ME. Bearis me si non gravaberis referre. OG. Sit hoc colloquii nostri [6] proœmium, satis, ut arbitror, prolixum. Eo domum, ut jubeam adornari cœnam: nam adhuc impransus sum. ME. Cur impransus?

1 Patricius ille Hibernorum Apostolus dictus est, quod anno 433 à Celestino Papa in Hiberniam missus, plurimos ad religionem Christianam convertit.

2 Longum esset recensere fabulas, quas de hoc antro Patricii adornarunt Papicolæ. Videre autem est in insula Hiberniæ, quam fluvius Liffer dilatatis prope fontes aquis in lacum efficit. Ibi ad monasteriolum crypta angustior, obversantium nescio quorum spectrorum terrore & horrendis visis, aut potius religioso horrore decantata, quam aliqui Ulyssem effodisse ridicule somniant, cum inferos alloqueretur. Incolis hodie *ellan a frugadoiri*, id est, *insula purgatorii*, & *Patricii purgatorium* nominantur. Patricium enim Hybernorum Apostolum, vel alium ejusdem nominis abbatem à Deo ardentissimis precibus impetrasse, si credere fas est, affirmant, ut pœnæ & cruciatus, qui impios post hanc vitam manent, ob oculos hic proponerentur, ut insita suis Hybernis peccata & gentilium errores facilius extirparet.

3 *Styx* vel *palus stygia* à Poëtis apud inferos fingitur. *Dis juranda palus* O. vid. vel pueris nota.

4 *Avernus* lacus est Campaniæ prope Bajas, sulphureis exhalationibus adeo exitiosus, ut aves supervolantes earum odore necari dicantur; unde nonnulli ἀορνον, id est, *absque avibus* nominatum volunt. Hinc veteres locum hunc Plutoni dicatum inferorum limen vocarunt.

5 Erasmus in Adagiis suis de antro Trophonii & Patricii hujus (de quo vide infra Colloq. *Funus*) inter alia hæc subjungit. *Plutarchus in commentario de Dæmonio Socratis narrat, Timarchum quendam in Trophonii specum ingressum, postea quam illinc rediisset, prodigiosa dictis narrasse sibi visa, non abhorrentia ab iis, quæ Beda, & alii scriptores Christiani de inferis prodiderunt.*

6 Προοιμιον proprie exordium cantus. Metaphorice vero, ut hoc loco pro quovis exordio, seu initio.

1 Cau-

pransus? num religionis gratia? OG. Minime: sed invidiæ caussa. ME. Num invides ventri tuo? OG. Imo rapacibus cauponibus: qui cum nolint quod æquum apponere, tamen non verentur ab hospitibus quod iniquum est exigere: eos sic ulcisci soleo. Si spes datur cœnæ lautioris vel apud notum, vel apud [1] pandocheum paullo minus [2] sordidum, in prandio laborat mihi stomachus. Sin prandium obtulit fortuna quale volo, sub cœnam incipit dolere stomachus. ME. Non pudet videri parcum ac sordidum? OG. Menedeme, qui talibus rebus pudoris impendium faciunt, crede mihi, male collocant sumtum. Ego meum pudorem aliis usibus servare didici. ME. Jam [3] sitio reliquium fabulæ: quare me in cœna exspecta convivam; ibi narrabis commodius. OG. Equidem habeo gratiam, quod ultro temet offers convivam, cum multi vehementer rogati pernegent: sed hæc tibi conduplicabitur gratia, si hodie domi cœnes. Nam mihi tempus hoc sumetur salutandæ familiæ. Cæterum habeo consilium utrique nostrum commodius. Cras mihi, uxorique meæ domi tuæ adornato prandium, tum vel usque ad cœnam proferentur fabulæ, donec te fateris jam esse saturum: & si voles, ne in cœna quidem te destituemus. Quid scabis caput? Tu para; nos bona fide veniemus. ME. Malim inemtas fabulas. Verum age prandiolum dabitur, sed insipidum, nisi tu bonis fabulis condias. OG. Sed heus tu, nonne titillat te animus, ut has peregrinationes obeas? ME. Fortasse titillabit, ubi [4] tu peroraveris: nunc ut affectus

1 Cauponem, qui quosvis recipit. Reviſ. *Diverſoria.*
2 Avarum.
3 Percupio audire.
4 *Peroraveris*, id est, vel finem narrationis tuæ de peregrinationibus imposueris, vel me eo adduxeris, ut idem iter ingrediar.

fectus sum, sat habeo [1] stationes [2] obire Romanas. OG. Romanas, qui Romam nunquam videris? ME. Dicam. Sic domi obambulo, ingredior conclave, curoque ut salva sit filiarum pudicitia. Rursus hinc in officinam; contemplor quid agant famuli famulæque: inde in culinam, circumspiciens si quid opus sit admonitu: hinc alio, atque alio, observans quid agant liberi, quid uxor, solicitus ut omnia sint in officio. Hæ mihi sunt stationes Romanæ. OG. At ista pro te curaret divus Jacobus. ME. Ut ipse curem ista, præcipiunt sacræ litteræ; ut divis committam, nusquam legi præceptum.

1 *Statio* dicitur quicunque locus, in quo consistitur. Hinc *statio* locus in quo naves tuto stare possunt Virg. Æn. lib. 2. *Statio malefida carinis.* Et *statio* dicitur locus in quo castra metatur exercitus. It. locus ad custodiam assignatus *statio* dictus. Ovid. Metam. lib. 2. *Cœli statione novissimus exit.* It. *statio* vocatur domus, in quam convenit cœtus, ut de re aliqua decernatur, & jus dicatur. Gell. lib. 13. c. 13. *In pleraque Romæ stationibus jus publice docentium*, &c. Ironice munia domestica vocat Autor *stationes Romanas.* Nam veluti militibus injussu imperatoris de præsidio & statione decedere non licet, ita nec probo patrifamilias à statione rerum domesticarum.

2 Curare, fungi.

[1] IXΘΥΟΦΑΓΙΑ.

LANIO, SALSAMENTARIUS.

LA. DIc mihi, [2] insulsissime Salsamentarie; nondum emisti

1 Ἰχθυοφαγία, id est piscium esus, ab ἰχθύς, piscis, & φάγω, comedo. Eu tibi lector, quicunque mecum sentis. Deum non artificiis humanis, sed pura mente colendum esse, dialogum lectu dignissimum. Præcedens Colloquium ob oculos proposuit ridendas divorum divarumque reliquias, & ementita miracula. Nunc perspice insignem Papicolarum dementiam, in observanda quadragesima, ut vocant, qua carnibus vesci Ecclesia Romana vetat. Audi nunc Lanionem, & Salsamentarium serio & docte disserentes de superstitiosis sacrorum ritibus, quibus religiosissime observandis rude vulgus ab Ecclesiasticis misere exagitatur, de cæteris falsis dogmatibus, sacerdotum fraudibus, & popelli erroribus circa autoritatem Pontificis Maximi. Dispeream, si non mecum fatearis Erasmum esse eum, de quo vere dici possit illud Horatianum: *Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci.*

2 Ludit Autor in significatione vocis *insulsissime.* Insulsus proprie est non salsus,

emisti restim? SA. Restim, Lanio? LA. Ita restim. SA. Cui tandem rei? LA. Cui, nisi suspendio? SA. Emant alii; me nondum usque adeo tædet hujus vitæ. LA. At brevi tædebit. SA. In vatem ipsum ista vertat Deus aliquis potius. Sed quid est mali? LA. Si nescis, dicam. Instat tibi tuisque plane [1] Saguntina, quod ajunt, fames, ut res prorsus sit vobis ad laqueum reditura. SA. [2] Bona verba, Lanio. Ista sint hostibus nostris. Unde nobis ex Lanio repente prodisti [3] Pythius quispiam, ut divines tantam calamitatem? LA. Non est divinatio; ne tibi blandiaris, res ipsa adest in foribus. SA. Enecas: [4] ede rem, si quid habes. LA. Edam tuo magno malo. A Romano senatu venit edictum, ut posthac liberum sit cuique vesci quibus velit. Quid igitur tibi uoque ordini restat, nisi [5] bulimia cum putribus [6] salsamentis? SA Per me quidem vel limacibus, vel urticis vescatur, qui volet. At num interdictum est cuiquam ne vescatur piscibus? LA. Non, sed data potestas vescendi carnibus, quibus fuerit collibium. SA. Sive vana prædicas, tu potius dignus es suspendio: sive vera, tibi potius parandus

salitus, sæpissime vero pro sine sale, & gratia, homo insulsus, i. e qui nihil habet potis vel sapientiæ habet, invenust us. Terent. Eun. Act. 5. Sc. 8. de Thraſone, *Fatuus est, insulsus, tardus.* Per Salsamentarium intelligit eum, qui salitos pisces vendit. Hos autem Erasmus oderat cane pejus & angue, sic enim ipse fatetur in vita sua. *Valetudo semper fuit tenera, unde crebro tentabatur seribus, præsertim in quadragesima, ob piscium esum, quorum solo odore solebat offendi.*

1 *Fames Saguntina*, synecdochice pro fame extrema. Saguntum, Hispaniarum oppidum, longa Pœnorum obsidione, fameque eo redactum fuit, ut cives semet interficerent.

2 Charientissmus. Respice pag. 11. & sæpius supra.

3 *Pythius* pro vate. *Pythia* sacerdos Apollinis Delphici, quæ consulentibus respondebat. Et *Pythius* cognomen Apollinis à Pythone serpente, quem jaculis interemit: unde & ludi *Pythii* dicti in Apollinis honorem.

4 Profer.

5 Βελιμία vel βέλιμος bovina, i. e ingens fames.

6 *Salsamenta*, aut salsi pisces sunt, aut salsa caro, vel lardum, & quicquid denique sale conditum est. In hoc vero Colloquio semper de piscibus agitur.

dus funis. Nam mihi posthac spero quæstum uberiorem. LA. Imo proventum uberrimum, sed esuritionis usque ad saturitatem: aut, si mavis audire lætiora, posthac longe [1] mundius vives, neque, quod soles, [2] cubito nasum emunges pituitosum, & scabie [3] fruticantem. SA. [4] *Ohe, venimus ad summum;* cæcus convicia jacit in luscum: quasi vero quidquam apud Laniones purius sit ea parte corporis, quæ dicitur semper lotione superior. Utinam verum esset quod annuncias; at vereor, ne me conjicias in falsum gaudium. LA. Tibi quidem nimium vera nuncio. Sed unde tibi quæstum promittis uberiorem? SA. Quoniam eo video recidisse mores hominum, ut [5] quod vetitum sit, [6] impotentius appetant. LA. Quid tum postea? SA. Quia plures abstinebunt ab esu carnium, ubi permissa est vescendi potestas, nec ullum erit lautum convivium absque piscibus, quemadmodum [7] apud priscos fieri consuevit. Itaque carnium esum permissum

1 Purius.

2 *Cubito nasum emungere.* Ejusmodi jocus Ciceronis extat in Salsamentarii filium

3 Id est pullulantem, & quasi fructices emittentem asperitate cutis, & pustulis prurientibus.

4 *Venimus ad summum*, Horatianum est Epist. 1. lib. 2. ad Augustum

5 Tritum est illud, *Nitimur in vetitum*, &c.

6 Magis immodice.

7 Quanti olim pisces fecerint Græci, vel ex eo constare arbitror, quod cum ὀψωνίου nomine, quidquid cum pane vescimur, intelligi posset, usus tamen obtinuit, ut solus piscis hoc nomine gauderet. Plutarchus lib. 4. Sympos. - ὡς γὰρ πολλῶν ὄντων ποιητῶν ἕνα, &c. id est: *Quemadmodum enim ex multis Poëtis, unum qui reliquis præstat eximio nomine Poetæ assicimus: ita cum multa sint obsonia, pisces tamen obtinuit, ut vel solus vel præcipue obsonium vocaretur, quia nobilitate reliquis omnibus multo antecellit.* Et ὀψοφάγοι passim apud scriptores dicuntur, non qui carnibus fructibusve libenter vescerentur, sed qui piscibus gauderent. Romanos quoque ad insaniam piscium studio flagrasse vel inde discimus, quod non tantum lautiarum fundum in illis reponebant, sed familiarum inde cognomina desumserunt. Columella lib. 8. cap. 16 Varro rei rusticæ lib. 3. cap. 3. Plura de veterum luxu in piscibus legi possunt in elegantissimo Ludovici Nonnii commentario de Ichthyophagia, sive piscium esu.

1 *Diis*

missum gaudeo. Utinam & piscium esus esset interdictus! avidius his vescerentur homines. LA. Pium mehercule votum. SA. Hoc optarem, si, quod tu facis, nihil aliud spectarem quam pecuniæ lucrum, cujus amore tu crassam istam & carnivoram animam [1] Diis manibus devovisti. LA. [2] Salsus es totus, cum insulsa sit oratio. SA. Quæ ratio commovit Romanos, ut tot sæculis observatam legem carnariam relaxarint? LA. Nimirum hoc ipsa res jam dudum illis persuasit. Reputant id quod est, per Salsamentarios inquinari civitatem, inficiterram, flumina, aërem, & ignem, & si quod aliud est elementum: corrumpi corpora mortalium: ex piscium enim esu corpus impleri putribus humoribus: hinc febres, [3] tabes, [4] podagræ, [5] epilepses, [6] lepræ, & quid non malorum? SA. Dic igitur mihi, [7] Hippocrates, cur in civitatibus bene institutis vetitum est intra mœnia mactare tauros ac sues? Rectius etiam consuleretur saluti civium, si nec pecudes jugularentur. Cur Laniis [8] describitur certus locus; ne si passim vivant, totam urbem reddant pestilen-

1 *Diis manibus*, id est, inferis. Alludit ad antiquam Romanorum devotionem. Nam si gravius periculum imminere, neque Dii placati viderentur, unus aliquis ex Romanis sese pro exercitu suo, & simul exercitum hostium devovebat. Ut Decius Consul, qui velato capite superos & inferos precatus, armatus in equum insiluit, ac se in medios hostes immisit.

2 *Salsus es* &c. Id est, non cares sale, cum sis Salsamentarius (& est amphibolia in *salsus*, quod est, salitus, & lepidus) quamvis oratio tua sit absque leporibus & elegantiis. Huc refer quæ modo annotavimus.

3 Tabes, Græci φθίσις.

4 Ποδάγρα morbus articularis, quum pedum articulos noxius humor infestat, à πὼς pes, & ἄγρα captura, quod pedes tanquam captos & irretitos teneat. Cum manus torquet, χειράγρα dicitur.

5 Ἐπίληψις vel ἐπιλῆψία, morbus comitialis, qui est convulsio totius corporis, non perpetua, cum mentis læsione.

6 Λέπρα, asperitas cutis profundior cum pruritu, eam in squammas resolvens.

7 Salsamentarius ironice Lanionem, de variis morbis loquentem, vocat, Hippocratem, qui fuit patria Cous, medicorum princeps.

8 Definitur.

stilentem? An est ullum fœtoris genus corrupto animantium cruore sanieque pestilentius? LA. Aromata mera sunt, si ad piscium putorem conferas. SA. Tibi quidem, opinor, aromata mera sunt: at non idem visum magistratibus, qui vos ab urbe submovent. Porro quam suaviter oleant vestræ istæ lanienæ, declarant ii, qui naribus obturatis prætereunt: declarant vulgo, qui malunt habere vicinos decem lenones, quam unum Lanionem. LA. At vobis ad abluenda putria salsamenta nec lacus nec amnes toti sufficiunt: vereque quod dici solet,[1] inaniter aquam consumitis. Semper enim piscis piscem olet, etiamsi unguentis oblinas. Quid autem mirum, mortuos sic olere, cum plerique vivi mox, ut capti sunt, oleant? Carnes muria[2] conditæ servantur multos in annos, adeo non putentes, ut aromaticum quiddam redoleant. Rursus vulgari sale conditæ, durant absque fœtore. Duratæ fumo ventove nihil molesti odoris contrahunt. Hæc omnia si pariter adhibeas pisci, nihil aliud quam piscem olebit. Vel hinc conjice, nullum esse putorem cum piscium fœtore conferendum, quod ab his putrefit etiam ipse sal, in hoc à natura datus, ut à rebus arceat putrefactionem, dum genuina vi claudit constringitque, simul & excludens quod extrinsecus noxam afferre possit, & humores intus, unde putrefactio poterat oriri, desiccans: in solis piscibus sal non est sal. Nostras ædes fortassis aliquis delicatior præteriens obturat nares; at nemo[3] sustinet in cymba sedere in qua vestra sunt salsamenta. Viatori si quando occurrunt plaustra onusta salsamentis, quæ ibi fuga? quæ

1 *Inaniter aquam consumere*, significat quidquid rei aut laboris insumitur, id omne deperdere. Similia sunt *oleum & operam perdere*, *Æthiopem* vel *laterem lavare* &c. de quibus vide Chiliades.

2 A verbo *condire*, unde condimentum.

3 Audet.

1 Vehe-

quæ narium obturatio? quæ sputa? quæ [1] excreatio? Et si qua fieri possit, ut salsamenta pura in urbem adveherentur, quemadmodum nos mactatorum boum carnes apportamus, [2] lex non dormiret: nunc quid facias iis, quæ putria sunt etiam cum comeduntur? Et tamen quoties videmus ab [3] Agoranomis damnatas merces vestras conjici in flumen, vobis indicta [4] multa? Id vero sæpius etiam fieret, nisi illi [5] corrupti per vos magis spectarent privatum commodum, quam publicam salutem. Nec hac tantum parte nocetis reipublicæ; sed impia conspiratione vetatis ne aliunde pisces recentiores advehantur in civitatem. SA. Quasi vero nullus unquam viderit multa percussum Lanionem, quod porcum [6] insincerum, & linguæ maculis lepræ vitium profitentem vendiderit, aut quod ovem aquis cœnove suffocatam, aut alioqui [7] verminantes armos, lotione & circumlito recenti cruore vitium dissimularit. LA. Atqui nullum ex nobis tale exstat exemplum, quale nuper ex vobis: ex unica anguilla [8] crusto panis incocta, periere novem convivæ. Talibus [9] opsoniis vos instruitis mensas civium. SA. Casum narras, qui nemini vitari possit, si fortuna velit. At vobis pene quotidianum est, pro cuniculis altiles feles vendere, pro leporibus canes, si per auriculas & pedes hirsutos liceret. Quid autem commemorem [10] artocrea ex humanis carnibus confecta? LA. Tu quod in me damnabas, casus

1 Vehemens spuendi actus. Nihil opus est ergo ut quis *execratio* legat.

2 *Lex, non dormiret*, id est non langueseeret, sed excitaretur satis. Dormire dicitur quicquid est sine effectu. Juvenal. Sat. 2. *Ubi nunc lex Julia? dormis?*

3 Ἀγορανόμος, Præfectus foro rerum venalium, ab ἀγορὰ forum & νέμω tribuo, rego.

4 *Multa*, vel *mulcta*, pœna pecuniaria.

5 Numis scil.

6 *Non purum*, porcum describit leprosum.

7 Vermibus scatentes.

8 Incrustata.

9 *Obsonium* sive mavis *opsonium* Gr. ὀψώνιον, quicquid cum pane vescimur.

10 *Artocreas*, atis, neut. gen. ex ἄρτος panis, & κρέας caro.

casus & hominum vitia mihi opprobras: [1] tueantur ista qui committunt: ego quæstum cum quæstu confero. Alioqui damnentur & olitores, quod interdum imprudentes pro caule vendant [2] cicutam aut [3] aconitum: damnentur & [4] pharmacopolæ, quod interdum pro remediis porrigunt venena. Nulla est ars tam inculpata, quin istæc incidant mala. Vos cum omnes officii numeros impleveritis, venenum est quod venditis. Si [5] torpedinem, si [6] hydrum, si [7] leporem marinum retibus admixtum cum cæteris venderitis, casus esset, non crimen: nec magis imputari poterat vobis quam medico, qui nonnunquam occidit ægrum quem curat. Ferri poterat hoc malum, si mensibus dumtaxat hibernis extruderetis vestra purulenta; rigor temporis mitigaret pestilentiam. Nunc æstatis [8] incendio putrem additis materiam; autumnum, per se nocentem, redditis nocentiorem. Cumque jam se renovat annus, & humores conditi sese rursus proferunt, non absque corporum periculo, ibi vos totos menses duos tyrannidem occupatis, & anni renascentis infantiam accersito senio vitiatis. Cumque hoc meditetur natura, ut corpora succis insalubribus repurgata, novis succis repubescant, vos ingeritis meros putores merasque sanies; & si quid est in corporibus vitii, augetis, malum malo adjicientes, & bonos insuper corporis succos corrumpentes. Tolerari poterat hoc quoque, si tantum corpora vitiaretis: nunc quoniam ex cibo-

1 Defendant.

2 Revise *Conviv. relig.* pag. 140.

3 Et *Conviv. relig.* pag. 140.

4 Φαρμακοπώλης, medicamentorum venditor, à φάρμακον, *medicamentum*, it. *venenum*, & πωλέω *vendo*.

5 *Torpedo* Græce νάρκη piscis dicitur, qui manibus torporem inducit, id quod ex eo esse volunt, quod admodum frigeat.

6 *Hydrus* Gr. ὕδρος serpens aquaticus.

7 *Lepus marinus*, piscis, homini præsentissimum venenum dicitur, & homo pisci, adeo ut hominis contactu solo moriatur.

8 Æstui, fervori.

1 Ὄργα-

ciborum differentiis vitiantur [1] organa, fit ut ipsi vitientur animi. Tales fere videas homines istos piſculentos, quales sunt ipsi pisces; pallent, olent, stupent, muti sunt. SA. O novum [2] Thaletem! Quid igitur sapiunt qui [3] betis victitant? nimirum quantum ipsæ betæ? Quid sapiunt qui boves, & oves, & capras devorant? nimirum quod boves, oves, & capræ? Vos hædos pro deliciis venditis, & tamen hoc animal ut est [4] morbo comitiali obnoxium, ita gignit eundem morbum in his, qui gaudent esu carnium. An non præstabat salsamentis placare latrantem stomachum? LA. Quasi solum hoc mentiti sint rerum naturalium scriptores. Et si maxime verum sit, quod narrant; corporibus morbo obnoxiis sæpe quæ per se optima sunt, pessima sunt: [5] Hecticis ac [6] Phthisicis vendimus hædos, non [7] vertiginosis. SA. Si piscium esus tantam perniciem adfert rebus mortalium, cur nobis [8] præsulum ac principum sententia licet toto anno nostras merces divendere, vobis bonam anni partem indictæ sunt feriæ? LA. Istuc quid mea refert? Fortassis hoc procuratum est à malis medicis, quo quæstus ipsis esset uberior. SA. Quos malos medicos mihi commemoras,

1 Ὄργανον, Instrumentum.

2 Thales fuit unus ex septem Græciæ sapientibus.

3 *Beta* herba insipida, unde Proverb. *Beta insipidior.*

4 Ἐπιληψία, Respice pag. 505. *Comitialis* vero morbus dictus est, quod comitia, i. e. populi conventus, olim interrumpebantur, quo die aliquis hoc morbo concidisset. Hinc illud Sereni. *Est subiti species morbi, cui nomen ab illo, Quod fieri nobis suffragia iusta recusset: Sæpe etenim membris atro languore caducis Concilium populi labes horrenda diremit.* Dicitur enim morbus Herculeus, quod Hercules eum morbum passus sit

5 *Hectici* sunt, qui perpetua febre laborant, à Gr. ἕκτικος, i. e. in habitu positus.

6 *Phthisici* sunt, qui laborant tabe, à Gr. φθίσις, tabes. Resp. pag. 505.

7 *Vertiginosi*, qui laborant vertigine, id est, inordinato motu spirituum in cerebro, à quo omnia circumagi videntur. Est præludium ad morbum comitialem. Hædus autem dicitur esse obnoxius ei morbo, & ejus carnes inimicæ propensis ad id mali.

8 Quis sit *præsul*, respice pag. 487.

1 Suum

ras, cum nulli sint piscibus hostes æque capitales? LA. Ne quid erres, ô bone, non faciunt hoc studio vestri, nec amore piscium, cum ab his nulli religiosius abstineant; [1] suum agunt negotium. Quo plures tussiunt, languent, ægrotant, hoc illis [2] annona benignior est. SA. Medicis heic non patrocinabor; ipsi suam vicem ulciscentur, si quando in [3] casses illorum incideris. Mihi pro mea caussa sufficit veterum sanctimonia vitæ, probatissimorum auctoritas, episcoporum majestas, publica Christianarum gentium consuetudo; quos omnes si damnabis insaniæ, malo cum illis insanire, quam cum Laniis esse sobrius. LA. Tu recusas patronus esse medicis; ego nolim esse criminator aut censor veterum, publicæve consuetudinis. Ista venerari soleo, non incessere. SA. Isto quidem nomine cautus es verius, quam pius Lanio; nisi te prorsus non novi. LA. Meo judicio sapiunt, qui cavent, ne quid habeant rei cum his, qui [4] fulmen habent in manibus. Attamen quid ex meis Bibliis, quæ [5] populari lingua versa nonnunquam lego, sentiam, non tacebo. SA. Ut nunc fies ex Lanione Theologus! LA. Arbitror, primos illos homines simul atque ex uda argilla prodierunt, fuisse corpore salubri ac succulento. Id declarat illorum vivacitas. Deinde [6] Paradisum fuisse locum multo commodissimum situ, cœloque saluberrimo. Tali loco talia corpora, vel aëris hausta, herbarum, arborum ac florum undique aspirantium fragrantia, [7] citra cibum ullum potuisse

1 Suum quæstum curant.
2 Proventus annuus.
3 Retia.
4 Quid sit illud Ecclesiasticorum fulmen disce ex Colloq. *Inquisit. de fide* pag. 310.
5 Vulgata.
6 Hortum Eden à primis parenti bus inhabitatum. De vocis origine superius dictum. Vide *Colloq. Francisc.* & alibi
7 Quid ais Lanio? cur igitur mox addis, *quod tellus effunderet omnia*, nonne in usum hominis? imo, inquies, vesci non fuit necessitatis, sed voluptatis. Crede lector, si velis.

1 Post

potuisse vivere, præsertim cum ultro citra sudorem hominis affatim tellus effunderet omnia, nec morbus esset ullus, nec senium. Cultus enim talis horti voluptas erat verius, quam labor. SA. Adhuc verisimilia prædicas. LA. Ex tam vario horti feraciſſimi proventu, nihil interdictum est præter unicam arborem. SA. Verissimum est. LA. Idque non ob aliud, nisi ut per obedientiam agnoscerent Dominum & conditorem suum. SA. Recte. LA. Quin & illud arbitror, recentem terram omnia progenuisse feliciora meliorisque succi, quam nunc gignit senescens ac propemodum effœta. SA. Est. LA. Idque præcipue in Paradiso. SA. Haud dissimile veri. LA. Illic igitur vesci, voluptatis erat, non necessitatis. SA. Audivi. LA. Et abstinere à laniandis animantibus, humanitas erat, non sanctitas. SA. Nescio. Animantium esum [1] à diluvio permissum lego, [2] prius interdictum non lego. Quorsum autem attinebat permittere, si jam permissus erat? LA. Quare non vescimur ranis? Non quia vetitæ, sed quoniam [3] abhorremus. Qui scis, an Deus illic admonuerit, quem cibum requireret humana fragilitas, non quem permitteret? SA. Non sum [4] ariolus. LA. Atqui in ipso statim conditi hominis initio legimus; [5] *Dominamini piscibus maris, & volatilibus cœli, & universis animalibus quæ moventur super terram.* Quis usus dominii, si vesci non licet? SA. O crudelem herum! Itane devoras servos & ancillas, tuos liberos & uxorem? Quin eadem opera veseeris matula tua, cujus dominus es? LA. Sed

1 Post diluvium.

2 Ante diluvium.

3 Imo non desunt doctioris palati delicatuli, quibus posteriora ranarum crura sapiunt optime

4 *Ariolus*, aliis *Hariolus*, est qui futura vaticinatur mente divina. Sunt qui *Hariolum* quasi *fariolum* dictum putant, à fando & faris, quum F pro H, & item H pro F in aliquot locutionibus ponatur. Ita Donatus in illud Terentii *Interdixit Hariolus*. Phorm. Act. 4. Sc. 4.

5 Genes. 1. v. 28.

Sed audi viciſſim, [1] inſulſe Salſamentarie: è cæteris uſus eſt, nec eſt inane dominii nomen. Equus vehit me tergo, camelus geſtat ſarcinas: è piſcibus vero quis uſus, niſi veſcaris? SA. Quaſi vero non ſint innumera ex piſcibus [2] remedia. Deinde multa ſunt in hoc tantum condita, ut delectent hominem contemplantem, & in conditoris admirationem rapiant. Forte non credes, [3] delphinos hominem tergo vehere. Denique ſunt piſces, qui nobis prædicant imminere tempeſtatem, velut [4] echinus. An non talem ſervum optares domi tuæ? LA. Verum ut hoc [5] largiamur, ante diluvium non fuiſſe fas veſci cibis, præterquam terræ frugibus; nihil magni erat abſtinere ab iis, quæ non requirebat corporis neceſſitas, & habebant laniandi crudelitatem: illud fateris, animantium eſum initio permiſſum ob humanorum corporum imbecillitatem. [6] Frigus induxerat diluvium: & hodie videmus in regionibus frigidis naſci homines cæteris edaciores: ac terræ proventum vel extinxerat, vel corruperat inundatio. SA. Eſto. LA. Et tamen à diluvio præteribant annum ducenteſimum. SA. Credo. LA. Cur igitur Deus, quod illis robuſtis citra exceptionem permiſit, poſt imbecillioribus ævique contractioris adſtrinxit ad certa animantium genera, quemadmodum præcepit Moſes? SA. Quaſi meum ſit eorum, quæ Deus gerit, rationem

1 Reſpice pag. 502.

2 Non poſſum quin commendem elegantiſſimum Ludovici Nonnii libellum de ichthyophagia, ſeu piſcium eſu.

3 Delphini hominum amantiſſimi dicuntur, quod an verum ſit, nec ne ego non dixerim. Notum eſt Poetarum commentum de Arione citharœdo, qui à nautis præceps in mare dejectus, à Delphino ſublatus, & in vadum expoſitus fuit: fabulam plenius deſcriptam quære infra in Colloquio de *amicitia*.

4 *Echinus*, piſcis, ut ajunt, ſpinas habens pro pedibus, imminente tempeſtate affigit ſeſe, aut ſaburrat arena.

5 Concedamus.

6 Conſtrue puer: *Diluvium induxerat frigus*.

rationem reddere. Arbitror tamen hoc tum feciſſe Deum, quod ſolent heri, qui contrahunt indulgentiam in ſervos, ubi vident illos abuti lenitate dominorum. Sic equo plus ſatis ferocienti ſubducimus fabas & avenam, parcoque fœno paſcimus, frenoque & calcaribus aſperioribus ſubigimus. Excuſſerat hominum genus omnem reverentiam, in tantamque licentiam ſeſe effuderat, quaſi nullus omnino Deus eſſet. Hic inventi ſunt legis [1] cancelli, cæremoniarum [2] repagula, minarum ac præceptorum frena, quo vel ſic reſipiſcerent. LA. Quin igitur manent hodie legis illius repagula? SA. Quia ſublata eſt carnalis ſervitutis aſperitas, poſteaquam per Evangelium adoptati ſumus in filios Dei, detractum eſt præceptis, ubi contigit uberior gratia. LA. Cum Deus appellet ſuum teſtamentum ſempiternum, cumque Chriſtus negarit ſe ſolvere legem, ſed conſummare; qua fiducia poſteriores auſi ſunt bonam legis partem abrogare? SA. Gentibus ea lex data non erat; & ideo viſum eſt Apoſtolis, eas nec onerare circumciſionis moleſtia, ne, quod Judæi faciunt & hodie, in corporalibus obſervationibus conſtituerent ſalutis ſpem potius, quam in fiducia & caritate erga Deum. LA. Omitto gentes. Quæ ſcriptura manifeſte docet Judæos, ſi profeſſionem Evangelicam fuerint amplexi, [3] manumiſſos eſſe à Moſaicæ legis ſervitute? SA. Quoniam id fore prædictum erat à prophetis, qui promittunt teſtamentum novum, & cor novum, inducuntque Deum abominantem feſtos Judæorum dies, averſantem

1 Cancelli, repagula, frena. Metaphorica locutio ab inhibendis equis velocibus.

2 *Repagulum* proprie obex eſt, sive vectis, qui oſtio adverſus vim opponitur. Item *repagula* in ludis equeſtribus dicuntur, quæ equis objiciuntur, ne ante tempus procurrant. Hinc pro quibusvis obſtaculis. Ita Ovid. Metamorph. lib. 2. de ſolis equis. - - - *Himinibus auras Flammiferis implent, pedibusque repagula pulſant.*

3 Liberatos. Nam quamdiu quis in ſervitute eſt, manui, hoc eſt, poteſtati ſubditus eſt. Unde manumiſſio juxta Ulpianum datio libertatis.

tem illorum victimas, detestantem jejunia, rejicientem donaria, desiderantem populum circumciso corde. Confirmavit illorum promissa Dominus ipse, qui porrigens discipulis corpus & sanguinem suum, appellat testamentum novum. Si nihil aboletur de veteri, cur hoc dicitur novum? Ciborum Judaicum delectum non exemplo quidem, sed sententia sua abrogavit Dominus, cum negat hominem inquinari cibis, qui mittuntur in stomachum, & [1] per secessum repurgantur. Docet idem Petrum conspecta [2] visione; imo Petrus ipse cum Paulo cæterisque vescens cibis communibus, à quibus lex præceperat temperari. Agit hoc ubique Paulus in suis epistolis; nec dubitatur, quin quod hodie sequitur populus Christianus, ab Apostolis veluti per manus traditum ad nos denique pervenerit. Itaque non tam manumissi sunt Judæi, quam à legis superstitione, velut à lacte consueto quidem & familiari; sed jam intempestivo depulsi. Neque lex abrogata est, sed ea pars jussa est cedere, quæ jam erat otiosa. Frondes & flores pollicentur fructum exoriturum; is ubi gravat arborem, nemo flores desiderat. Neque quisquam deplorat periisse filii sui pueritiam, ubi jam ad ætatem maturam pervenit. Neque quisquam requirit lucernas & [3] funalia, ubi se terris deprompsit sol. Nec habet quod queratur pædagogus, si filius jam puber suam libertatem sibi vindicat, ac pædagogum in sua vicissim habet potestate. Pignus desinit esse pignus, ubi promissa sunt exhibita.

1 Vult Christus non quod in os ingreditur polluere hominem, verum quod egreditur ex ore, id polluere hominem, Matth. 15. v. 11. Quod affirmat versu 17. cum inquit: οὔπω νοεῖτε ὅτι πᾶν τὸ εἰσπορευόμενον εἰς τὸ στόμα εἰς τὴν κοιλίαν χωρεῖ, καὶ εἰς ἀφεδρῶνα ἐκβάλλεται; id est, *Nondum intelligitis, omne quod ingreditur in os, in ventrem cedere, & in latrinam ejici?*

2 Visionem illam mirabilem, quam Petrus vidit in ædibus Simonis coriarii, describit Lucas in Act. Apostol. Cap. 10. ἐπέπεσεν ἐπ' αὐτὸν ἔκστασις. *Incidit super eum mentis excessus*, &c.

3 *Funalia* sunt faces è funibus, cera aut pice oblitæ.

bita. Sponsa priusquam deducatur ad sponsum, epistoliis ab illo missis sese consolatur; exosculatur munuscula ab illo venientia, picturas illum referentes amplectitur: cæterum ubi jam ipsius sponsi data est copia, præ hujus amore negligit illa prius adamata. At Judæi primum ægre divellebantur à consuetis, velut si puer assuetus lacti jam grandis mammam inclamet, cibum solidum fastidiens. Itaque propemodum vi depulsi sunt ab illis vel figuris, vel umbris, vel temporariis solatiis, quo se jam totos convertant in eum, quem lex illa promiserat & adumbrarat. LA. Quis exspectarat tantum Theologiæ à Salsamentario? SA. Soleo pisculentum commeatum suppeditare nostræ civitatis [1] Dominicano collegio: itaque fit, ut illi frequenter prandeant apud me, ego nonnunquam apud illos. Ex eorum [2] conflictionibus hæc decerpsi. LA. Næ tu dignus es, qui ex Salsamentario fias piscium recentium venditor. Verum illud expedi: Si Judæus esses, (neque mihi satis liquet an sis) & imminæret ex fame certum vitæ periculum, vescereris carne suilla, an mortem præoptares? SA. Quid facturus essem, scio: quid mihi faciendum esset, nondum intelligo. LA. Deus utrumque vetuit, non occides, & non vesceris carne suilla. In tali casu utrum præceptum utri par est cedere? SA. Primum non constat, an hoc animo Deus vetuerit vesci suilla, ut mortem vellet oppeti potius quam esu vitæ consuli. Nam ipse Dominus excusat David, qui contra Legis præceptum comederit sacros panes. Et in exsilio Babylonico multa non observata sunt à Judæis, quæ lex præscripserat. Proinde censerem eam legem, quam ipsa quoque natura tulit, eoque perpetua est & inviola-

1 Collegio monachorum ordinis Dominici, de quo dictum superius in notis pag. 265.

2 Disputationibus.

violabilis, debere potiorem haberi ea, quæ neque semper fuit, & post erat abroganda. LA. Cur igitur laudati sunt fratres Macchabæi, qui maluerunt duris cruciatibus exanimari, quam carnem gustare suis? SA. Opinor, quoniam hic esus à rege præscriptus complectebatur totius patriæ legis abnegationem quemadmodum circumcisio, quam Judæi gentibus obtrudere conabantur, continebat totius legis professionem, non aliter quam [1] arrha data ad universum contractum præstandum obligat. LA. Itaque si crassior illa Legis pars post exortam Evangelii lucem recte sublata est, quo consilio nunc videmus vel eadem, vel his graviora revocari, præsertim cum Dominus jugum suum appellet suave, & Petrus, in Actis Apostolorum, Judæorum Legem appellet duram, quam nec ipsi ferre potuerint, nec patres ipsorum? Sublata est circumcisio, sed successit baptismus, duriore prope dixerim conditione. Illa differebatur in octavum diem; & si quis interim casus intercepisset puerum, votum circumcisionis pro circumcisione imputabatur: nos pueros vix dum à latebris uteri materni egressos, in frigidã aquam, quæque diu in [2] alveo saxeo constitit, non enim dicam, computruit, [3] totos immergimus; & si vel primo die, atque adeo in ipso partus ostio perierit, nulla parentum aut amicorum culpa, [4] deditur

1 *Arrha* vel *arrhabo* Gr. ἀρραβών. Pecunia quæ in emptionibus & contractibus primo dependitur ad fidem majorem faciendam iis præstandis.

2 Quem Græce βαπτιστήριον dixeris.

3 Sic solent Pontificii, ut primam scilicet baptismi institutionem rite sequantur.

4 Crudelis hæc Pontificiorum sententia jam ab Augustino defluxit: utpote qui parvulos ante baptismum morientes damnationi addixit. Audi viri ipsa verba, portentosum, inquam, argumentum horrendamque conclusionem in libro *De natura & gratia*, mihi pag. 4. & 5. Hæc igitur Christi gratia, sine qua nec infantes, nec ætate grandes salvi fieri possunt, non meritis redditur, sed gratis datur, propter quod gratia nominatur. Justificati, inquit, gratis per sanguinem ejus. Unde hi, qui non per illam liberantur, sive qui audire nondum potuerunt, sive quia obe-

deditur miser æternæ damnationi. SA. Sic ajunt. LA. Sublatum est sabbatum; imo non sublatum est, sed translatum in diem dominicum. Quid refert? Paucorum dierum jejunia indixit Lex Mosaica; nos illis quantum addidimus numerum? In delectu ciborum quanto liberiores Judæi nobis; quibus licebat vel totum annum vesci ovibus, capis, perdicibus & hœdis? Illis nullum vestis genus erat interdictum, præter eam quæ esset lana linoque contexta. Nunc præter tot vestium præscriptas & interdictas formas & colores, accessit capitis rasura, eaque varia: ne commemorem interim confessionis onus, & constitutionum humanarum sarcinas, decimationes non simplices, adstrictum arctioribus vinculis matrimonium, novas affinitatis leges, aliaque permulta, quæ faciunt ut hac parte non paullo commodior videatur fuisse Judæorum, quam nostra conditio. SA. Erras tota via Lanio: Christi jugum non æstimatur ad istam regulam, quam imaginaris. Pluribus adstringitur Christianus, & adstringitur ad difficiliora, denique ad pœnam graviorem: sed his adjuncta copiosior vis fidei & caritatis, facit ea suavia, quæ natura sunt gravissima. LA. Atqui cum olim Spiritus specie linguarum ignearum è cœlo delapsus, copiosissimo dono fidei & caritatis locupletarit credentium pectora, cur detractum est Legis onus, velut imbecillibus ac sub iniqua sarcina periclitantibus? Cur Petrus jam afflatus spiritu vocat onus intolerabile? SA. Detractum est ex parte, ne Judaismus, ut cœperat, obrueret Evangelii gloriam, & ne Legis odio, gentes alienarentur à Christo.

obedire noluerunt, sive etiam cum per ætatem audire non possent, lavacrum regenerationis quod accipere possent, per quod salvi fierent, non acceperunt, NB. juste utique damnantur. Vah!

sto. Inter quas erant infirmi plurimi, quibus instabat duplex periculum: alterum, ne crederent, sine legis observatione neminem posse salutem consequi: alterum, ne potius haberent in [1] paganismo manere, quam Mosaicæ legis jugum accipere. Horum imbecilles animos oportebat velut esca quadam libertatis allicere. Rursus quo mederentur illis, qui negabant ex Evangelii professione salutis esse spem citra Legis observationem; circumcisionem, sabbatismos, delectus ciborum, aliaque id genus aut prorsus sustulerunt, aut in aliud verterunt. Porro quod Petrus negat, se Legis onus portare potuisse, non est referendum ad eam personam, quam tum gerebat, cum illi jam nihil esset intolerabile, sed ad crassos & infirmos Judæos, qui non sine tædio arrodebant hordei [2] tunicam, nondum gustata spiritus medulla. LA. Satis tu quidem crasse disseris. Atqui mihi videtur & hodie non minus esse causarum, cur observationes istæ carnales hactenus tolli debeant, ut [3] arbitrariæ sint, non [4] obligatoriæ. SA. Qui sic? LA. Nuper in linteo quodam amplissimo vidi totum orbem depictum. Illic didici quantula esset mundi portio, Christi religionem pure sincereque profitens: nimirum Europæ particula vergens ad Occidentem: rursus altera vergens ad Septentrionem, tertia tendens, sed procul, ad Meridiem: ad Orientem vergentis quartæ postrema videbatur Polonia. Reliquus orbis aut [5] Barbaros habet, non ita multum à brutis animantibus

1 *Paganus* Ecclesiasticis Scriptoribus dicitur Ethnicus, & *Paganismus* status Ethnici.

2 Exteriores membranas. Allegoria est ad historiam sacram de panibus hordeaceis; quam Evangelistæ describunt & præcipue Lucas Cap. 6. ubi illæ Judæorum de pane quæstiones.

3 Cujusvis arbitrio relictæ.

4 Tantæ authoritatis, ut quemvis obligent.

5 Primum Græci, dein Romani omnes alias gentes, se exceptis, barbaros dixerunt. *Barbari* quoque sunt, qui dure & aspere loquuntur. Item homines moribus feris & incultis, quales hic Autor describit non multum à brutis animantibus differentes.

1 Per

bus differentes, aut [1] schismaticos, aut [2] hæreticos, aut utrumque. SA. At non vidisti totum illud litus Australinum, & sparsas insulas Christianis insignibus notatas? LA. Vidi, didicique illinc avectas prædas; Christianismum inductum non audivi. Cum igitur tam ampla sit messis, videtur hoc esse consultissimum ad religionem Christianam propagandam; quemadmodum Apostoli sustulerunt onus legis Mosaicæ, ne gentes resilirent, ita nunc, ad illiciendos etiam imbecilles, tolli quarundam rerum obligationes, sine quibus initio servatus est orbis, & nunc servari posset, modo adsit fides & charitas Evangelica. [3] Rursus audio videoque plurimos esse, qui in locis, vestibus, cibis, jejuniis, gesticulationibus, cantibus, summam pietatis constituunt; & ex his proximum judicant, contra præceptum Evangelicum. Unde fit, ut cum omnia referantur ad fidem & caritatem, harum rerum superstitione extinguatur utrumque. Procul enim abest à fide Evangelica, qui fidit hujusmodi factis: & procul abest à caritate Christiana, qui ob potum aut cibum, quo recte quis uti potest, exasperat fratrem, pro cujus libertate mortuus est Christus. Quam amarulentas contentiones videmus inter Christianos? quam inimicas calumnias ex veste aliter cincta tinctave, [4] ex cibo, quem porrigunt aquæ, & quem porrigunt pascua? Hoc malum si ad paucos serpsisset, contemni poterat. Nunc videmus, universum orbem ob hæc dissidiis exitialibus concuti. Hæc & hujusmodi si tollerentur, & nos majori concordia vive-

1 Per schismaticos in Ecclesia Christiana intelliguntur ii, qui prius consenserunt, sed pace disrupta, inter sese dissident: à σχίζω findo, unde σχίσμα vel σχισμὸς fissura. Exprimit hoc Virg. Æneid. lib. 2. *Scinditur incertum studia in contraria vulgus.*

2 Revise notas in pag. 474.

3 Et tu lector audi, & vide Papicolarum Ἐγκωμίων belle depictam.

4 *Ex cibo quem porrigunt aquæ*, id est, ex piscibus, & *quem porrigunt pascua*, id est, carnibus.

viveremus, neglectis [1] cæremoniis, ad ea tantum contendentes, quæ docuit Christus, & reliquæ nationes citius amplecterentur religionem cum libertate conjunctam. SA. Extra Ecclesiæ domum non est salus. LA. Fateor. SA. Extra [2] Ecclesiam est, quisquis non agnoscit pontificem Romanum. LA. Non reclamo. SA. Sed hunc non agnoscit, qui illius præscripta negligit. LA. Atque ideo spero futurum, ut hic pontifex nomine [3] Clemens, animo pietateque clementissimus, quo magis omnes nationes ad Ecclesiæ sodalitatem alliciat, omnia mitiget, quæ hactenus visa sunt aliquot populos à Romanæ sedis fœdere alienare; potiusque habeat Evangelii lucrū, quam suum in omnibus jus persequi. Audio quotidie veteres querimonias de [4] annatis, de

1 *Cæremoniæ* vel *Ceremoniæ* sunt sacrorum ritus. Respice pag. 221.

2 *Extra Ecclesiæ domum non est salus*, Papicolarum vetus cantilena est. Et quod additur: *Extra ecclesiam est, quisquis non agnoscit Pontificem Romanum*, ejusdem nota fabula. Felices equidem quibus isto Vicario, si Diis placet, non opus est, sed Deum verum vere agnoscunt. Hi gaudent esse extra Ecclesiam, sed Pontificiam.

3 Itane Clemens iste animo pietateque clementissimus ab Erasmo vocatur! Sic solet is Pontificibus blandiri, metuens fulmen, cum jam sacerdotum & monachorum vulgus adversus eum odium exerceret capitale. Scripsit ad hunc Clementem duas, quæ extant, epistolas, quarum altera est mihi in editione Londinensi lib. 19. Ep. 1. scripta anno 1524. cum pontificatum maximum auspicaretur. Eam hisce verbis claudit. *Precor beatissime Pater, ut Dominus Jesus te velit esse novi & aurei seculi vindicem ac instauratorem, id quod vehementer & optamus, & futurum confidimus*, &c. Altera est libr. xx. Epist. Lxxxii. in cujus fine hæc legi: *Animum meum simpliciter aperui sanctitati tuæ, tanquam coram Christi Vicario, atque ipso etiam Christo.* (questus erat de injuria quorundam, qui apud Clementem eum insimulare conabantur, quasi clam Luthero faveret) *quem mihi sic opto propitium in extremo judicio, ut hic nihil simulo*, &c. *Sanctitas tua, si quid mihi imperare volet, habet oviculam, etiam ad victimam paratam, si ipsius jusserit auctoritas.* Vox hercle ad adulationem composita. Fuit autem hic Clemens VII. Florentinus, Leonis X. nothus, à Cæsarianis post occupatam & direptam Romam captus. Qualis vero fuerit aurei seculi instaurator facile quis ex eo conjiciat, quod ab ipsis Pontificiis omnium scelerum artifex dictus sit.

4 Ita vocant primos fructus unius anni Sacerdotii vacantis, aut saltem dimidiam eorum partem.

1 Sive

de [1] condonationibus, de [2] dispensationibus, de gravatis Ecclesiis: sed arbitror [3] hunc ita moderaturum omnia, ut posthac impudens sit, qui pergat queri. SA. Utinam idem facerent omnes [4] monarchæ! Nihil addubito quin res Christiana nunc in arctum coacta feliciſſime sit proferenda, si gentes barbaræ senserint se vocari non ad servitutem humanam, sed ad libertatem Evangelicam; nec ad rapinam expeti, sed ad felicitatis & sanctimoniæ consortium. Ubi coaluerint, & in nobis mores vere Christianos compererint, ultro plus offerent, quam ab eis ulla vis queat extorquere. LA. Id brevi futurum [5] auguror, si pestilens [6] Ate, quæ [7] duos potentissimos orbis monarchas funesto bello commisit, abierit [8] ἐς κόρακας. SA. Atque ego demiror jam dudum non esse factum, cum Francisco nihil fingi possit humanius, & Carolo Cæsari arbitror à [9] præceptoribus instillatum, ut quo per fortunam plus accesserit imperii finibus, hoc ipse plus addat clementiæ benignitatisque. Ad hæc, habere solet & ætas ea peculiarem facilitatis ac mansuetudinis dotem. LA. Nihil est quod in utroque

1 Sive Pontificis Maximi indulgentiis, ut vocant, ex quarum impudentissima venditione, quam Leo X. lucri causa instituerat, Lutherus occasionem arripuit Paparum nequitias detegendi.

2 Quibus Pontifex Romanus pro libitu de rebus omnibus dispensat.

3 *Clementem* scil. Egregium vero lupum, cui oves committantur!

4 Μόναρχος vel *us*, qui solus dominatur.

5 Conjicio. Augurari proprie est ex volatu, pastu vel cantu avium futura prædicere.

6 Ἄτη, Græcis, *noxa*, Dea Homerica est, quæ dissidia serit inter Deos & homines. Iliad. T. Πρέσβα Διὸς θυγάτηρ Ἄτη ἣ πάντας ἀᾶσαι οὐλομένη. Id est, *Veneranda Jovis filia Ate, quæ omnes offendit pernicioſa.*

7 Loquitur autor de gravissimo bello tunc temporis fœviente inter Carolum V. Cæsarem & Hispaniarum regem, ac Franciscum Valesium ejus nominis primum Galliarum regem.

8 Ἐς κόρακας, id est, *ad corvos*. Græcorum imprecatio est. Latinis *in malam rem*, vel *in malam crucem*.

9 Designat autor huic Carolo V. non defuisse præceptores probos, inter quos fuit Adrianus Florentii Ultrajectinus, postea Pontifex Maximus. Sed Carolus magis Matti quam Musis addictus, reliquerat hunc anno ætatis suæ decimo septimo.

utroque desideres. SA. Quid igitur remoratur publicum orbis votum? LA. Adhuc jureconsulti [1] de finibus ambigunt: & scis, [2] comœdiarum tumultus semper desinere in nuptias: itidem principes suas finiunt [3] tragœdias; sed in comœdiis subito coëunt nuptiæ; hic inter magnos magnis moliminibus res agitur. Et præstat aliquanto serius obduci cicatricem, quam mox interim [4] hulcus erumpere. SA. An credis istas nuptias esse firma concordiæ vincula? LA. Vellem quidem, sed ex his video fere nasci maximam bellorum partem: & si quod bellum ortum fuerit, dum affinis adest affini, latius se spargit incendium, & difficilius componitur. SA. Fateor, & agnosco verissimum esse quod dicis. LA. Sed æquumne tibi videtur, ut ob jureconsultorum rixas & contractuum moras totus orbis tantum perpetiatur mali? Nunc enim nihil usquam tutum est, & pessimis licet plurimum; dum neque bellum est, neque pax. SA. De Principum consiliis non est meum dicere. Verum si quis me faciat Cæsarem, scio quid sim facturus. LA. Eja, facimus te Cæsarem, simulque Romanum Pontificem, si libet. Quid facis? SA. Fac me potius Cæsarem & regem Galliæ. LA. Age, esto utrumque. SA.

1 De terminis imperii, jocus est.

2 Orta est *Comœdia* (inquit Euanthius) ἀπὸ τῆ κωμῶν ἢ τῆς ᾠδῆς compositio nomine, ἀπὸ τῦ κωμάζειν, ἢ ἄδειν, quod est comessatum ire cantantes: quod à Poetis solenni die, vel amatorie lascivientibus choris comicis, non absurdum est.

3 *Tragœdia* vero dicebatur vel ἀπὸ τῦ τράγε ἢ τῆς ᾠδῆς, hoc est ab hirco hoste vinearum, & à cantilena. Ejus ipsius rei apud Virgilium plena fit mentio. Vel quod hirco donabatur ejus carminis poeta: vel quod uter ejus musti plenus solemne præmium cantoribus fuerat: vel quod ora sua fecibus perlinebant scenici ante usum personarum, ab Æschylo repertum. Feces enim dicuntur Græce τρύγες. Huc confer quæ supra annotavimus in *Colloq. Senil.* pag. 326.

4 Hulcus vel ulcus, uti holus, vel olus.

1 *Indu-*

SA. Protinus concepto pacis voto edicerem per universam ditionem meam [1] inducias, dimissis copiis, denuntians pœnam capitis, si quis vel gallinam alterius arrigerit. Ita pacatis rebus meo commodo, vel, ut melius dicam, publico, [2] transigerem de ditionis finibus, aut de conjugii conditionibus. LA. Habesne firmiora fœderis vincula, quam matrimonium? SA. Arbitror. LA. Imparti. SA. Si Cæsar essem, sic absque mora transegissem cum Rege Gallorum: Frater, malus quispiam [3] genius bellum hoc inter nos excitavit; neque tamen inter nos certamen fuit [4] de capite, sed de ditione. Tu quod in te fuit, fortem ac strenuum bellatorem præstitisti. Fortuna mihi favit, teque ex rege fecit [5] captivum. Quod accidit tibi, mihi potuit accidere; & tua [6] calamitas omnes nos admonet humanæ conditionis. Experti sumus, quam hoc certaminis genus utrique sit incommodum. Age, [7] diverso genere inter nos con-

1 *Inducia* sunt, juxta Varronem, pax castrensis paucorum dierum, aut belli feriæ. Sunt qui inducias dictas existimant quasi initus, & introitus: quod induciæ sint, cum hostes inter sese utrinque, ultro citroque alteri ad alteros impune & sine pugna ineunt. Alii aliter definiunt. Græce ἐκεχειρία, quasi ἐκ χειρία, παρὰ τὸ ἔχειν τὰς χεῖρας, quod eo tempore manus cohibeantur à pugna.

2 Paciscerer. Respice *Colloq. Senil.*

3 Spiritus malus, κακοδαίμων. Veteres genium vocarunt uniuscujusque loci & hominis peculiarem quendam Deum, Dæmonem, vel angelum.

4 Fuisset certe, si Carolus consensisset; Franciscus enim Cæsarem, cum sanguinis impendio bellum vellet dirimere, ad singulare certamen provocavit.

5 Verum est, Franciscus Galliarum rex post occupatum Mediolanum Cæsarianos Ticini obsidens, à Borbonio recentibus ex Germania copiis aucto invaditur. Ille autem, toto exercitu trepidante, semel atque iterum suffosso equo, intrepide pedestre certamen init, nullum fortissimi pariter ducis ac militis officium omittens. Irruente demum turma, Lanoio, diffisus Borbonio sui deditionem facit. Captus in Hispaniam ducitur, tuto custodiendus. Ibi ex animi ægritudine morbo contracto vitæ periculum adit. Recreatus mox recepit conditiones, quas fortuna suaserat, idemque aliquanto post in Galliam liber dimissus est, datis antea liberis obsidibus.

6 Respice pag. 261.

7 Longe alia via.

conflictemur. Dono tibi vitam, dono libertatem; pro hoste recipio te in amicum. Sit omnium præteritorum malorum oblivio; redi ad tuos gratis ac liber; habe tibi tua; esto bonus vicinus, & posthac geratur unum hoc certamen inter nos, uter alterum fide, officiis, ac benevolentia vincat; neque certemus uter altero latius regnet, sed uter sanctius administret suam ditionem. In priori conflictu fortunati laudem tuli: heic qui vicerit, longe splendidius auferet decus. Mihi quidem hæc clementiæ fama plus adferet veræ laudis, quam si universam Galliam meæ ditioni adjunxissem. Et tibi gratitudinis opinio plus decoris conciliabit, quam si me tota Italia depulisses. Noli invidere mihi laudem, quam affecto; ego vicissim tuæ sic favebo, ut huic amico libenter sis debiturus. LA. Profecto sic possit adstringi Gallia, imo totus orbis. Etenim si conditionibus iniquis hulcus hoc obducatur verius quam sanetur, vereor ne mox per occasionem rupta cicatrice pus vetus erumpat majore cum malo. SA. Quam magnificam, quamque plausibilem gloriam hæc humanitas per universum orbem pararet Carolo? Quæ natio se non lubens tam humano, tamque clementi principi submitteret? LA. [1] Egisti Cæsarem sat feliciter; nunc age Pontificem. SA. Perlongum sit singula persequi: dicam [2] compendio. Sic agerem, ut universus orbis intelligeret esse principem ecclesiæ, qui nihil aliud [3] sitiret quam Christi gloriam, & salutem omnium mortalium. Ea res vere mederetur invidiæ pontificii nominis, & solidam ac perennem pararet gloriam. Sed interim

[1] ab

1 Repræsentasti personam Cæsaris. Sic dicimus agere Comœdiam vel Tragœdiam: quoniam diversorum hominum gestis aguntur, id est fingunur, vel repræsentantur in scena.
2 Breviter.
3 Avide desideraret.

[1] ab asino, quod ajunt, delapsi, multum aberravimus ab instituto. LA. Ego te mox reducam in viam. Ais igitur, obligare Pontificum leges omnes, qui sunt in ecclesia? SA. Ajo. LA. Ad pœnam [2] gehennæ? SA. Ajunt. LA. Etiam episcoporum? SA. Sic arbitror; in sua cujusque ditione. LA. Etiam Abbatum? SA. Hæreo: nam hi certis conditionibus accipiunt administrationem; nec possunt suos gravare constitutionibus, nisi ex auctoritate totius ordinis. LA. Quid si episcopus iisdem conditionibus accipiat suam functionem? SA. Addubito. LA. Quod episcopus constituit, pontifex potest rescindere? SA. Opinor. LA. Quod pontifex decrevit, nemo potest abrogare? SA. Nemo. LA. Unde igitur audimus [3] rescissas pontificum sententias, hoc titulo, quod parum recte fuerint edocti; & priorum constitutiones à posterioribus antiquatas, quod à pietate [4] delirarent? SA. Ista [5] subrepticia sunt, ac temporaria. Nam & in pontificem, ut hominem, cadit ignorantia personæ factive. Cæterum quod ex auctoritate concilii universalis proficiscitur, cœleste oraculum est, & pondus habet par Evangeliis, aut certe proximum. LA. Licetne de Evan-

2 *Delapsi ab asino*, id est, à priore sermone. Erasmus in Chiliadibus vult hoc adagium dici in eos, qui inconsulte quippiam agunt &c. Est autem in Græcis verbis faceta allusio ad finitimam orationem, si quis pro ἀπ' ὄνου καταπεσών (i. e. ab asino delapsus) ἀπὸ νῦ καταπεσών (id est à mente delapsus tanquam vecors, & mentis impotens) Alii quoque huic proverbio fabulam affingunt, quam vide in Autoris adagiis.

2 *Gehenna*, vox origine Hebræa, composita ex *Ge*, & *Hinnon*, i. e. vallis Hinnon, locus Hierosolymæ vicinus, ubi olim Judæi, vicinarum gentium idololatriam imitantes, execrabili quadam crudelitate filios suos Molocho immolabant. Hoc autem loco, ut & sæpissime in novo fœdere, metaphorice sumitur pro damnatorum supplicio, & cruciatus æterni loco.

3 *Rescissas* idem vult, quod mox sequens *antiquatas*, id est, abrogatas.

4 Aberrarent delitantes.

5 Ista *subrepticia* sunt, i. e. ista quidem clam subrepunt aliquando, vel fiunt pro tempore. Vox Plautina est.

Evangeliis dubitare? SA. [1] Bona verba; [2] ne de conciliis quidem rite in spiritu sancto congregatis, peractis, editis & receptis. LA. Quid si quis dubitet, an hæc competant in concilium? quod objicitur; quemadmodum audio [3] Basilienſe concilium à nonnullis rejici, nec omnibus probari [4] Conſtantienſe; loquor de his, qui nunc habentur [5] orthodoxi; ne quid dicam de proximo concilio [6] Lateranenſi. SA. Dubitent qui velint, ſuo periculo, ego nolo dubitare. LA. Petrus igitur habuit auctoritatem condendi novas leges? SA. Habuit. LA. Habuit & Paulus cum cæteris Apoſtolis? SA. Habuerunt in ſuis quisque eccleſiis, à Petro, ſeu Chriſto commiſſis. LA. Et Petri [7] ſucceſſoribus par eſt poteſtas cum ipſo Petro? SA. Quid ni? LA. Tantundem igitur honoris debetur reſcripto Romani Pontificis, quantum epiſtolis Petri; & tantundem conſtitutionibus epiſcoporum, quantum epiſtolis Pauli? SA. [8] Equidem arbitror etiam amplius deberi, ſi præcipiant, & legem ferant cum auctoritate. SA. Sed fasne eſt dubitare, an Petrus & Paulus ſcripſerint [9] afflatu

1 *Bona verba* locutio eſt, qua quæ ſunt dura vel acerba dictu per ironiam mollire ſtudemus. Eſt enim ironiæ ſpecies, quam Charientiſmum vocant.

2 Qui vere Chriſtianus eſt non de Evangeliis, verum jure merito de Conciliis dubitabit.

3 Quod Baſileæ congregatum fuit. Baſilea vero, nobilis illa Helvetiorum civitas, in qua Eraſmus diu vixit, & mortuus eſt, ſupra plus ſemel occurrit.

4 Quod Conſtantiæ celebratum fuit anno 1414. & quatuor ſequentibus. Eſt autem Conſtantia, vulgo *Conſtanz*, libera Germaniæ urbs in confinio Helvetiorum, ad lacum Venetum ſeu Conſtantienſem.

5 *Orthodoxus* Gr. ὀρθόδοξος, dicitur cui recta eſt opinio. In rebus fidei contrarius eſt Hæreticus.

6 *Lateranum* & templum eſt Romæ, divo Joanni dicatum, vulgo *S. Giovanni Laterano*, & palatium pontificis quæ totius urbis primaria Baſilica eſt, in monte Cœlio apud portam Latinam. In hoc palatio quinque Concilia generalia habita ſunt, quæ œcumenica vocarunt. Primum ſub pontifice Caliſto ſecundo, anno 1123. Secundum ſub Innocentio ſecundo, anno 1139. Tertium ſub Alexandro tertio, anno 1179. Quartum ſub Innocentio tertio, anno 1215. & quintum (de quo hic agitur) ſub Leone decimo, anno 1513. usque ad annum 1517.

7 Qui vero ſunt iſti ſucceſſores Petri? Num pontifices Romani? nugæ.

8 Et ego equidem ſic arbitror, Chriſtianum qui hoc ſeſe credere profitetur eſſe ſtultum.

9 Inſtinctu, Metaphora de qua ſupra.

1 Sic

flatu divini spiritus? SA. Imo hæreticus sit qui dubitet. LA. Idem censes de rescriptis & constitutionibus pontificum & episcoporum? SA. [1] De pontifice censeo; de episcopis ambigo, nisi quod pium est, de nullo perperam suspicari, ni res ipsa palam clamitet. LA. Cur spiritus citius patitur errare episcopum, quam pontificem? SA. Quia gravius est à capite periculum. LA. Si tantum valent [2] præsulum constitutiones, quid sibi vult quod Dominus in [3] Deuteronomio tam rigide comminatur, ne quis quid addat aut adimat legi? SA. Non addit legi, qui latius explicat quod latebat, qui ea suggerit quæ spectant ad legis observationem, neque detrahit qui pro viribus audientium legem dispensat, alia promens, alia celans pro ratione temporis. LA. Num obligabant Pharisæorum ac Scribarum constitutiones? SA. Non arbitror. LA. Cur ita? SA. Quia docendi habebant auctoritatem, non condendi leges. LA. Utra potestas videtur amplior, condendi leges humanas, an interpretandi divinas? SA. Condendi humanas. LA. Mihi secus videtur. Etenim cui jus est interpretandi, hujus sententia pondus habet legis divinæ. SA. Non satis [4] assequor quod dicis. LA. Dicam explanatius. Lex divina jubet [5] subvenire parenti? Pharisæus interpretatur hoc esse datum patri, quod missum est in [6] corbonam, eo quod Deus sit pater omnium. Nonne huic interpretationi cedit lex divina? SA. Ista quidem falsa interpretatio est. LA. Sed

1 Sic salsamentarium salse ridentem loqui decet, alia, crede mihi lector, Etasmi mens fuit.

2 Respice præcedens Colloq. pag. 487.

3 Quintus liber Mosis dicitur *Deuteronomium*, à δεύτερος secundus, & νόμος lex, quia Deus post constractas legis tabulas à Mose, iterato easdem dedit.

4 Intelligo.

5 Auxilium ferre.

6 Κορβανᾶν Syriace, קרבן Hebraice, *oblatio* est, vel *donum Deo oblatum*, Item apud Judæos locus ubi oblationes hæ reponebantur, metonymice *Corban* dictum est.

Sed posteaquam illis semel tradita est interpretandi auctoritas, unde mihi constabit, cujus sit vera interpretatio, maxime si ipsi inter se dissentiant? SA. Si minus satisfecit tibi sensus communis, sequere præsulum auctoritatem; id [1] tutissimum est. LA. Ergo Pharisæorum & Scribarum auctoritas devoluta est ad Theologos & concionatores? SA. Est. LA. Sed nullos audio frequentius inculcantes: Audite: ego dico vobis; quam eos qui nunquam versati sunt in palæstris Theologicis. SA. Audies omnes candide, sed cum judicio, modo ne simpliciter insaniant. Tum enim oportet populum cum sibilo surgere, quo suam agnoscant dementiam. Cæterum quibus contigit titulus doctoris, his oportet fidere. LA. Verum in his quoque comperio nonnullos multo rudiores ac stultiores illis, qui prorsus sunt illiterari: & inter doctissimos miram video controversiam. SA. Elige quæ sunt optima, inexplicata aliis relinquito, ea semper amplectens, [2] quæ procerum & multitudinis consensus approbavit. LA. Scio istuc esse tutius. Sunt igitur & constitutiones iniquæ, quemadmodum sunt interpretationes falsæ? SA. An sint, alii viderint; arbitror esse posse. LA. [3] Annas & Caiphas habebant potestatem condendi leges? SA. Habebant. LA. Num horum quavis de re constitutiones obligabant ad pœnam [4] gehennæ? SA. Nescio. LA. Puta Annam constituisse, ne quis reversus à foro

1 Æque tutum, ac si quis Pontificem statuat summum & infallibilem judicem in controversiis fidei & morum.

2 Ludis, ludis Salsamentarie. Tune suades ea amplecti quæ procerum & multitudinis consensus approbavit? De procerum consensu nihil dicam, de multitudinis vero audi nostrum ipsum autorem respondentem tibi in Colloq. Abb. & erud. *Quid mihi citas vulgum, pessimum bene gerendæ rei autorem.* Et similiter in Colloq. Puerpera. Proceres qui, & unde dicti respice in *Conviv. fabul.* pag 424.

3 Qui fuerint isti docet Joannes in Evangelio suo cap. 18. *Annas Pontifex ἦν πενθερὸς τῦ Καϊάφα* &c. Id est, *erat socer Caiphæ. Erat autem Caiphas is, qui consilium dederat Judæis, quod expediret unum hominem mori pro populo.*

4 Vide modo annotata.

1 Pon-

à foro sumeret cibum, nisi loto corpore: qui illotus caperet cibum, num crimen gehenna dignum admitteret? SA. Non arbitror, nisi contemtus publicæ potestatis crimen exacerbaret. LA. An omnia præcepta Dei obligant ad pœnam gehennæ? SA. Non opinor. Nam Deus prohibuit omne peccatum, quamlibet[1] veniale, si Theologis habenda fides. LA. Fortassis & veniale pertraheret in gehennam, nisi Deus sua misericordia sublevaret imbecillitatem nostram. SA. Non est absurdum dictu; affirmare non ausim. LA. Cum Israëlitæ exularent in Babylone, præter alia plurima quæ Lex præscripsit, in multis fuit omissa circumcisio. An omnes hi perierunt? SA. Deus novit. LA. Si Judæus clam fame periclitans vesceretur carne suilla, committeretne crimen? SA. Mea quidem sententia, necessitas excusaret factum: quandoquidem ore Domini defensus est David, quod contra legis præceptum comederit panes sacros, quos appellant propositionis: nec solum comedit ipse, sed & fugæ comites profanos iisdem pavit. LA. Si quem ea necessitas constringeret, ut aut pereundum sit fame, aut furtum committendum, utrum eligeret? mortem an furtum? SA. Forsitan in eo casu furtum non esset. LA. Hem quid audio? ovum non est ovum? SA. Præsertim si caperet animo reddendi, placandique dominum, cum primum laceret. LA. Quid si pereundum esset homini, nisi falsum testimonium ferat adversus proximum? utrum eligendum? SA. Mors. LA. Quid si commisso adulterio possit servare vitam? SA. Potior erit mors. LA. Quid si simplici stupro possis effugere mortem? SA. Moriendum potius, ut ajunt. LA. Cur hæc ovum non

[1] Pontificii statuunt esse peccata *venialia*, id est peccata leviora, quæ mortem æternam non merentur, & *lethalia*, quæ hominem infernalium pœnarum reum faciunt.

non desinit esse ovum; præsertim si nulla fiat vis aut injuria? SA. Fit injuria corpori puellæ. LA. Quid si perjurio? SA. Moriendum. LA. Quid si simplici nullique noxio mendacio? SA. Docent præoptandam mortem. At ego crediderim gravi necessitate, aut ingenti proposita utilitate mendacium hujusmodi aut nullum esse crimen, aut levissimum, nisi quod aperta fenestra periculum est, ne discamus & perniciosis mendaciis assuescere. Finge incidisse casum, ut innoxio mendacio possit servare & corpora & animas totius patriæ suæ; utrum eliget vir pius? fugiet mendacium? LA. Quid alii sint facturi, nescio: ego vel quindecim [1] Homerica mendacia non verear dicere, moxque labeculam illam abstergerem [2] aqua sacra. SA. Idem ego facerem. LA. Igitur non quidquid Deus præcipit aut intercidit, obligat ad pœnam gehennæ. SA. Non videtur. LA. Modus igitur obligationis non est ab auctore legis tantum, sed ex materia. Quædam enim cedunt necessitati, quædam non cedunt. SA. Sic videtur. LA. Quid si sacerdos periclitetur de vita, servandus, si ducat uxorem? Utrum eliget? SA. [3] Mortem. LA. Cum divina lex cedat necessitati, cur hæc lex humana [4] Terminum agit, nulli

1 Per excellentiam insignia mendacia vocat Homerica. Nam Homerus in carminibus suis scite mentitur, &, ut autor inquit, pater est omnium fabularum.

2 Ridet autor vulgi stultitiam, qui ista leviora, ut vocant, peccata, aspersione aquæ lustralis posse ablui falso putat.

3 Scilicet, quia perpetuæ castitatis votum fecit, ut mox sequitur. Sed ejusmodi votum stultissimum est. Exemplum tam stupendæ pertinaciæ dedit Michael ille Verinus, in quem ita lusit Ang. Politianus.

Verinus Michael florentibus occidit annis,
Moribus ambiguum major an ingenio.
Disticha composuit docto miranda parenti,
Quæ claudunt gyro grandia sensa brevi.
Sola Venus poterat lento succurrere morbo.
Ne se pollueret, maluit ille mori.
Sic jacet, heu patri dolor, & decus, unde juventus
Exemplum, vates materiam capiant.

4 *Terminus* ab antiquis Deus habitus est. Huic Numa templum instituit, ad tollendas lites de finibus agrorum. Ovid. fast. 2.

Termine sive lapis, sive es defossus in agris
Stipes, ab antiquis tu quoq; nomen habes.
& porro,
Tu populos urbesque, & regna ingentia finis:
Omnis erit sine te litigiosus ager.

Nota

nulli dignans concedere? SA. Non lex obstat, sed votum. LA. Quid si quis voviſſet visere Hieroſolymam, nec id poſſet, niſi certo vitæ diſpendio? non ibit? an morietur? SA. Morietur, ni voti relaxationem impetrarit à pontifice Romano. LA. Cur alterum votum relaxatur, alterum minime? SA. Quia alterum ſolemne, alterum privatum. LA. Quid eſt ſolemne? SA. Quod ſolet fieri. LA. An non igitur ſolemne & alterum quod quotidie fit? SA. Fit, ſed privatim. LA. Proinde monachus ſi privatim apud abbatem profiteretur, non eſſet votum ſolemne? SA. Nugaris. Ideo facilius relaxatur votum privatum, quia minore offendiculo ſolvitur; & is qui facit, hoc animo facit, ut ſi commodum ſit, mutet ſententiam. LA. Hoc igitur animo vovent qui privatim profitentur perpetuam caſtimoniam? SA. Deberent. LA. Perpetuum igitur, & non perpetuum? Quid ſi [1] Carthuſianum monachum hic conſtringat caſus, ut aut veſcendum ſit carnibus, aut moriendum? utrum eliget? SA. Docent medici, nullas eſſe carnes tam efficaces, quin idem efficiat aurum potabile & gemmæ. LA. Utrum igitur conducibilius gemmis & auro ſuccurrere periclitanti, an earum rerum pretio multos de vita periclitantes ſervare, & ægroto dare pullum gallinaceum? SA. Hæreo. LA. Atqui piſcium aut carnium eſus non eſt ex eorum numero

Nota eſt fabula de Termino, qui nec Jovi voluit concedere. Quum Tarquinius Jovi templum in monte Tarpejo concederet, ideoque fana & ſacella exaugurare veller, omnium exauguraciones aves admiſerunt, ſed in Termini fano non addixere. Idque omen auguriumque ita acceptum eſt, non motam Termini ſedem, unumque eum Deorum non evocatum ſacratis ſibi finibus, firma ſtabiliaque cuncta portendere. Lege Livium lib. 1. Hinc *agere Terminum* dicitur, qui nulli cedit, quod & Eraſmi ſymbolum fuit, ut ejus nummo argenteo conſtat.

1 Carthuſiani monachi præ omnibus ſtrictiſſimam vivendi regulam profitentur. Inter alia per totam vitam à carnibus abſtinent, etiam in graviſſimis morbis. Horum originem & mores vide ſupra, & quæ illic annotavimus, in colloq. *Militis & Carthuſiani* & in *Conviv. relig.* pag. 171.

numero quæ vocant ſubſtantialia. SA. Carthuſianos ſuo judici relinquamus. LA. Dicamus in genere. Diligenter, frequenter, multisque verbis inculcatur in lege Moſis [1] ſabbatiſinus. SA. Verum. LA. Utrum igitur ſuccurram urbi periclitanti violato ſabbato, an non? SA. At interim me vis eſſe Judæum? LA. Volo, & quidem [2] recutitum. SA. Iſtum nodum ſecuit ipſe Dominus. Sabbatum enim hominis cauſſa eſt inſtitutum, non contra. LA. Iſta lex igitur valebit in omnibus humanis conſtitutionibus? SA. Valebit, niſi quid obſtet. LA. Quid ſi [3] conditor legis non hoc animo ferat legem, ut quenquam obliget ad pœnam gehennæ, imo ne ad [4] reatum quidem ullum, ſed conſtitutionem nihilo plus velit habere ponderis quam exhortationem? SA. O bone, non eſt in manu conditoris, quantum obliget lex. Uſus eſt ſua poteſtate ferendo legem; cæterum ad quid obliget, aut non obliget, id Deo in manu eſt. LA. Cur igitur audimus quotidie parochos noſtros è ſuggeſto clamantes, Cras jejunandum ſub pœna damnationis æternæ; ſi nobis non conſtat, quomodo lex obliget humana? SA. Id faciunt, quo magis terreant contumaces: nam ad hos arbitror ea verba pertinere. LA. Sed interim an contumaces talibus dictis territent, neſcio: certe infirmos vel in [5] ſcrupulum, vel in periculum conjiciunt. SA. Difficile eſt utrisque conſulere. LA. Eadem autem eſt vis conſuetudinis & legis? SA. Aliquando major eſt conſuetudinis. LA. Proinde tametſi non adeſt animus conſuetudinem inducentibus injiciendi laqueum cui-

1 Obſervatio diei ſabbathi.

2 *Recutiti* dicuntur Synecdochice Judæi, quod ſunt nudati cuticula ſeu præputio. Circumciſus, recutitus, apella, verpus, ſynonyma ſunt.

3 Legislator.

4 *Reatus* hic ſignificat crimen, alioquin ſtatus reorum eſt.

5 *Scrupulum*, qui eſt proprie lapillus in calceo latens, & ambulatorem torquens, unde pro quavis ſollicitudine, difficultate, & anxia cura.

cuiquam, tamen obligat volentes nolentes? SA. Arbitror. LA. Onus imponere potest, tollere non potest? SA. Admodum. LA. Jam itaque vides, opinor, quantum sit periculi, novas leges ab hominibus ferri, si nulla necessitas urgeat, aut nulla magna invitet utilitas. SA. Fateor. LA. Dominus cum ait, Nolite omnino jurare; num quemvis jurantem obnoxium facit gehennæ? SA. Non arbitror. [1] Consilium est enim, non præceptum. LA. At istud unde mihi liquet, cum vix aliud accuratius aut severius interdixerit, quam ne juremus? SA. Disces à doctoribus. LA. Et Paulus cum dat consilium, non obligat ad gehennam? SA. Nequaquam. LA. Cur ita? SA. Quia non vult injicere laqueum infirmis. LA. Est igitur in manu condentis legem obstringere ad gehennam, aut non obstringere. Et sanctum est cavere, ne quibuslibet constitutionibus illaqueemus imbecilles. SA. Est. LA. Et, si Paulus heic cautionem adhibuit, multo magis sacerdotibus adhibenda; de quibus incertum, quo spiritu agantur. SA. Fateor. LA. Atqui paulo ante negabas esse in manu conditoris, quatenus obstringeret lex. Jam consilium est, non lex. LA. Nihil est facilius, quam commutare vocabulum. Noli furari præceptum est? SA. Est. LA. Noli omnino resistere malo? SA. [2] Consilium est. LA. At hoc posterius magis habet speciem præcepti, quam illud prius. Saltem hoc est [3] episcopis in manu, utrum velint esse præceptum, quod instituunt, an consilium? SA. Est. LA. At istud paulo ante fortiter negabas. Etenim qui non vult, suam constitutionem

[1] Si hoc consilium, non præceptum est, ergo omnia quæ Christus docuit & præcepit, eodem colore consilia vocet quis, non præcepta.

[2] Quasi vero consilium esset, quod Christus cum emphasi vetat fieri.

[3] Imo episcopi eo superbiæ, atque audaciæ devenerunt, ut sibi nihil illicitum existiment.

tionem quenquam ad ullum crimen adstringere; nimirum vult eam esse consilium, non præceptum. SA. Verum; sed non [1] expedit hoc scire vulgus, ne protinus clamitent esse consilium, quod servare non libet. LA. At quid interim facies tot infirmis conscientiis, tam misere confusis tuo silentio? Verum age, dic mihi, nullisne notis docti deprehendere possunt, utrum consilii vim habeat constitutio, an præcepti? SA. Possunt, sicut audivi. LA. Non licet scire [2] mysterium? SA. Licet, nisi velis [3] effutire. LA. Ah, [4] pisci dixeris. SA. Cum nihil audis, nisi hortamur, ordinamus, mandamus, consilium est: cum audis, jubemus, districte præcipimus, præsertim si accedant minæ [5] excommunicationis, præceptum est. LA. Quid si debeam pistori meo, cumque solvendo non sim, fugere malim quam conjici in carcerem; num pecco criminaliter? SA. Non arbitror: nisi desit solvendi voluntas. LA. Cur igitur excommucor? SA. Istud [6] fulmen territat improbos, non adurit innocentes. Scis enim & apud priscos Romanos fuisse leges diras ac minaces, sed in hoc ipsum tantummodo latas; qualis illa fertur [7] è duodecim tabulis,

1 Prodest, utile est.

2 Μυστήριον, arcanum.

3 Garriendo divulgare. Revise notas in colloq. *adolesc. & scorti*, pag. 283.

4 *Pisci dixeris*, hoc est taciturno. Pisces mutos esse declarat proverbium. Simile est *lapidi dixeris*.

5 *Excommunicationem* vocant ecclesiastici separationem ab ecclesia.

6 De fulmine excommunicationis, ut vocant, quo Pontifices & episcopi feriunt, vide annotata in colloq. *Inquis. de fide*, in principio.

7 Decemviri legibus scribendi consulari potestate apud Romanos fuere. Hi leges ex Græcorum civitatibus petitas in X. tabulas retulerunt, duabus postea adjectis, quas XII tabularum leges dictas legimus. Aulus Gellius, quem alii Agellium voluerunt, lib. XX. cap. I. narrat legem apud priscos fuisse, qua sancitum erat, ut si quis, debitor pluribus creditoribus reus judicatus esset, liceret iis, si vellent, corpus hominis sibi addicti secare, atque partiri, quo (Gellii verba adscribam) *nihil profecto immitius, nihil immanius: nisi, ut re ipsa apparet, eo consilio tanta immanitas pœnæ denunciata est, ne ad eam unquam perveniretur. Addici namque nunc & vinciri multos videmus, quia vinculorum pœnam deterrimi homines contemnunt. Dissectum esse antiquitus neminem equidem neque legi, neque audivi*, &c.

tabulis, de dissecando corpore debitoris: cujus ideo nullum exstat exemplum, quod non in usum, sed ad terrorem esset prodita. Jam ut fulmen non agit in ceram aut linum, sed in æs: ita tales excommunicationes non agunt in miseros, sed in contumaces. Et tamen, ut ingenue dicam, in hujusmodi frivolis adhibere fulmen à Christo traditum, propemodum esse videtur, quod veteres dicebant, [1] In lente unguentum. LA. Num idem jus patrisfamilias in sua domo, quod episcopo in sua [2] diœcesi? SA. Arbitror, pro portione. LA. Et hujus præscripta similiter obligant? SA. Quid ni? LA. Edico, ne quis vescatur cæpis; quomodo periclitatur apud Deum, qui non paruerit? SA. Ipse viderit. LA. Posthac non dicam meis, præcipio, sed admoneo. SA. Sapies. LA. Verum perspicio vicinum meum proximum esse periculo; & arreptum clam admoneo, ut sese subducat ab ebriosorum & aleatorum commercio: ille monitorem aspernatus, perditius incipit vivere, quam antea, num heic illum obstringit admonitio? SA. Videtur. LA. Igitur neque consulendo, neque exhortando fugimus laqueum. SA. Imo non adfert laqueum admonitio, sed admonitionis argumentum. Etenim si frater admonitus, ut crepidis uteretur, negligeret, nullo crimine teneretur. LA. Non heic percunctabor, quantum obligent præscripta medicorum. Votum obstringit ad pœnam gehennæ? SA. Maxime.

LA.

1 *In lente unguentum*, supple addis, vel misces. Gr. τὸ ἐν φακῇ μύρον. Quadrat in hominem, aut in rem quampiam, quæ nentiquam in tempore adhibeatur iis, quibus minime congruit. Veluti si Philosophum lascivientium adolescentulorum choro misceas, aut inter pocula de rebus gravissimis disputare incipias. Quemadmodum scilicet lenticulæ, vili legumini, inepte quis pretiosum unguentum admiscuerit.

2 *Diœcesis* Gr. διοίκησις, proprie *administratio*. Item Diœcesin vocant eam Provinciam, cui Episcopus præest, & cui jus dicit.

LA. Omne? SA. [1] Omnissimum; modo sit licitum, legitimum ac liberum. LA. Quid appellas liberum? SA. Quod nulla extorsit necessitas. LA. Quid est necessitas? SA. Est metus cadens in constantem virum. LA. Etiam in [2] Stoicum? quem, [3] *Si fractus illabatur orbis, impavidum ferient ruinæ.* SA. Istum Stoicum mihi ostende, & respondebo. LA. Sed extra jocum; num famis aut infamiæ metus cadit in constantem virum? SA. Quid ni? LA. Si filia nondum [4] emancipata clam nubat insciis parentibus, nec passuris si sciant; legitimum erit votum? SA. Erit. LA. An sit, nescio: certe si qua sunt, hoc est unum ex illorum numero, quæ licet vera sint, tamen ob scandalum imbecillium silenda sunt. Quid si virgo, quæ ex autoritate parentum contraxit matrimonium cum sponso, clam & invitis parentibus, voto semet addicat collegio sanctæ [5] Claræ; eritne licitum & legitimum? SA. Si fuerit solemne. LA. Num solemne est, quod in agro fit, in obscuro [6] monasteriolo? SA. Sic habetur. LA. Si eadem domi paucis testibus voto profiteatur perpetuam corporis [7] integritatem, non erit legitimum? SA. Non. LA. Quam ob rem? SA. Quia sanctius votum obstat. LA. Eadem puella si vendat agellum, valebit contractus? SA. Non opinor. LA. Et valebit si seipsam dede-

1 Autoritate Erasmi, qui videtur velle imitari Plautum, ubi *ipsissimus* inquit sicuti Aristophanes αὐτίστατος.

2 *Stoici*, masculi illi ac severi philosophi, ita dicti à Stoa, Porticu Athenensi, in qua Zeno, hujus sectæ institutor, docuit.

3 Versus ex Horatii Od. 3. lib. 3 cujus initium: *Justum & tenacem propositi virum.*

4 Sui juris facta, aut quæ ex patris jure exiit.

5 Unde Virgines Claranæ dicuntur. Hæc Clara, quam Pontificii Divis adscripserunt, Franciscí istius sancti, si Diis placet, coætanea, ejus instinctu, invitis parentibus, monachicam vitam amplexa est, & paupertum virginum collegium instituit.

6 Quod non raro fit hortatu impiorum monachorum, ut stolidarum vitgunculatum nummis suum luxum expleant.

7 Castitatem.

1 Pon

dederit in potestatem alienam? SA. Si se Deo dicaverit. LA. An non & votum privatum dicat hominem Deo? Et qui suscipit sanctum conjugii [1] sacramentũ, nonne se dicat Deo? Et quos Deus jungit, dicant se diabolo? De solis conjugibus dixit Dominus, Quos Deus junxit, homo ne separet. Ad hæc, cũ adolescens vix dum pubescens, aut puella simplex, minis parentum, sævitia tutorum, [2] improbis instinctibus monachorum, blanditiis & odiis protruditur in monasterium; num liberum est votum? SA. Si sint [3] doli capaces. LA. Ea ætas maxime capax est doli, ut cui facillime possis [4] imponere. Quid si proponam in animo, diebus Veneris abstinere à vino; perinde obstringit propositum ut votum? SA. Non arbitror. LA. Quid igitur interest inter certum propositum, & votum tacita cogitatione conceptum? SA. Animus obligandi. LA. Negabas ante, heic valere animum. Propono si queam, & voveo, sive queam, sive non queam? SA. Habes. LA. Habeo nebulas in pariete depictas, hoc est, nihil. Est igitur & in proposito despicienda materiæ ratio? SA. Opinor. LA. Et ut illic à legis, ita heic à voti nomine cavendum? SA. Recte. LA. Si Romanus Pontifex statueret, ne quis jungat matrimonium intra septimum propinquitatis gradum; admitteret crimen, qui duceret cognatam gradu sexto? SA. Opinor; certe periclitaretur. LA. Quid si episcopus suis ediceret, ne quis [5] haberet rem cum uxore, nisi die Lunæ, Jovis & Sabbati;

1 Pontificii septem Novi Testamenti Sacramenta agnoscunt, inter quæ & matrimonium.

2 Et hoc est se dicare Deo, aut nubere Christo, ut stulti Papicolæ vocant. Sed revise superiora Colloq. quorum tituli *Virgo μισόγαμος*, & *Virgo pœnitens*. In iis disces lector, istud esse nubere crasso monacho.

3 Ita loquuntur Jurisconsulti. Alter ex ambiguo jocatur, quasi doli capax, qui dolo est idoneus.

4 Imponere pro decipere.

5 Coiret.

Sabbati; committeret crimen, qui clam aliis diebus uteretur uxore? SA. Arbitror. LA. Quid si edicere-ret, ne quis [1] bulbis vesceretur? SA. Quid istuc ad pietatem? LA. Quia bulbi provocant libidinem. Quod de bulbis dico, idem dictum puta de [2] erucis. SA. Hæreo. LA. Quid hæres? Unde est humanis legibus obligandi vis? SA. Ex dictis Pauli, Obedite præpositis vestris. LA. Hinc igitur obligat omneis episcoporum ac magistratuum constitutio? SA. Modo sit æqua, justa, & legitime lata. LA. Sed istius rei quis erit judex? SA. Ipse qui condidit. Nam ejus est interpretari, cujus est condere legem. LA. Ergo citra delectum est obediendum quibuslibet constitutionibus? SA. Opinor. LA. Quid si præpositus stultus & impius ferat legem impiam & iniquam? Ipsius judicio standum erit; & populus, cui nullum est judicandi jus, obtemperabit? SA. Quorsum attinet ea somniare quæ non fiunt? LA. Qui [3] subvenit parenti, non subventurus, nisi lex cogeret, num implevit legem? SA. Non arbitror. LA. Quisic? SA. Primum non satisfacit animo ejus, qui condidit legem: deinde voluntati impiæ addit [4] hypocrisin. LA. Qui jejunat, non jejunaturus nisi præciperet ecclesia, num satisfacit legi? SA. Mutas & auctorem legis, & materiam. LA. Confer igitur Judæum sic jejunantem diebus præscriptis, ut, ni lex huc adigat, non sit jejunaturus, cum Christiano servante jejunium ab hominibus indictum, haudquaquam servaturo si legem tollas: aut si mavis; Judæum abstinentem à carne suilla, & Christia-

1 Bulbus radix rotunda, provocans Venerem ut ajunt.

2 Eruca, herba, quæ etiam libidinem provocare dicitur. Hinc Ovidius de remedio Amoris lib. 2. *Daunius an Lybycis bulbus tibi missus ab oris, An veniat Megaris, noxius omnis erit. Nec minus eruca aptum est vitare salaces, Et quicquid Veneri corpora nostra parat.*

3 Opem fert.

4 Ὑπόκρισις simulatio.

Christianum abstinentem à carnibus & [1] lactariis die Veneris. SA. Infirmitati nonnihil reluctanti legi puto paratam esse veniam; certo proposito legem aversanti & obmurmuranti non item. LA. Atqui fateris leges divinas non semper obligare ad pœnam gehennæ. SA. Quid ni fatear? LA. Nec audes fateri, esse legem humanam, quæ non obligat ad eandem pœnam, sed hominem relinquis in ancipiti? Videris igitur aliquanto plus tribuere legibus hominum, quam Dei. Mendacium & obtrectatio suapte natura sunt mala, & à Deo prohibita; & tamen fateris esse aliquod mendacii & obtrectationis genus, quod non obliget ad pœnam gehennæ; nec audes eum qui quomodocunque vescitur carnibus in die Veneris, liberare à pœna gehennæ? SA. Non est meum quemquam absolvere aut damnare. LA. Si divinæ leges & humanæ pariter obstringunt, quid igitur interest inter has & illas? SA. Nimirum quod qui violat legem humanam, immediate peccat adversus hominem (si mihi concedis scholasticorum [2] flosculis uti) mediate adversus Deum; qui violat legem divinam, contra. LA. Quid refert, utrum prius miscueris acetum, an absynthium, cum mihi utrumque sit ebibendum? Aut quid refert, utrum lapis à me vulnerato repercussus feriat amicum, an [3] ordine verso? SA. Hoc didici. LA. Et si ex materia circumstantiisque sumitur obligandi modus in utrisque legibus; quid interest inter auctoritatem Dei, & hominum? SA. Impia percunctatio. LA. Attamen multi credunt plurimum interesse. Deus tulit legem per Mosem, nec licet violare. Idem fert leges per [4] Pontifices, aut certe Con-

1 Iis, quæ lac in se habent.

2 E Scoti, ejusque farinæ stolide subtilium horto decerptis, hoc est, meris quisquiliis.

3 Scil. ab amico vulnerato repercussus feriat me.

4 Quasi vero Deus leges ferret per Pontifices & concilia ista, ut vocant, cum non raro unius dogmata ab altero eversa sint, & rejecta.

Concilium, quid intereſt inter has & illas? Lex Moſis per hominem, leges noſtræ per homines. Et videntur minus ponderis habere, quæ Deus tulit per unum Moſen, quam quæ [1] Spiritus Sanctus edit per frequens epiſcoporum & eruditorum concilium. SA. De ſpiritu Moſis dubitare non licet. LA. Paulus in epiſcoporum vicem venit: Quid igitur intereſt inter Pauli præcepta, & cujuslibet epiſcopi? SA. Quia ſine controverſia Paulus ſcripſit afflatùs ſpiritu. LA. Hæc ſcriptorum auctoritas quouſque ſe porrigit? SA. Arbitror non ultra Apoſtolos, niſi quod conciliorum eſt inviolata auctoritas. LA. Quare de Pauli ſpiritu dubitare non licet? SA. Quia obſtat eccleſiæ conſenſus. LA. De epiſcopis dubitare licet? SA. De his nihil temere ſuſpicandum, niſi res ipſa palam clamitet quæſtum, aut impietatem. LA. Quid de conciliis? SA. Non licet, ſi fuerint rite & per Spiritum Sanctum congregata, peractaque. LA. Eſt igitur aliquod concilium, in quod iſta non competunt? SA. Eſſe poteſt. Quod ni eſſet, Theologi nequaquam adderent hanc exceptionem. LA. Videtur igitur & de conciliis dubitari poſſe? SA. Non arbitror, poſteaquam fuerint Chriſtianarum gentium judicio conſenſuque recepta comprobataque. LA. Poſteaquam exceſſimus [2] pomœria, quibus Deus voluit circumſcribi ſacroſanctam illam &

1 Niſi forte grex iſte doctorum & epiſcoporum ſæpius à ſpiritu malo regatur.

2 *Pomœria* poſuit pro limitibus, ſeu terminis præſcriptis. Eſt autem Pomœrium, ut Livius primo libro docet, circa murum locus, quem in condendis urbibus quondam Etruſci, qua murum ducturi erant, certis circa terminis inaugurato conſecrabant: ut neque interiore parte ædificia mœnibus continuarentur, quæ nunc vulgo etiam conjungunt, & extrinſecus puri aliquid ab humano cultu pateret ſoli. Hoc ſpatium, quod neque habitari neque arari fas erat, non magis quod poſt murum eſſet, quam quod murus poſt id, pomœrium Romani appellarunt, & urbis incremento ſemper, quantum mœnia, proceſſura tantum termini hi conſecrati præferebantur.

& inviolabilem scripturæ auctoritatem, videtur mihi & aliud esse discrimen legum divinarum & humanarum. SA. Quod? LA. Leges divinæ sunt immutabiles, nisi si quæ sunt ejus generis, ut significandi coercendive gratia videantur ad tempus datæ, quas & prophetæ desituras juxta carnalem sensum prædixerunt, & Apostoli jam omittendas docuerunt. Deinde, inter leges humanas existunt nonnunquam iniquæ, stultæque & pestilentes; unde & abrogantur vel auctoritate superiorum, vel consentiente neglectu populi. Tale nihil est in legibus divinis. Rursus, humana lex suapte sponte cessat, ubi cessarit caussa, propter quam lata est: veluti si constitutio juberet singulos quotannis aliquid conferre in structurā templi, templo absoluto cessat rigor legis. Ad hæc, lex ab hominibus lata, non est lex, nisi fuerit utentium consensu comprobata. Lex divina nec expendi debet, nec potest abrogari. Quamquam & Moses legem laturus, [1] suffragia populi collegit, non quod hoc esset necesse, sed ut illos magis haberet obnoxios. Impudens enim est, legem contemnere, quam tuo suffragio comprobāris. Postremo cum leges hominum, quæ fere corporalia præscribunt, [2] pædagogi sint ad pietatem, cessare videntur, ubi quis profecit ad spiritus robur, ut jam talibus cancellis non egeat, modo [3] pro virili vitetur scandalum infirmorum, non malitiose superstitiosorum. Velut si pater præscribat filiæ impuberi, ne bibat vinum, quo tutior sit illius virginitas usque ad nuptias; cum adoleverit, jamque viro tradita fuerit, non tenetur præcepto patris. Multæ leges habent instar [4] pharmacorum; ea vero mutantur

1 De suffragiis vide annotata in *Convivium fabulosum*.

2 Qui dicantur pædagogi, revise in *Exercismo* pag. 385.

3 Scil. parte. Hoc est quantum fieri possit.

4 Φάρμακον & medicamentum, & venenum significat, primum vero hoc loco.

1 De

tantur & cedunt pro re nata, ipsis etiam medicis approbantibus; qui si semper iisdem uterentur remediis à veteribus proditis, plures occiderent, quam sanarent. SA. Multa tu quidem congeris, quorum nonnulla placent, aliqua displicent, quædam non intelligo. LA. Si lex Episcopi quæstum evidenter oleat, hoc est, statuat ut singuli [1] parochi bis in anno emant aureo [2] ducato jus absolvendi à casibus, quos vocant Episcopales, quo plus extorqueat à suis; obtemperandum censes? SA. Censeo; sed interim clamandum adversus legem iniquam, exclusa semper seditione. Sed unde hic mihi percunctator Lanio? [3] Tractent fabrilia fabri. LA. Hujusmodi quæstionibus sæpe torquemur in conviviis; interdum [4] diatriba fervescit ad pugnam & sanguinem. SA. Pugnent qui volent: ego censeo leges majorum esse reverenter suscipiendas, & observandas religiose, velut à Deo profectas; nec esse tutum, nec esse pium, de potestate publica [5] siniſtram concipere aut ferere suspicionem. Et si quid est tyrannidis, quod tamen non cogat ad impietatem, satius est ferre, quam seditiose reluctari. LA. Ista quidem ratione fateor bene consultum rebus eorum, qui dignitate pollent; & tecum sentio, nec illis invideo. Cæterum lubens audiam rationem, quâ consulatur & populi vel libertati, vel commodis. SA. Deus non destituet populum suum. LA Verum ubi interim illa libertas spiritus, quam Apostoli promittunt ex Evangelio, quam Paulus toties inculcat [5] clamans, Regnum Dei non est esca

1 De Parochis respice pag 381.

2 Et supra in vocem eam annotavi, quæ barbara est. Rectius hunc nummum *aureum* nominabimus. Valet 25. denarios, sive 100. sestertios.

3 *Tractent fabrilia fabri*, proverbium est, monens ut unusquisque sese exerceat in sua arte, quam novit.

4 Vox διατριβὴ varias admittit significationes. Hoc loco pro disputatione posita est.

5 Malam, perversam.

esca & potus; & quod filii non simus sub pædagogo, nec amplius serviamus [1] elementis hujus mundi, aliaque innumera: si tanto pluribus constitutionibus onerantur Christiani quam Judæi, & si arctius obligant hominum leges, quam pleraque à Deo tradita præcepta? SA. Dicam, Lanio. Non in hoc est Christianorum libertas, ut liceat illis facere quæ velint, liberis à constitutionibus humanis: sed quod ex fervore spiritus ad omnia prompti, lubentes & alacres ea faciunt quæ præscribuntur, nimirum filii potius quam servi. LA. [2] Expedite: sed erant & sub lege Mosaica filii, & sunt sub Evangelio servi; atque adeo vereor ne maxima pars hominum; siquidem servi sunt, qui lege coacti suum officium faciunt. Quid igitur discriminis inter novam & [3] veterem? SA. Meo judicio, multum interest. Quod vetus sub involucris docuit, nova sub oculos posuit: quod illa sub ænigmatibus prædixit, hæc dilucidius ostendit: quod illa [4] subobscure promisit, hæc exhibuit maxima quidem ex parte. Illa tradita erat uni [5] genti, hæc ex æquo docet omnes salutem: Illa paucis prophetis & eximiis viris impartiit insignem aliam & spiritualem gratiam, hæc omne donorum genus largiter effudit in omnium ætatum, sexuum & nationum homines, linguas, sanationes, prophetias, miracula. LA. Ubi nunc igitur ista? SA. Cessarunt, non interierunt: vel quia non est opus, jam evulgata Christi doctrina; vel quia plerique titulo tantum Christiani, fide, quæ est miraculorum [6] architectrix, caremus. LA. Si propter incredulos ac diffidentes opus est miraculis, talium nunc plena sunt omnia. SA. Est incredulitas simpliciter

1 Principiis, rudimentis.
2 Supple: *hoc abs te dictum est.*
3 Sc. Legem.
4 Aliquo modo obscure. *Sub* i compositionibus non raro diminuit.
5 Judæorum nempe.
6 Ea quæ miracula vel maxime adstruit.

citer errans, qualis erat Judæorum obmurmurantium Petro, quod [1] Cornelii familiam recepisset ad Evangelii gratiam: qualis erat gentium, quæ religionem, quam à majoribus acceperant, putabant esse salutiferam, & Apostolorum doctrinam esse superstitionem peregrinam: hi conspectis miraculis conversi sunt. Nunc qui diffidunt Evangelio, tanta luce per universum orbem [2] coruscante, non simpliciter errant, sed excæcati malis affectibus nolunt intelligere, ut bene agant: hos nulla miracula reducerent ad mentem meliorem. Et sanandi tempus nunc est, puniendi post futurum est. LA. Quanquam multa dixisti satis probabiliter; tamen mihi propositum est, non fidere Salsamentario; sed adibo Theologum quendam eximie doctum, quidquid is de singulis pronuntiaverit, cœlestis oraculi vice fuerit. SA. Quis iste? [3] Pharetrius? LA. Ille simpliciter delirat & ante annos, dignus qui concionetur deliris aniculis. SA. Bliteus? LA. An ego tam loquaci [4] sophistæ credam? SA. Amphicholus? LA. Nunquam ei credam in solvendis quæstionibus, cui meo malo credidi carnes meas. An ille bona fide solvat [5] problemata, qui pessima fide nondum solvit pecuniam? SA. Lemantius? LA. Non utor cæcis ad indicandam viam. SA. Quis igitur? LA. Si scire vis, Cephalus est, vir trium linguarum, & omnis politioris litteraturæ perpulchræ gnarus, tum in sacris voluminibus & vetustis Theologis diu studioseque versatus. SA. Dabo rectius consilium. Eas ad inferos; illic invenies [6] Rabbinum

1 Centurionis illius, cujus historiam lege sis in Actis Apostolorum cap. 10. & 11.

2 Splendente.

3 Hoc, & quæ sequuntur ficta nomina Theologorum sunt, quos hic deridendos præbet autor.

4 *Sophistæ* olim iidem, qui Philosophi. Nunc vulgo per Sophistas intelligimus nimis subtiles disputatores, vanam sapientiæ speciem ostentantes, & falsis argumentis decipientes.

5 Problemata sunt quæstiones, quæ proponuntur, à προβάλλω objicio.

6 An Rabbinum nomen proprium? an Rabbinum magistrum? Nam *Rabbi* Judæis magister est.

binum Druinum, qui [1] Tenedia bipenni dissecabit omnes tuas quæstiunculas. LA. Tu præi, quo mihi viam appares. SA. Sed extra jocum. Estne verum, quod narras, datam potestatem vescendi carnibus? LA. Ludebam, te ut [2] urerem. Et, si Romanus Pontifex id vellet maxime, ordo Salsamentariorum moveret seditionem. Deinde mundus est plenus [3] Pharisaicis hominibus, qui non alia re sibi possunt vindicare sanctimoniam, nisi talibus observatiunculis: hi nec paterentur sibi detrahi jam partam gloriam, nec sinerent minoribus plus esse libertatis, quam ipsis fuit. [4] Ne in Lanionum quidem rem esset, permitti liberum quarumlibet rerum esum. Tum enim varius esset eventus nostræ negotiationis; nunc certius est lucrum, & minus [5] aleæ, minusque laborum. SA. Verissima prædicas; sed eadem incommoditas ad nos rediret. LA. Gaudeo tandem inventum aliquid, in quo Salsamentario cum Lanione conveniat. Jam ut incipiam & ipse serio loqui, quemadmodum fortassis expediret populum Christianum paucioribus [6] constitutiunculis obstringi, præsertim si quæ non multum, aut nihil conducunt ad pietatem, ne dicam officiunt: ita non libet, [7] ab istis stare,

1 *Tenedia bipenni aliquid dissecare.* Hoc est rem nodosam prorsus dissolvere, & absque mora controversias expedire. Translatum est à rege quodam Tenedi, qui olim securi armatus lites audire consueverat, & causa judicata mox reum neci dabat.

2 *Urere* metaphorice pro molestiam exhibere vel cruciare, Terentianum est. Eunuch Act. 2. Sc 2. *Uro hominem* Et Horatianum in Epist. 1. lib. 2. ad Augustum. *Urit enim fulgore suo qui prægravat artes Infra se positas.*

3 Per synecdochen speciei Pharisæi ponuntur pro hypocritis, subdolis, & fucatis, quales isti Pharisæi Judæorum doctores, quibus Christus tanta gravitate minatur illud, οὐαὶ ὑμῖν γραμματεῖς καὶ φαρισαῖοι ὑποκριταί. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ.* Matth. XXIII.

4 Lanionibus nihil lucri adferret.

5 *Aleæ*, id est, periculi. Sic metaphorice *aleam jacere* pro periclitari.

6 Ὑποκριτικῶς, ut supra *observatiuncula.*

7 Istorum opiniones defendere.

re, qui omnes omnium hominum constitutiones rejiciunt, neque [1] flocci faciunt. Imo ob hoc ipsum multa faciunt, quia præceptum est ne faciant. Attamen demirari non possum in plerisque rebus præpostera mortalium judicia. SA. Idem nec ego satis admirari possum. LA. [2] Cœlum terræ miscemus, si quid periculi suspicamur, ne quid decedat ponderis sacerdotum constitutionibus auctoritatique: & dormitamus, cum imminet evidens periculum, ne tantum tribuamus hominũ auctoritati, ut auctoritati divinæ minus tribuatur quã oportet. Sic [3] à Scylla declinamus, ut non metuamus Charybdim, malum exitiabilius. Debetur episcopis suus honos; quis negat? præsertim si agunt [4] quod dicuntur. Sed impium est, honores soli Deo debitos transferre in homines, & dum impense reveremur hominem, parum revereri Deum. Honorandus Deus in proximo, venerandus in proximo; sed interim adhibenda cautio, ne Deus per hanc occasionem suo fraudetur honore. SA. Itidem videmus multos in tantum fidere corporalibus [5] ceremoniis, ut his freti negligant ea, quæ sunt veræ pietatis, suis meritis arrogantes quod est divinæ largitatis, & ibi consistentes, unde gradus erat ad perfectiora, & ex his rebus proximum calumniantes, quæ per se nec bonæ sunt, nec malæ. LA. Quin in eadem re cum duo sint, quorum alterum altero præstan-

1 Revise formulas.

2 *Cœlum terræ miscemus*, hoc est magnas turbas excitamus. Vel omnia confundimus exclamantes *ô Cœlum, ô Terra, ô Maria.* Ita Juvenalis Sat. 2. *Quis Cœlum terræ non misceat, & mare cœlo.*

3 Dicitur vulgo: *Incidit in Scyllam cupiens vitare Charybdim*, cum significatur aliquem, dum grave malum vitat, in alterum gravius incidere. *Scylla & Charybdis* scopulus & gurges in mari Siculo præternavigantibus periculosissimi, de quibus docte fabulantur poetæ.

4 Hoc est, si probi sint inspectores gregis sibi commissi: nam Episcopus proprie *inspector*, ab ἐπισκοπέω inspicio.

5 Ritibus sacrorum.

1 De-

ſtantius, ſemper [1] deterioris eſt nobis potior ratio. Corpus, & quæ corporis ſunt, ubique pluris fiunt quam ea quæ ſunt animi. Et hominem occidiſſe, pro gravi crimine ducitur, ut eſt: at peſtifera doctrina, vipereis inſtinctibus corrupiſſe mentem hominis, ludus eſt. Si ſacerdos alat capillitium, aut veſtem ſumat hominis profani, rapitur in carcerem, acriter punitur: ſi bibat in lupanari, ſi ſcortetur, ſi ludat aleam, ſi vitiet alienas uxores, ſi nihil attingat ſacræ lectionis, tamen [2] columna eſt eccleſiæ. Non excuſo mutatam veſtem, ſed accuſo præpoſterum judicium. SA. Imo ſi non perſolvat penſum precum horariarum, paratum eſt [3] anathema: ſi fœneretur, ſi [4] ſimoniam admittat, impune eſt. LA. Si quis videat [5] Carthuſianum aliter veſtitum, aut veſcentem carnibus, quam execratur, quam horret, quam timet, ne terra dehiſcens & ſpectatorem & ſpectatum abſorbeat! Idem ſi videat eum temulentum, mendacibus verbis in famam aliorum debacchantem, manifeſtis dolis [6] imponentem tenui vicino, nemo perinde abominatur. SA. Veluti ſi quis videat [7] Franciſcanum enodi cingulo cinctum, aut [8] Auguſtinen-

1 *Deterioris eſt nobis potior ratio*, id eſt *Quod deterius eſt, illud pluris æſtimamus.*

2 Hem tibi eccleſia Romana, habe tibi quicquid iſtud eſt encomii ab Eraſmo tuo.

3 Fulmen Pontificium, ſive excommunicatio, ut vocant. Vocem ἀνάθεμα expoſuimus ſupra in *Inquiſ. de fide*, pag. 310.

4 *Simonia* ab eccleſiaſticis dicitur turpis ambitus, quo quis pretio eccleſiaſticas dignitates & dona ſpiritualia ambit. Voci dedit originem Simon Magus, qui Apoſtolis nummos offerebat, ut ſibi Spiritus Sancti dona vellent impertiri, Act. 8.

5 De Carthuſianis monachis, eorum inſtitutis &c. dictum eſt affatim & in *Conviv. Relig.* & in *Mil. & Carthuſ.*

6 Reſpice pag. 537.

7 De Franciſcanis Monachis, eorumque Patrono ſtolidiſſimo iſto Franciſco, reviſe annotata in Colloq. Franciſcanorum. Incedunt autem Franciſcani tunica cinericia induti, quam pro cingulo reſtis nodoſa conſtringit. Unde Buchananus falſe in Pantalabum Franciſcanum. *Quod tunicam fluxam nodoſa canabe cingas, cum melius fauces ſtringeret illa tuas.*

8 Quemadmodum Franciſcanorum togæ cingulo nodis implicito conſtrin-

 guntur,

ſtinenſem non corio, ſed lana cinctum, aut diſcinctum [1] Carmelitam, aut cinctum [2] Rhodienſem: rurſus ſi [3] percalceatum Franciſcanum, aut ſemicalceatum [4] Cruciferum: nonne [5] concitaret Tyria (quod dici ſolet) maria? LA. Imo nuper apud nos ex duabus fœminis, quarum utramque dixiſſes prudentem, altera [6] abortiit, altera concidit [7] ſyncope, quod conſpicerent [8] Canonicum quendam ſacris virginibus præfectum in propinqua vicinia, ſed tamen in publico, obambulare, qui [9] veſtem lineam non haberet tectam nigro pallio. Et eædem crebro viderant aves ejusmodi comeſſantes, cantillantes, ſaltitantes, non addam cætera, nec ullam ſentiebant nauſeam. SA. Sexui fortaſſe debetur venia. Opinor, tibi notum Polythreſcum. Is ægrotabat periculoſe: [10] phthiſis erat. Medici diu ſuaſerant, ut veſceretur ovis & [11] lactariis; ſed fruſtra: eodem cohortabatur Epiſcopus. Ille cum eſſet

guntur, ita Auguſtinenſium coriaceo. Ordinem hi falſo ad autorem Auguſtinum deferunt.

1 *Carmelitæ*, monachi mendicantes, à Carmelo Phœniciæ monte, miraculis Eliæ celeberrimo, ſeſe denominatos volunt. Reviſe annotata in *Conviv. Relig.* pag. 155.

2 Rhodienſes monachi, ita dicti ab ordine eorum, qui fuit inſtitutus in Rhodo, Carpathii maris inſula.

3 Franciſcani ſunt vel *Capuccini*, vel *Obſervantes*, vel *Gaudentes*. Ultimi ſoli incedunt calceati, priores tantum ſoleas plantis pedum alligatas habent. Vide infra *Exequ. Seraph.*

4 Cruciferi monachi eandem regulam obſervant cum Auguſtinenſibus. Horum duo ſunt genera. Alii crucem in manu, alii in pectore depictam gerunt. Lepidum diſtichon in iſtos reſpice annotatum in *Collog. ſenil.*

5 *Concitare Tyria Maria*, hoc eſt maximos tumultus. Proverbium orum eſt à Tyriis, qui olim re navali adeo excelluerunt, ut aliis gentibus per mare Tyrium periculoſa navigatio eſſet.

6 Reſpice pag. 196.

7 *Syncope* hoc loco ſignificat morbum, quum vires ſubito in corpore deficiunt. Alioquin Syncope figura Grammaticæ eſt, cum littera aut ſyllaba è medio vocis exſcinditur, à συγκόπτω conſcindo.

8 Κανονικὸς, regularis. Canonicorum origo refertur ad Gelaſium I. Pontificem circa annum 495. reſpice pag 467.

9 Nam Canonicorum veſtimentum eſt alba tunica, cum linea veſte ſub nigro pallio.

10 Lat. *Tabes.*

11 Reſpice pag. 539.

1 Qui

esset vir non indoctus, & Theologiæ [1] Baccalaureus, videbatur citius emoriturus, quam utriusque medici consilio morem gesturus. Ita visum est medicis & amicis ut falleretur; parata est sorbitio ex ovis & lacte caprino; dictum est lac amygdalinum. Ille lubens comedit, & idem aliquot diebus faciens, cœpit habere meliuscule, donec puella quædam [2] fucum prodidit. Ibi cœpit quod comederat revomere. At idem superstitiosus in lacte, nulla religione commotus est, quo minus abjuraret pecuniam mihi debitam. Nam [3] Chirographum simpliciter exhibitum clam ungui sciderat. Delatum est jusjurandum; ego illi cessi. Is vero tam non gravatim recepit, ut optare videretur quotidianas ejusmodi delationes. Quid hoc judicio perversius? Peccabat adversus mentem ecclesiæ, qui heic non obtemperarit sacerdoti & medicis: & in perjurio manifesto firmam habebat conscientiam, tam infirmus in lacte. LA. Heic mihi [4] succurrit fabula, quam nuper [5] Dominicanus quidam narravit in concione frequentissima, quo sermonis amaritudinem (nam in die [6] parasceves exponebat mortem Domini) jucundiore narratione dilueret. Virginem sacram [7] oppressérat adolescens: uteri tumor arguit factum: convocatus est virginum chorus, præsedit abbatissa. Accusata est. [8] Inficiali statui non erat locus. Argumen-

1 Qui dicantur Baccalaurei dictum vide supra pag. 149.

2 Respice pag. 385.

3 Χειρόγραφον à χεὶρ *manus* & γράφω *scribo*.

4 In mentem venit.

5 Dominicani monachi ordinis sui autorem habent Dominicum istū Hispanum, de quo revise annotata pag. 265 Erit is quoque annotandus in sequenti Colloquio.

6 Parasceve, vox Gr. παρασκευὴ significat *præparationem*, & sumitur pro die, qui sabbatum antecedit.

7 Vitiaverat, vel ludificatus erat, ut ait Terentius in Eunucho.

8 *Inficialis status* dicitur cum factum negatur. *Qualitatis* cum defenditur ut jure factum. *Translationis* cum culpa facti transfertur in alium.

mentum erat necessarium. Confugit ad statum qualitatis, nisi mavis translationis. [1] Oppressa sum à valentiore. [2] At saltem exclamasses. Feciſſem, inquit, sed in dormitorio nefas est solvere silentium. Sit hæc fabula; modo fateamur hoc stultiora geri permulta. Nunc dicam quod his oculis vidi. Nomen hominis locique silebitur. Habebam affinem [3] Priorem Abbati proximum, ordinis [4] Benedictini, sed ex eorum numero, qui non vescuntur carnibus, nisi extra locum, quem appellant magnum [5] refectorium. Habebatur doctus, & ipse volebat haberi, annos natus fere quinquaginta. Certare [6] poculis, & hilarescere vino, erat illi quotidianum. Duodecimo quoque die adibat [7] thermas publicas: illic dabatur opera purgandis renibus. SA. Erat unde id fieret? LA. Possidebat annue sexcentos florenos. SA. O paupertatem optabilem! LA. Ex vino & venere incidit in [8] phthisin. Desperantibus medicis Abbas imperabat esum carnium, addens illud terribile verbum, sub pœna inobedientiæ. Ille vix adigi potuit, ut moriens gustaret carnes, à quibus tot annis non abhorruerat. SA. Prior tali Abbate dignus. [9] Divino tamen, quos dicas: nam eandem fabulam & ab aliis audire memini. LA. Divina. SA. Nonne Abbas est prægrandi obesoque corpore, lingua [10] sublæsa? Prior humiliore statura, sed erecta, gracili vultu? LA. Divinasti. SA. Accipe par pari relatum. Audies quod nuper ipse vidi, cuique non inter-

1 Sic locuta est virgo.

2 Sunt verba abbatissæ.

3 *Prior* collegii, cujus moderator & magister est *Abbas*.

4 Benedictinorum monachorum ordo autorem suum agnoscit Benedictum quendam, qui postquam diu in deserto latuisset, cum aliquot sociis monachicam vitam egit. Obiit circa annum 540.

5 Vox barbara, pro triclinio, vel cœnaculo, quasi à *reficiendo*.

6 Exhauriendis scil.

7 *Thermæ* balnea sunt calida, ἀπὸ τῆς θερμῆς, à *calore*.

8 Tabem.

9 Conjicio, satis assequor.

10 Aliquantulum blæsa.

interfui ſolum, verum etiam propemodum præfui. Erant duæ monachæ, quæ viſebant cognatos ſuos. Ubi veniſſent quo volebant, famulus per oblivionem reliquerat[1] codicem precum juxta conſuetudinem ordinis & loci, in quo vivebant. Deum immortalem, quanta illic perturbatio! Non audebant cœnare niſi dictis precibus veſpertinis; nec ſuſtinebant ex alio codice dicere quam ex ſuo. Interim tota domus[2] cœnaturiebat. Quid multis? [3] Canterio recurrit famulus: ſub multam noctem adfert relictum codicem. Dicuntur preces, vixque ad decimam cœnavimus. LA. Hactenus nihil audio quod ſit magnopere reprehendendum. SA. Nimirum dimidium duntaxat audiſti fabulæ. Inter cœnandum cœperunt illæ virgines hilaſcere vino; tandem riſu ſoluto, jocis parum pudicis perſtrepuit convivium; ſed nemo licentius egit, quam illæ, quæ niſi dictis ex ordinis forma precibus cœnare noluerunt. A convivio luſus, choreæ, cantilenæ; reliqua non audeo commemorare. Sed plane vereor, ne quid ea nocte patratum ſit parum virgineum, niſi me fallebant[4] proœmia, laſcivi luſus, nutus & ſuavia. LA. Iſtam perverſitatem non tam imputo virginibus, quam ſacerdotibus, earum curam gerentibus. Sed age, fabulam fabula penſabo, quin potius audies oculatam hiſtoriam. Hiſce diebus aliquot conjecti ſunt in carcerem, quod auſi ſint die Dominico panem coquere, cum forte deeſſet. Equidem non damno factum, ſed excutio judicium. Aliquanto poſt die Dominico, qui vulgo

1 Ex quo preces ſuas quotidianas ſtatis horis muſſitare ſolent in gratiam alicujus divi vel divæ.

2 Deſiderabat cœnam.

3 Canterius equus caſtratus eſt.

4 Προοίμιον, à πρὸ πρω. & οἰμὴ *captus*, denotat præcipue exordium, quod citharœdi certamen inituri præcinebant. Hinc pro quovis initio.

vulgo [1] Palmarum dicitur, forte erat cur vicus propinquus mihi esset adeundus. Ibi tum, ad horam diei ferme quartam à prandio, obvium habeo, ridiculumne dicam, an miserandum spectaculum; arbitror nulla [2] Bacchanalia plus habuisse turpitudinis. Alii vacillabant huc illuc vino, non aliter quam navis destituta rectore jactatur ventis & fluctibus. Erant qui complexi brachium alterius sustinebant lapsantem, sed ipsi parum firmi: alii subinde cadebant, ægreque surgebant: nonnulli quernis frondibus erant coronati. SA. Magis conveniebat [3] pampineis; tum addendi thyrsi. LA. Senior quidam [4] Silenum agens, sarcinæ in morem sublimis gestabatur humeris, eo gestu quo solent olim efferri cadavera, pedibus eo porrectis quo ibant, nisi quod pronus bajulabatur, ne vomitu præfocaretur supinus. Is misere convomebat suras & calcaneos extremorum bajulorum. Nec inter bajulos quisquam erat sobrius; plerique ridebant, sed sic, ut facile dicere mentem abesse. Bacchi furor habebat omnes. Atque hac pompa civitatem ingressi sunt, idque clara luce. SA. Unde collegerant eam insaniam? LA. In vico propinquo vinum paulo vilius venditur,

1 Dies Dominicus, qui vulgo Palmarum dicitur, est ille dies Dominicus, qui proxime antecedit ipsum Pascha; celebratur ad memoriam Christi ingredientis Hierosolymam, & ab obvia turba ramis palmarum & faustis acclamationibus excepti.

2 Sacra Bacchi, à veteribus tanto furore intemperantia, & dissoluta libidine celebrata, ut omnium scelerum seminarium dicta sint. Ea describit Ovidius lib. 3. Metamorph. *Liber adest, festisque fremunt ululatibus agri. Turba ruit, mistæque viris, matresque, nurusque, Et vulgus proceresque*, &c. Revise quæ annotavimus in Colloq. Francisc. pag. 351.

3 Nam qui Baccho operabantur hastas pampinis cinctas gerebant, quas thyrsos vocant.

4 *Silenum agens*, hoc est repræsentans alterum Silenum quendam, quem finxit antiquitas Bacchi Pædagogum, & assiduum comitem ebriosum asino vehi solitum. Hunc describit Ovid. Metamorph. lib. 4. *Quique senex ferula titubantes ebrius artus Substinet, & pando non fortiter hæret asello.* Eundem eleganter depictum à Virgilio lege Eclog. 6.

1 In

ditur, quam in urbe: eo se contulerant aliquot combibones, quo vilius insanirent, sed largius. Non enim minus impensum est pecuniæ, sed plus contractum est dementiæ. Hi si gustassent ovum, velut admisso parricidio pertracti fuissent in carcerem: cum præter omissam sacram concionem, præter neglectas preces vespertinas, in die tam sacrato tantum intemperantiæ [1] publicitus esset admissum, nemo puniit, nemo detestatus est. SA. Atqui ne istuc tantopere mireris, in mediis urbibus, in popinis templo proximis, diebus quamlibet festis potatur, cantatur, saltatur, pugnatur tanto strepitu, tantoque tumultu, ut nec sacrum peragi, nec sacra concio possit exaudiri. Iidem si eodem tempore consuissent calceum, aut si in die Veneris gustassent suillam, capitis accersentur. Et tamen dies Dominicus ob hoc potissimum est institutus, quo vacaret audire doctrinam Evangelicam: & ideo vetitum consuere calceos, ut sit otium concinnandis animis. An non hæc mira judiciorum perversitas? LA. Prodigiosa. Jam in ipso jejunii præscripto cum duo sint, alterum abstinentia cibi, alterum delectus cibi; nemo nescit prius illud præcepti divini, aut certe juxta præceptum divinum esse; alterum vero non solum humanum, verum etiam [2] propemodum pugnans cum apostolica doctrina, utcunque hoc excusamus: tamen heic quoque præpostero judicio, cœnare vulgo impune est, gustasse cibum ab homine vetitum, à Deo permissum, & item ab Apostolis, capitale est. Jejunium tametsi non constat esse certo præceptum ab Apostolis, tamen illorum

1 In publico.

2 Non equidem propemodum, lanio, ne quid erres, sed ex diametro pugnans cum doctrina Pauli, qui scribens ad Timotheum Ep. 1. Cap. 4. dogmata prohibentium contrahere matrimonium, & jubentium abstinere à cibis vocat διδασκαλίας δαιμονίων, *doctrinas dæmoniorum.*

rum exemplis ac litteris commendatum est: at interdictum ciborum esum, quos Deus creavit ad vescendum cum gratiarum actione, ut tueamur apud judicem [1] Paulum, quot [2] lemmatis est opus? Et tamen toto passim orbe cœnatur affatim, nullus offenditur; si [3] valetudinarius gustet pullum gallinaceum, periclitatur Christiana religio. In Anglia vulgus [4] Quadragesimæ tempore [5] justam cœnam apparat alternis diebus, nemo miratur: si febri periclitans tentet attingere jus pulli, plus quam sacrilegium admissum videtur. Apud eosdem in Quadragesima, quo jejunio ut nihil [6] antiquius, ita nihil [7] sanctius habitum est apud Christianos, impune cœnatur, ut dixi: si tentes idem extra Quadragesimam die Veneris, nemo feret. Si quæras, quam ob rem? allegant patriæ consuetudinem. Execrantur eum qui regionis negligit consuetudinem: & ipsi sibi ignoscunt, qui negligant vetustissimam totius ecclesiæ consuetudinem. SA. Nec probandus est, qui sine caussa negligit consuetudinem patriæ, in qua vivit. LA. Nec ego criminor eos, qui Quadragesimam cum Deo ventreque partiuntur, sed indico præposterum de rebus judicium. SA. Cum dies Dominicus præcipue legatur institutus, quo populus simul conveniret ad audi-

1 Scribentem ad Timotheum loco citato.

2 Argumentis.

3 Qui non bene sese habet, seu imbecilli corpore est.

4 *Quadragesimam* vocant illud quadraginta dierum tempus, quo Pontificiis nefas est vesci carnibus, ut imitentur Christum, qui in deserto totidem diebus, aliisque delicatioribus opsoniis ventrem explent. Hinc scite appellat autor nostet illud *tempus quo regnant piscatores frigent lanii.* Conviv. fabul.

5 Satis magnam, & opiparam.

6 Forte nihil antiquius, nam Quadragesimæ institutionem referunt ad Telesphorum episcopum Rom. qui vixit anno 133. sed interim nihil stultius.

7 Cur nihil sanctius? an quia nihil ac superstitione antiquius? Argumentum invalidum, lanio.

1 Quem-

audiendum sermonem Evangelicum; qui non audit [1] missam, abominabilis est: qui negligit concionem, malens pila ludere, purus est. LA. Quantum flagitium admissum existimant, si quis sumat [2] Eucharistiam illotis faucibus? Quam nihil trepidant, cum idem faciunt illoto animo, perversisque cupiditatibus sordidato? SA. Quam multi sunt sacerdotes, qui citius mortem oppetant, quam sacrificent calice & patina nondum ab episcopo consecrata, aut quam sacrificent veste quotidiana? At inter hos qui sic affecti sunt, quam multos videmus qui non verentur ad sacram mensam accedere noctis proximæ crapula adhuc temulenti? Quanta trepidatio, si forte contigerint corpus Domini ea manus parte quæ sacro oleo contacta non fuit? Quin eadem religione dispicimus, ne profanus animus offendat Dominum? LA. Vasa sacra non attingimus, & piaculum admissum arbitramur, si id forte acciderit; & interim viva templa sancti Spiritus quam securi violamus? SA. Humana constitutio vetat, ne nothus, claudus, aut luscus recipiatur ad sacra [3] ministeria. Hic quam sumus difficiles? & tamen interim passim recipimus indoctos, aleatores, temulentos, milites & homicidas. Dicunt; Latent nos animorum morbi. De occultis non loquor, de his loquor quæ magis [4] in propatulo sunt, quam vitia corporis. LA. Sunt & episcopi, qui ex functionibus nihil sibi vindicant, præter rationes, aliaque [5] sordida; concionandi munus, quæ prima dignitas est episcopi, cedunt quamlibet sordidis;

1 Quemadmodum ethnici olim post peracta Deæ suæ Isidis sacra, seu mysteria, exspectabant, donec sacerdos vulgum missum faceret, pronunciatis his duobus verbis, λαοῖς ἄφεσις! Ita in prima ecclesia diaconus non communicaturos dimittens, exclamabat *ite missa est.* Hinc Papicolarum *Sacra Missa*, ut appellant.

2 Quam corpus Dominicum vocant Respice pag. 473.

3 Ad sacra ministeria *scil.* obeunda.

4 Id est, palam.

5 Quibus avaritiam suam explent.

1 *Satrapæ*

didis; haud quaquam facturi, nisi præpostero judicio tenerentur. SA. Qui festum diem violat ab episcopo quopiam institutum, rapitur ad pœnam; & [1] satrapæ quidam, qui tot constitutionibus Pontificum & conciliorum, tot [2] fulminibus fortiter contemtis, impediunt canonicas electiones, opprimunt immunitates ecclesiasticorum, ne his quidem parcentes domibus, quæ fovendis senibus, ægrotis & egenis ex piorum hominum eleemosynis institutæ sunt, abunde Christiani sibi videntur, si sæviant in læviſſimarum rerum [3] prævaricatores. LA. Præstat satrapas missos facere, loquique de salsamentis & carnibus. SA. Assentior; redeamus igitur ad jejunium & pisces. Audivi Pontificum leges nominatim excipere pueros, senes, ægrotos, invalidos, gravem laborem sustinentes, gravidas, lactantes, ac vehementer [4] tenues. LA. Idem & ipse frequenter audivi. SA. Rursus audivi præcellentem quendam Theologum, opinor [5] Gersoni nomen esse, hoc addere, si quid extiterit caussæ paris momenti, cum his quæ Pontificum leges nominatim excipiunt, similiter cessare vigorem præcepti. Sunt enim corporum peculiares habitus, qui reddunt capitaliorem inediam quam morbus evidens; & sunt vitia, morbive, qui non apparent, cum re vera plus habeant [6] discriminis. Proinde qui sibi notus est, nihil opus habet consu-

1 *Satrapæ* provinciis præfecti. Respice pag. 102.

2 Excommunicationis minis. Vide Colloq. *Inquis. de fide.*

3 Jurisconsultorum nimium anxiis definitionibus omissis, dicimus, *prævaricatorem* esse, qui ab officii sui præscripto deflectit, atque aberrat, sive perfidia, atque malitia, sive imprudentia ac negligentia id faciat.

4 Pauperes, qui tennis fortunæ sunt.

5 De Gersone Cancellario, ut vocant, Parisiensi, vide annotata in Colloq. *Naufragium* pag. 265.

6 Periculi.

consulere sacerdotem; quemadmodum infantes non consulunt sacerdotem, quia causa eximit illos à lege. Et qui pueros, aut vehementer senes, aut alioquin invalidos adigunt ad jejunium, aut esum piscium, bis peccant; primum adversus fraternam caritatem; deinde adversus mentem Pontificum, qui nolunt eos involvi lege, quibus observata perniciem adferret. Christus quidquid instituit, ad sanitatem animi & corporis instituit. Nec ullus Pontifex sibi vindicat tantam potestatem, ut sua constitutione quenquam adigat ad vitæ discrimen. Veluti, si quis ex inedia vespertina contrahat [1] insomniam, & ob insomniam periclitetur [2] paraphronesi, simul & adversus ecclesiæ mentem, & adversus Dei voluntatem homicida est sui. Principes, quoties commodum est, edita lege minantur supplicium capitale. Quid illis liceat, non definio: illud dicam, tutius facerent, si non infligerent mortem corporis, nisi ob causas in divinis litteris expressas. In odiosis Dominus longius avocat [3] ab extrema linea, velut à perjurio, vetans omnino jurare, in homicidio prohibens irasci: nos ob humanam constitutionem ad extremam homicidii lineam impellimus, quam vocamus necessitatem. Imo quoties apparet causa probabilis, caritatis est, ultro hortari proximum ad ea quæ postulat corpusculi imbecillitas. Et, si nulla apparet causa, tamen Christianæ caritatis est, benigne interpretari, quod recto animo fieri potest, nisi qui comedit, præ se ferat manifestum ecclesiæ contemtum. Contumaciter ac

1 *Insomnia*, æ. fem. gen. Græcis ἀγυπνία, qua quis se somno non potest dare. Alioqui *insomnia* in plur. neut. gen. sunt visiones, quæ in somnis fiunt, vel terricula, quæ nobis somnum excutiunt.

2 Παραφρόνησις, vel παραφροσύνη, dementia, vel delirium.

3 Ita Horat. lib. 1. Ep. 16. *Mors ultima linea rerum est.* Id est, finis, seu extremum. Metaphora à Geometris, vel Pictoribus sumpta.

ac seditiose vescentes recte punit magistratus profanus: at quid quisque domi suæ pro corpusculi sanitate comedat, medicorum est curare, non magistratuum. Quod si quorum improbitas hinc quoque concitet tumultum, ipsi seditionis accersantur, non is qui servivit valetudini, nec divina nec humana lege violata. Heic certe non in loco præteximus auctoritatem Pontificum, quorum tanta est humanitas, ut ubi cognorint causam haud absurdam, ultro invitent ad ea quæ postulat valetudo, [1] diplomatis arment adversus malorum obtrectationes. Denique per universam Italiam patiuntur in certis macellis vendi carnes, nimirum illorum saluti consulentes, quos illa lex non adstringit. Quin & in concionibus sacris audivi Theologos paulo minus [2] Pharisaicos dicere, Nihil est quod vereamini cœnæ tempore sumere panem unum, & [3] heminam vini cerevisiæve propter imbecillitatem humani corporis. Si tantum sibi sumunt auctoritatis, ut pro cœna cœnulam indulgeant validis, idque contra præceptum ecclesiæ, quæ jejunium indixit, non cœnulam; cur non audent [4] justam cœnam permittere iis quorum imbecillitas hoc requirit, & Pontifices expressis caussis declararunt sibi placere? Dicatur zelus, si quis durius tractet corpus suum: nam sibi quisque notus est: at ubi pietas, ubi charitas istorum, qui contra legem naturæ, contra legem Dei, contra sensum legis pontificiæ, fratrem imbecillem, spiritu promtum, corpusculo infirmum, ad mortem adigunt, aut morbum morte duriorem? LA. Suggerit mihi tua commemoratio quiddam, quod ante bien-

1 Litteris patentibus, ut vocant. Diploma à διπλόω, *duplico*, dicitur, quod in duas plicas vulgo contrahatur.

2 Hypocritas, subdolos, reviſe notas in pag. 545.

3 Hemina mensuræ genus, capiens uncias IX. vel quartarios duos.

4 Satis magnam.

biennium vidi. [1] Erotem nosti, virum jam natu grandem, videlicet sexagenarium: valetudine plusquam vitrea, tum quotidianis morbis, iisque atrocissimis, gravissimisque studiorum laboribus sic afflicta, ut vel [2] Milonem possint dejicere: ad hæc occulta quadam naturæ proprietate, vel à puero sic & [3] abhorrens à piscium esu, & impatiens inediæ, ut nunquam id tentarit absque capitis discrimine: postremo diplomatis Pontificum abunde communitus adversus [4] Pharisaicas linguas. Is nuper eo vocantibus amicis, inviserat civitatem [5] Eleutheropolim, [6] non omnino suo nomini respondentem. Erat autem Quadragesimæ tempus: datus est unus atque alter dies amicorum affectibus. Interim vescebatur piscibus, ne quem offenderet, cum haberet præter necessitatem à Pontifice diploma, per quod licebat vesci quibuslibet. Jam præsentiebat morbum imminentem, quem habebat familiarem, sed morte crudeliorem: parat abitum, & res urgebat, nisi maluisset ibi decumbere. Ibi quidam suspicantes, illum hoc maturius abire, quod non ferret esum piscium, effecerunt, ut [7] Glaucoplutus vir [8] apprime doctus, & testatur. *Valetudo semper fuit tenera, unde crebro tentabatur febribus; præsertim in quadragesima, ob piscium esum, quorum solo odore solebat offendi.*

1 Procul dubio hæc de se ipso narrat autor, sub ficto nomine Erotis, utpote quæ omnia ejus indolem produnt.

2 *Milonem*, id est, quemvis validissimum. Milo Crotoniates, athleta, taurum in Olympico certamine ictu nudæ dextræ occidisse dicitur, & fine fatigatione per stadii spatium humeris portasse, & (si credere fas sit, quod alii non verentur adjicere) eo die totum comedisse. *Hic* (describam verba Ciceronis in libello aureo de senectute) *cum senex esset, athletasque se in curriculo exercentes videret, aspexisse lacertos suos dicitur, illachrymansque dixisse, At hi quidem jam mortui sunt!*

3 Vel hinc constat Erasmum de se loqui. Nam & sic ipse in vita sua de se

4 Respice pag. 545.

5 *Eleutheropolis*, id est, *libera civitas*, ab ἐλεύθερος *liber*, & πόλις *urbs*. Designat, ni fallor, *Fryburgum* Brisgoiæ oppidum, non procul à Basilea. Est vero & aliud *Friburgum* apud Nuithones in Helvetia.

6 Non habens nomen sibi conveniens, quia, ut sequens historiola docet, illic nihil minus quam libertas.

7 Nomen fictum, quale & in *Colloq. peregrin. rel. ergo* occurrit.

8 *Apprime*, hoc est valde. Adjectio confirmationis.

& primæ in ea Republica auctoritatis, Erotem invitaret suum ad jentaculum. Eros jam turbæ satur, quam in publico diversorio vitare non poterat, assensus est; sed hac lege, ne quid esset apparatus præter ova duo; quæ stans ubi comedisset, equum conscenderet. Promissum est ita fore. Ubi eo venit, paratus erat pullus gallinaceus. Eros indigne ferens, præter ova nihil attigit; & abrumpens convivium, conscendit equos, deducentibus eruditis aliquot. Ejus pulli nidor nescio quo modo pervenerit ad [1] sycophantas. Ab his rumor sparsus est tam atrox, ac si decem homines fuissent veneno necati. Nec ea civitas modo perstrepuit hac fabula; sed eodem ferme die rumor ad alias civitates transvolarat, quæ aberant itinere tridui. Atque, ut fit, rumor aliud veris addiderat; Erotem, ni propere fugisset, accersendum fuisse ad magistratum. Hoc ut erat falsissimum, ita verum erat, Glaucoplutum magistratui expostulanti satisfeciisse. Jam Eros sic affectus, ut dixi, si vel in publico carnibus vesceretur, quis deberet offendi? Et tamen in eadem civitate totam Quadragesimam, sed præcipue diebus festis, bibitur usque ad insaniam, clamatur, pugnatur, luditur alea proxime templum, ut sacra concio non possit audiri; & nullum est offendiculum. SA. Mira judiciorum perversitas. LA. Accipe fabulam huic non dissimilem. Jam ferme biennium est, quod idem Eros valetudinis ergo viseret [2] Ferventiam; Ego officii gratia comitatus sum. Divertit in ædes vete-

1 *Ad sycophantas*, id est, *ad delatores*. Sycophantæ origo hæc est. Apud Athenienses vetitum fuit exportare ficus quas in summo habebant pretio. Ad eas asservandas publice custodes statuebantur, qui reos in judicium pertrahe rent. Hi primum dicti συκοφάνται, ἀπὸ τῶν σῦκα φαίνειν, i. e. *à proferendis ficibus*. Cum vero pro libidine & immerentes pariter cum reis deferrent, fatum postea, ut quivis calumniator & delator eo nomine appellaretur.

2 Nomen fictum: an forte *Florentiam* designat, illud nobile Hetruriæ oppidum? Italis *Fiorenza*.

veteris amici; cujus crebris litteris fuerat evocatus. Is est vir præpotens, & illius ecclesiæ procerum unus. Ventum est ad pisces; rursus Eros cœpit periclitari: agmen morborum erat, febris, [1] cephalalgia, vomitus, calculus. Hospes tametsi videret graviter periclitantem amicum, non ausus est tamen carnium micam dare amico. Quam ob rem? Videbat tot caussas cur licerét, viderat diploma, sed metuebat linguas hominum. Et jam eo profecerat morbus, ut frustra daturus fuerit. SA. Quid Eros? Novi hominis ingenium; emoriatur citius, quam amicum ulla gravet invidia. LA. Inclusit sè cubiculo, triduum victitavit suo more. Prandium erat ovum unum. Potus aqua saccharo decocta. Simul atque se remiserat febris, conscendit equum, secum deferens commeatum. SA. Quem? LA. Lac amygdalinum in laguncula, & & uvas passas in crumena. Ubi domum rediit, tum aperuit sese calculus, totumque mensem decubuit. Et tamen hunc quoque abitum sævus, sed vanus carnium rumor sequutus est, & Lutetiam usque perlatus, non sine frequenti splendidorum mendaciorum comitatu. Quod tu remedium arbitraris idoneum talibus offendiculis? SA. Ut in illorum capita cuncti suas matulas effundant, & si forte occurrant, obturatis naribus prætereantur, quo vel sic agnoscant suam vesaniam. LA. Certe hanc [2] Pharisaicam impietatem oportebat acrius Theologorum conviciis flagellari. De hospite vero illo quid censes? SA. Mihi vir prudens videtur, qui norit quam frivolis de caussis quantas tragœdias interdum excitet populus. LA. Sit hoc sane prudenter factum, & boni viri metum civiliter interpretemur: at quam multi sunt, qui cum in simili casu fratrem mori patiantur, ecclesiæ consuetudinem

1 Κεφαλαλγία capitis dolor, à κεφαλὴ caput, & ἄλγος dolor.

2 Respice pag. 545.

nem & populi scandalum prætexunt: cæterum in vita palam dedecorosa, quam agunt in comessationibus, in amoribus, in luxu, in otio, in summo contemtu sacrorum studiorum, in rapinis, [1] simoniis & fraudibus, nihil formidant populi scandalum? SA. Omnino tales sunt quidam. Quod isti pietatem appellant, immanis & impia crudelitas est. Sed illi mihi videntur crudeliores, qui non ex occasione relinquunt hominem in periculo, sed inventis periculis veluti laqueis, impellunt multos in corporis animique manifestum discrimen, præsertim nulla publica auctoritate pollentes. LA. Exspecto quid dicas. SA. [2] Ante annos triginta vixi Lutetiæ in collegio, cui [3] cognomen ab aceto. LA. [4] Sapientiæ vocabulum audio. Quid vero narras? Vixit Salsamentarius in collegio tam acido? Non mirum igitur, si tantum tenet quæstionum Theologicarum. Nam illic, ut audio, [5] parietes ipsi mentem habent Theologicam. SA. Sic est, ut dicis; ego tamen præter corpus pessimis infectum humoribus, & pediculorum largissimam copiam, nihil illinc extuli. Verum, ut pergam, quod cœpi; in eo collegio tum regnabat Joannes Standoneus, vir in quo non damnasses affectum, sed judicium omnino desideravisses. Etenim quod ipse memor adolescentiæ, quam cum extrema paupertate transegerat, rationem habebat pauperum, vehementer probari debet. Et si juvenum inopiam hactenus sublevasset,

1 Quid vox *Simonia* significet annotatum est pag. 547.

2 Hanc quoque historiolam sub Salsamentarii nomine de se ipso narrat Erasmus, qui hæc Colloquia jam senex scripsit.

3 Designat Autor per jocum collegium Montis acuti Lutetiæ, in quo juvenis diu vixit, & ex putridis ovis, infectoque cubiculo, ut & in vita sua narrat, morbum contraxit.

4 Alludit ironice ad jocum Plautinum, *Habetne acetum in pectore?* quod de acri ingenio dicitur.

5 Ridet ejus temporis insulsos Theologos, & Collegii istius magistros, quos & superius deridendos propinavit. Revise pag. 9. *Lutetiæ Beta sapit, & Quercus concionatur*, & ibidem annotata.

1 Quod

levassèt, ut honestis studiis suppeteret rerum usus, non ad lasciviam exuberaret copia, laudem merebatur. Cæterum quod rem aggressus est cubitu tam duro, victu tam aspero parcoque, vigiliis ac laboribus tam gravibus, ut intra annum prima experientia multos juvenes, felici indole præditos, ac spem amplissimam præ se ferentes, alios neci dederit, alios cæcitati, alios dementiæ, nonnullos & lepræ, quorum aliquot ipse novi, certe nullus omnium non periclitatus est; quis non intelligat esse crudelitatem in proximum? Nec his contentus, addidit pallium & [1] cucullam, ademit in totum esum carnium. Et hujus generis [2] plantaria transtulit in longinquas regiones. Quod si quisque tantum permittat suis affectibus, quantum ille permisit, futurum est ut istorum similes totum occupent mundum. Siquidem à talibus initiis primum orta sunt monasteria, quæ nunc [3] minitantur Pontificibus & Monarchis. In proximi ad pietatem respiscentis lucro gloriari pium est; in veste aut cibo gloriam quærere, Pharisaicum est: proximorum inopiam sublevare, pietas est; [4] prospicere ne liberalitate bonorum abutantur ad luxum, disciplina est. Cæterum in morbos, in delirationem, in mortem, his rebus impellere fratrem, crudelitas est, parricidium est. Abest fortasse voluntas occidendi, at non abest homicidium. Quæ igitur istis debetur venia? Nimirum quæ medico, qui per insignem imperitiam occidit ægrotum. Dicet aliquis; Nullus illos cogit ad hoc vitæ genus: sponte veniunt, rogant admitti, & liberum est

1 Quod dicatur *cucullus*, non *cuculla*, sæpius supra annotatum.

2 *Plantarium* non solum locus plantarum, sed ipsa planta, ut hoc loco. Sunt qui dicant *Plantaria* esse, quæ é seminibus nata, cum radicibus, & terra propria transferuntur, *Plantas* vero, quæ de arboribus capiuntur. Per plantas intellige methaphorice juvenes.

3 Quis enim ignorat, è monasteriis prodiisse regum, principumque percussores, & luctuosissimarum cladium autores pessimos?

4 Consulere, curare.

est abire pertæsis. O [1] Scythicam responsionem! Itane postulant, ut adolescentes rectius perspiciant quid ipsis conveniat, quam vir doctus, rerum usu tritus, & ætate provectus? Sic sese excuset lupo, qui famelicum ostensa esca pellexit in retia. An qui vehementer esurienti apponat cibum insalubrem aut lethiferum etiam, ita semet excusabit pereunti? Nemo te coegit edere, volens ac lubens devorasti quod erat appositum. Nonne is jure respondeat? Tu non cibum dedisti, sed venenum. [2] Telum ingens necessitas, grave tormentum fames. Auferant igitur illa magnifica verba, Libera erat electio. Imo magnam vim admovet, quisquis talibus utitur tormentis. Nec ea sævitia tantum perdidit [3] tenues; [4] sustulit non paucos divitum filios, & generosam indolem depravavit. Ætatem lascivientem moderatis rationibus cohibere, paternum est. Cæterum in medio hiemis rigore datur postulantibus paululum panis, potus jubetur è puteo peti, qui aquam habet pestilentem, pestiferam alioqui, etiamsi nihil haberet præter rigorem matutinum. Novi multos, qui valetudinem ibi contractam nec hodie possunt excutere. Erant aliquot cubicula humili solo, putri [5] gypso, vicinia latrinarum pestifera. In his nullus unquam habitavit, nisi aut mors, aut morbus capitalis fuerit consequutus. Omitto nunc miram flagrorum carnificinam, etiam in innoxios. Sic ajunt didisci ferociam; ferociam appellant indolem generosiorem, quam studio frangunt, ut eos reddant habiles monasteriis. Quantum ibi devorabatur [6] ovorum putrium, quantum vini putris

1 Quia Scytharum gens fera, & inculta, hinc quicquid durum & ferox est, *Scythicum* appellamus. Revise *Naufr.* pag. 260.

2 *Necessitas durum* vel *urgens telum*. Proverbium est, juxta illud Græcorum τῇ ἀνάγκῃ οὐδὲ οἱ θεοὶ μάχονται. Hoc est, *Necessitati quidem ne Dii repugnant.*

3 Tenuis fortunæ adolescentes.

4 Scil. e medio, hoc est, morti dedit.

5 Gypsum, Gr. γύψος, res cognata calci, qua patietes dealbantur.

6 De his & supra questus est pag. 9. & 12.

1 Ma-

putris hauriebatur. Sunt fortassis hæc jam correcta, sed sero, videlicet iis qui perierunt, aut corpus circumferunt infectum. Neque vero hæc commemoro, quod [1] male velim illi collegio, sed operæ pretium esse judicavi monere, ne sub umbra religionis, humana sævitia corrumpat ætatem imperitam ac teneram. Jam quantum ibi discatur civilitatis aut veræ pietatis, in præsentia non excutio. Quod si viderem malitiam exuere quicunque cucullam induunt, hortarer omnes ad [2] cucullam. Nunc alia res est; proinde non sunt ad hoc vitæ genus frangendi spiritus [3] suppullulantis ætatis, sed animus magis ad pietatem educandus. Mihi vix contigit ullum ingredi monasterium [4] Carthusianorum, quin illic offenderim unum atque alterum aut simpliciter mente captum, aut [5] delirantem. Verum jam dudum tempus est, ut à tam longa digressione redeamus ad institutum. LA. Imo nullum est digressionis dispendium; rem ipsam egimus: nisi si quid tibi forte succurrit, quod adjiciendum putes iis, quæ differta sunt de constitutionibus humanis. SA. Mihi quidem nec humanum præceptum implere videtur, qui negligit hoc præstare, quod spectavit is qui præcepit. Etenim qui festis diebus tantum abstinet ab operibus manuariis, nec interim vacat sacris, aut audiendis concionibus, violat festum diem, negligens id, cujus gratia festus dies institutus est. Ideo enim interdictum est opus bonum, ut fieret melius. Jam vero qui pro solitis operis vacant popinis, scortis, temulentiæ, pugnis & aleæ, bis violant diem festum. LA. Opinor & precum sacrarum pensum in hoc præscriptum sacerdotibus & monachis, ut hac exer-

1 Malum optem, imprecer.
2 Ad Monachatum. Metonym. ad juncti.
3 Adolescentiæ.
4 De Carthusianorum origine; eorumque institutis, dictum est in *Convivio religios.* & in Colloq. *Milit.* & *Carthus.* in ipso limine.
5 Scil. ex durissimo vitæ genere.

exercitatione consueſcerent ſuſtollere mentem in Deum; & tamen qui penſum hoc non abſolvit, periclitatur. Qui tantum ore demurmurat voces, nec curat animum ad ea quæ ſonat colligere, imo ne litteras quidem ſtudet diſcere, ſine quibus quæ ſonat, intelligi non poſſunt, vir bonus habetur, ac ſibi quoque videtur. SA. Ego multos novi ſacerdotes, qui piaculum inexpiabile putant, aliquam partem precum omiſiſſe, aut per errorem dixiſſe de diva Virgine, cum dicendum eſſet de ſancto Paulo. At iidem pro nihilo ducebant aleam, ſcortum ac temulentiam, quæ divinis pariter & humanis legibus vetita ſunt. LA. Nec paucos ego comperi, qui citius mortem oppetiſſent, quam vel caſu guſtato cibo, aut dum os proluunt delapſis in ſtomachum aliquot aquæ guttis, ſacrificaſſent: at iidem fatebantur, eſſe ſibi cum quibusdam [1] ſimultatem, quos, ſi daretur opportunitas, occiderent; nec verebantur cum hoc animo ad ſacram Chriſti menſam accedere. SA. Atqui ut jejuni ſacrificent, hominis præceptum eſt: ut deponant iras prius quam accedant ad ſacram menſam, Dei præceptum. LA. Jam vero de perjurio quam præpoſtere judicamus! Infamis habetur, qui jurejurando confirmavit ſe diſſolviſſe [2] æs alienum, ſi convincatur non diſſolviſſe: nec perjurium objicitur ſacerdoti qui palam impudice vivit, cum jurejurando publice profeſſus ſit caſtitatem. SA. Quin iſtam cantionem canis Epiſcoporum [3] vicariis, qui coram altari dejerant, ſe comperiſſe omnes, quos offerant [4] initiandos, idoneos ætate, ſcientia & moribus, cum aliquoties inter hos vix duo tresve ſint tolerabiles, plurimi vix [5] ad ſtivam

1 Odium occultum. Ita dictum, ut quidam volunt, quod, qui ſimultatem exercent, ſimulata inter ſeſe loquuntur.

2 Pecuniam alteri debitam.

3 Vicarius eſt qui alicujus vicem gerit.

4 Sacris imbuendos.

5 *Ad ſtivam*, id eſt, ad aratrum, pars pro toto. Eſt enim ſtiva aratri manica.

stivam idonei? LA. Vocatur ad pœnam, qui commotus aliqua causſa peierat; & non puniuntur, qui tertio cuique verbo admiſcent perjurium. SA. Iſti non jurant ex animo. LA. Eodem [1] colore patrocineris licebit ei, qui hominem occidit non ex animo. Peierare nec joco nec ſerio fas eſt. Et atrócius crimen foret, ſi quis joco necaret hominem, quam ſi commotus ira. SA. Quid ſi quis [2] ad eandem trutinam expendat jusjurandum principum, quo [3] inaugurantur? LA. Et iſta cum ſint maxime ſeria, tamen quoniam velut ex more fiunt, non habentur pro perjuriis. Eadem eſt quærimonia de votis. Matrimonii votum eſt juris ſine controverſia divini; & tamen dirimitur per monaſticæ vitæ profeſſionem ab hominibus repertam. SA. Cum nullum votum religioſius ſit, quam baptiſmi; tamen qui veſtem mutat, aut locum, perinde quaſi patrem veneno necarit, perquiritur, rapitur, ſtringitur, nonnunquam & occiditur propter honorem ordinis. At quorum tota vita pugnat [4] ex diametro cum profeſſione baptiſmi, quippe qui toti ſerviunt [5] mammonæ, ventri, & hujus mundi [6] pompis, habentur in pretio, nec his objicitur voti violati crimen, nec exprobratur, nec vocantur [7] apoſtatæ, ſed habentur pro Chriſtianis. LA. Simile vulgi judicium eſt de benefactis ac malefactis,

1 Color in rhetoricis eſt ratio defenſionis vel excuſationis. Ita Juvenalis Sat. 6. *Dic aliquem ſodes, dic Quintiliane colorem.*

2 Eadem ratione conſideret. Allegoria eſt. Horat. Serm. 1. lib. 1. *In trutina ponetur eadem.*

3 Initiantur. Inaugurari dictum ab *augurio*; quod reviſe in Coll. *proc. & puell.* pag. 204.

4 *Ex diametro*, id eſt, directe, διάμετρον, ſupple γραμμὴ, eſt linea dimetiens, ſeu per medium ſecans recta in longitudinem ducta. Et hinc ex diametro pugnare dicuntur, quæ directe inter ſe oppoſita ſunt, ut duo extrema diametri puncta. Διαμετρέω, dimetior.

5 *Mammona* vox Hebræa, idem quod Græcis πλοῦτος, divitiæ, lucrum, & quicquid denique ad rem nummariam ſpectat. Reſpice pag. 174.

6 Omnis apparatus ſolennis cum oſtentatione dicitur pompa. Reviſe Colloq. *Franciſcan.* & *Diverſ.*

7 Ἀποστάτης, qui ab eo quod tuendum ſuſcepit deficit. Deſertor inſtituti, vel religionis, vulgo apoſtata dicitur.

factis, deque præsidiis beatitudinis. Quanta infamia sequitur puellam [1] lapsam! at longe gravius crimen est lingua mendax & obtrectatrix, & animus odio livoreque corruptus. Ubi non gravius punitur quamvis leve furtum, quam adulterium? Nemo lubens cum eo consuetudinem habet, qui semel furti aspersus est infamia: cum eo qui coopertus est adulteriis, pulchrum est habere familiaritatem. [2] Spiculatori publico, qui stipendio conductus servit legibus, quemadmodum & judex ipse, nemo dignatur locare filiam: & non detestamur affinitatem militis, qui toties, invitis parentibus, & vetante nonnunquam magistratu, subduxit sese ad [3] bellum mercenarium, tot stupris, tot raptibus, tot sacrilegiis, tot homicidiis, aliisque facinoribus impurati, quæ vel in ipsa militia, vel in profectione ad bellum, & reditu à bello committi solent: hunc generum adscisimus, hunc quovis carnifice pejorem adamat virgo, & interpretamur etiam [4] nobilitatem quæsitam scelere. Qui nummum tollit, pendet; qui fraudata moneta publica, qui [5] monopoliis qui usuris, qui mille technis ac

1 Per translationem *lapsi* dicuntur qui nimia infirmitate, vel imprudentia peccarunt.

2 *Speculator* dictus à gerendo speculo, satellet principis Gr. δορυφόρος. Hoc loco significatur carnifex, quo sensu occurrit hæc ipsa vox Græca factis apud Marcum Evangelistam Capite 6 ubi de Joanne Baptista loquitur, quem Herodes capite plecti jussit: καὶ ἀποστείλας ὁ βασιλεὺς σπεκουλάτορα ἐπέταξεν ἐνεγκεῖναι τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ. *Et rex missso speculatore jussit caput ejus inferri.*

3 Verissime H. C. Agrippa in libro de vanitate scientiarum. *Bellum nihil aliud est, quam commune multorum homicidium, ac latrocinium, nec aliud milites quam stipendiarii & in reipublicæ exitum armati latrones.* Et porro. *Ipse Augustinus atque Bernardus Catholici in Ecclesia Doctores artem militarem alicubi probaverunt, & Pontificia decreta illam non improbant, licet Christus & Apostoli longe aliter sentiant.*

4 Idem Agrippa. *Ex militia itaque ortum habet nobilitas gentilitia, videlicet claritas, ex cruore hostium & cædibus strenue acquisita.* Deinde. *Ipsa nobilitas nihil aliud est quam robusta improbitas atque dignitas, non nisi scelere quæsita benedictio, & hæreditas pessimorum quorumque filiorum.*

5 *Monopolium* à μόνος & πωλέω *vendo*, dicitur vel cum unus solus aliquod genus mercaturæ universum emit, ut solus vendat, preciumque suo modo statuit, vel plures simul idem fecere, quo carius vendant.

1 Re-

ac fraudibus tam multos spoliant, inter præcipuos habentur. SA. Qui uni cuipiam venenum porrigunt, ut venefici dant pœnas legibus; qui vinis infectis, aut oleo vitiato, populum inficiunt, impune faciunt. LA. Novi quosdam monachos adeo superstitiosos, ut existiment sese esse in manu[1] diaboli, si vel casu sacra vestis absit, nec metuunt ab unguibus diaboli, si mentiantur, si calumnientur, si inebrientur, si invideant. SA. Istiusmodi licet inter nos[2] idiotas complures videre: non credunt domum tutam à violentia[3] cacodæmonis, nisi paratam habeant aquam consecratam, frondes sacras ac cereum; & non metuunt suis ædibus, in quibus quotidie tot modis provocatur Deus, & colitur diabolus. LA. Quam multi sunt, qui magis fidunt præsidio Virginis matris, aut Christophori, quam ipsius Christi! Matrem colunt imaginibus, candelis, & cantiunculis; Christum impia vita fortiter offendunt. Nauta cum periclitatur, Christi matrem, aut[4] Christophorum, aut quemvis divorum citius invocat, quam ipsum Christum. Et Virginem se credunt habere propitiam, quod illi sub noctem cantiunculam non intellectam canunt, Salve regina; ac non potius metuunt, ne illa se putet irrideri talibus cantiunculis; cum totus dies, magnaque noctis pars illis transigatur obscœnis sermonibus, temulentiis, & factis non referendis. SA. Ita militi periclitanti citius in mentem venit[5] Georgius aut

1 Respice pag. 178.

2 Ἰδιώτης proprie privatus, qui non fungitur magistratu. Aliquando idem quod plebejus significat. Peculiariter, qui alicujus rei imperitus est, indoctus.

3 Mali Dæmonis, κακὸς, *malus*, δαίμων, *Deus genius* vel *angelus*.

4 De hoc divo gigante sæpius supra. Præcipue respice *naufragium*.

5 Qui depingitur eques & cataphractus, hasta simul & gladio formidabilis. Fuit autem Georgius ille, de quo splendide monachi mentiti sunt, tribunus militum sub Diocletiano, ut ajunt, postea in divorum album relatus.

aut [1] Barbara, quam Christus. Porro cum nullus sit cultus divis gratior, quam imitatio factorum, quibus ipsi Christo placuerunt, hanc partem fortiter contemnimus. Et [2] Antonium nobis egregie faventem fore credimus, si illi porcos aliquot sacros alamus, sique ipsum cum suo porco, [3] igni & tintinnabulo pictum habeamus in foribus ac lateribus ædium: nec metuimus, quod magis erat metuendum, ne ille male velit ædibus, in quibus regnant ea vitia, quæ vir sanctus semper fuit detestatus. Virgini annumeramus [4] rosariola, & [5] salutatiunculas: quin potius annumeramus in illius gratiam coërcitum animi tumorem, repressam libidinem, condonatam injuriam? Hujusmodi cantiunculis delectatur Christi mater, his officiis demereris utrumque. LA. Itidem morbo periclitanti citius in mentem venit sanctus [6] Rochus, aut [7] Dionysius, quam Christus unica salus hominum. Quin & hi qui sacras litteras interpretantur è suggesto, quas nemo sine spiritus [8] afflatu vel intelligere recte vel docere potest utiliter, malunt invocare Virginis matris auxilium, quam ipsum Christum, aut Christi spiritum. Et in [9] hæreseos suspi-

1 *Barbara* hæc à patre Dioscoro quod religionem Christianam amplexa esset, in carcerem conjecta, dein flagris cæsa, & sub Maximiliano jugulata dicitur. Papicolæ hanc juxta Georgium tutelarem militum divam statuerunt.

2 Qui subulcorum patronus habetur. Respice *Franciscanorum* Colloq pag 350.

3 Respice Colloq. Peregrin. relig. ergo. *Nec inermis est Antonius: habet sacrum ignem.*

4 Ita vocant papicolæ certas precatiunculas, quarum primum aliquod indies in honorem Matiæ cantantes absolvunt.

5 Quibus imitari volunt angelum Mariam salutantem. *Ave Maria, gratia plena, &c.*

6 Iste divus Rochus, si Diis placet, præcipue scit curare, ut ajunt, eos qui laborant morbo Gallico, aut Hispanico, horrendo isto Veneris flagello.

7 Designat Dionysium illum Areopagitam, quem Pontificii quoque divorum ordini adscripsere. Fingunt hunc ab Apostolo Petro in Galliam missum, atque illic cum aliquot sociis decollatum, diu sine capite ambulasse.

8 Instinctu.

9 Αἵρεσις electio, apud ecclesiasticos in malam partem sumitur pro dogmate, quod orthodoxæ fidei non consonum est. Hinc Hæreticus, de quo respice pag. 322.

1 Respi-

ſuſpicionem vocatur, qui mutire audet adverſus hanc conſuetudinem, quam vocant laudabilem. Atqui laudabilior erat veterum conſuetudo, quam obtinuerunt Origenes, Baſilius, Chryſoſtomus, Cyprianus, Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, qui ſpiritum Chriſti identidem invocant, Virginis auxilium nuſquam implorant. Nec in eos ſtomachantur, qui tam ſanctam conſuetudinem, & ex Chriſti & Apoſtolorum doctrina, & ſanctorum patrum exemplis deſumtam, auſi ſunt immutare. SA. Similis error habet complures monachos, qui ſibi perſuadent, [1] Benedictum eſſe propitium, donec geſtent illius cucullam & pallium; quanquam non arbitror eum virum unquam geſtaſſe tam [2] lacinioſam magnoque emtam veſtem; nec verentur illius iram, quod in vita nihil habeant cum illo commune. LA. Franciſci germanus eſt, qui [3] veſtem cinericiam & canabeum cingulum non abjicit: [4] vitam confer; nihil pugnantius. De plerisque loquor, non de omnibus. Atque hic ſermo per omnes ordinum & profeſſionum formas circumferri poteſt. Ex corruptis judiciis naſcitur præpoſtera fiducia, & ex iisdem naſcuntur præpoſtera ſcandala. [5] Prodeat Franciſcanus coriacea zona cinctus, qui caſu funem perdiderit: aut Auguſtinenſis laneum geſtans cingulum; aut diſcinctus, qui cingi ſoleat: quæ futura eſt abominatio! quantum periculum, ne mulieres ad hoc ſpectaculum abortiant! Et ex hujusmodi nugis quanta fraternæ caritatis ruptura? quam acerba odia? quam virulentæ obtrectationes? Adverſus

1 Reſpice pag. 550.

2 Id eſt ſinuoſam, multique panni.

3 Franciſcanorum cultum lege in ſuperiori hujus colloquii parte atque illic annotata.

4 Quid? Vitam Franciſci iſtius Aſſiſienſis, de quo infra plura dicturi ſumus, ſicuti ab ipſis Pontificiis conſcripta eſt. ſi quis inſpiciat, videbit nihil aliud quam horribilium mendaciorum plauſtra, & ridicula male feriati hominis facta.

5 Eadem fere lege ſupra pag. 547. ſeq.

versus hæc clamat Dominus in Evangelio, nec minus gnaviter Paulus Apostolus; adversus eadem clamandum esset Theologis & concionatoribus. SA. Esset sane; sed in his multi sunt, quibus [1] expedit talem esse populum, imo tales esse principales, tales episcopos. Et sunt rursus, qui nihilo plus sapiunt in his, quam populus; aut si quid sapiunt, dissimulant, suo ventri consulentes potius, quam Jesu Christo. Itaque fit, ut populus undique corruptus præposteris judiciis, ibi fidat ubi præsens est periculum; ibi trepidet ubi nihil est periculi; ibi conquiescat unde progrediendum erat; eo proficiat unde erat recedendum. Ab his male structis si quid tentes convellere, clamant excitari seditionem: quasi seditio sit, si quis vitiosum corporis habitum, quem imperitus medicus diu foverit, ac propemodum verterit in naturam, conetur eximere [2] pharmacis melioribus. Verum abrumpenda est querimonia, quæ finem non habet. Et periculum sit, si senserit populus hoc nostrum colloquium, ne novum suscitent proverbium, quod hæc curæ sint Salsamentatio & Lanioni. LA. Istis ego [3] regeram vetus proverbium; [4] *Sæpe etiam est holitor valde opportuna loquutus.* Nuper cum ista dissererem super cœnam, [5] malis auspiciis aderat

1 Utile est.

2 Φάρμακον medicamen significat; it. venenum.

3 Objiciam, respondebo.

4 *Sæpe etiam est holitor valde opportuna locutus.* Proverbium, quo admonemur, non esse fastidiendam salutarem sententiam, propter autoris humilitatem: nam fieri nonnunquam, ut aliquis infimæ sortis ac notæ vir, aut minime doctus dicat quidquam haudquaquam aspernandum etiam summis viris. Desumptum est ex versiculo Græco Πολλάκι ἠ κήπωρος ἀνὴρ μάλα καίριον εἶπεν, ut Erasmus in Chiliadibus suis profert ex Aulo Gellio. Rectius autem legendum putat, si pro κήπωρος holitor ponatur μωρὸς stultus, atque ita legatur versiculus. Πολλάκι τοι ἠ μωρὸς ἀνὴρ κάτα καίριον εἶπεν. Hoc est, *Sæpe etiam stultus fuit opportuna locutus.*

5 *Malis auspiciis*, vel *malis avibus*, id est, *infelicter*. Respice pag. 5. Sic Horatius lib. 1. Od. 13. *Male ducis avi domum.*

1 Lu-

aderat quidam pannosus, pediculosus, [1] luridus, [2] vietus, [3] exsuccus, facie cadaverosa; cranium vix habebat tres pilos; quoties loquebatur, claudebat oculos: ajebant Theologum esse. Is me vocabat [4] discipulum Antichristi, aliaque permulta balbutiebat. SA. Quid ibi tu? mutus? LA. Ego illi precabar micam sobriæ mentis in tam putido cerebro, si tamen ullum habebat cerebrum. SA. Juvaret & istam audire fabulam ordine. LA. Audies, si die Jovis veneris ad prandium. Habebis vitulinam crusto incoctam, contusam, adeoque teneram, ut possis vel exugere. SA. Polliceor, hac lege, si die Veneris apud nos prandeas: efficiam ut intelligas Salsamentarios non semper vesci putribus salsamentis.

1 Luridi, inquit Festus, sunt supra modum pallidi. Sunt vero qui *luridum* dictum existimant quasi *lordum*, à loro, quasi loro percussum, & lividum factum

2 Mollis, flaccidusque, & flexibili corpore. Unde & *vimina* & *vites* & *vietores*, teste Donato.

3 Absque succo.

4 Non dubito quin hæc ipse de se narret Autor. Nam monachi, cæterique ejus farinæ, qui eum capitali odio prosequebantur, nullum non movebant lapidem, quo eum atrô carbone notatum regibus & Pontifici invisum redderent. Hinc eum horrendis conviciis proscindere cœperunt. Ipse passim in epistolis queritur, se ab hoc hominum genere appellari pro Erasmio *Errasmum*, ab errando. *Arasmum* ab arando, quasi aratro dignus. *Erosinum*, tanquam asinum. *Behemot*, *Diabolum*, *Religionis hostem*, *Blasphemum in Deum*, *& Matrem Virginem*, *Impostorem*, *Antichristi Præcursorem*, imo *Antichristum ipsum*, &c. Adeo ut in ipsum autorem quadrare videatur, quod supra dixit (colloq. inquis. de fide) se aut sulphur aut fulmen Jovis olere, & horrenda quidem audivisse tonitrua, sed fulminis ictum non sensisse. Nam forti animo inimicorum suorum malignitatem sprevit, & satis prudenter Pontificum gratiam captare novit.

[1] FUNUS.

MARCOLPHUS, PHAEDRUS.

MA.

1 Ita dictum, quod hic describatur historia duorum morientium, sed longe diversa fiducia. Alter, non minus dives quam superbus, primum incertorum

MA. UNde nobis Phædrus? num ex [1] antro Trophonii? PH. Cur istuc rogas? MA. Quia præter morem tristis, horridus, squalidus, torvus; in summa, nihil minus [2] quam quod diceris. PH. Si, qui diutius versantur in officinis fabrorum ærariorum, aliquid nigroris sibi contrahunt; quid miraris, si ego tot dies versatus apud duos ægrotantes, morientes, & sepultos, solito sum mœstior; præsertim cum uterque mihi fuerit egregie charus? MA. Quos mihi narras sepultos? PH. Nosti Georgium Balearicum? MA. Nomine dumtaxat; de facie non novi. PH. Alterum scio tibi prorsus ignotum esse. Is erat Cornelius Montius; quicum mihi plurimis jam annis intercessit arctissima [3] necessitudo. MA. Mihi nunquam contigit adesse morienti. PH. Mihi sæpius quam vellem. MA. Sed estne mors res tam horrenda, quam vulgo prædicant? PH. Iter ad mortem durius, quam ipsa mors. Quod si quis horrorem illum & imaginationem mortis excutiat animo, magnam mali partem sibi detraxerit. Breviter, quidquid est cruciabile,

rum medicorum, dein sacrificulorum & monachorum contrariis studiis delusus, post varias & solicitas dispositiones de insana gloria post mortem obtinenda, & tandem absolutione, ut vocant, à sacerdote pronunciata fretus animam efflat. Alter, omnem pompam prorsus exosus, atque in unius Christi meritis suam salutem quærens, placide spiritum Deo offert. Etsi Colloquium hoc nihil aliud quam monachorum scelera ob oculos ponat, certe eo nomine lectu dignissimum est.

1 *Trophonius* Vates fuisse dicitur inhabitans specum, quem quicunque ingressus esset, is postea nunquam ridebat, sed tristis, & torvus videbatur. Hinc tristes ex antro Trophonii venire proverbium est. Aristophanes in Nub. Ὡς δ' ἐδόκουν ἐγὼ, Ἐστω καταβαίνων ὥσπερ ἐς τροφωνίου. Verum varie fabula narratur. Erasmus in Adagiis. *Quæ quidem Trophonii fabula mihi adeo videtur similis ei, quæ de Patricii antro, quod est in Hybernia, fertur, ut altera ex altera nata credi possit. Tametsi non desunt etiam hodie permulti, qui descendant, sed prius triduano evicti jejunio, ne capita sana ingrediantur. Qui descenderunt, ajunt sibi ridendi libidinem in omni vita ademptam*, &c. Nota, lector, & ride.

2 Nam *Phædrus* q. d. Gr. φαιδρὸς, est hilaris, vel alacer.

3 Revise notas in fine *convig. relig.*

Cen-

le, vel in ægrotatione, vel in morte, longe tolerabilius redditur, si quis se totum tradat voluntati divinæ. Nam quod attinet ad sensum mortis, cum jam animus distrahitur à corpore, arbitror aut nullum esse, aut perquam stupidum esse sensum; quod natura, priusquam huc veniatur, consopiat, ac stupefaciat omnes partes sensibiles. MA. Nascimur absque sensu nostri. PH. Sed non absque sensu matris. MA. Cur non itidem emorimur? Cur Deus mortem voluit esse tam cruciabilem? PH. Nativitatem voluit esse gravem ac periculosam matri, quo carius haberet quod peperisset: mortem autem unicuique voluit esse formidabilem, ne passim homines sibi mortem conscisserent. Etenim cum videamus & hodie tam multos sibi manus adferre; quid censes futurum, si mors nihil haberet horribile? Quoties vapulasset servus, aut etiam filius adolescens, quoties uxor indignaretur marito, quoties perisset [1] res, aut aliud accidisset quod ægre esset animo, protinus ad [2] laqueum, ad [3] gladium, ad [4] flumen, ad [5] præcipitium, ad [6] venenum currerent homines. Nunc mortis acerbitas vitam nobis reddit cariorem; præsertim cum medici non queant mederi semel vita defuncto. Quanquam ut non omnibus eadem est nascendi sors, ita non est eadem omnibus mortis [7] ratio. Quosdam cita mors protinus liberat; alii lenta morte contabescunt. [8] Lethargici, quemadmodum & [9] ab aspide percussi, somno consopiti citra sensum sui moriuntur. Illud observavi, nullum esse mortis genus tam acerbum quin perferatur, si quis obfirmato animo decrevit

1 Census, id est, opes, divitiæ.
2 Quo se suspenderent.
3 Ut eo se jugulare possent.
4 In quod sese immergerent.
5 Unde possent sese præcipites dare, hoc est, ex alto dejicere.
6 Quo sibi vitam eriperent.
7 *Ratio* pro genere.
8 *Lethargici* sunt qui laborant λη-θαργία. Est hic autem morbus, quem Latine *veternum* appellant, marcor, & inexpugnabilis dormiendi necessitas.
9 *Aspis* serpentis genus est.

crevit exire. MA. Utrius mors visa est Christianior? PH. Mihi quidem Georgii visa est honorificentior. MA. Etiamne mors habet ambitionem suam? PH. Ego nunquam vidi duos tam dispari morte morientes. Si vacat audire, depingam [1] excessum utriusque: tuum erit judicare, utra mors sit optabilior homini Christiano. MA. Imo te rogo, ne graveris narrare. Nam ipse nihil audiero cupidius. PH. Ergo de Georgio prius audi. Ubi mors jam certa sui signa dederat, medicorum chorus, qui diu curarant ægrotum, dissimulata vitæ desperatione cœperunt mercedem poscere. MA. Quot erant medici? PH. Aliquando decem, interim duodecim, cum pauciſſimi, sex. MA. Satis erat [2] ad occidendum vel valentem. PH. Numerata pecunia clam submonuerunt proximos, non procul abesse mortem: curarent ea, quæ pertinerent ad animæ salutem; nam de corporis incolumitate nihil esse spei. Per amicos intimos blande submonitus est & ægrotus, ut corporis curam Deo committeret, ea tantum curaret, quæ pertinerent ad feliciter hinc emigrandum. His auditis, mira torvitate Georgius oculos intendit in medicos, velut indigne ferens, quod ab illis destituetur. Illi respondeterunt, se medicos esse, non Deos; quod artis erat, præstitisse: cæterum adversus [3] fatalem necessitatem nullam valere medicinam. His actis abeunt in proximum cubiculum. MA. Quid? morantur etiam

1 Sc. è vita, hoc est mortem.

2 Hinc falsè Martialis, de Diaulo medico. *Nuper erat medicus, nunc est vespillo Diaulus: Quod vespillo facit, fecerat & medicus. Efferebat*, hoc est occidebat, ut nunc factus vespillo effert mortuos. Hinc illud Græcum proverbium: *Multorum medicorum introitus ægrum perdidit.* Et illud moribundi jam imperatoris Adriani dictum: *Medicorum turba principem perdit.*

3 *Fatalis a fato*, quod tum Christiani, tum ethnici dicitur æternum & inevitabile Dei decretum. Et cum nihil magis certum sit, quam omnibus mortalibus, serius ocyus semel esse moriendum, hinc sæpius fatum ipsam mortem, apud optimos quos is Autores significat.

etiam accepta mercede? PH. Inter illos nihil convenerat de morbi genere: alius ajebat [1] hydropem, alius [2] tympanitem, alius [3] apostema in intestinis, alius aliud atque aliud malum: totoque hoc tempore, quo tractabant ægrotum, acerrime disceptarunt de morbi genere. MA. O felicem interim ægrotum! PH. Eam litem ut tandem finirent, per uxorem postularunt, ut sinerent exanimati corporis [4] anatomiam fieri: id esse honorificum, & solere vel honoris gratia fieri in magnatibus: deinde rem eam fore saluti multis, idque ad meritorum ipsius cumulum accessurum: postremo pollicentur suo sumtu se commercaturos triginta [5] missas, cessuras in commodum mortui. Id ægre quidem, sed tandem blanditiis uxoris ac propinquorum impetratum est. His actis subduxit sese [6] statio medicorum. Negant enim fas esse, ut qui vitæ solent opitulari, mortis sint spectatores, aut [7] exsequiis interfint. Mox accitus est Bernardinus, vir, ut scis, reverendus, [8] Franciscanorum custos, qui [9] confessionem exciperet. Vix peracta est confessio, jam aderat in ædibus turbo quatuor ordinum, quos vulgus appellat [10] mendican-

1 Ὕδρωψ, Latinis aqua intercus, morbi species.

2 Τυμπανίτης, species hydropis est. Nomen habet, quod eo venter ut tympanum tendatur.

3 Ἀπόστημα, proprie abscessus, species ulceris.

4 Ἀνατομή, dissectio, incisio, qua corpus humanum discinditur, à verbo ἀνατέμνω, dissecо.

5 Ita cœlum apud Papicolas auro venale est: de voce *Missa* vide quæ supra annotavimus pag. 555.

6 *Statio* hoc loco idem est quod *cœtus, conventus*. Nam juxta A. Gellium *statio* domus est, in quam conveni. cœtus, ut de re aliqua decernatur, & jus dicatur. Vide fusius annotata pag. 502.

7 *Exsequiæ* dictæ funebre officium, quod nempe in funere exsequimur. Ponitur hoc loco ea vox pro ipso excessu è vita. Nam exsequiæ dicuntur fieri cum cadaver effertur. Vide Terent. Phorm. Act. 5. Sc. 8. *Exsequias ire Chremeti.*

8 Monachorum ordinis istius Franciscі, quem in aliquot superioribus Colloquiis notatum vide.

9 Scilicet confessionem istam auricularem, quam sacri culi Pontificii in ipso mortis articulo, delirantibus ægrotis extorquent.

10 Monachorum nempe.

cantium. MA. Tot [1] vultures ad unum cadaver? PH. Deinde vocatus est parochus, qui hominem [2] inungeret, [3] sacrumque symbolum corporis Dominici porrigeret. MA. Religiose. PH. Verum ibi minimum abfuit, quin inter [4] parochum & monachos cruenta pugna fuerit orta. MA. Apud lectum ægroti? PH. Et quidem spectante [5] Christo. MA. Quid excitavit tantos tumultus subito? PH. Parochus ubi cognovit ægrotum fuisse confessum Franciscano, negavit se vel unctionis sacramentum, vel eucharistiam, vel sepulturam impartiturum, ni suis auribus audisset ægroti confessionem: se parochum esse, sibi pro sua ovicula reddendam Domino rationem: id non posse, si solus ignoraret arcana conscientiæ. MA. Nonne visus est æquum dicere? PH. Non illis quidem. Nam strenue reclamabant omnes, præsertim Bernardinus & Vincentius [6] Dominicanus. MA. Quid adferebant. PH. Magnis conviciis incessebant parochum, subinde vocantes eum asinum, dignumque qui pastorem [7] ageret porcorum. Ego, inquit Vincentius, sum sacræ

1 Venuste Monachos hos, ad moribundum quæstus gratia advolantes, *vultures* vocat Autor: hi enim cadavera præsentiunt, unde captatores testamentorum *vultures* dicuntur.

2 Inter septem, quæ Papicolæ numerant, Sacramenta, habetur etiam unctio Hanc usurpant in inaugurandis regibus, episcopis, aliisque personis ecclesiasticis. Imo hunc adipem suum transtulerunt ad moribundos, parietes, aras, campanas, similiaque.

3 *Sacrum symbolum corporis Dominici*, idem est quod mox infra *Eucharistiam* vocat. Quid sit *symbolum*, ejusque variæ significationes lege pag. 325. Et *Eucharistiam* revise annotatam pag. 473.

4 *Parochus* quis olim Ethnicis, & nunc Papicolis dictus sit, notatum vide supra pag. 381.

5 An non ridere videtur Autor panes istos orbiculares a sacerdote in verum corpus & sanguinem Christi conversos, ut falso jactant Papicolæ? Nam ejusmodi unum Parochus secum attulerat, quem morienti in os intruderet.

6 Monachus ex instituto Dominici quem notavimus supra.

7 Repræsentaret. Revise notas pag. 524.

1 Pon-

ſacræ Theologiæ [1] baccalaureus formatus, mox licentiandus, atque etiam doctoris titulo inſigniendus; tu vix legis Evangelium; tantum abeſt, ut poſſis excutere ſecreta conſcientiæ. Quod ſi libet eſſe curioſum, exquire, quid agat uxor & [2] manzares tui domi, aliaque permulta, quæ me pudet referre. MA. Quid ille? mutus ad hæc? PH. Mutus? Imo diceres [3] cicadam ala correptam. Ego, inquit, baccalaureos multo te meliores nectam [4] è ſtipulis fabarum. Auctores & principes ordinum veſtrorum, [5] Dominicus & Franciſcus, ubi didicerunt philoſophiam Ariſtotelicam, aut argumenta [6] Thomæ, aut ſpeculationes [7] Scoti? aut ubi donati ſunt titulo baccalaureo-

1 Pontificii in Theologia promovendi tres habent gradus; primo creantur *Baccalaurei*, corrupte dicti pro *battalariis*, quæ non minus vox barbara eſt. Volunt enim à veteri Gallorum *battalum*, hoc eſt prælium, in ſcholis *battalarium* dici, qui in ſtudiis diſciplinarum rudimenta depoſuit, & jam publice diſputavit, atque ita cum adverſario ſuo tanquam prælium commiſit. *Licentiatus* dicitur, qui jam examinatus eſt in aliqua facultate, aut ſcientia, & poteſtatem ſeu licentiam accepit, qua poſſit, ſi velit, Magiſter vel Doctor fieri (nam in Philoſophia & quartus promotionis gradus eſt *Magiſter*, cui poteſtas data eſt alios inſtituendi.) *Doctor* habetur, qui poteſtatem accepit facultatem ſuam ubique docendi. Sed jam me nugarum iſtarum tædet.

2 Libri ex inceſto nati.

3 *Cicada ala correpta* dicitur, ubi quis provocatus non tacet, ſed clarius obſtrepit. Scribit Lucianus in Pſeudologiſta, Poëtam Archilochum jambographum, & ad maledicendum egregie inſtructum, ad hunc modum reſpondiſſe cuidam, à quo fuerat convicio provocatus: τὸν τέττιγα πτερῷ συνείλεφας. Id eſt, *Cicadam ala corripuiſti*. Nam cicadæ ſi alas preſſeris vehementius ſtrident.

4 E culmis tritici nectuntur galeri, faba vero caules habet grandes, intortos & fragiles, ideoque nihil minus quam ad texendum utiles. Hinc illud Batavorum adagium, quo alios contumelioſe irrident.

5 Dominicus iſte Hiſpanus natus anno 1170. qui ab Innocentio III. miſſus ad convertendos Albigenſes tam nefarias conciones habuit, ut plus centum millia miſerrimorum illorum hominum trucidata ſint, Papicolis non de plebe divus eſt: uti & Franciſcus ille Aſſiſienſis homo inſulſus, & ſtolidiſſimus monachus. Mira & horrenda de utroque loquuntur mendacia. Sed Dominicani & Franciſcani jam olim capitale odium inter ſe exercuerunt. Reviſe annotata in Colloq. *Naufragium*, & *Franciſcanum*

6 Eſt hic Thomas Aquinas, multis & quidem fictitiis miraculis à Papicolis celebratus, & divorum numero adſcriptus.

7 Joannes Duns Scotus, ille ſtolide ſubtilis Philoſophus, unde Scotiſtis oppoſiti ſunt, Thomiſtæ.

laureorum? Irrepsistis in mundum adhuc credulum, sed pauci humiles, quidam etiam docti ac pii: nidulabamini in agris ac vicis, mox in opulentissimas quasque civitates, & in florentissimam civitatis partem demigrastis. Tot sunt agri, qui pastorem alere non possunt; ibi locus erat vestræ operæ: nunc nusquam adestis, nisi in ædibus divitum. Jactatis nomen Pontificum; at vestra privilegia nihil valent, nisi cum cessat [1] episcopus, pastor, aut hujus vicarius. In meo templo nullus vestrum concionabitur me pastore incolumi. Non sum baccalaureus: nec sanctus [2] Martinus erat, & tamen [3] agebat episcopum. Si quid mihi deest doctrinæ, à vobis non petam. An creditis etiamnum mundum esse tam stupidum, ut ubicunque viderit vestem [4] Dominici aut Franciſci, putet adesse illorum sanctimoniam? Num vestra refert, quid agam domi meæ? Quid vos agatis in latebris, quomodo tractetis sacras virgines, etiam populus novit. Jam quam nihilo sint vel feliciores vel puriores divitum domus, quas frequentatis, omnibus & [5] lippis & tonsoribus notissimum est. Cætera, Marcolphe, non audeo referre: omnino patres illos reverendos minime reverenter tractavit. Nec erat futurus finis, ni Georgius manu mota signum dedisset, se velle quidpiam dicere. Ægre impetratum est, ut rixa tantisper consileſceret. Tum ægrotus,

1 Episcopum quære supra pag. 221. Pastorem pro sacerdote pag 344.

2 Martinus Dalmata, Archiepiscopus Turonum factus anno post Christum natum 315. Ejus vitam conscripsit Sulpitius Severus, lectu non injucundam, sed meris fabulis refertam.

3 Respice paginam priorem

4 Inferius de veste Dominici & cucullo Franciſci, quære annotata in hoc Colloquio & in *Exsequiis Seraphicis.*

5 *Res lippis & tonsoribus nota*, pro re vulgo jactata dicitur, & quæ jam in ora vulgi abiit, propterea quod olim in tonstrinis omnes rumores narrari solebant, & lippi, hoc est, qui sunt ægri oculis, in iis rumoribus audiendis per otium se totos dedebant. Hinc illud Horatii -- -- *opinor Omnibus & lippis notum & tonsoribus esse.* lib. 1. Sat. 7.

ægrotus, Sit pax, inquit, inter vos; tibi parocho denuo confitebor. Deinde pro strepitu nolarum, pro cantionibus funeralibus, pro [1] cenotaphio, pro sepultura numerabitur tibi pecunia, priusquam exeas hanc domum; neque committam ut ulla in parte de me queri possis. MA. Num parochus recusavit tam æquam conditionem? PA. Non; tantum obmurmuravit nonnihil de confessione, quam ægroto remisit. Quid opus est, inquit, iisdem repetendis fatigare tum ægrotum, tum sacerdotem? Si in tempore mihi confessus fuisset, fortassis sanctius condidisset suum testamentum: nunc vos videritis. Hæc æquitas ægroti pessime habebat monachos, indigne ferentes eam prædæ partem decidi parocho. Ego tamen intercessi, fecique ut lis sopiretur. Parochus unxit ægrotum, dedit [2] corpus Domini, & numerata summa discessit. MA. Sequuta est igitur eam tempestatem tranquillitas? PH. Imo tempestatem hanc sævior tempestas protinus excepit. MA. Obsecro quid causæ? PH. Audies. Confluxerant in ædes [3] quatuor ordines mendicantium; his adjunxit sese quintus [4] Cruciferorum. Adversus hunc ceu nothum quatuor illi magno tumultu coorti sunt, rogabant ubi vidissent unquam plaustrum quinque rotarum? aut [5] qua fronte vellent esse plures mendicantium

1 *Cenotaphium* tumulus honoratius, ex κενὸς, *inanis*, & τάφος, *sepulchrum*.

2 Quod modo dixit *Sacrum symbolum* &c. imo ipsum Christum.

3 Mendicantium monachorum ordines ex parvis initiis brevi spatio tanta incrementa sumserunt, ut Gregorius X. ea de causa anno 1273. maximum Concilium Lugduni congregaverit. E vocati præter quingentos episcopos, sexaginta abbates, mille prælatos, etiam præfecti ordinum mendicantium. Ibi tum abrogati viginti tres ordines, & retenti modo quatuor, nempe Dominicanorum, Franciscanorum, Augustinorum & Carmelitarum, quos omnes notatos respice in præcedenti Colloquio.

4 Cruciferos notatos vide in Colloq. *Ichthyoph.* it. in Colloq. *fenil.*

5 Id est, quo pudore? Frons olim pudori sacra. Hinc *perfrictæ frontis* dicitur, qui est insigniter impudens. Videantur *Lusus puer.* & *Francisc.*

tium ordines, quam sint Evangelistæ? Eadem, inquiunt, opera adducite huc mendicos omnes è pontibus ac triviis. MA. Quid ad hæc [1] Cruciferi? PH. Vicissim rogabant quomodo tum incessissèt plaustrum ecclesiæ, cum nullus esset ordo mendicantium; deinde cum unus esset, postea tres? Nam Evangelistarum, inquiunt, numerus nihilo plus habet affinitatis cum nostris ordinibus, quam cum alea, quæ undique quatuor ostendit angulos. Augustinenses quis allegit in ordinem mendicantium, aut quis Carmelitas? Quando mendicavit Augustinus, aut quando [2] Helias? Nam hos faciunt suorum ordinum auctores. Hæc aliaque multa fortiter quidem illi detonabant; sed soli quatuor exercituum [3] impressionem non ferentes, cesserunt, dira tantum minitantes. MA. Heic saltem effulsit tranquillitas. PH. Imo [4] syncretismus ille in quintum ordinem, versus est in pugnam gladiatoriam. Franciscanus ac Dominicanus contendebant, nec Augustinenses, nec Carmelitas esse [5] germane mendicos, sed nothos ac suppositicios. Hæc rixa sit [6] incruduit, ut plane vererer, ne veniretur [7] ad manus. MA. Hæccine ferebat ægrotus? PH. Non hæc acta sunt apud lectum: sed in atrio, quod cubiculo [8] adhærebat: voces tamen omnes ad ægrotum [9] permanabant: neque enim [1] mussa-

1 Supple *respondebant?*

2 Nam non sine summa impudentia isti mendici Carmelitæ patronum suum statuunt Heliam, quem in Carmelo Syriæ monte vixisse tradunt sacræ Litteræ. Revise notas in *Conviv. relig.* pag. 155.

3 Impressio est vehemens hostium irruptio.

4 Manet Autor in translatione à militibus. Nam συγκρητισμὸς, est communis consensus, seu conspiratio in hostem.

5 Vere, sincere.

6 Respice *Naufrag.*

7 Ad pugnam, quæ cominus fieret manibus.

8 Proximum erat.

9 *Penetrabant*, *perveniebant.* Metaphora à latice manante. Ita Terent. in Adelph. Act. 2. Sc. 4. *Ne aliqua ad patrem hoc permanet*, id est, ad aures perveniat.

1 Taciet

[1] mussabant, sed [2] plenis tibiis res agebatur: & scis, alioqui in ægrotis aurium sensum esse acutiorem. MA. Quis tandem exitus belli? PH. Ægrotus per uxorem denuntiavit ut silerent paulisper, se [3] compositurum hoc dissidium. Itaque rogavit, ut tum quidem temporis Augustinenses & Carmelitæ discederent; hoc illos nullo suo damno facturos. Nam tantundem, inquit, cibi mittetur eis domum, quantum heic daretur remanentibus. In [4] funere vero jussit omnes ordines adesse, etiam [5] quintum, atque ut æqua pecuniæ portio divideretur singulis; ad commune tamen convivium non adhiberentur, ne quid turbæ posset oriri. MA. Virum [6] œconomicum mihi narras; qui vel moriens norit tot rerum [7] undas componere. PH. Phy! multis annis gesserat militiæ ducem. Ibi quotidianum est hujusmodi tumultus suboriri inter cohortes. MA. Erat igitur [8] re splendida? PH. Admodum. MA. Sed male parta, ut fit, rapinis, sacrilegiis, extorsionibus. PH. Ita quidem vulgo faciunt duces; nec ausim dejerare, hunc fuisse ab illorum moribus alienum. Si tamen satis hominem novi, magis auxit rem ingenii dexteritate, quam violentia. MA. Qui sic? PH. Callebat [9] arithmeticam. MA. Quid tum postea? PH. Quid tum? apud principem supputabat militum triginta millia, cum vix essent septem millia. Deinde multis militibus nihil numerabat. MA. Næ tu mihi magnificam

1 Tacite loquebantur. Respice pag 229.

2 *Plenis tibiis*, in proverbio est, pro clare, aperte & magna voce *rem agere*.

3 *Componere* hoc loco pro finire, ut illud Virgil. Eclog. 3. *Non nostrum inter vos tantas componere lites.*

4 Exsequiis.

5 Cruciferorum scil.

6 Οἰκονομικὸς, rei domesticæ peritus.

7 *Undas rerum* posuit pro rebus molestis, quibus domus fervebat, velut undis mare. Sic apud Catullum, *undæ curarum*, pro immensis curis.

8 Id est, censu. Erat dives?

9 Ἀριθμητικὴ supple τέχνη, ars numerandi.

cam narras arithmeticam. PH. Deinde bellum arte[1] ducebat, solitus simul & ab hostium & amicorum vicis & oppidis pecuniam[2] stipulari menstruam: ab hostibus, ne paterentur hostilia: ab amicis, ut illis liceret cum hoste paciscí. MA. Agnosco morem vulgatum militum. Sed absolve narrationem. PH. Bernardinus igitur & Vincentius, cum aliquot sui ordinis sodalibus remanserunt apud ægrotum; ad reliquos missus est[3] commeatus. MA. Satin inter eos conveniebat, qui remanserunt in[4] præsidio? PH. Non usquequaque. [5] Grunniebant nescio quid de[6] prærogativis[7] diplomatum: sed ne non perageretur fabula, dissimulatum est. Heic jam proferuntur cautiones testamentariæ, fiuntque stipulationes accitis testibus, de iis, quæ inter ipsos ante transegerant. MA. Istæc audire gestio. PH. Dicam summatim; nam perlonga est fabula. Superest uxor annos nata duodequadraginta, mulier sane proba cordataque: filii duo, alter annum natus undevigesimum, alter decimum quintum: filiæ totidem, sed impubes utraque. Testamento sic cautum erat, ut uxor, quoniam perpelli non poterat ut fieret monacha, sumeret pallium[8] Beghinæ, id est, medium genus inter monachas & [9] laicas: filius

1 Nota *ducebat*. *Ducere bellum*, dicuntur, qui de industria proferunt *Gerere bellum*, qui vere bellant.

2 Certa quadam interrogatione obligare ad promissum solvendi.

3 *Commeatus* proprie vox militaris. Et ideo præsidium vocat domum, unde alios depulerant. Translationem nota supra in *impressione*, & *syneresmo*.

4 Revise notas in *Conviv. relig.* pag. 165.

5 Lepide monachos ait grunnientes, pro murmurantes. Nam *grunnire* proprie porcorum est.

6 *Prærogativa* à prærogo, hoc est, ante impendo: significat excellentiam supra alios.

7 Pontificis scil. quibus Franciscanorum & Dominicanorum ordo sibi invicem vult præferri. Unde *diploma* dicatur respice pag. 558.

8 Quæ sint *Beginæ* (nam hac barbara voce uti oportuit) ipse Autor declarat, cum inquit esse medium genus inter monachas & Laicas. Sunt qui eas à Beggha Pipini Francorum regis filia dictas volunt.

9 Discrimen Laicorum & Clericorum olim à Patribus inductum revise in Colloq. *Francisc.*

1 Pro-

lius natu major, quoniam nec is induci potuit, ut fieret monachus. MA. [1] Vulpes anus non capitur laqueo. PH. Mox ab exsequiis patris properaret Romam, ibique ex relaxatione Pontificis factus ante legitimam ætatem sacerdos, totum annum singulis diebus sacrificaret in templo [2] Vaticano pro anima patris; & sacros gradus in [3] Laterano, singulo quoque Veneris die, genibus perreptaret. MA. Suscepit hæc libenter? PH. Ne dicam dolo, [4] ut asini solent sarcinas impositas. Filius minor dicaretur S. Francisco, filia major [5] S. Claræ, minor [6] Catharinæ Senensi. Hoc tantum potuit obtineri: nam Georgii mens erat, quo magis sibi Deum haberet [7] obnoxium, quinque superstites partiri in quinque mendicantium ordines: & acriter quidem adlaboratum est; sed ætas uxoris, filiique majoris, nec minis, nec blanditiis cessit. MA. [8] Exhæredandi genus. PH. Universa hæreditas sic erat divisa, ut detractis [9] de solido impendiis funeralibus, [10] uncia [11] cederet uxori, cujus dimidia victitaret ipsa, dimidium cederet [12] loco, cui se foret addictura; unde si mutato consilio recederet, tota pecunia resideret penes eum

1 Proverbium significat, hominem longa ætate & rerum usu prudentiorem non facile dolis capi. Est & aliud proverbium de vulpis astutia sumptum. Respice colloq. *procet & puellæ* pag. 205.

2 Quod est in Vaticano monte, aliis Basilica Petri, non procul à Tiberi. Vaticanus collis aliis à Vaticiniis dictus videtur, aliis à Vaticano Deo, penes quem veteres putabant esse humanæ vocis initia.

3 Vide notas in *Ichthyoph.*

4 Allusit ad illud Horatii Sat. 9. lib. 1. *Demitto auriculas, ut iniquæ mentis asellus, Quum gravius dorso subit onus.*

5 Franciſci coætanea, monacha superstitiosissima, in divarum album relata. Respice *Ichthyoph.*

6 Catharina Senensis, dicta ab urbe Senis, diva Papicolarum figmentis non obscura.

7 Propitium.

8 Et quidem injustissimum.

9 Id est, de integra hæreditate.

10 Omnis hæreditas apud Romanos, si integra esset, dicebatur *assis*. Hic dividebatur in XII. uncias. Ergo *uncia* duodecima hæreditatis pars est.

11 Tribueretur.

12 Collegio nempe, aut monasterio.

eum gregem. Altera uncia decideretur filio, cui tamen statim numeraretur viaticum, & quod satis esset emendo [1] diplomati, parandoque victui annuo Romæ. Qui si mutata sententia recusaret [2] initiari sacris ordinibus, illius uncia divideretur inter Franciscanos, & Dominicanos. Et id ne fiat, vereor; adeo videbatur adolescens à sacris abhorrere. Duæ unciæ cederent monasterio, quod excepisset filium natu minorem: binæ item monasteriis, quæ excepissent puellas; sed hac lege, ut si [3] illi detrectarent vitam profiteri, omnis tamen pecunia penes illos maneret incolumis. Jam una rursus uncia decideretur Bernardino, tantundem Vincentio: dimidium unciæ Carthusianis, pro communione bonorum operum omnium, quæ toto fierent ordine. Uncia & semis quæ superaret, distribueretur occultis pauperibus, quos beneficio dignos judicassent Bernardinus, & Vincentius. MA. Debebas Jureconsultorum more dicere quos vel quas. PH. His igitur verbis [4] stipulati sunt, recitato testamento: *Georgi Balearice, vivus & sanæ mentis approbas hoc testamentum, quod dudum ex animi tui sententia condidisti? Approbo. Et hæc est tua suprema, & immutabilis voluntas? Est. Meque, & hunc Vincentium baccalaureum instituis ultimæ tuæ voluntatis executores? Instituo.* Jussus est denuo subscribere. MA. Qui potuit moriens? PH. Bernardinus rexit ægroti manum. MA. Quid subscripsit? PH. *[5] Sanctum Franciscum, & sanctum Dominicum iratos habeat, qui tentarit hinc aliquid immutare.* MA. At non metu-

1 Quo liceret eum consecrari sacerdotem ante tempus legitimum.

2 Adscribi, eorumque sacris imbui.

3 Filius minor natu, & puellæ.

4 Recte *stipulati sunt*. Est enim *stipulatio* verborum conceptio, quibus is, qui interrogatur, respondet se daturum facturumve quod interrogatus est, ut ex hoc exemplo constat.

5 More ethnicorum, quibus juramenti formula erat, *Jovem* (vel alium quendam deorum) *iratum habeam*.

metuebat actionem testamenti [1] inofficiosi? PH. Ista [2] actio non habet locum in his, quæ Deo dicantur, neque quisquam libenter cum Deo litem suscipit. His peractis uxor & liberi datis dextris ægroto, jurant se servaturos quod recepissent. Post hæc cœptum est agi [3] de pompa funerali, non sine contentione. Tandem hæc vincit sententia, ut ex quinque ordinum singulis adessent novem, in honorem quinque voluminum Mosis, & Angelorum [4] in novem choros digestorum. Suam quisque ordo crucem præferret, canerentque funebres [5] nænias. Ad hæc præter cognatos conducerentur triginta ([6] tot nummis erat venditus Dominus) [7] daduchi [8] pullati, & honoris gratia [9] ploratores duodecim (hic est numerus ordini Apostolico sacer) comitarentur, à feretro sequeretur equus Georgii pullatus, sic ad genua alligata cervice, ut herum humi requirere videretur. Stragula [10] hinc aque hinc ostenderent insignia. Similiter & unaquæque tæda, & pulla vestis haberet insignia. Reponeretur autem corpus quidem ipsum ad dextram altaris summi in [11] tymbo marmoreo, qui promineret à solo pedes quatuor; ipse in summo recum-

volumi-num

1 Justinianus in Institut. lib. 2. Tit. 18. de inofficioso Testamento. *Quia plerumque parentes sine causa liberos suos exhæredant, vel omittunt, inductum est, ut de inofficioso testamento agere possint liberi, qui queruntur aut inique se exhæredatos, aut inique præteritos, hoc colore, quasi non sanæ mentis fuerint, cum testamentum ordinarent, &c.*

2 Jus agendi. Vide supra annotata in Conviv. fabul. pag. 418.

3 Respice pag. 567.

4 Papicolæ (quibus ista falsi Dionysii Areopagitæ opera de Hierarchia cælesti, & de cœlestibus ordinibus pro oraculis sunt) novem Angelorum Choros statuunt, nempe *Seraphinos, Cherubinos, Thrones, Dominationes, Principatus, Potestates, Virtutes, Archangelos, & Angelos.* Ut olim ethnici novem Musas.

5 *Næniæ* propriæ cantilenæ funebres.

6 Notanda est insanorum Papicolarum κακοζηλία, & ut mox de ordine XII. Apostolorum.

7 Δαδοῦχος *tædifer*, hoc est, qui facem, vel tædam tenet.

8 Atris vestibus induti.

9 Ita Romanis fuerunt *præficæ* mulieres in funeribus conductæ, ad lamentabile carmen canendum.

10 Hinc atque hinc à feretro dependentia.

11 Τύμβος. Gr. bustum, sepulcrum.

recumberet, [1] Pario sculptus marmore, totus armatus à vertice usque ad calcaneum; nec deesset galeæ sua crista: crista erat [2] onocrotali collum: nec clypeus lævo brachio, in quo insignia hæc erant, tria capita apri silvestris aurea, [3] in planitie argentea: nec lateri gladius inaurato capulo, nec baltheus inauratus ac gemmeis distinctus [4] bullis, nec pedibus aurea calcaria: erat enim eques auratus: sub pedibus haberet [5] leopardum. Oræ sepulchri [6] titulum haberent tali viro dignum. Cor autem separatim recondi volebat in sacello divi Franciſci. Intestina mandavit parocho, honorifice sepelienda in sacello quod est Virgini matri sacrum. MA. Funus nimirum honorificum, sed nimio constans. Venetiæ vel cerdoni cuipiam plus haberetur honoris minimo impendio. Feretrum elegans dat [7] sodalitas, & unum comitantur aliquando sexcenti monachorum tunicis palliisve vestiti. PH. Vidimus & nos, risimusque istas pauperum ineptas glorias. Incedunt fullones & coriarii superne, inferneque cerdones, in medio monachi; [8] chimæras esse diceres: nec

1 *Marmore Pario*, id est, optimo. Mam ex Paro, insula maris Ægæi, veteres exportabant candidissimum marmor.

2 Ὀνοκρόταλος, avis instar oloris, voce absona & fere asinina, unde ei nomen. Nam ὄνος Gr. *asinus*, κρόταλον, *Crepitaculum*.

3 Data opera fingit autor insignia vitiosa. Nam adulterina signa vocantur, quæ habent metallum super metallum.

4 Erant Bullæ non tantum triumphantium, verum etiam prætextatorum puerorum insignia. Hoc loco vero significant ornamenta gemmea in baltheo. Forte ita dicta à similitudine bullarum, quæ spiritu in aqua excitantur. Quamvis Festus *bullam* quasi *bulam* dictam velit, à Gr. βγλὴ consilium, ut significaretur puerorum ætatem alterius regendam consilio.

5 Leopardus animal ex Leone & pardali, quæ & Panthera dicitur, quasi tota fera, à Gr. πᾶν *totum* & θὴρ fera. Nisi forte hæc vox pro ipsa Panthera ponatur. Gall. *Leopard* & Ital. *Liompardo*.

6 Epitaphium, inscriptionem.

7 Ejus opificii collegium.

8 *Chimæra*, mons Lyciæ ignivomus, cujus pars summa leonibus, media igne, ima serpentibus infestatur. Unde Poetæ finxerunt esse monstrum triforme. Ovid Metam. lib. 9. --- *Mediis in partibus hircum Pectus & ora leæ, caudam serpentis habebat.* In Tristi-

bus

nec heic alia res erat, si vidisses. Cautum est & illud Georgio, ut Franciscanus, & Dominicanus, inter sese sorte decernerent, utris primus cederet locus in pompa; post hos cæteri quoque sortirentur; ne quid hinc oriretur tumultus. Parochus & hujus [1] clerici locum tenerent infimum, hoc est, primum. Nec enim aliud erant passuri monachi. MA. Non acies tantum, sed & pompas ille callebat ordinare. PH. [2] Cautum est & illud, ut [3] funebre sacrum, quod apud parochum fieret, modulato musicorum concentu perageretur, honoris gratia. Dum hæc aliaque tractantur, inhorruit ægrotus, deditque signa certissima supremum tempus adesse. Adornatur igitur [4] extremus fabulæ actus. MA. Nondum finis? PH. Recitatur diploma pontificis, in quo promittebatur criminum omnium abolitio, totusque purgatorii metus adimebatur. Ad hæc [5] justificabantur omnia illius bona. MA. Rapto parta? PH. Certe jure belli ac more militari. Sed forte aderat Philippus Jureconsultus uxoris frater: is in diplomate notavit [6] locum secus positum, quam oportuit, & injecit suspicionem falsi. MA. Haudquaquam in tempore: dissimulandum erat, etiamsi quid inesset erroris, & nihilo pejus habuisset falsi. PH. Assentior. Et ægrotus sic hac re perturbatus est, ut minimum abesset à desperatione. Ibi Vincentius fortem

bus vero lib. 4. Eleg. 8. --- *Esse Chimæram, A truce quæ flammis separat anguelacum.*

1 *Clericus*, à κλῆρος sors, qui electus est è popularibus ad obeundum sacrum ministerium: contra Laicus à λαὸς popularis. Respice pag. 354.

2 Testamento scil.

3 Intelligit, ni fallor, Missam, ut vocant, pro anima defuncti mox peragendam.

4 Omnis fabula habet actus quinque. Allegoria ad rem scenicam.

5 Theologis usitata vox, significant justum facere.

6 Aliter quam oportuit. Male positum. Non obscure notat Autor, ejusmodi diplomata sæpe ab illis veteratoribus monachis falso Pontificum nomine muniri.

tem virum præbuit; juſſit Georgium quieto eſſe animo, ſibi eſſe poteſtatem corrigendi ſupplendique, ſi quid in diplomatibus vel erratum eſſet, vel omiſſum. Quod ſi te, inquit, fefellerit diploma, ego jam nunc hanc animam pro tua ſuppono anima, ut tua petat cœlos, mea dedatur [1] orco. MA. Accipit ne Deus tales animarum permutationes? Et, ſi accipit, num ſatis cautum videbatur Georgio tali pignore? Quid ſi Vincentii anima vel absque permutatione debebatur inferis? PH. Quod geſtum eſt, narro. Hoc certe perfecit Vincentius: ægrotus viſus eſt animum recipere. Mox recitantur cautiones, quibus Georgio promittebatur [2] ſocietas omnium [3] operum, quæ fierent per [4] quatuor ordines, & quintum Carthuſienſium. MA. Ego metuerem, ne deprimerer ad inferos, ſi tantum ſarcinæ bajulandum eſſet. PH. De bonis operibus loquor: ea non aliter gravant animam ſubvolaturam, quam plumæ avem. MA. Mala igitur opera ſua quibus [5] legant? PH. Militibus Germaniæ conductitiis. MA. Quo jure? PH. Jure Evangelico: [6] *Habenti dabitur.* Simulque recitatus eſt numerus miſſarum & pſalteriorum, quæ defuncti animam eſſent comitatura. Erat autem immenſus. Poſt hæc iterata eſt confeſſio, dataque benedictio. MA. Ita efflavit animam? PH. Nondum. Strata eſt humi [7] ſtorea juncis contexta, ſic ut ab initio convoluta cervicalis ſpeciem ex ſeſe faceret. MA. Quid nunc futurum eſt? PH. Eam conſperſerunt [8] cinere, ſed raro; ibi depoſuere corpus

1 Inferorum loco. Vide infra *Charontem* ſub finem.

2 Communio.

3 Bonorum ſcil. ſi forte quidquam boni ab iſtis monachis perpetratur.

4 Mendicantium ſcil. quos notatos reviſe pag. 581.

5 Donant.

6 Nam militibus ſatis eſt malorum operum.

7 *Storea* teges, ſeu ſtragulum quod humi inſternitur, à στρέω ſterno.

8 Eſt & hæc Pontificiorum ſuperſtitio inſana, ut morientibus cinerem ſubſternant.

1 A Sa-

corpus ægroti. Inſtrata eſt tunica Franciſcana, ſed prius conſecrata preculis & aqua[1] luſtrali. [2] Cucullа ſuppoſita eſt capiti: nam tum indui non poterat. Una cum illa ſuppoſitum eſt diploma cum cautionibus. MA. Nova mortis ſpecies. PH. Atque confirmant, dæmoni nullum eſſe jus in eos, qui ſic moriuntur. Sic ajunt præter alios mortuum[3] S. Martinum & [4] Franciſcum. MA. Sed huic morti illorum vita[5] reſponderat. Obſecro quid tum poſtea? PH. Porrecta eſt ægroto crucis imago & candela cerea. Ad crucem porrectam dixit ægrotus; Soleo in bellis tutus eſſe meo clypeo; nunc hunc clypeum opponam hoſti meo; & exoſculatus admovit humero lævo. Ad ceream vero ſacram, Olim, inquit, haſta valui in bellis; nunc hanc haſtam vibrabo adverſus hoſtem animarum. MA. Satis militariter. PH. Has poſtremas voces edidit. Jam mox linguam mors occupavit, ſimulque cœpit animam agere. Bernardinus à dextris imminebat morienti, Vincentius à ſiniſtris, uterque[6] pulcre vocalis. Alter oſtendebat imaginem ſancti Franciſci, alter Dominici. Cæteri ſparſi per cubiculum demur-

1 A Sacrifico conſecrata, ut luſtrandi & purgandi vim habeat.

2 Nuſquam non legitur apud Eraſmum *Cuculla* pro Cucullus.

3 Ridet Autor fabulas Pontificias: nam qui fieri potuit, ut Martinus ille (quem diximus pag. 580.) cucullo indutus animam exhalaverit, quum mortuus ſit anno 396. quo tempore hæc ſuperſtitio nondum innotuerat?

4 Franciſcum tali amictu ornatum obiiſſe quis credat, cum ab ipſis Pontificiis memoriæ proditum ſit, eum quinque vulnera à Chriſto impreſſa circumtuliſſe, & cum mortem inſtantem ſentiret, omnes veſtes exuiſſe, ut promptior cum Diabolo confligeret, & nudus ex hac vita migraret, ad imitationem Chriſti (en vero ſtolidiſſimi hominis κακοζηλίαν) qui nudus è cruce pependit.

5 Convenerat. Quaſi vero utraque (de Franciſco loquor præcipue) non ſtultitiæ plena. Confer pag. 371. ſupra.

6 Et forte bene potus. Reſpice Autoris verba in *Conviv. relig.* *Adeſt ad aurem morientis qui clamet; imo nonnunquam occidit ante tempus, ſi contingat, ut NB. ſæpe fit, vocalior aut bene potus.*

murmurabant psalmos aliquot voce lugubri. Bernardinus magnis vociferationibus percellebat aurem dextram, Vincentius sinistram. MA. Quid occlamabant? PH. Hujusmodi ferme Bernardinus: Georgi Balearice, si nunc quoque probas ea, quæ sunt acta inter nos, flecte caput in dextrum: flexit: Vincentius contra; Ne quid trepides. Georgi; habes Franciscum & Dominicum propugnatores. [1] Esto securus. Cogita quantum habeas meritorum, quod diploma; denique memineris meam animam pro tua oppignoratam, si quid esset periculi: hæc si sentis & probas, flecte caput in lævum; flexit. Rursus simili clamore, Si hæc sentis, inquiunt, preme manum meam, tum manum pressit. Ita huc & illuc flectendo capite & premendis manibus transactæ sunt horæ ferme tres. Cum jam inciperet oscitare Georgius, ibi Bernardinus erectus pronuntiavit absolutionem: quam perficere non potuit, quin Georgius efflasset animam. Hæc sub noctis medium: mane peracta [2] anatomia. MA. Quid mali repertum est in corpore? PH. Recte mones; nam [3] exciderat. Fragmentum plumbi inhærebat [4] diaphragmati. MA. Unde id? PH. Uxor narrabat illum quondam ictum [5] sphærula bombardica. Hinc conjectabant medici, plumbi liquefacti particulam resedisse in corpore. Mox corpus lacerum utcunque convestitum est [6] amictu Franciscano. A prandio

1 O sceleratissimi pariter ac impudentissimi monachi! vultisne ut hisce putidis quisquiliis fretus Georgius iste idiota salutis suæ securus sit?

2 Respice notas pag. 577.

3 Supple animo, vel memoriæ. Hoc est oblitus eram.

4 *Diaphragma* est septum transversum, quod separat præcordia, in quibus cor est, & pulmo, ab inferiori corporis parte, in qua splen, hepar & tenes, à verb. διαφράσσω, *intersepio*.

5 Ita vocat glandem ferream, missam è tormento bellico, per Onomatopœian dicto *bombarda*.

6 Quippe hoc ornatum Georgium ab impuris spiritibus servari oportuit, & recta in cœlum evolare, si monachorum impiis fabulis fides. De hujusmodi inanitis vide inferius annotata in *Exeg. seraph.*

1 Majori

prandio sepultura peracta est, ea pompa qua decretum erat. MA. Nunquam audivi mortem [1] operosiorem, nec funus ambitiosius. Verum istam opinor fabulam nolis evulgari. PH. Quam ob rem? MA. Ne quid [2] irritentur crabrones. PH. Nihil est periculi. Etenim si pia sunt quæ narro, etiam ipsorum interest hæc scire populum: sin minus, quotquot inter illos boni sunt, mihi gratias agent, qui hæc prodiderim; quo pudore correcti quidam desinant similia facere; deinde simplices caveant, ne in similem pertrahantur errorem. Sunt enim & apud istos cordati [3] vereque pii, qui frequenter apud me questi sunt, paucorum vel superstitione, vel improbitate totum ordinem reddi apud bonos invidiosum. MA. Recte tu quidem, & fortiter. Sed nunc aveo scire, quomodo [4] decesserit Cornelius. PH. Ut vixit nulli molestus; ita mortuus est. Habebat febrem anniversariam, quæ statis temporibus singulis annis recurreret. Ea tum, sive quia gravabat ætas (nam annum excesserat sexagesimum) sive aliis de caussis, solito magis urgebat hominem, & visus est ipse præsentire, diem [5] fatalem imminere. Itaque quatriduo prius, quam moreretur, erat Dominicus dies, templum adiit, confessus est suo parocho, audivit publicam concionem & [6] sacrum; à sacro, reverenter accepto [7] pignore corporis Dominici, domum

1 Majori opera & labore præparatam.

2 Id est; ne monachorum & sacrificulorum gregem offendam. *Irritare crabrones* in proverbio est, pro eos provocare, qui irritati plurimum tibi obfuerint, quemadmodum crabrones, ex insectorum genere, venenoso aculeo

3 Recte facis, Erasme. Ita oportet tua falsa dicta verborum lenociniis mollire.

4 E vita, i. e. mortuus est.

5 Revise pag. 576.

6 Ita vocat istam Papicolarum missam, quam plus semel supra vide annotatam.

7 Pane illo orbiculari, à sacrificulo in verum Corpus Christi converso, quem aliis nominibus designatum habuimus.

mum se recepit. MA. Non usus est medicis? PH. Unicum dumtaxat consuluit, sed non minus bonum virum, quam bonum medicum: ei Jacobo Castrutio nomen est. MA. Novi. Nihil illo sincerius. PH. Is respondit, suam quidem operam amico non defuturam, sed sibi videri plus esse [1] præsidii in Deo, quam in medicis. Cornelius hanc vocem non minus alacriter accepit, quam si certissimam vitæ spem ostendisset. Itaque tametsi semper pro suis facultatibus fuisset perbenignus in pauperes, tum quidquid decidi poterat uxoris & liberorum necessitati, impartiebatur in egenos, non istos ambitiose [2] mendicos, & nusquam non obvios, sed in probos, qui pro viribus industria laborandi cum paupertate pugnabant. Rogabam hominem ut decumberet, & sacerdotem ad se accerseret potius, quam tenue corpusculum defatigaret. Respondit, hoc sibi semper studio fuisse, ut amicos suos sublevaret potius, si posset, quam gravaret officiis; nec se sui dissimilem esse velle in morte. Nec decubuit quidem nisi postremum diem, & noctis partem, qua reliquit terras. Interim ob corpusculi lassitudinem baculo nitebatur, aut sedebat in [3] cathedra; raro componebat se lectulo, sed vestitus & erecto capite. Hoc tempore aut mandabat aliquid de curandis egenis, maxime notis, aut vicinis, aut legebat è libris sacris, quæ provocant hominis erga Deum fiduciam, quæque illius in nos caritatem declarant. Si per lassitudinem ipse minus poterat, audiebat amicum prælegentem. Frequenter miro affectu hortabatur familiam ad mutuum amorem & concordiam, atque studium veræ pieta-

1 Opis, auxilii.
2 Monachos, nempe, qui mendicato vivunt.
3 Καθέδρα, Gr. sedes sublimior.

1 Mori.

pietatis; solicitosque de morte ipsius amantissime consolabatur. Identidem admonebat suos, ne quid æris alieni præteriretur indissolutum. MA. Non condiderat testamentum? PH. Jam pridem sanus ac valens id curarat. Negabat enim esse testamenta, quæ fierent ab [1] agentibus animam, sed deliramenta potius. MA. Nihil legarat monasteriis aut egenis? PH. Ne [2] teruncium quidem. Ego, inquit, pro mea portione dispensavi [3] facultatulas meas, nunc ut earum possessionem aliis trado, ita trado & dispensationem. Et confido meos sanctius dispensaturos, quam ipse feci. MA. Non accersebat ad sese pios homines, quemadmodum fecit Georgius? PH. Ne unum quidem: præter familiam & duos intime amicos nullus aderat. MA. Demiror quid senserit. PH. Negabat se morientem pluribus molestum esse velle, quam fuisset nascens. MA. Exspecto finem istius fabulæ. PH. Mox audies. Venit dies Jovis. Ille stratum non reliquit, sentiens extremam corpusculi lassitudinem. Accitus parochus impartiit [4] extremam unctionem, ac rursus porrexit corpus Domini, sed citra confessionem. Negabat enim quidquam [5] scrupuli resedisse in animo. Ibi parochus agere cœpit de sepultura, qua pompa, quove loco sepeliri vellet. Sepeli, inquit, me quomodo sepelires infimæ [6] sortis Christianum: nec mea refert, ubi seponas hoc corpusculum, æque inveniendum in extremo die, ubicunque [7] condideris. Pompam funeris nihil moror. Mox injecta mentio de sonitu cam-

1 Moribundis, vel in ipso mortis articulo versantibus.

2 *Teruncius*, quarta pars assis, nummus perexiguus.

3 Ita supra *observatiunculas*, & *constitutiunculas* ὑποκορισικῶς posuit.

4 E more Papicolarum. Vide Georgium eodem modo inunctum pag. 578.

5 Solicitudinis. Revise *Ichthyoph.* pag. 532.

6 Dignitatis, conditionis.

7 Sepeliveris.

campanarum, de [1] tricenariis, & [2] anniversariis, de diplomate, de communione meritorum emenda. Tum ille; Mi pastor, nihilo pejus habebo, etiamsi nulla sonet campana. Si me vel uno [3] funebri sacro dignaberis, plus satis erit. Aut si quid aliud est, quod ob publicam ecclesiæ consuetudinem citra scandalum infirmorum omitti vix potest, id tuo permitto arbitratui. Nec est animus, cujusquam vel preces commercari, vel meritis quenquam suis spoliare. Satis meritorum exuberat Christo: & confido, totius ecclesiæ preces ac merita mihi, si modo vivum sum membrum, profutura. In duobus diplomatibus mihi tota spes est. Alterum est peccatorum meorum, quod princeps pastorum dominus Jesus abolevit, affigens illud cruci; alterum quod ipse suo sacrosancto sanguine scripsit & obsignavit, quo nos certos reddidit de salute æterna, si totam fiduciam nostram in ipsum transferamus. Absit enim ut instructus meritis ac diplomatibus provocem Dominum meum; ut in judicium veniat cum servo, certus quod in conspectu ejus non [4] justificabitur omnis vivens. Ego ab illius justitia appello ad ejusdem misericordiam, quoniam immensa est & ineffabilis. His dictis abiit parochus. Cornelius, veluti magna spe salutis concepta, gaudens & alacer, jubet sibi quædam recitari è sacris voluminibus, quæ confirmant spem resurrectionis & præmia immortalitatis: velut illud ex Esaia [5] de morte Ezechiæ dilata, una cum cantico: deinde c. 15. epistolæ Paul. ad Corinth. prioris: de morte Lazari ex Johanne: sed præcipue

1 *Tricenarium* est funebre sacrum, quod per totum mensem, i. e. 30. dies post exsequias, continue celebratur. Hoc autem Gall. vocatur, *Le trentain.*

2 Supple, Missis, vel precibus singulis annis recurrentibus, & in commodum mortui cessuris.

3 Revise notas in pag. 589.

4 Verba Psalmi 143.

5 Quod extat Esa: cap. 38. & 2. Reg. 20.

pue historiam Christi passi ex Evangeliis. Quam hic animo [1] devorabat singula, ad quædam suspirans, ad alia compositis manibus gratias agens, ad quædam hilarescens ac gestiens, ad nonnulla preculas breves [2] ejaculans! A prandio cum paululum temporis obdormisset, jubet recitari caput ex Evangelio Johannis duodecimum, usque ad historiæ finem. Heic dixisses hominem plane transfigurari, afflarique novo spiritu. Jam dies vergebat ad vesperam; accersit uxorem ac liberos: ibi erecto quantum licuit corpusculo, sic affatus est suos: Carissima conjux, quos Deus ante conjunxerat, idem nunc separat, sed corporibus dumtaxat, idque ad breve tempus. Curam, caritatem, pietatem, quam antehac partiri soles in me & [3] dulcissima pignora, totam in istos transfer. Ne putaris, te ullis modis posse magis demereri vel Deum, vel me, quam si istos, quos Deus dedit nobis conjugii fructum, sic educes, foveas & instituas, ut Christo digni habeantur. In hos igitur conduplica pietatem tuam, & meam portionem in te translatam existima. Id si feceris, ut facturam confido, non erit cur videantur [4] orphani. Quod si repetas matrimonium. [5] Ad hanc vocem uxor erupit in fletum, cœpitque dejerare, se nunquam de repetendis nuptiis cogitaturam. Heic Cornelius: Soror in Christo mihi carissima, si Dominus Jesus largiri dignabitur tibi propositum istud ac robur spiritus, ne desis dono cœlesti. Erit enim hoc tibi pariter ac liberis commodius. Sin alio vocabit carnis infirmitas, scio quod mors mea te liberat à jure conjugii, sed non liberat à fide, quam meo tuoque nomine debes curandis

1 Metaphorica locutio, pro *attentamente observabat*. Ita superius in *Conv. fab. devorare oculis*.
2 Emittens, proferens.
3 Charissimos liberos.
4 Orbi parente.
5 Ἀναστάτωσις.

dis communibus liberis. Quod ad matrimonium attinet, utere libertate quam tibi permisit Dominus. Tantum hoc te rogo moneoque, ut virum tibi deligas iis moribus, tuque te illi talem præbeas, ut possit vel suapte bonitate ductus, vel tua commoditate provocatus, amare privignos. Proinde cave, ne cui voto te obstringas. Serva te liberam Deo & liberis nostris; quos sic institues ad omnem pietatem, ut caveas, ne se cuipiam addicant [1] instituto, donec per ætatem & rerum usum constiterit, ad quod vitæ genus sint idonei. Deinde versus ad liberos, exhortatus est ad studium pietatis, ad obediendum matri, ad mutuam inter ipsos caritatem & concordiam. His peroratis, dedit osculum uxori; liberis, facto signo crucis, precatus est bonam mentem, & Christi misericordiam. Post hæc intuens omnes qui aderant, Sub crastinam, inquit, auroram Dominus, qui diluculo revixit, pro sua misericordia dignabitur hanc animulam ex hujus [2] corpusculi sepulcro, eque hujus mortalitatis tenebris evocare in lucem suam cœlestem. Nolo teneram ætatem excubiis [3] inanibus fatigari. Cæteri quoque vicissim dormiant: mihi satis est unum adesse vigilem, qui recitet sacram lectionem. Transacta nocte sub horam quartam, cunctis præsentibus, jussit recitari psalmum totum, quem Dominus orans recitavit in cruce. Eo finito, jussit exhiberi cereum, & [4] crucem. Et cereum accipiens, dixit: Dominus illuminatio mea & salus mea; quem timebo? Crucem exosculatus dixit: Dominus protector vitæ meæ; à quo trepidabo? Mox

1 Ordini, vel Collegio monachorum, unde sese postea nequeunt extricare.

2 Imo ipsum corpus animæ sepulcrum quidam dixerunt σῶμα, dictum arbitrantes quasi σῆμα.

3 Non profuturis.

4 In quem finem? an ut hæc arma opponeret hosti animarum, ut Georgius ille supra loquitur? nugæ.

Mox manus super pectus in supplicantis gestum composuit, & oculis in cœlum erectis dixit, Domine Jesu, accipe spiritum meum. Et protinus clausit oculos veluti dormiturus; simulque levi flatu emisit spiritum: dixisses illum obdormisse, non [1] exspirasse. MA. Nunquam audivi mortem minus operosam. PH. Talis fuerat in omni vita. Uterque fuit amicus. Fortasse non æque dijudico, uter decesserit Christianius: tu qui integer es, rectius [2] dispicies. MA. Ita faciam, sed per otium.

1 Animam efflasse, mortem obiisse. | 2 Discernes, dijudicabis.

[1] ECHO.

Juvenis, Echo.

JU. CUpio paucis te consulere, si vacat. EC. Vacat. JU. Et, si venio tibi gratus juvenis. EC. Venis. JU. Sed potesne mihi & de futuris dicere verum, Echo? EC. [2] Ἔχω. JU. Et Græce nosti? Quid istuc novi? EC. [3] Novi. JU. Qualia tibi videntur Musarum studia? EC. [4] Δῖα. JU. Censes igitur [5] terendos auctores, qui conducunt ad bonas literas? EC. Teras. JU. Quam igitur mentem habent isti, qui hæc studia linguis traducunt suis? EC. [6] Suis. JU. Sed utinam harum cultores similiter essent & pietatis studiosi? EC. O si! JU. Nunc

1 Ita hoc Colloquium inscribitur à sono reciproco, qui Græce ἠχὼ dici tur. Fit autem cum sonus in aliquod corpus concavum impingens non secus ac pila repellitur, ibique auditur: quod si in diversa ejusmodi concava corpora incidat, variis vicibus audietur. Fabulam Echûs Nymphæ vocalis, & artificiosissimum ejus cum Narcisso lusum, apud Nasonem vide Metamorph. lib. 3. fab. 5.

2 Ἔχω, habeo, hic significat *possum*.

3 Nosco.

4 Δῖα, *divina*.

5 Pervolvendos.

6 Porci.

Nunc quorundam improbitas omnes reddit invi-
ſos. EC. [1] Ἴσως. JU. Et multis hominum pecca-
tum confertur in nomen eruditionis. EC. [2] Ὄνοις.
JU. Atqui vulgo videntur non infimi. EC. [3] Fimi.
JU. Quid facere cenſes eos qui terunt ætatem in
[4] ſophiſtico doctrinæ genere? EC. Nere. JU.
Fortaſſis [5] telas aranearum. EC. Harum. JU. At
[6] Penelopes telas texunt ac retexunt. EC. Te-
xunt. JU. Cui ſuades ut me dem vitæ inſtituto?
EC. Tuto. JU. Erit [7] auſpicatum, ſi uxorem du-
xero? EC. Sero. JU. Quid ſi mihi [8] veniat uſu,
quod his, qui incidunt in uxores parum pudicas,
parumque frugiferas? EC. Feras. JU. Atqui cum
talibus morte durior eſt vita. EC. [9] Vita. JU.
Siccine in rebus humanis dominari fortunam?
EC. [10] Unam. JU. Magis fortaſſe expedit, ut
aliquis præ conjugio monachi inſtitutum eligat.
EC. [11] Ligat. JU. Quid ſupereſt remedii, ubi
quem adſtrinxerit jam nodus inſolubilis? EC.
[12] Bilis. JU. Attamen miſerum eſt homines vi-
vere ſolos. EC. [13] Ὅλως. JU. Cujusmodi cen-
ſes horum temporum plerosque monachos? EC.

[1] Ἄχθ.

1 Ἴσως, id eſt, *ſcilicet, fortaſſe.*

2 Ὄνοις, hoc eſt *aſinis.*

3 *Fimi*, ſtercora.

4 *Sophiſtæ*, vanæ ſapientiæ oſtenta-
tores. ſæpius ſupra notati.

5 *Telas aranearum nere vel texere*, hoc eſt, rebus nullius utilitatis aut fru-
ctus operam dare, atque ita operam & oleum perdere.

6 *Penelopes telas texere* dicuntur, qui inanem operam ſumunt, & quod prius effecerunt, rurſum deſtruunt, ut ille Siſyphus apud inferos ſaxum vol-
vens. Natum adagium ab illa caſta Penelope Ulyſſis uxore, quæ procos, marito abſente, acerrime inſtantes de-
ludere cupiens, promittebat ſe tum nupturam, ubi telam, quam manibus habebat, abſolviſſet. Sed callidiſſima mulier, quo eos vana ſpe lactaret, quod interdiu texuiſſet, id nocte retexere cœpit.

7 Bonis avibus cœptum, hoc eſt, felix. Reſpice pag. 6. & alibi ſæpius.

8 Accidat.

9 Cave.

10 Solam.

11 Is ſe conſtringit.

12 *Bilis* pro ira.

13 Ὅλως, id eſt, *omnino.*

1 Ἄχθος. JU. Quid igitur istos movet, qui suspiciunt illos ut semideos? EC. 2 Δέος. JU. Quid captant plerique qui ambiunt sacerdotium? EC. Otium. JU. Præterea nihil habet sacerdos? EC. 3 Κέρδος. JU. Quid bonæ rei contigit illis qui fiunt episcopi? EC. 4 Κόποι. JU. At nulli magis vivunt in ocio. EC. Scio. JU. Quæ res illos admonere poterit, ut intelligant, quantum sustineant onus? EC. 5 Ὁ νοῦς. JU. Ergo res præclara est sacerdotium, si quis se in eo gerendo qualem oportet præbeat? EC. Beat. JU. Quid fructus erit, si me conferam in aulam eorum, qui præcellunt 6 monarchica dignitate? EC. 7 Ate. JU. At non paucos video qui solent illinc sibi præclaram felicitatem ariolari. EC. 8 Λάροι. JU. At interim dum incedunt 9 holosericati, vulgo videntur homines mágnifici. EC. 10 Fici. JU. Foris igitur aureos, intus ficulneos homines dicis, si quis inspiciat cominus. EC. Minus. JU. Nihil igitur præclari sunt, quos pro diis veneramur 11 byssinos. EC. 12 Ζημία. JU. Nec militare genus magno æstimabis fortasse. EH. 13 Asse. JU. Magnum quiddam pollicentur, qui è sideribus & futura prædicunt 1 Astrolo-

1 Ἄχθος pestem, dolorem. Imo vero Erasmi perniciem sæpius machinati sunt.

2 Δέος, timor. Non mirum equidem, cum ipsis monarchis terrori fuerint isti male feriati monachi.

3 Κέρδος, *lucrum*.

4 Κόποι, *labores*.

5 Ὁ νοῦς, id est, mens.

6 Monarcha, qui solus imperat.

7 Ἄτη, noxa, damnum, vel calamitas. Dea fingitur ab Homero hominibus mala immittens. Revise *Ichthyoph.* pag. 521.

8 Λάροι, pro stupidis. *Larus* avis est, quam & *Gaviam* dicunt. Hæc nimium cibi avida manibus capitur, ut ajunt.

9 Veste holoserica induti, i. e. ex toto serico.

10 Sic *homines ficulnei*, dicuntur bardi, & stupidi. Horat. lib. 1. Sat. 8. *Truncus ficulnus, inutile lignum.*

11 Byssо ornatos. Βύσσος lini genus, ex quo olim delicatulis mulierculis conficiebantur vestes subtilissimæ.

12 Ζημία, *damnum, noxa.*

13 Imo milites omnes ne quidem unius æstimes assis, si quis te recte norit, Erasme.

[1] Astrologi. EC. [2] Λόγοι. JU. At strenue laborant [3] Grammatici. EC. [4] Εἰκῇ. JU. Non placent, opinor, [5] leguleji homines semper famelici. EC. [6] Λύκοι. JU. Qualis ero, si fiam opifex? EC. [7] Fæx. JU. Itane nihil præterea adferunt artes boni aut mali? EC. [8] Ali. JU. Fuerone beatus, si perseverave vero in bonis litteris? EC. Eris. JU. Sed quæ res dabit, ut adsit pietas? EC. Ætas. JU. Decem jam annos ætatem trivi in Cicerone. EC. JU. [9] Ὄνε. JU. Unde tibi subit me asinum dicere? EC. E re. JU. Fortassis hoc dicis, non sic huic incumbendum, ut [10] alios relinquam. EC. Inquam. JU. Non placet igitur is, qui se per omnem vitam tantum in hoc torqueat, ut fiat [11] Ciceronianus? EC. [12] Ἄνες. JU. Quid supereſt natu grandibus, quorum ætas ad hæc discenda non est tempestiva? EC. [13] Stiva. JU. Facundior esses, opinor, si longius abessem. EC. Essem. JU. Non me delectant sermones [14] dissyllabi. EC. Abi. JU. Cœpi prior; video non posse vitari, quin posterior desinas. EC. Sinas. JU. Jam igitur tibi videor satis instructus ad ea probe gerenda, quæ sunt in vita? EC. Ita. JU. Proinde si me voles abire, dicito. EC. Ito.

[1] ΠΟΛΥ-

1 Ἀστρολόγοι, siderum periti, seu, qui ex astris futura prædicunt.
2 Λόγοι *verba.*
3 Γραμματικοὶ, litterarii.
4 Εἰκῇ, *frustra.*
5 Qui studiis legum incumbunt.
6 Λύκοι, *lupi.*
7 *Fæx*, homo vilis.
8 Nutriri, juxta illud: *artem quæ vi terra alit.*
9 Ὄνε, id est, *ô asine.*
10 Latinos Autores scil.
11 Conscripsit Erasmus dialogum, quem *Ciceronianum* vocat, quo irridet eos, qui cæteris neglectis, uni Ciceroni legendo incumbunt, eumque solum imitantur, quales tunc temporis multi fuere, ut *Longolius* ille, *Simus Ciceronianus* dictus, aliique. Variæ de hoc libello sunt doctorum opiniones.
12 Ἄνες supple ἐφι, i. e. *amens est.*
13 *Stiva*, hoc est *aratrum*, pars pro toto.
14 Duarum syllabarum.

[1] ΠΟΛΥΔΑΙΤΙΑ.

Dispar Convivium.

[2] SPUDUS, APITIUS.

SP. HEus heus, Apiti. AP. Non audio. SP. Heus, inquam, Apiti. AP. Quis hic est tam molestus interpellator? SP. Est feriæ rei quiddam, quod te volo. AP. At ego ad rem seriam propero. SP. Quoniam? AP. Ad cœnam. SP. Hac ipsa de re tecum volebam agere. AP. Non vacat nunc [3] actoribus operam dare, ne [4] actum agam. SP. Nihil feceris dispendii; comitabor te quo properas. AP. Age dic, modo [5] tribus verbis. SP. Magno studio molior convivium, in quo nulli displiceam convivarum, placeam omnibus. Ejus artis quoniam tu principatum tenes, ad te velut ad oraculum confugio. AP. Responsum accipe, & quidem juxta veterum morem [6] ἔμμετρον. Nulli ut displiceas, nullum

1 Πολυδαιτία, quasi diceret *varium convivium*, à πολὺς *multus*, & δαίτη *epulum*. Lepidum, Hercule, Colloquium, in quo varia ad urbanitatem & bonos mores spectantia docte tractantur.

2 Apta personarum nomina, alter enim *Spudus*, quasi Σπουδαῖος, *bonus & probus*: alter *Apitus*, qui omnium helluonum fuit princeps, Senecæ coætaneus, cui ipse scribit in Consol. ad Helv. Cap. 10) & de gulæ irritamentis librum conscripsit, omnibusque, ut fertur, opibus dilapidatis, veneno vitam finiit. Iste, inquam, ventricola sic belle introducitur de arte convivatoria disserens.

3 Amphibolia est in actoribus. Agere significat quoque judicio persequi. Inde actores. Spudus vult cum Apitio agere, id est, loqui, vel tractare: hic putat illum velle agere secum in judicio.

4 *Actum agere*, est nihil agere. Proverbium à jure sumtum, nam in judiciis non licet causam iterum agere, de qua jam sit pronunciatum. Terent. Adelph. Act. 2. Sc. 2. & Phorm. Act. 2. Sc. 3.

5 *Tribus verbis* pro paucis. Fusius annotata vide in Coll. *proci & puellæ*, pag. 209.

6 Ἔμμετρον, id est *metricum, numeris constans*, nam sequens versus est.

1 *Solemne*

nullum invitare memento. SP. Atqui [1] solemne est epulum; multos excipiam oportet. AP. Quo plures invitaris, hoc pluribus displiceas oportet. Quæ fuit unquam tam bene vel conscripta, vel acta fabula, ut toti placuerit theatro? SP. Sed age [2] Comi delicium Apiti, subleva me tuo consilio; habebo te posthac numinis loco. AP. Sit igitur hoc primum consilium; Ne conare quod fieri non potest. SP. Quidnam? AP. Ut convivator omnibus placeas. Tanta est [3] palatorum varietas. SP. At saltem ut paucioribus displiceam. AP. Voca paucos. SP. Non licet. AP. Voca pares, & ingeniis congruentes. SP. Ne id quidem mihi liberum est. Vitari non potest, quin & multos vocem, & dissimules, denique nec ejusdem linguæ, neque nationis homines. AP. Næ, tu mihi vere convicium narras, non convivium; in quo facile possit talis exoriri lusus, qualem Hebræi narrant accidisse in structura [4] Babel, ut petenti frigidum aliquis porrigat calidum. SP. [5] Opitulare, te quæso; gratum experieris ac memorem. AP. Age, quando electio non est tui arbitrii, in re mala dabo bonum consilium. Haud parvi refert ad hilaritatem convivii, quo quisque loco sedeat. SP. Verissimum. AP. Ea res ut tibi cedat prospere, fac ut sortibus distribuantur accubitus. SP. Pulcre mones. AP. Deinde ne sic paulatim à summo ad imum procedant patinæ, ut [6] sigma litteræ vel serpentis potius imaginem

1 *Solemne* non solum est, quod fieri solet, & statis quidem temporibus sed etiam *celebre* sonat.

2 *Comus* Gr. κῶμος, comessationum & lasciviæ Deus præses. Unde & κῶμος ipsa comessatio. Recte itaque hunc Apitium *Comi delicium* vocat, ut qui luxum adeo norit.

3 Juxta illud Horatii Epist. 2. lib. 2. *Tres mihi convivæ prope dissentire videntur, Poscentes vario multum diversa palato.*

4 Vox *Babel* sonat, *confusio venit.* Historia istius turris vel pueris nota est. Respice *Diversoria.*

5 Adjuva me, scil. consiliis tuis.

6 S. Σ Græcum.

nem pingant, aut ultro citroque reciprocent, quemadmodum olim in conviviis [1] myrtus tradi solet. SP. Quid igitur? AP. Sed ad singulas convivarum [2] tetradas appone patinas ternas, sic ut quarta media promineat, quemadmodum pueri tribus nucibus imponunt quartam: in singulis sit aliud atque aliud cibi genus, quo quisque quod libet eligat. SP. Placet. Sed quoties mutabo patinas? AP. Quot partibus constat oratio rhetorica? SP. [3] Quinque ni fallor. AP. Quot actibus constat fabula? SP. Apud Horatium legi, [4] *Ne sit quinto productior actu.* AP. Toties mutabis patinas, ut proœmium sit jusculentum, conclusio vel [5] epilogus ex variis bellariorum generibus conflatus. SP. Quem probas in patinis ordinem? AP. Eundem quem [6] Pyrrhus in acie. SP. Quid ais? AP. Quemadmodum in oratione, ita nec in convivio decet [7] proœmium esse elaboratum. Rursus epilogus varietate commendetur potius quam apparatu. In tribus itaque mediis servanda Pyrrhi disciplina, ut in utroque cornu sit aliquid eximium, in media acie vulgarior apparatus. Hoc pacto fiet, ut nec [8] sordidus videare, nec fastidiosa copia sis molestus. SP. Satis expedite de cibis; supereſt, ut, quomodo bibendum, doceas. AP. Nulli omnium cyathum appones, sed [9] pueris dato negotium,

1 Hinc proverbium, *Ad myrtum canere.* Olim qui in conviviis canere jubebatur, Myrteum ramum accipere solitus erat, ab eo qui ante cecinerat, atque is finita cantione tradebat ei, quem vellet post se canere.

2 Quaternio, vel quaternarius numerus Græce τετρὰς dicitur.

3 Ex opinione eorum, qui volunt orationem constare exordio, narratione, divisione, contentione, & peroratione.

4 Ita Horatius docet in libro de Arte Poetica. *Neve minor quinto, neu sit productior actu Fabula.*

5 Ἔπιλογος thetoribus extrema pars orationis, vel peroratio dicitur.

6 Pyrrhus Epirotarum rex fuit, rei militaris peritissimus, & supra omnes alios Reges à Romanis Scriptoribus celebratus

7 Προοίμιον proprie exordium, quo cantores aut citharœdi præludunt. Metaphorice, uti hic, pro quovis initio.

8 Avarus.

9 Famulis.

gotium, ut ibi percunctati didicerint quo quisque vini genere delectetur, alacriter ad nutum cuique quod volet porrigant. Ea ex re duplex erit commodum. Nam & parcius bibetur, & jucundius; non solum ob id, quia subinde recens dabitur potus, verum etiam quod nemo bibet nisi sitiens. SP. Optimum profecto consilium. Sed qui fieri poterit, ut hilarescant omnes? AP. Id ut fiat, partim in te situm est. SP. Quinam? AP. Tenes illud: [1] Ante omnia vultus accessere boni. SP. Quorsum istud? AP. Ut convivas comiter excipias, fronteque hilari compelles, sermonem ad cujusque ætatem, affectum, ac mores attemperans. SP. Accedam, ut dicas melius. AP. Nosti linguas. SP. Propemodum omnium. AP. Ut sua quemque lingua subinde appelles, utque convivium fabulis amœnioribus hilarescat, varias misce materias de rebus, quarum quisque libenter meminit, & nullius dolore audiuntur. SP. Quas dicis hujusmodi materias? AP. Sunt peculiares ingeniorum differentiæ, quas ipse melius perspicies; ego [2] generatim attingam aliquot. Senes gaudent ea memorare quæ multorum fugiunt memoriam, admiratores temporum, in quibus ipsi floruerunt. Matronis dulce est refricari memoriam ejus temporis, cum [3] à procis ambirentur. Nautæ, quique diversas ac longinquas mundi regiones inviserunt, libenter narrant, quæ, quia nemo vidit, mirantur omnes. Est & ante actorum malorum, juxta proverbium, [4] jucunda recordatio, si modo ejus sint generis, ut cum

1 Ex Ovidii Metamorphosi desumptum, ubi Jupiter & Mercurius à Baucide & Philemone hospitio excipiuntur. Fabulam lege lib. 8. --- *Super omnia vultus Accessere boni, nec iners pauperque voluntas.*

2 Non quidem admodum distincte, sed confusa, & tantum per genera aliquot.

3 Revise Colloq. *proci & puellæ.*

4 Vide in *Naufragio.* Jucundi sunt acti labores.

cum probro conjuncta non sint, veluti militiæ, professionum, naufragiorumque discrimina. Postremo de sua cuique arte grata est confabulatio, deque hisce rebus, quarum usu callet. Hæc sunt ferme generalia. Peculiares affectus singulatim describi non queunt: sed exempli caussa. Est aliquis laudis appetentior, alius vult haberi doctus, alius gaudet videri dives: est hic loquacior, ille pauciloquus: nonnullos reperies tetricos; alios contra blandiores. Sunt qui nolint videri senes, cum sint: sunt rursus qui volunt haberi [1] grandiores quam sint, affectantes hoc esse mirandi, quod [2] belle portant ætatem: sunt feminæ, quæ sibi de forma placent, sunt aliæ [3] putidulæ. His cognitis affectibus, haud difficile est miscere sermones unicuique gratos, vitatis his quæ mœrorem afferunt. SP. Næ tu perpulcre tenes artem convivatoriam! AP. Phy! si tantundem temporis & operæ mihi consumtum esset in [4] utroque Jure, Medicina ac Theologia, quantum impensum est huic arti, jam dudum & inter jureconsultos, medicos ac theologos doctoris & titulum & [5] lauream tulissem. SP. Credo. AP. Sed heus tu, ne quid erres, heic cavendum est, ne fabulæ sint nimium prolixæ, aut ne exeant in [6] temulentiam Quemadmodum enim vino nihil jucundius, si modice sumseris; contra nihil molestius, si supra quam sat est hauseris: ita usu venit in fabulis. SP. Vera prædicas. Sed huic incommodo quodnam ostendis remedium? AP. Ubi senseris suboriri [7] τὴν ἄοινον μέθην, per occasionem

1 *Natu* scilicet, vel *ætate*.

2. *Ætatem belle portare* dicuntur, quibus pro grandi ætate satis formæ & virium est.

3 Nec amabiles, nec suaves. Sic & *putida oratio* dicitur.

4 Civili nempe, & Canonico, ut vocant.

5 *Lauream* posuit pro doctoratus insignia. Meton. adj.

6 Ebrietatem, a *temeto*, hoc est, vino.

7 Τὴν ἄοινον μέθην, id est, ebrietatem non ex vino ortam.

nem interseca sermonem, & argumentum diversum interserere. Frustra, opinor, te monerem, ne cui suus dolor in convivio [1] refricetur, utcunque Plato judicat, in conviviis, quibusdam vitiis esse medendum, vino discutiente tristitiam, & offensæ memoriam abolente. Verum illud te monitum oportuit, ne nimium crebro salutes convivas; tametsi probo, ut interdum obambulans, nunc hos, nunc illos comiter appelles: oportet enim convivatorem bonum, [2] motoriam agere fabulam. Nihil autem incivilius, quam ibi [3] commemorare, quod cibi genus sit, qua coctum arte, quanti emptum. Idem de vino dictum puta. Quin extenuandum etiam modice quod apponitur. Alioqui nimis diligens extenuatio apparatus, idem agit quod ostentatio. Satis est bis aut ad summum ter dixisse, Boni consulite. [4] Si parum lautus est apparatus, animus certe lautissimus est. Interdum [5] sales aspergendi sunt, sed [6] qui nihil habeant dentis. Profuerit & illud subinde sua quemque compellare lingua, sed paucis. Dicendum erat initio, quod mihi nunc tandem venit in mentem. SP. Quidnam? AP. Si non placet sortito dare [7] locos, cura ut tres ex omnibus eligas natura festivos, minimeque mutos, quorum unum collocabis in capite mensæ, alterum è regione, tertium in medio, qui silentium ac tristitiam cæterorum discutiant. Quod si perspexeris convivium vel silentio tristius esse, vel clamoribus tumultuosum, aut etiam ad rixas tendere. SP.

1 Renovetur, aut denuo in mentem revocetur. Translatum à Vulneribus, quæ fricando renovantur.

2 In qua motus assiduus.

3 Vide de hac re Horatii Satyram 8. lib. 2. qua irridet Nasidienum convivatorem.

4 Revise principium Convivii Poetici.

5 *Sales* pro facete dictis, elegantiis, aut lepidis jocis.

6 *Qui nihil habent dentis*, id est, qui non nimium acerbi sunt, unde quis facile offenditur.

7 Quibus singuli accumbant.

1 *Mimi*,

SP. Hoc crebro fit apud nos: quid tum faciendum? AP. Accipe rem mihi multo usu compertam. SP. Exspecto. AP. Inducito duos [1] mimos, sive [2] γελωτοποιὲς, qui [3] sine voce ridiculum aliquod argumentum gesticulatione repræsentent. SP. Cur sine voce? AP. Ut par sit omnium voluptas, aut nihil loquantur, aut lingua loquantur omnibus æque ignota; gestibus loquentes, omnes pariter intelligent. SP. Quod argumentum mihi narras, non satis intelligo. AP. Sunt innumera, puta uxorem decertantem cum marito de principatu, aut simile quippiam è media vita. Quo magis erit ridicula saltatio, hoc plus erit omnibus voluptatis. Hos oportet esse semifatuos; alioqui qui plane fatui sunt, quædam interdum [4] effutiunt imprudentes, quæ lædunt. SP. Ita tibi precor semper propitium Comum, ut [5] mihi dedisti fidele consilium. AP. Addam [6] coronidem, quin potius repetam, quod initio dixeram; Ne nimium sis anxius, ut placeas omnibus, non heic tantum, sed in omni vitâ: atque ita fiet, ut citius placeas omnibus: optimum enim in vita, [7] ne quid nimis.

[1] DE

1 *Mimi*, sunt imitatores histrionici, vel absolute dicuntur, qui in theatris omnium gestus imitantur, & sæpius in obsceno sensu, à verbo μιμέομαι, imitor.

2 Γελωτοποιὸι, qui aliis risum excitant, ficti moriones. Sed heus Erasme, cur ejusmodi γελωτοποιὲς jubes induci, quum hoc hominum genere nullum esse magis detestandum supra declamasti, in *Diversoriis?* sed, Apitius loquitur; inquies, recte.

3 Sic Itali solent inprimis.

4 Garriendo divulgant. Unde dicatur *effutire* revise in Colloq. *Adolesc. & scorti.*

5 Vide annotata in principio hujus Colloquii.

6 *Coronis* est rei apex. Per metaphoram sumitur pro rei fine, vel quod ornatus gratia additur.

7 *Ne quid nimis*, supple *agas*. Gr. μηδὲν ἄγαν, quo monemur in omnibus esse servandum modum. Quod Horatius docet: *Est modus in rebus* &c. Et in Terent. Andr. Act. 1. Sc. 1. *Nam id arbitror adprime in vita esse utile, ne quid nimis.*

[1] DE REBUS AC VOCABULIS.

BEATUS, BONIFACIUS.

BE. SAlvus sit Bonifacius. BO. Etiam atque etiam salvus sit Beatus. Sed utinam essemus uterque quod dicimur, tu dives, ego [2] formosus. BE. Itane parum tibi videtur, habere nomen magnificum? BO. Mihi quidem minimi momenti, nisi res adsit. BE. At plerique mortales aliter affecti sunt. BO. Fieri potest ut [3] mortales sint isti; homines esse non credo. BE. Et homines sunt, ô bone, nisi putas, etiam nunc sub humana specie [4] camelos & asinos obambulare. BO. Hoc citius crediderim, quam homines esse, qui pluris nomen faciant, quam rem. BE. In certis rerum generibus, fateor, plerique malunt rem quam nomen; in multis contra. BO. Hoc quid sit, non satis assequor. BE. Atqui penes nos ipsos exemplum est. Tu Bonifacius diceris, & habes quod diceris: sed si esses [5] alterutro spoliandus, utrum malles habere malam faciem, an pro Bonifacio dici Cornelius? BO. Equidem malim vel [6] Thersites dici, quam habere prodigiosam faciem: an bonam habeam, nescio. BE. Item ego si dives essem, & aut res, aut nomen esset deponen-

1 Taxat Autor quorundam male sanas opiniones, qui non recte de rebus, aut earum nominibus judicant.

2 Quasi diceretur *Bonifacius*, à bona facie.

3 *Mortales* quidem vulgo de hominibus dicitur, sed & bestiæ sunt mortales. Vide Horatii Sat. 6. lib. 2. *Terre strix quando Mortales animas vivunt sortita, neque ulla est Aut magno aut parvo lethi fuga.*

4 Vide Apotheosin Reuchlini in principio.

5 Vel nomine, vel re.

6 Thersites, qui fuit, ut Homerus nugatur, omnium quotquot ad obsidendam Trojam venerant, Græcorum vultu fœdissimus. Revise notas in Colloq. *proci & puella.*

ponendum, malim [1] Irus dici, quam respoliari. BO. Assentior vera loquenti. BE. Idem usu veniet, opinor, in his qui sunt prospera valetudine, aut aliis corporis præditi commodis. BO. Probabile est. BE. At quam multos videmus, qui mallent nomen eruditi piique viri, quam esse docti bonique! BO. Plurimos istiusmodi novi. BE. An non apud nos plus habet momenti nomen, quam res? BO. Videtur. BE. Jam si quis nobis adesset [2] Dialecticus, qui scite definiret, quid sit Rex, quid Episcopus, quid Magistratus, quid Philosophus; fortassis & heic invenirемus qui mallent nomen, quam rem. BO. Ita profecto, si Rex est, qui legibus & æquitate populi commodum spectat, non suum: si Episcopus, qui totus invigilat gregi Dominico: & si Magistratus est, qui ex animo consulit Reip. & si Philosophus est, qui neglectis fortunæ commodis, tantum studet bonæ menti parandæ. BE. Heic vides, quantum hujus generis exemplorum possim aggerere. BO. Sane plurimum. BE. An hos omnes negabis esse homines? BO. Vereor ne nos ipsi citius nomen hominis amittamus. BE. At si homo est animal rationale; quantum abest hoc à ratione, ut in corporis commodis verius quam bonis, & in externis, quæ fortuna dat simul & eripit cum libet, rem malimus, quam nomen: in veris animi bonis nomen pluris faciamus, quam rem? BO. Præposterum mehercule judicium, si quis attendat. BE. Eadem autem est ratio in contrariis. BO. Exspecto quid dicas. BE. Idem judicandum de nominibus rerum fugiendarum, quod dictum est de vocabulis expetendarum. BO. Apparet.

1 Nomen mendici istius Ithacensis, ab Ulysse pugno interfecti, ut fabulæ volunt. Vide proverb. *Iro pauperior*, & supra πτωχελογίαν, in ipso limine.

2 *Dialecticus*, à διαλέγομαι, *differo*, artis Dialecticæ peritus.

paret. BE. Magis enim horrendum est esse [1] tyrannum, quam tyranni nomen: & si malus Episcopus, juxta sententiam Evangelicam, fur est & latro, non tam hæc nomina sunt nobis detestanda, quam ipsa res. BO. Convenit sane. BE. Tu de cæteris similiter colligito. BO. Prorsus intelligo. BE. Nonne fatui nomen aversantur omnes? BO. Et quidem maxime. BE. Nonne fatuus esset qui [2] aureo piscaretur hamo, qui vitrum anteponeret gemmis, qui cariores haberet equos quam uxorem ac liberos? BO. Is esset quovis [3] Corœbo stultior. BE. An non tales sunt, qui procurrunt in militiam, spe lucri non admodum magni, corpus & animam exponentes periculo: qui studeant congerendis opibus, cum animum habeant omnium bonarum rerum egenum: qui vestes & ædes exornant, cum animus neglectus ac squalidus jaceat: qui corporis valetudinem anxie tuentur, animam tot capitalibus morbis laborantem negligunt: denique qui fugaciffimis hujus vitæ voluptatibus cruciatus merentur æternos? BO. Ipsa ratio fateri cogit, plusquam fatuos esse. BE. Atque his fatuis cum plena sint omnia, vix invenias qui ferre possint fatui vocabulum, cum adeo non abhorreant à re. BO. Sic est profecto. BE. Age, scis quam sint apud omnes invisa vocabula mendacis ac furis. BO. Sunt invisissima, nec sine causa. BE. Fateor. Sed cum stuprare conjuges alienas sit furto sceleratius, tamen adulteri cognomine quidam etiam gloriantur, ad furti convitium illico stricturi gladium.

BO.

1 Qui olim & nunc Tyranni dicti, annotatum est supra in *Convivio fabuloso*.

2 Revise notas in Colloq. *de captandis sacerdotiis*

3 *Stultior Corœbo*, Proverbialis Hyperbole est, sive à Corœbo quodam stolido, qui undas maris numerare vellet, vel ab illo Corœbo Mygdonide, qui Priamus Cassandram desponderat, quique fero Trojanis opem laturus, illa nocte, qua urbs capta fuit, periit. Vide Virgil. Æneid. lib. 2. *Juvenisque Corœbus &c., infando Cassandræ incensus amore.*

1 *Ganeo,*

BO. Ita res habet apud complures. BE. Ita cum multi scortis vinoque perditissimi sint, & sint libenter ac palam, tamen ad [1] ganeonis nomen offenduntur. BO. Hi nimirum rem sibi gloriæ ducunt, cum vocem rei debitam horreant. BE. Sed vix aliud nomen auribus nostris videtur intolerabilius, quam mendacis. BO. Novi qui hoc convicium cæde sint ulti. BE. Sed utinam pariter abominentur rem! Nunquam accidit tibi, ut, qui promiserat se [2] mutuum ad certum diem redditurum, falleret? BO. Frequenter; etiam cum id dejerasset; neque id semel, sed iterum atque iterum. BE. Fortasse non [3] erant solvendo. BO. Imo erant, sed commodius esse ducebant non reddere creditum. BE. An hoc non est mentiri? BO. Planissime. BE. Auderes istiusmodi creditorem sic compellare; Cur mihi toties mentiris? BO. Non, nisi paratus essem ad pugnam. BE. An non simili modo quotidie [4] verba dant [5] latomi, fabri, aurifices & vestiarii, pollicentes ad certum diem, nec tamen præstantes, etiamsi magni referat tua? BO. Mira impudentia! sed adde his [6] advocatos pollicentes operam. BE. Potes addere [7] sexcenta nomina; nemo tamen horum laturus sit mendacis vocabulum. BO. Hoc genere mendaciorum plena sunt omnia. BE. Itidem furis nomen nemo tolerat, cum à re non perinde omnes abhorreant. BO. Exspecto ut dicas clarius. BE. Quid interest inter eum, qui rem tuam tollit è scrinio, & inter eum qui depositum abjurat. BO. Nihil, nisi quod sceleratior est,

1 *Ganeo*, qui ganeas seu prostibula frequentat.
2 Respice notas in Colloq. *Pseud.* & *Philet.*
3 Non habebant quod solverent.
4 *Verba dare* pro *fallere*.
5 Λατόμος, Gr. lapicida.
6 Ita vulgo vocantur Jurisconsulti, qui aliis adsunt in causis.
7 *Sexcenta*, pro innumeris. Sic *tria* pro paucis, ut supra notavimus.

est, qui spoliat etiam fidentem. BE. At quam pauci sunt, qui [1] depositum reddunt; aut si reddunt, non dant integrum? BO. Opinor esse perpaucos. BE. Nemo tamen istorum ferat furis vocabulum, cum rem non horreant. BO. Admodum. BE. Jam mihi reputa, quid vulgo fiat in tractandis pupillorum bonis, in testamentis ac legatis, quantum hæreat digitis tractantium? BO. Frequenter totum. BE. Furtum amant, vocabulum detestantur. BO. Maxime. BE. Quid agant, qui [2] res fisci tractant, qui monetam publicam cudunt deteriorem, qui nunc aucta, nunc diminuta nummorum æstimatione, privatorum [3] rem [4] accidunt, fortasse nobis non admodum [5] liquet: de his, quæ quotidie experimur, loqui fas est. Qui sumit mutuum, aut qui [6] conflat æs alienum hoc animo, ut reddat, si liceat, nunquam; quantulum abest à fure? BO. Cautior fortasse dici potest, melior nequaquam. BE. At horum cum ingens ubique sit numerus, nemo tamen tolerat furis nomen. BO. Animum solus Deus novit: proinde apud homines [7] obærati vocantur, non fures. BE. Quantuli refert, quo nomine dicantur apud homines, modo sint fures apud Deum? certe suus cuique notus est animus. Adhæc, qui, cum debeat multum, quod obtigit pecuniæ, nequiter prodigit; qui, posteaquam [8] decoxit in una civitate, delusis creditoribus, fugit in aliam, hospites quærens quibus [1] impo-

1 Revise notas in Colloq. *Fœnd.* & *Philet.*

2 *Fiscus* dicebatur locus asservandæ pecuniæ publicis usibus destinatæ. Ascon. Pæd. in divin. Ver. vult nomen inde derivatum, quod pecuniæ antiquitus asservarentur cophinis, & sportellis sparteis, quos *fiscos*, *fiscinos*, & *fiscellas* appellabant. *Fiscus* erat principis, *Ærarium* populi.

3 *Rem*, id est, censum, opes.

4 Defecando minuunt. Hinc *res accisa*, pro diminutis opibus.

5 Constat.

6 *Æs alienum conflare*, id est, debita contrahere.

7 Ære alieno oppressi, hoc est, debitis onerati.

8 *Decoquere* pro, nequiter prodigere. Revise annotata in *Alcumist.* pag. 394.

1 *Im-*

[1] imponat, idque facit crebrius; nonne satis declarat quo sit animo? BO. Satis superque. Sed tamen isto solent [2] fucare colore quod faciunt. BE. Quonam? BO. Multum multisque debere, prædicant sibi cum magnatibus, atque adeo regibus, esse commune; eoque qui sunt hoc ingenio præditi, fere nobilitatis opinionem affectant. BE. In quem usum? BO. Dictu mirum, quantum equiti licere velint. BE. Quo jure? quibus legibus? BO. Haud aliis quam quibus præfecti maris vindicant sibi quidquid ejectum est naufragio, etiamsi extet dominus: quibus alii suum esse volunt, quidquid apud furem aut prædonem deprehenderint. BE. Istiusmodi leges possent ipsi fures condere. BO. Et facerent, si queant tueri; & haberent quod excusarent, si bellum indicant prius, quam furentur. BE. Quis hoc juris dedit equiti potius, quam pediti? BO. Militiæ favor. Sic enim exercentur ad bellum, quo promtiores sint ad spoliandum hostem. BE. Sic, opinor, [3] Pyrrhus exercebat suos ad bellum. BO. Non, sed [4] Lacedæmonii. BE. Abeant [5] in malam crucem cum suo exercitio. Sed unde nomen hoc tantæ [6] prærogativæ? BO. Quibusdam obvenit à majoribus, alii mercantur [7] ære, quidam adsciscunt. BE. An licet adsciscere cuilibet? BO. Licet, si mores [8] respondeant. BE. Qui? BO. Si nihil bonæ rei gerat, si splendide

1 *Imponere alicui*, id est, fallere aliquem.

2 *Fucare*, hoc est, rei alicui fucum inducere: *fucus* proprie color factitius: unde pro quavis fraude, & impostura. Est & insectum, instar apis: pecus ignavum, ut inquit Maro, quod non mellificat.

3 De Pyrrho, Epirotarum rege, dictum est in Colloq. πολυδαιτία.

4 Lacedæmoniis olim, si Xenophonti fides, licuit furari quæcunque vellent, exceptis quæ legibus essent prohibita.

5 *In malam crucem* vel *rem* abire jubemus, quos diris devovemus. Sæpius hoc supra dictum. Simile est illud Græcum, εἰς κόρακας, *ad corvos*.

6 *Prærogativa*, excellentia supra alios, seu privilegium, à *prærogo*, id est, anteimpendo.

7 Nummis, pecunia.

8 Conveniant.

dide vestiatur, si incedat [1] annulatus, si gnaviter scortetur, si aleam ludat assidue, si certet [2] chartis, si compotationibus ac voluptatibus ætatem absumat, si nihil loquatur plebejum, sed arces, pugnas, ac bella mera crepet, [3] Thrasonica omnia. Isti sibi permittunt bellum, cui velint, indicere; etiamsi, pedem ubi ponant, non habeant. BE. Equites mihi narras [4] equuleo dignos. Atqui tales habet non paucos [5] Sicambria.

1 Digitis annulos gerens.

2 Scil. lusoriis.

3 *Thrasonicus* i. e. arrogans, ferox ab isto *Thrasone* milite glorioso, apud Terent. in Eunucho, quasi ἀπὸ τῆς θράσεως, id est, ab insolentia & ferocitate.

4 Jocus est in *Equuleo*, qui est quasi parvus equus, & machina lignea, non absimilis equo, tormenti genus.

5 *Sicambri*, *Sigambri* vel *Sugambri*, Germaniæ populi, Menapiis vicini ad utramque ripam habitantes, Belg. *Geldersen*, & ex parte aliqua *Westfalingen*. Notandum est, quod & Sicambri hodie fere dicantur obærati nobiles.

[1] CHARON.

CHARON, GENIUS, [2] ALASTOR.

CH. QUid ita properas gestiens, Alastor? AL. Opportune tu [3] quidem, ô Charon. Ad te properabam. CH. Quid novæ rei? AL. Nuntium fero, tibi [4] Proserpinæque lætissimum futurum. CH. Effer igitur quod fers, teque exonera. AL. [5] Furiæ non minus gna-

1 Charon ab antiquis fingebatur torvus ille senex, inferorum portitor, qui defunctorum animas cymba per Stygem & Acherontem transvehit. Scripsit Erasmus hoc Colloquium fere eo tempore, quo Carolus V. Cæsar, Hispaniarum rex, una cum Henrico octavo, Angliæ rege, quem arctissimo fœdere sibi conciliaverat, gravissima bella gereret adversus Franciscum primum, Galliarum regem, quem & supra vide annotatum in *Ichthyophagia*.

2 *Alastor* dicitur malus genius, qui terris calamitates immittit. Est & apud Claudianum unus equorum Plutonis.

3 Supple, *advenu*

4 *Proserpina* Cereris filia, quam Pluto rex inferorum rapuit, & pro uxore habet.

5 Quæ, sicuti Poetis visum est, numero tres sunt. *Tisiphone*, *Megæra* & *Alecto*. Eas Ovidius Metamorph. lib. 4. vocat *sorores nocte genitas*.

1 Nam

gnaviter quam feliciter gesserunt suum negotium; nullam orbis partem non infecerunt malis tartareis, dissidiis, bellis, latrociniis, pestilentiis, adeo ut plane jam [1] calvæ emissis colubris sint, & exhaustæ venenis obambulent, quærentes quidquid usquam est viperarum & aspidum, quando tam glabræ sunt quam ovum, & pilum non habent in capite, neque quidquam in pectore succi efficacis. Proinde tu fac, cymbam ac remos appares. Mox enim ventura est tanta [2] umbrarum multitudo, ut verear ne non sufficias omnibus transmittendis. CH. [3] Ista nos non fugerant. AL. Unde rescieras? CH. [4] Ossa pertulerat ante biduum. AL. Ut illa Dea nihil est [5] velocius! Sed quid tu igitur heic cessas relicta cymba? CH. Ita nimirum res ferebat. Huc profectus sum, ut mihi compararem validam aliquam triremem. Nam mea cymba jam vetustate putris ac [6] sutilis non suffecerit huic oneri, si vera sunt quæ narravit Ossa. Quanquam quid opus erat Ossa? Res ipsa compellit. Nam naufragium feci. AL. Nimirum totus distillas; suspicabar te redire è balneo. CH. Imo enatavi è [7] Stygia palude. AL. Umbras ubi reliquisti? CH. Natant cum [8] ranis. AL. Sed quid narravit Ossa? CH. [9] Tres orbis [10] monarchas capitali-

1 Nam Furiæ pro crinibus finguntur habere serpentes, quos sontibus immittunt, ut furiale venenum in pectora vertat. Ovid. lib. 4. Metamorph. *Tisiphone canos, ut erat turbata, capillos Movit, & obstantes dejecit ab ore colubros.*

2 Manium.

3 Hæc ego non ignorabam.

4 Apud Homerum Ossa Dea fama est. Il β. Μετὰ δὲ σφίσιν Ὄσσα δεδήει. *Sed inter ipsos fama lucebat.*

5 Juxta illud tritum Poetæ: *Fama malum, quo non aliud velocius ullum.*

6 *Sutilis* an *futilis?*

7 *Styx* palus infernalis est, Poëtarum fabulis celebrata. Revise pag. 491. & alibi supra annotata.

8 Nam Aristophanes Comicus lepidissimus, in Stygia palude multam esse ranarum copiam fingit.

9 Nempe Carolum V. Henricum Octavum Angliæ. & Franciscum Valesium, ejus nominis primum, Galliarum regem.

10 Revise *Ichthyoph.*

pitalibus odiis in mutuum exitium ruere, nec ullam orbis Christiani partem immunem esse à belli furiis. Nam tres illi reliquos omnes pertrahunt in belli consortium. Omnes esse talibus animis, ut nemo velit alteri cedere: nec Danum, nec Polonum, nec Scotum, nec vero Turcam interim esse in otio; moliri dira: pestilentiam ubique sævire, apud Hispanos, apud Britannos, apud Italos, apud Gallos. Adhæc novam esse luem [1] ex opinionum varietate natam, quæ sic vitiavit omnium animos, ut nulla usquam sit sincera amicitia, sed frater fratri diffidat, nec uxori cum marito conveniat. Spes est, hinc quoque nascituram olim [2] magnificam hominum perniciem, si res à linguis & calamis ad manus pervenerit. AL. Hæc omnia verissime narravit Ossa. Nam ipse plura vidi his oculis, assiduus comes & adjutor furiarum, quæ nullo tempore magis declararunt se suo dignas nomine. CH. Atqui periculum est, ne quis [3] dæmon exoriatur, qui subito adhortetur ad pacem; & sunt mortalium animi mutabiles. Nam audio, apud [4] superos esse [5] Polygraphum quendam, qui calamo suo non desinit insectari [6] bellum, & ad pacem cohortari. AL. Ille jam pridem [7] surdis canit. Olim scripsit pacis profligatæ [8] querimoniam; nunc eidam extinctæ scripsit [9] epitaphium. Sunt alii contra, qui

1 Jam Ecclesiasticorum ejus temporis fraudes magis magisque populo innotescere, & Lutheri aliorumque dogmata per Europam disseminari cœperunt.

2 Magnificam, id est, ingentem. Sic decet, ex persona Charontis.

3 Bonus scil. Nam mali dæmones; qui possent adhortari ad pacem? Εὐδαίμων, Deus aut genius.

4 Homines in terris viventes, qui inferis superiores sunt. Et hæc apud inferos aguntur. Ita & Dii *superi* dicuntur ab hominibus, quibus superiores sunt.

5 Ipse Autor se πολύγραφον vocat i. e. qui multa scripsit.

6 Ex omnibus, quæ scripsit Autor, constat eum nihil pejus odisse quam bella horrida ut inquit ille.

7 Revise annotata in *Franciscanos* pag. 348.

8 Extat hic libellus lectu dignissimus iis qui pacem amant.

9 Inscriptionem sepulcralem, ex ἐπὶ, *supra*, & τάφος *sepulcrum*.

1 Desi-

qui non minus juvent rem nostram, quam ipsæ furiæ. CH. Quinam isti? AL. Sunt [1] animalia quædam pullis & candidis palliis, cinericiis tunicis, variis ornata plumis, hæc nunquam recedunt ab aulis principum: instillant in aurem amorem belli, hortantur eodem proceres ac plebem: in [2] Evangelicis illi concionibus clamitant bellum esse justum, sanctum, ac pium. Quoque magis mireris hominum fortem animum, clamitant idem apud utramque partem. Apud Gallos concionantur, Deum stare pro Gallis, nec vinci posse qui Deum habeat protectorem. Apud [3] Anglos & Hispanos, hoc bellum non à Cæsare geri, sed à Deo; tantum præbeant se viros; victoriam esse certam. Quod si quis interciderit, eum non perire, sed [4] recta subvolare in cœlum, sicut erat, armatum. CH. Et habetur istis tanta fides? AL. Quid non potest simulata religio? Accedit huc juventus, rerum imperitia, gloriæ sitis, ira, animus ad id, quo vocatur, natura propensus. [5] His facile imponitur, nec difficile perpellitur plaustrum suapte sponte propendens ad ruinam. CH. Ego istis animalibus lubens aliquid boni fecero. AL. Appara lautum convivium. Nihil potes gratius. CH. Ex [6] malvis, lupinis, & porris. Nam apud nos non alia est, ut scis, annona. AL. Imo ex perdicibus, capis, & [7] phasianis, si vis esse gratus convivator.

1 Designat Monachos, de quorum vestitu sæpius & fusius supra annotatum.

2 Ironice tam impias conciones vocat Evangelicas. Nam nihil minus Evangelicum, quam principes ad bellum instigare. Εὐαγγέλιον enim est lætus nuntius, quem apportantes Angeli (Luc. 2.) exclamabant: δόξα ἐν ὑψίστοις θεῷ, καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη, ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία. Id est, *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax, hominibusque bona voluntas.*

3 Hi enim, ut in principio annotavimus, arctissimo fœdere conjuncti in Gallos irruebant.

4 Per rectam viam.

5 Hi facile decipiuntur.

6 Hic inferorum victus fingitur.

7 Vel aves Phasides, à Phasi Colchorum fluvio, in quo magna harum avium copia.

vator. CH. Sed quæ res istos movet, ut tantopere promoveant bellum? aut quid hinc metunt commodi? AL. Quia plus emolumenti capiunt è morientibus, quam ex vivis. Sunt [1] testamenta, [2] parentalia, [3] bullæ, multaque alia non aspernanda lucra. Denique malunt in castris versari, quam in suis [4] alvearibus. Bellum multos gignit episcopos, qui in pace ne [5] teruncii quidem fiebant. CH. Sapiunt. AL. Sed quid opus est triremi? CH. Nihil, si velim in media palude rursus naufragium facere. AL. Ob multitudinem? CH. Scilicet. AL. Atqui umbras vehis, non corpora. Quantulum autem ponderis habent umbræ? CH. Sint tipulæ, tamen [6] tipularum tanta vis esse potest, ut onerent cymbam. Tum scis, & cymbam umbratilem esse. AL. At ego memini videre me, cum esset ingens turba, nec cymba caperet omnes, à clavo tuo tria millia umbrarum pendere nonnunquam, nec tu pondus ullum sentiebas. CH. Fateor tales esse animas, quæ paulatim demigrarunt è corpore [7] phthisi aut [8] hectica tenuato. Cæterum quæ subito revelluntur è crasso corpore, multum corporeæ molis secum ferunt. Tales autem mittit [9] apoplexia, [10] synanche, pestilentia, sed præcipue bellum. AL. Non opinor Gallos aut Hispanos adferre multum ponderis. CH. Multo minus

1 Monachi sunt testamentorum captatores. Unde eos recte *vultur*s appellat Autor. Respice *Funus*.

2 Sacrificia pro mortuis.

3 Ita vocant diplomata Pontificia. *Diploma* à διπλόω, duplico, dicitur, quod in duas plicas contractum gestetur, sæpius supra.

4 Monasteriis. *Alvearе* est in quo apium alvei sunt.

5 Nummus exiguus.

6 *Tipula* vermiculus est, vel insecti genus, sex pedes habens, sed tantæ levitatis, ut supra aquam currat. Hinc Plautus Pers. Act. 2. Sc. 2. *Nec tipulæ levius pondus est, quam fides lenonis.*

7 Φθίσις, Lat. tabes.

8 *Hectica*, perpetua febris. Ἕκτικὸς, i. e. in habitu positus.

9 Ἀποπληξία, totius corporis & mentis resolutio.

10 Συνάγχη, anginæ species, cum faucium interni musculi inflammati sunt.

1 Cym-

minus quam cæteri; quamquam & horum animæ non omnino veniunt plumeæ. Cæterum è Britannis, è Germanis belle pastis, veniunt aliquoties tales, ut nuper periclitatus sim decem duntaxat vehens, & nisi [1] jacturam feciſſem, perieram una cum cymba, [2] vectoribus & nausso. AL. Ingens [3] discrimen. CH. Quid interea censes fieri, cum accedunt crassi [4] satrapæ, [5] Thrasones & [6] polymachæroplacidæ? AL. Ex his qui pereunt in justo bello, nullos arbitror ad te venire. Nam ajunt eos recta subvolare in cœlum. CH. Quo subvolent, nescio: unum illud scio, quoties bellum est, tot ad me veniunt saucii, lacerique, ut demirer ullum superesse apud [7] superos. Nec solum veniunt onustæ [8] crapula & [9] abdomine, verum etiam bullis, & sacerdotiis, aliisque rebus plurimis. AL. At ista non deferunt secum, sed [10] nudæ veniunt ad te. CH. Verum; sed quæ recentes veniunt, somnia talium rerum secum adferunt. AL. Itane gravant somnia? CH. Gravant cymbam meam, quid dixi, gravant? jam demerserunt. Postremo tot [11] obolos putas nihil habere sarcinæ? AL. Equidem arbitror, si ferant æreos. CH. Proinde certum est mihi, prospicere de navi quæ sufficiat oneri.

1 Cymbam meam exoneraſſem. Respice *Naufragium*.

2 Qui vehebantur. *Vector* qui vehit & vehitur.

3 Periculum.

4 *Satrapa vel Satrapes*, vox Persica, præfectus provinciæ.

5 Milites gloriosi, ita per Antonomasiam, quam rhetores vocant, dicti ab illo Thrasone Terentiano. Θρασύτης audacia, insolentia.

6 *Polymachæroplacidæ*. Vox ita de industria composita ex πολὺ *multum*, μάχαιρα *gladius brevis*, seu *sica*, & placeo q. d. *qui sibi multum placent pugionibus*, ut Hispani solent.

7 In terris, vide paulo supra.

8 Κραιπάλη, probrie nubes ex nimio vino, qua mens obscuratur. Unde sæpissime pro ipsa ebrietate.

9 *Abdomen* pars ventris, quæ sub umbilico est. Et quia multi abdomine tardi & fartis visceribus onusti luxuriosi dicuntur, hinc *abdomen* metaphorice pro ipso luxu, & intemperantia. Juvenal. Sat. 4. *Montani quoque venter adest abdomine tardus.*

10 Umbræ scil.

11 Quos singulæ mortuorum umbræ secum adferunt pro naulo: ὄβολος sexta drachmæ pars.

1 Mu-

oneri. AL. O te felicem. CH. Quid ita? AL. Quia propediem diteſces. CH. Ob multitudinem umbrarum? AL. Næ. CH. Siquidem ſuas opes ſecum adferant. Nunc qui in cymba deplorant ſe apud ſuperos reliquiſſe regna, [1] præſulatus, [2] abbatias, auri talenta innumera, ad me nihil adferunt præter obolum. Itaque quod jam annis ter mille mihi corraſum eſt, id totum eſt [3] effundendum in unam trimerem. AL. Sumtum faciat oportet, qui quærit lucrum. CH. Atqui mortales, ut audio, felicius negotiantur, qui favente [4] Mercurio diteſcunt intra triennium. AL. Sed iidem [5] decoquunt nonnunquam. Tuum lucrum minus, ſed certius. CH. Neſcio quam certum: ſi quis Deus nunc exoriatur, qui res principum [6] componat, [7] ſors hæc tota mihi perierit. AL. Iſta quidem de re jubeo, ut me ſponſore in utramque aurem dormias. Intra decennium totum nihil eſt quod pacem metuas. [8] Unus Romanus Pontifex ſedulo quidem hortatur ad concordiam, ſed [9] laterem lavat. Murmurant & civitates tædio malorum: conferunt ſuſurros populi neſcio qui, dictitantes, iniquum ut ob privatas iras aut ambitionem duorum triumve res humanæ ſurſum deorſum miſceantur: ſed vincent, mihi crede, quamlibet recta conſilia, Furiæ.

1 Munera præſulum: qui præſules diſce ex notis in Colloq. *Peregr. religionis ergo* pag. 487.

2 Munera abbatum, qui ſunt monaſteriorum vel collegiorum moderatores.

3 Impendendum.

4 Mercurius Deorum nuncius, mercatorum & furum Deus, quin & ipſe callidus fur. Horat. lib. 1. Od. 10.

5 *Decoquere* eſt nequiter profundere, vel dilapidare. Reviſe *Aleum.* & ſupra annotata.

6 Conciliet, eorumque lites componat, i. e. finiat.

7 Quæſtus.

8 Ita loquitur Eraſmus in gratiam Clementis VII. ejus nominis Pontificis. Reviſe annotata in *Ichthyoph.* pag. 520.

9 *Laterem lavare* proverbio ſignificat, inanem operam ſumere. Terent. in Phormione Act. 1. Sc 4. *Laterem lavem?* Similia ſunt, Æthiopem lavare, Littus arare, In aqua ſcribere, Mortuo, ſurdo, littori, lapidi vel parieti loqui, Oleum & operam perdere, & plurima alia videnda in Chiliadibus.

1 Adite

Furiæ. Cæterum quid opus erat, hac gratia [1] petere ſuperos? An apud nos non ſunt fabri? Certe [2] Vulcanum habemus. CH. Pulchre, ſi quæram navim æream. AL. Minimo accerſetur aliquis. CH. Ita eſt, ſed deficit nos materia. AL. Quid audio? nihil illic ſilvarum? CH. Etenim nemora, quæ fuerant [3] in campis Elyſiis, abſumta ſunt. AL. In quem tandem uſum? CH. Exurendis [4] hæreticorum umbris; adeo ut nuper coacti ſimus è terræ viſceribus carbones effodere. AL. Quid? an iſtæ umbræ non poſſunt minore ſumtu puniri? CH. Sic viſum eſt [5] Rhadamantho. AL. Ubi triremem mercatus eris, unde remiges parabuntur? CH. [6] Meæ partes ſunt tenere clavum; remigent umbræ, ſi velint trajicere. AL. At ſunt quæ non didicerunt [7] remum agere. CH. Apud me nullus eſt [8] eximius, remigant & Monarchæ, remigant & Cardinales [9] ſuam quisque vicem, non minus quam plebeji tenues, ſive dedicerint, ſive non didicerint. AL. Tu fac [10] dextro Mercurio feliciter mercere triremem, ego non te remorabor amplius.

1 Adire homines in terris degentes.

2 Vulcanus Jovis & Junonis filius, Veneris maritus, Deorum faber.

3 Campi Elyſii, quos elegantiſſime deſcribit Poeta lib. Æneid. 6 ſunt beatorum ſedes, in quibus poſt mortem ſummis deliciis fruuntur.

4 *Hæretici* vulgo dicuntur qui non recte de Religione ſentiunt. Notas reſpice in pag. 474. Taxat horrendam impietatem in exurendis iis, quos vel odio, vel ſpe lucri, hæreticorum convicio lacerabant ejus temporis Theologi, & dein perditiſſimi Judices igni plectebant.

5 Fuit Rhadamanthus, olim Cretæ vel ut alii volunt, Lyciæ rex, cujus in juſtitia adminiſtranda tanta fuiſſe fertur ſeveritas, ut & apud inferos quæſtionem exercere, criminaque audire fingatur à Poetis. Virg. Æneid lib. 6. *Gnoſſius hæc Rhadamanthus habet duriſſima regna; Caſtigatque auditque dolos, ſubigitque fateri*, &c. Ejus collega eſt Æacus, Achillis pater.

6 Meum officium eſt: translatio à ſcenis, in quibus ſingulis actoribus partes ſuæ.

7 Remigare.

8 Supra alios dignitatis gradu excellens.

9 Juxta illud Horatii lib 2. Od. 14. *Unda ſcilicet omnibus Quicumque terræ munere veſcimur, Enavigande: ſive reges, ſive inopes Ermus colani.*

10 *Dextro*, id eſt, favente, propitio.

amplius. [1]Orco lætum adferam nuntium. Sed heus heus, Charon. CH. Quid est? AL. Fac matures reditum, ne te mox obruat turba. CH. Imo jam plusquam ducenta millia offendes in ripa, præter illas quæ natant in palude. Properabo tamen quantum licebit. Dic illis, me mox adfuturum.

1 *Orcus* aliquando pro inferorum sede, aliquando pro ipso Plutone inferorum rege, qui & Dis dicitur, Poetis usitatus est. Sic Horat. lib. 2. Od. 3. *Victima nil miserantis Orci.*

[1]SYNODUS GRAMMATICORUM.

ALBINUS, BERTULPHUS, CANTHELUS, DIPHYLUS, EUMENIUS, FABULLUS, GADITANUS.

AL. ESTne quisquam in hoc numero, qui didicit [2]Arithmeticen? BE. [3]Cui tandem rei? AL. Qui certum doceat quot convenerimus grammatici. BE. Istuc quidem citra [4]calculos vel digiti nostri nobis dicere poterunt. Te pono in [5]pollice, me in [6]indice, Canthelum in medio, Diphylum in [7]annulari, Eumenium in minimo. Nunc

1 *Synodus Grammaticorum*, i. e. conventus litteratorum. Ridet Autor, ut ipse fatetur in dissertatiuncula de Colloquiorum utilitate, studium cujusdam Carthusiani, suo judicio doctissimi, qui cum in Græcas litteras soleat stolidissime debacchari, nunc libro suo indiderit Græcum titulum, sed ridicule, *Anticomaritas* dicens, quos appellare poterat *Antimarianos*, vel *Antidicomarianos*. Fuerunt vero hæretici quidam, *Antidicomarianitæ* dicti (nescio quid inepti de Maria Christi matre sentientes) adversus quos scripsit Epiphanius, uti legere memini in Casaubono contra Baronium.

2 Artem numerandi, quæ Græcis ἀριθμητικὴ, supple τέχνη, dicitur.

3 In quem usum

4 Veteres olim calculis supputabant.

5 *Pollex* à pollendo, ut ajunt, quod cæteris digitis potentior sit.

6 *Index digitus*, qui pollici proximus est, ita dictus, quod eo res quas volumus ostendimus, vel indicamus.

7 *Annularis digitus*, qui inter medium & minimum est, ab annuli gestione dictus.

1 *Fatum*

Nunc ad lævam transeo; illic in pollice pono Fabullum, in indice Gaditanum. Itaque, ni fallor, septem sumus: Sed quorsum attinet istuc scire? AL. Quoniam audio septenarium reddere legitimum concilium. BE. Quod concilium mihi narras? AL. Est res seria quæ me diu multumque torsit; neque me tantum, verum multos etiam viros neutiquam indoctos. Eam proponam in medium, ut hujus synodi auctoritate semel finiatur quæstio. CA. Eximium quiddam sit oportet, quod tu vel ignores, Albine, vel animum tuum perspicaciſſimum diu multumque torserit. Quare cupimus & ipsi noscere quid istuc sit rei. Nam unus omnium nomine respondeo. AL. Ergo heic estote omnes, aures simul adhibentes & animos. Plus vident oculi quam oculus. Estne quisquam vestrum, qui nobis explanare possit, quid significet hæc vox Anticomarita? BE. Nihil facilius. Sonat enim betæ genus, quam prisci natatilem appellabant, caule contorto nodoſoque, mire [1] fatua, tetri odoris si contingas; posset cum [2] Anagyri contendere. CA. [3] Natatilem narras betam, imo [4] cacatilem bestiam. Quis unquam audivit aut legit antehac nomen natatilis betæ? BE. Imo hoc dilucide docet Mammotrectus vulgo corrupte dictus, cum vero nomine dicatur Mammothreptos, quasi dicas aviæ alumnum. AL. Quid istuc est tituli? BE. Ut intelligas in libro nihil inveniri præter meras [5] delicias; quod [6] mammæ, hoc est, aviæ soleant indulgentius habere nepotes, quam matres liberos suos. AL. Plane delicioſum opus mihi narras. Nuper enim cum in hunc codi-

1 *Fatua* pro *insipida*. Ita Martialis, *Ut sapiant fatuæ fabrorum prandia betæ*

2 Ἀνάγυρις, vel ἀνάγυρος, herba pessime olens.

3 *Beta natatilis*, quæ in aquis crescit & natat. Est autem beta herba admodum insipida.

4 Barbaros barbata allusione ridet.

5 Ironice.

6 *Mamma* Latinis *uber feminæ*. Gr. vero μάμμη, avia. Hoc nomine infantuli matres fere balbutiunt.

codicem incidissem, minimum abfuit, quin risu dissilierim. CA. Ubi tu nactus es eum codicem, qui rarissimus inventu est? BE. Abbas divi [1]Bavonis, nomine Livinus, à prandio [2]Brugis duxit me in bibliothecam suam peculiarem, quam homo senex, cupiens aliquod sui monumentum posteris relinquere, non mediocri sumtu parabat. Nullus erat liber, qui non esset manu descriptus, idque in membranis, nullus qui non variis picturis ornatus, ac foris [3]byssо auroque tectus. Quin & ipsa codicum spatiosa moles nescio quid majestatis præ se ferebat. AL. Quinam erant? BE. Oh præclari omnes, [4]Catholicon, Brachylogus, Ovidius per [5]allegorias expositus, aliique innumeri; inter quos & lepidissimum Mammothreptum reperi. Inter eas delicias inveni Natatilem Betam. AL. Cur vocant natatilem? BE. Referam quod legi: penes auctorem fidei periculum esto. Quoniam, inquit, provenit in locis humidis putribusque, nec usquam felicius provenit, quam in cœno aut sterquilinio; honos sit auribus. AL. Itane graviter olet? BE. Sic ut nec [6]oletum ullum pejus oleat. AL. Estne istius oleris ullus usus? BE. Imo in deliciis est. AL. Fortasse porcis, aut asinis, [7]aut bubus Cypriis. BE. Imo hominibus, & quidem delicatis. [8]Pelinorum gens est, apud quam convivia vicissim in

1 *Bavo* prius miles, dein monachus, Gandavi, cujus urbis & patronus est, in monasterio Petri à se fundato obiit anno 630. post mortem à Papicolis in divorum numerum relatus.

2 *Brugæ*, urbs Flandriæ antiqua & nobilis.

3 Respice Colloq. *Echo*, pag. 601.

4 Καθολικὸν, universale, βραχυλόγος, qui brevis est in sermone, Tituli confícti.

5 Ἀλληγορία, Rhetoribus est tropi ejusdem generis continuati & conjuncti repetitio. Vel Inventio, cum aliud verbis, aliud sensu dicitur.

6 *Oletum* hic significat locum in quo alvum exoneramus, vel ipsum stercus. Cæteroquin *oletum* locus est oleis consitus. Respice *Apotheos. Capn.*

7 *Bos Cyprius*, proverbio significat hominem brutum & stolidum. Nam ajunt boves in insula Cypro olim stercore humano pasci solitos. Vide Chiliad.

8 Vox ficta.

in longam ducuntur [1] periodum: extremam compotationem vocant sua lingua Resumtam, quasi nos dicamus [2] bellaria aut tragemata. AL. Quam bella bellaria! BE. Ejus compotationis hæc lex est, ut liberum sit convivatori quidquid volet apponere: nefas autem sit convivis quidquam rejicere, sed omnia boni consulere. AL. Quid si apponeret [3] cicutam, aut [4] cramben recoctam? BE. Quidquid apponitur, devorandum ibi est tacite. Domi tamen licet quod ederint revomere. Nam heic fere ponunt natatilem Betam, sive Anticomaritam: nihil enim refert utro nomine dixeris; res eadem est. Admiscent aliquid querni corticis, & allii plurimum. Ita [5] moretum absolvunt. AL. Quis persuasit legem tam [6] barbaram? BE. [7] Consuetudo, quovis tyranno potentior. AL. [8] Tragicam periodum mihi narras, quæ tam inamœnum habet exitum. BE. Dixi meam vicem, nulli præjudicans, si quis quid habet rectius. CA. At ego comperi priscis fuisse piscem, quem vocant Anticomaritam. BE. Dic auctorem. CA. Codicem exhibere possum; nomen auctoris non possum dicere. Scriptus est Gallice, sed formulis Hebraicis. BE. Quam speciem habet piscis Anticomarita? CA. Cætera nigris squamis est, solus venter albet. BE. Palliatum quempiam [9] Cynicum, opinor, nobis ex pisce facies. Qui sapor? CA. Nihil insuavius.

1 Circuitum.

2 *Bellaria*, mensæ secundæ, Græc τραγήματα.

3 Herbam venenosam. Revise *Conviv. relig.*

4 Græcis κράμβη (Lat. brassica) recocta adeo fuit fastidio, ut in proverbium venerit δὶς κράμβη θάνατος, i. e. *bis Crambe mors.* Hinc *Crambe recocta*, pro, omne id, quod nauseam parit dicitur, ut Juvenal. Satyr. 7. *Occidit miseros Crambe repetita magistros.*

5 *Moretum*, placenta ex variis herbis.

6 Absurdam, feram. Respice *Ichthyoph.* pag. 518.

7 Tyrannus monosyllabus, *mos.*

8 I. e. tristem. Tragœdia semper tristem habet exitum, Comœdia lætum.

9 Diogenes ille mire impudens philosophus, ob caninos mores dicebatur κυνικὸς, ἀπὸ τῦ κυνὸς, à cane. Hinc *Cynici* sectatores ejus.

vius. Quin pestilens est. Nascitur in putribus lacunis, interdum & in cloacis, [1] iners, limosus: solo gustu pituitam gignit gravem, quam vix vomitu leves. Frequens est in regione quam [2] Celtithracen appellant. Nam illic in deliciis est, quod gustasse carnes detestabilius sit homicidio. AL. Infelix regio cum suo Anticomarita. CA. Tantum habeo quod dicam: nemini præjudicatum velim mea sententia. DI. Quid opus est hujus vocis enarrationem ex Mammothreptis aut Hebræis schedis petere, cum ipsa dictionis [3] etymologia præ se ferat, Anticomaritas dici puellas parum feliciter conjugatas, utpote maritis vetulis? Nec enim novum est quod scribæ *quo* verterunt in *co*, cum sint litteræ cognatæ *c*, *q*, & *k*. EU. Erat aliquid quod dixit Diphylus, si constaret dictionem esse Latinam. Mihi videtur esse Græca, è tribus conflata, ex ἀντὶ, quod est *contra*, & κώμη, quod sonat *pagum*, & ὀαρίζειν, quod est *muliebriter garrire:* hinc per [4] synalœphen elisa *o*, dictus est Anticomarita, qui rusticana garrulitate cunctis obstrepit. FA. Sedulo quidem meus dixit Eumenius. At mihi videtur ex tot dictionibus conflata vox, quot habet syllabas. Nam ἀν, sonat ἄνας· τι, τίλλων· κω, κῴδια· μα, μάλα· ρυ, ῥυπῶν· (perperam enim scribitur per ι) τα, τάλας. Ex his conficitur, *amens ac miser, vellens pilos putrium tergorum.* AL. Tali opificio cibus congruit beta natatilis, de qua modo dixit Bertulphus. BE. Nimirum Anticomaritæ. CA. Sedulo quidem dixistis omnes; at mihi videtur uxor viro male morigera dici anticomarita per [5] syncopen, antidicomarita, quod

1 Torporem adferens.

2 Vox ficta, qua designat Autor nescio quam regionem, in qua monachi non minus feroces sunt quam Thraces prohibentes carnium esum.

3 Ἐτυμολογία, Grammaticæ pars, docens λόγον ἐτύμων, *rationem originum.*

4 Συναλοιφὴ, Lat. *counctio*, ab ἀλείφω, ungo, vulgo *collisio.*

5 Συγκοπὴ, figura Grammatica, qua syllaba de medio tollitur, à συγκόπτω, concido.

quod semper adversetur marito. AL. Si recipimus tales [1] tropos, facile [2] ex foria fient fora, & cuniculus fiet cuculus. BE. Atqui Albinus, qui consul est in hoc senatu, nondum dixit quid ipse censeat. AL. Ex me quidem quod adferam non habeo; haud tamen gravabor in medium adferre, quod ab hospite meo nuper didici, homine linguaciſſimo. Sæpius variabat in loquendo sermonem, quam luscinia cantionem. Is asseverabat vocem esse Chaldaicam, è tribus compositam. Apud illos enim, ut ajebat, *anti*, sonat perversum ac cerebrosum: *comar*, petram: *ita*, sutoriam. BE. Quis unquam petræ tribuit cerebrum? AL. Nihil absurdi, si modo mutes genus. CA. Prorsus in hac synodo evenit, quod vulgo dici solet, [3] Quot homines, tot sententiæ. Quid igitur actum est? sententiæ numerari possunt; dividi non possunt, ut pars major vincat minorem. AL. Vincat igitur melior deteriorem. CA. Atqui ad hoc ipsum opus esset alia synodo. Nam [4] sua cuique sponsa videtur pulcherrima. AL. Istuc si verum esset minus haberemus adulteriorum. Sed habeo consilium expeditum. Fabis sortiamur, ex hoc numero cui jus sit, ut ex omnibus [5] suffragiis probet quod volet. CA. At [6] istæc in te cudetur faba. Num vera dixi? AL.

1 Τρόπος, à τρέπω, *verto*, Rhetoribus conversio est, qua vox à nativa significatione immutatur.

2 Si Nonio Marcello fides sit, *foria* plur. sunt stercora liquidiora. Hinc *foriolus*, qui facile foria emittit, i. e. solutam habet alvum.

3 *Quot homines, tot sententiæ*, aut, *Quot capita, tot sensus*; adeo protritum est adagium, ut se ipsum explicet.

4 Ejusdem notæ adagium est, *Suum cuique pulcrum*, quo significatur, unicuique homini sua præ aliis placere, non ex vero judicio, sed innata quadam animi propensione ad amorem sui, quæ Græcis φιλαυτία dicitur.

5 De suffragiis revise *Conv. Fabul.*

6 *Isthæc in te cudetur faba*, proverbium est desumptum ex Terentii Eunucho Act. 2. Sc. 3. quod significat, *hoc malum in te recidet*, sive, *hæc culpa tibi imputabitur*. Translatum volunt à faba, quæ cum siliquis excutitur, in area funditur: vel quod domini crudelis fabam male coctam supra caput coqui saxo comminuunt. Utrumque probat Donatus.

AL. Mihi prima & postrema magis arridet. CA. Assentimur omnes, ut unus pro omnibus respondeam. AL. Age, sit igitur hoc inter ea, de quibus dubitare fas non est. CA. Maxime. AL. Si quis dissentiat, quid erit pœna? CA. [1] Majusculis scribetur hæreticus in grammatica. AL. Adjiciam [2] bonis avibus, quod mihi non negligendum videtur. Id ex medico quodam Syro acceptum amicis communicabo. BE. Quid istuc? AL. Si natatilem betam, [3] gallam è quercu & sutorium atramentum in mortario contuderis, deinde aspersis [4] copri sex unciis miscueris in [5] malagma, præsentaneum esse remedium adversus caninam scabiem, & porcorum [6] prurigi-nem. BE. Sed heus, Albine, qui nobis omnibus de Anticomarita [7] negotium facessis: in quo tandem auctore legitur istuc vocabulum? AL. Dicam, sed in aurem, & uni. BE. Accipiam, sed hac lege, ut ego vicissim unus uni in aurem dicam. AL. At repetita [8] henas, tandem fit chilias. BE. Verum dicis, ubi semel ex henade reddideris dyadem, jam non est tibi in manu sistere fluxum dyadis. AL. Quod pauci norunt, celari potest; quod multi, nequaquam. Trias autem ad multitudinem pertinet. BE. Probe. Qui tres simul haberet uxores, multas habere diceretur, sed qui tres haberet pilos in capite, aut dentes in ore, multosne an paucos habere diceretur? AL. [9] Sophista, [10] admove aurem. BE. Quid ego audio?

1 Scil. literis.

2 Feliciter. Respice pag. 4. & alibi sæpius supra notata.

3 Frucium quercus.

4 *Copri*, i. e. stercoris, quod Gr. κόπρος.

5 Μάλαγμα, *emplastri*, vel *pulmenti*, vel fomenti genus, quo utimur ad molliendum, à μαλάσσω, *mollio*.

6 Quam alii *porriginem* appellant. Juvenal. Sat. 2. *Sicut grex totus in agris Unus scabie cadit & porrigine porci.*

7 *Negotium facessis*, i. e. molestiam exhibes.

8 Ἑνὰς, vel μονὰς, *unitas*, χιλιὰς, *numerus millenarius*, δυὰς, *numerus binarius*, τριὰς, *numerus ternarius*.

9 Qui dicantur sophistæ dictum millies supra. Revise Colloq. *proci & puellæ, Diverf. Funus* &c.

10 Ex more, quo receptum est, ut res silendas, etiamsi duo sint soli, tamen qui loquitur, id in aurem dicat, vel submissiore voce.

1 For-

audio? Istuc non minus absurdum est, quam si Græci civitatem, cui expugnandæ tot classes ducebant, suo nomine non possent nominare, pro Troja dicentes Sutrium. AL. Atqui hic [1]Rabinus est nuper [2]è cœlo delapsus, qui nisi præsens numen [3]succurrisset rebus humanis, jam dudum quæreremus, ubinam essent homines, ubi pietas, ubi philosophia, ubi litteræ. BE. Næ iste inter [4]Moriæ proceres [5]primas meretur, dignus qui posthac vocetur [6]Archimorita, cum suis Anticomaritis.

1 Forte *Rabbinus*, pro *Rabbi*, Magister Judaicus. Ironice fungum hunc *Rabbinum* vocat. Respice & *Ichthyoph* de *Rabino Druino*.

2 Ironice, pro, nescio unde prodierit. Ita Juvenal. Sartyr. 2. *Tertius è cœlo cecidit Cato*.

3 Opem tulisset.

4 Μωρία, stultitia.

5 Supple, partes. *Primas partes habere*, i. e. primus vel præcipuus esse. Vide Terent. Eunuch. Act. 1. Sc. 2. *Priores partes habere*.

6 *Archimorita*, q. d. *princeps stultorum*: ἀρχὸς, vel ἄρχων, princeps, μωρὸς, *stultus*.

[1]Ἄγαμος γάμος.

sive *Conjugium impar*.

PETRONIUS, GABRIEL.

PE. UNde nobis Gabriel tam tetrica fronte? Num ex [2]antro Trophonii? GA. Imo à nuptiis. PE. Nunquam vidi vultum minus nuptialem. Nam qui nuptiis interfuerunt, totos postea sex

1 Ἄγαμος γάμος, q. d. Nuptiæ non nuptiæ. Nam γάμος, *nuptiæ*, & ἄγαμος, *cælebs* est. Graphice depingit Autor in hoc dialogo conjugium impar, sive nuptias admodum bellatulæ puellæ cum nescio quo Thrasone fædissimo, trunco naso, & alteram tibiam trahente, ex isto horrendo morbo Gall. sive Hispanico, ut vocant, (Erasmus scabiem appellat) qui eo tempore, uti & nunc, per omnes nationes grassabatur: perstringens interim insaniam & temeritatem parentum in elocandis filiabus, meliori fato dignis.

2 Vide exordium Colloquii *de funere*.

sex dies solent hilariores amœnioresque videri, senes etiam rejuvenescere ad annos decem. Quas igitur tu mihi nuptias narras? Mortis, opinor, cum [1]Marte? GA. Imo juvenis generosi cum puella sedecim annos nata, in qua nihil desideres, sive formam spectes, sive mores, sive fortunam. Quid multis? Jove marito digna videri poterat. PE. Hui! tam teneram puellam tam [2]vetulo? GA. Reges non senescunt. PE. Unde igitur istæc tristitia? Fortasse sponso invides, qui tibi captatam [3]prædam victor præripuit. GA. Phy! nihil minus. PE. Num tale quid accidit, quale memorant de convivio [4]Lapitharum? GA. Nequaquam. PE. Quid? an defuit [5]Bacchi liquor? GA. Imo [6]superarat. PE. Non aderant tibicines? GA. Et fidicines, & liricines, & tubicines & [7]utricines. PE. Quid igitur? Non aderat [8]Hymenæus? GA. Frustra tot vocibus ciebatur. PE. Nec [9]Charites? GA. [10]Ne musca quidem Charis. Nec pronuba [11]Juno, nec [12]aurea Venus, nec [13]Jupiter Gamelius. PE. Næ tu mihi nuptias loqueris prorsus [14]inauspicatas & [15]ἀθέους, seu

1 *Mars* priscis fuit Deus belli. Al. *Mavors*, & *Gradivus*.

2 Nam ille Jupiter, tot retro seculis Deorum hominumque pater à Poëtis dictus, nunc admodum senex sit oportet.

3 Virginem. Sic. Ovidius Amor. lib. 1. Eleg. 8. *Fit cito per multas præda petita manus.*

4 *Lapithæ* fuerunt Thessaliæ populi. Eorum prælium acerrimum cum Centauris in nuptiis Pirithoi refert Naso libro Metaph. 12.

5 Vino, sine quo nuptiarum sacra non constant.

6 *Superarat*, pro *abundabat*, alter rogaverat *an defuit?*

7 Quos Suetonius *utricularios* vocat in Nerone cap. 54. Hi sunt qui canum tibiis infixis utriculo.

8 *Hymen*, seu *Hymenæus* nuptiarum præses. Hinc illud solenne in nuptiis, *Hymen ades, Hymenæe ades &c.*

9 Χάριτες, Latinis *Gratiæ*, numero tres, *Aglaja*, *Thalia* & *Euphrosyne*. Revise *Epithalamium Petr. Æg.*

10 *Ne musca*, i. e. *nihil omnino*. Respice *Conviv. fabul.*

11 *Juno*, Jovis & soror & conjux, inter alia nuptiis præest, unde *pronuba* dicta.

12 Græcis, Χρύσεα ἀφροδίτη, à pulchritudine.

13 Jupiter, γαμήλιος dictus, id est, *connubialis*, γάμος, nuptiæ.

14 Infelices. Revise notas in Colloq. *proci & pullæ*, pag. 204.

15 Id est, *sine diis impias.*

1 Vide

seu potius [1] ἄγαμον γάμον. GA. Magis dicas, si vidisses. PE. Non igitur saltatum est? GA. Imo misere claudicatum. PE. Nullum ergo numen prosperius istas hilarabat nuptias? GA. Nullum omnino illic aderat præter unam Deam, quæ Græcis dicitur [2] Psora. PE. Pruriginosas, opinor, nuptias dicis. GA. Imo rubiginosas, & purulentas. PE. Sed quid est, mi Gabriel, quod hæc commemoratio tibi lacrymas etiam excutit? GA. Hæc res, Petroni, vel silici possit extundere lacrymas. PE. Credo, si silex vidisset. Sed obsecro te, quidnam est hoc tantum mali? Ne cela, nec meum animum diutius [3] suspendito. GA. Nosti Lampridium Eubulum? PE. Quo non alius in hac urbe vir melior aut beatior. GA. Quid? ejus filiam Iphigeniam? PE. Florem hujus ætatis nominasti. GA. Sic est. At scis cui nupserit? PE. Sciam, si dixeris. GA. Nupsit Pompilio [4] Blenno. PE. Eine [5] Thrasoni, qui neminem non solet occidere suis glorioſis fabulis? GA. Huic ipsi. PE. At is jam olim celebris est in hac urbe, duabus potissimum rebus, mendaciis ac scabie, quæ [6] nondum suum habet nomen, quum ipsa tam multorum habeat nomina. GA. [7] Superbissima scabies est, quæ nec

1 Vide notas in principio hujus Colloq.

2 Ψώρα, scabies. Hanc Deam fingit, & harum nuptiarum Deam, quia sponsus laborabat scabie Hispanica.

3 In dubio relinque.

4 *Blennum* recte appellat Autor hunc fædum sponsum, nam *blennos* Plautus pro stultis dixit, cum ait in *Bacchid. stulti, stolidi, fatui, fungi, bardi, blenni, buccones.*

5 *Thraso* ille Terentianus miles, per antonomasiam pro glorioso & arrogante milite. Revise Colloq. *Francisc. Charont.* &c.

6 Ideo dicit, *hanc scabiem* (quam quis vere *flagellum Veneris* dixerit) *nondum suum habere nomen*, quia nunc Gallicus, nunc Neapolitanus, nunc Hispanicus dicitur.

7 Cur hanc scabiem *superbissimam* dicat Autor disce ex hisce verbis in Coll. *Milit. & Carth.*: *Ista scabies nihil aliud est, quam lepræ species, nisi quod ideo non vitatur, quia multorum est communis, præcipue nobilium.*

nec lepræ, nec[1] elephantiasi, nec[2] lichenibus, nec[3] podagræ, nec[4] mentagræ cedat, si res veniat in certamen. PE. Ita prædicant medicorum filii. GA. Quid ego nunc, Petroni? depingam puellam tibi non incognitam, quamquam plurimum gratiæ addidit ornatus nativo decori. Mi Petroni, dixisses Deam quampiam esse. Nihil illam non decebat. Interim prodiit nobis beatus ille sponsus, trunco naso, alteram trahens tibiam, sed minus feliciter quam solent [5]Suitseri, manibus scabris, halitu gravi, oculis languidis, capite obvincto; sanies & è naribus, & ex auribus fluebat. Alii digitos habent annulatos, ille etiam in femore gestat annulos. PE. Quid parentibus accidit, ut talem filiam tali [6]portento committerent? GA. Nescio, nisi quod hodie plerisque videtur ademta mens. PE. Fortasse prædives est. GA. Est affatim, sed[7] ære alieno. PE. Si puella veneno sustulisset ambos avos & avias, quod gravius supplicium de illa sumi poterat? GA. [8]Si minxisset in patrios cineres, satis pœnarum datura fuerat tali monstro vel osculum dare coacta. PE. [9]Accedo. GA. Mihi sane factum hoc crudelius esse videtur, quam si illam nudam objecissent ursis, aut leonibus, aut crocodilis. Nam aut feræ peperciissent tam insigni formæ, aut subita mors finisset cruciatum. PE. Vera præ-

1 Ἐλεφαντίασις, morbus, qui & ἐλέφας dicitur, lepræ species, quæ cutem reddit elephantis corio similem.

2 Λειχὴν, summa cutis asperitas cum pruritu.

3 Podagra ex Gr. πούς, *pes*, & ἄγρα, *captura*, ita dicta, quod pedem quasi captum teneat.

4 Ita & *Mentagra* ex Lat. *mentum*, & Gr. ἄγρα, conflatum vocabulum est, quia hæc lepræ species fere à mente oritur.

5 *Helvetios* designat, eorumque affectatum incessum ridet Autor.

6 Monstro.

7 Debitis.

8 Apud antiquos paterni sepulcri summa fuit religio, unde *in patrios cineres minxisse* dicebatur, cui mens non sana, & omnia infeliciter cedebant.

9 Assentior.

prædicas. Mihi plane videtur hoc factum [1] Mezentio dignum, qui *mortua*, ut inquit Maro, *jungebat corpora vivis, Componens manibusque manus, atque oribus ora.* Quanquam nec Mezentius, ni fallor, tam immanis erat, ut tam amabilem puellam cadaveri jungeret; nec ullum cadaver est, cui non jungi malis, quam tam putido cadaveri. Siquidem hoc ipsum quod spirat, merum est venenum; quod loquitur, pestis est; quod contingit, mors est. GA. Jam tu mihi cogita, Petroni, quid voluptatis habituri sint illa suavia, illi complexus, illi nocturni lusus, ac blanditiæ? PE. Theologos nonnunquam audivi loquentes de impare conjugio. Istuc demum optimo jure dici potest impar conjugium, quasi gemmam inferas plumbo. Sed interim demiror teneræ virginis audaciam. Solent enim tales puellæ ad [2] lemuris aut larvæ conspectum tantum non exanimari; an hæc audebit tale cadaver amplecti noctu? GA. Habet puella quod excuset auctoritatem parentum, importunitatem amicorum, ætatis simplicitatem. Ego parentum vesaniam satis mirari non possum. Quis enim filiam habet tam infelici forma, quam collocare velit homini leproso? PE. Nullus, opinor, si modo vel unciolam habeat sanæ mentis. Mihi si lusca esset, eademque clauda nec minus deformis, quam fuit [3] Thersites Homericus, postremo indotata, recusarem istiusmodi generum. GA. At hæc lues est omni lepra tum tetrior, tum nocentior. Nam citius serpit, & subinde recurrit, ac frequenter occidit; cum nonnunquam

1 *Mezentii* Tyrrhenorum tyranni crudelitas nota est ex Virg. Æneid. lib 8. *Mortua quin etiam jungebat corpora vivis, Componens manibusque manus, atque oribus ora, (Tormenti genus) & sanie taboque fluentes Complexu in misero longa sic morte necabat.*

2 Vox *lemures* (umbræ, seu spiritus, ut vulgus falso opinatur, nocte infesti) ratissime in singul. num. invenitur.

3 *Thersites* apud Homerum, ἄσχιστος δ' ἀνὴρ ὑπὸ Ἴλιον ἦλθε, i. e. *Turpissimus vir ad Trojam venit.* Il. β. Revise Colloq. *proc. & puel. & de reb. ac voc.*

1 Olim

quam lepra sinat hominem ad extremam usque senectutem vivere. PE. Fortasse latebat parentes sponsi morbus. GA. Imo pulchre noverant. PE. Si tam male volebant filiæ, quin potius [1] insutam culeo projecerunt in [2] Scaldam? GA. Profecto levior fuisset insania. PE. Quæ dos commendabat illis sponsum? præcellit arte quapiam? GA. Permultis: strenuus est aleator, potator invictus, scortator improbus, nugandi mentiendique artifex maximus, prædator non segnis, [3] decoctor eximius, comessator perditus. Quid multis? cum scholæ non profiteantur nisi septem artes liberales, hic habet plus quam decem illiberales. PE. Aliquid tamen fuerit oportet, quod illum commendarit parentibus. GA. Nihil aliud quam glorioſum equitis nomen. PE. Qualis eques, cui per scabiem vix in sella sedere licet? Sed fortassis habet luculentas possessiones. GA. Habuit mediocres; sed ex protervia, quam fecit, nihil super est præter unam turriculam, unde excurrere solet ad prædam, eamque tam belle instructam, ut nolis illic porcos tuos ali. Sed interim nunquam non habet arces in ore, & [4] feuda, aliaque magnifica nomina; nusquam non affigit sua insignia. PE. Clypeus quod habet [5] symbolum? GA. Tres elephantos aureos, in spacio phœniceo. PE. Scilicet

1 Olim apud Romanos parricidæ insuebantur fœco, qui *culeus* dicitur, addito gallo, simia, & vipera, & sic in flumen vel mare abjiciebantur, ut in rixa infensorum animalium, & fœda laceratione corporis, ob tanti sceleris immanitatem, diris cruciatibus perirent, & devotum cadaver perpetuis fluctibus agitaretur.

2 *Scaldis*, sive, ut noster vult, *Scalda* fluvius in Gallia Veromanduorum oritur, & per varios cursus Antverpiam, multasque alias urbes alluens in Oceanum Zelandicum sese condit.

3 *Prodigus*. Vide *Alcumist. decoquere* pro nequiter prodigere.

4 *Feudum* barbare significat dignitatem, vel vectigal, vel prædium aliquod sub clientela ejus, qui alteri dedit, ea lege, ut is patronum agnoscat.

5 *Signum*. Varias quas vox *symbolum* habet significationes, revise in Colloq. *Inquis. de fide*.

1 *Ele-*

cet[1] elephas elephanti congruit. Oportet autem hominem esse sanguinarium GA. Imo vinarium. Nam rubro vino mirum in modum delectatur; sic tibi sanguinolentus est. PE. Ad hauriendum igitur utilis est illi proboscis. GA. Maxime. PE. Itaque insignia declarant magnum ac stolidum nebulonem, vini gurgitem. Neque enim ille color sanguinis est, sed meri: & aureus elephas indicat, quidquid auri nactus est, vino absumi. GA. Sic est. PE. Quid igitur dotis hic Thraso conferet ad sponsam? GA. Quid? maximam. PE. Qui maximam decoctor? GA. Sine me loqui; maximam, inquam, pessimamque scabiem. PE. [2]Emoriar, ni malim filiam meam equo nuptam, quam tali equiti. GA. At ego vel monacho nuptam malim. Imo hoc non est homini nubere, sed hominis cadaveri. Hoc spectaculum si vidisses, dic mihi tenuissesne lacrymas? PE. Qui potuissem, qui vix ista sine lacrymis audio? Adeon' parentes ad omnem naturalis pietatis affectum obsurduisse, ut filiam unicam, puellam tali forma, tali indole, tam amabilibus moribus, tali monstro in servitutem traderent, propter mendacem clypeum? GA. Atqui facinus hoc, quo nihil invenias nec immanius, nec crudelius, nec magis impium, hodie magnatum etiam ludus est; quum expediat, eos qui Reipublicæ tractandæ nascuntur, esse quam prosperrima valetudine. Corporis enim habitus animi vim afficit. Certe hic morbus quidquid est homini cerebri solet exhaurire. Ita fit ut Reipublicæ præsideant, qui nec animo bene valeant, nec corpore. PE. Non solum integræ mentis ac prospera valetudine convenit

1 *Elephas* enim, ut paulo superius annotavimus, est etiam lepræ species. Et hic Thraso laborabat lepra Hispanica.

2 *Emoriar, dispeream*, &c. jurantis vox.

venit esse, qui Reipublicæ gubernaculis assident, verum etiam forma dignitateque corporis præcellentes. Quanquam enim prima principum commendatio sint sapientia & integritas; tamen non nihil refert, qua specie corporis sit, qui cæteris imperat. Nam si sævus est, multum invidiæ addit corporis deformitas: sin probus & pius, [1] *Gratior est pulcro veniens è corpore virtus.* GA. Recte. PE. Nonne deplorant earum infelicitatem, quarum conjuges post peractas nuptias in lepram aut morbum incidunt [2] comitialem? GA. Merito sane. PE. Quæ igitur dementia est, ultro filiam plusquam leproso tradere? GA. Plusquam dementia est. Si [3] Satrapes paret tollere catulos, quæso num ad generosam fœminam admittet scabiosum & ignavum canem? PE. Imo magna cura dispiceret, ut undiquaque generosum adjungeret, ne nascantur [4] hybridæ. GA. Et si dux augere velit equitatum, num ad eximiam equam admitteret morbidum aut degenerem? PE. Ne in commune quidem stabulum reciperet morbidum, ne qua serpat malum ad alios. GA. Nec interim referre putant, quem admittant ad filiam, & unde nascantur liberi, non tantum in hæreditatem omnium facultatum successuri, verum etiam rempublicam moderaturi? PE. Ne rusticus quidem quemvis taurum admittit ad juvencam, nec quemvis equum jungit equæ, nec quemvis porcum [5] scrophæ; quum taurus gignatur aratro, equus rhedæ, porcus culinæ. GA. Vide quam perversa sint hominum judicia. Si quis [6] plebejus

1 Versus est ex lib. 5. Æneid. Virg. de Euryalo.

2 Morbus comitialis, unde dictus respice in *Ichthyoph.* pag. 509.

3 *Satrapa*, vel *satrapes* vocabulum supra plus semel annotatum, Provinciæ præfectus.

4 *Hybridæ*, catuli qui ex parentibus diversæ naturæ & studii nati sunt. Vide infra *Senatulum.*

5 Respice Colloq. *uxor μεμψίμ.*

6 *Plebejus*, qui ex plebe, *Patricius*, qui è parte Senatore prognatus est. Olim senatores *Patres* appellati.

bejus patriciæ puellæ oſculum obtrudat, injuriam putant bello vindicandam. PE. Acerrimo. GA. Et ipſi volentes, ſcientes, prudentes, id quo nihil habent carius, dedunt abominando portento, & privatim impii in ſuam [1] gentem, & publice in civitatem. PE. Si ſponſus ſubclaudicat alioqui ſanus, quam abhorretur à conjugio? hoc tantum malum non imputatur in [2] ſponſalibus. GA. Si quis filiam elocavit [3] Franciſcano, quanta abominatio, quanta deploratio male [4] collocatæ virginis! at illa veſte detracta virum habet membris validis. Iſta totam ætatem tranſigit cum ſemivivo cadavere. Si qua nubit ſacerdoti, ludunt [5] in unctum; at hæc [6] pejus uncto nupſit. PE. Vix hoc faciunt hoſtes puellis bello captis, vix piratæ faciunt ſcelere adductis; & hoc faciunt parentes unicæ filiæ: nec illis datur à magiſtratu [7] curator. GA. Quomodo medicus ſuccurret [8] phrenetico, ſi ipſum habeat phreneſis? PE. Atqui mirum eſt, à principibus, quorum munus eſt [9] proſpicere Reipublicæ, dumtaxat in his, quæ ad corpus pertinent, cum in hoc genere nihil prius ac potius ſit bona valetudine, heic nullum excogitari remedium. Tanta peſtis bonam orbis partem occupavit, & illi interim ſtertunt, quaſi nihil ad rem pertineat. GA. De principibus, Petroni, religioſe loquendum eſt. Sed [10] admove aurem; inſuſurrabo [11] tria verba. PE.

1 Familiam.

2 *Sponſalia*, mentio, & reciproca promiſſio futurarum nuptiarum.

3 Cui utpote religioni deſtinato, uxorem ducere apud Pontificios nefas eſt.

4 In matrimonium datæ.

5 Nam Papicolarum Sacerdotes, ſacris ſuis initiandi, prius ſacra unctione, ſi diis placet, unguntur.

6 Vere pejus uncto, ſcilicet unguentis, aliisque Pharmacis, quibus morbo Gallico mederi poſſit.

7 Qui vulgo datur vel furioſis, vel prodigis.

8 *Phrenetici*, qui laborant *Phreneſi*, hoc eſt, mentis delirio, ex inflammatione membranarum cerebri.

9 Curam habere, conſulere.

10 Reſpice Coll. præcedens in fine.

11 *Tria verba*, pro paucis Reviſe Colloq. *proc. & puell.* pag. 209.

PE. O miseriam! utinam falsa prædicares! GA. Quot morborum genera nasci putas ex vinis corruptis, ac mille modis infectis? PE. Innumera, si qua medicis fides. GA. Num hæc vigilant[1] ædiles? PE. Plane vigilant in exigendis vectigalibus. GA. Quæ sciens nubit morbido, fortasse digna est suo malo, quod adscivit ipsa sibi: quanquam si principatum gererem, utrumque semoverem ab urbano commercio. Cæterum si qua nupsisset huic obnoxio lui, qui se sanum mentitus esset, si quis mihi summum[2] pontificium deleget, dirimerem hoc conjugium, etiamsi sexcentis[3] tabulis sponsalibus contractum esset. PE. Quo[4] colore? Nam conjugium rite contractum ab homine non potest dirimi. GA. Quid? tibi videtur rite contractum, quod dolo malo contractum est? Non valet contractus, si puella decepta servo nupsit, quem putabat liberum. Hic cui nupsit, servus est miserrimæ dominæ[5] Psoræ, atque hoc infelicior est servitus, quod illa neminem[6] manumittit, ut servitutis miseriam aliqua libertatis spes consolari possit. PE. Sane colorem reperisti. GA. Ad hæc non est conjugium, nisi inter vivos. Heic mortuo nubitur. PE. Repertus est alter color. Sed sineres, opinor, scabiosas scabiosis nubere, juxta vetus illud adagium, [7] ὅμοιον πρὸς ὅμοιον. GA. Si hoc mihi liceret, quod[8] expediret Reipublicæ, sinerem

1 *Ædiles* dicti, ut quidam volunt, *ab ædibus*, alii vero, *quod facilis ad eos plebi aditus esset*. Hujus magistratus munera erant varia. Nam non modo sacrarum, sed & privatarum ædium curam gerebant, ut & annonæ, ludorum, &c.

2 Pontificatum.

3 Scriptis codicillis initi matrimonii.

4 *Quo colore?* id est, qua ratione defensionis vel excusationis? Respice *Ichthyoph.* fere in fine.

5 Vide notas in ipso fere limine hujus Colloq.

6 *Manumittere*, est servum, qui in manu nostra, sive potestate est, liberum dimittere è manu, hoc est libertate donare. Unde *manumissus* & *manumissio*. Revise *Ichthyoph.* pag 513.

7 Ὅμοιον πρὸς ὅμοιον, *simile apud simile*.

8 Prodesset.

rem quidem jungi, sed junctos exurerem. PE. Tum tu quidem [1] Phalaridem ageres, non principem. GA. An tibi Phalaris videtur medicus, qui secat digitos aliquot, aut inurit corporis partem, ne totum pereat? Mihi non videtur ista crudelitas, sed misericordia. Quod utinam initio nascentis mali fuisset factum! Tum enim paucorum exitio, totius urbis saluti consuli poterat. Et hujus facti reperimus exemplum in Gallorum annalibus. PE. At mitius erat illos castrari, ac [2] summoveri. GA. Fœminis porro quid faceres? PE. Adderem [3] fibulas. GA. Ita quidem prospectum esset, ne ex malis corvis nascantur mala ova: sed fatebor hoc esse mitius, si tu fatearis, illud esse tutius. Nam [4] pruriunt & [5] exsecti; nec uno modo transilit malum, sed oculo, sed colloquio, sed contactu, sed compotatiuncula serpit ad alios. Et videmus huic malo [6] fatalem quandam malitiam adjunctam, ut quisquis eo tenetur, vel nullo suo commodo gaudeat quam plurimis suam affricare scabiem. Jam submoti possunt fugere, possunt vel noctu, vel ignotis [7] imponere; à mortuis vero nihil est periculi. PE. Tutius fateor; sed haud scio, an conveniat Christianæ mansuetudini. GA. Dic age mihi; unde plus periculi, à simplicibus furibus, an ab istis? PE. Fateor pecuniam multo viliorem bona valetudine. GA. Et tamen hos Christiani suffigimus in crucem; nec appellatur crudelitas, sed justitia; & si Rempublicam spectes, pietas est. PE. Verum ibi plectitur

1 *Phalaridem ageres*, i. e. ostenderes te pessimum tyrannum. *Agere* revise in *Collog. fenil.* pag. 330 & *Ichthyoph.* pag. 524. Fuit autem Phalaris Agrigentinorum tyrannus, qui homines æneo tauro, à fabro Perillo conflato, inclusos subjecto igni vivos comburebat, ut pro ejulatu humano mugitum ederent.

2 In aliam quandam regionem deportari.

3 Quibus pudenda clauderent, ne ad coitum possent admitti. Vide *cestum*, in *uxor* μεμψίμ. pag. 240.

4 Venerem appetunt.

5 Castrati.

6 Respice notas in Coll. *funus*, in principio, & *proc. & puel.*

7 *Imponere* idem quod decipere.

ctitur qui damnum dedit. GA. [1]Hi scilicet lucrum adferunt! Sed [2]demus hoc malum multis nulla sua culpa contractum, quum tamen paucos reperias, quibus eam luem non [3]conciliarit nequitia; jureconsulti docent interdum innoxios recte occidi, si id magnopere interfit Reipublicæ. Quemadmodum Græci post eversam Trojam occiderunt [4]Astyanactem Hectoris filium, ne per illum bellum instauraretur. Nec putant impium, post [5]extinctum tyrannum, & liberos innoxios trucidari. Quid quod nunquam non bellamus Christiani, neque tamen nescimus, in bellis maximam malorum partem ad eos redire, qui nihil commeruerunt? Idem usu venit [6]repressalibus, quæ vocant. Qui læsit, in tuto est, & spoliatur negotiator; qui ne factum quidem audivit, tantum abest ut in culpa fuerit. Quod si talibus remediis utimur in rebus non ita magni momenti, quid censes faciendum in re omnium atrocissima? PE. Vincor veris. GA. Tum illud mihi perpende. Apud Italos ut primum [7]scintillare cœpit pestilentia, occluduntur ædes: qui laboranti inserviunt, submoventur à publico. Hoc quidam appellant inhumanitatem, cum summa sit humanitas. Siquidem hac vigilantia fit, ut paucis funeribus [8]sopiatur malum. At quanta est humanitas, tot millium vitæ [9]consuli? Sunt qui parum hospitale putant, quod Itali in rumore pestilentiæ, tempore vespertino hospitem portis submovent, coguntque [10]sub dio noctem agere: at pie-

1 Ironiæ species, quam *Diasyrmum* vocant.
2 Concedamus.
3 Attulerit.
4 *Astyanax* fuit Hectoris & Andromaches filius, ita dictus quasi *Princeps urbis*, ex ἄστυ, *urbs*, & ἄναξ *rex*.
5 Occisum
6 *Repressalia*, vox barbara, significat potestatem, vel jus quod à magistratu conceditur subditis, ut quæ illis vi ademta sunt pari vi repetant, non solum ab iis ipsis, qui eripuerunt, verum etiam ab omnibus & singulis ejusdem gentis, aut regionis.
7 Primum apparere.
8 Extinguatur.
9 Curam geri.
10 Sub aëre frigido.

pietas est, paucorum incommodo, maximo Reipublicæ bono prospicere. Quidam sibi valde fortes videntur & officiosi, quod ausint ad quemvis pestilentia laborantem accedere, etiamsi nihil illic habeant negotii. At dum reversi domum inficiunt uxores, liberos ac totam familiam, quid ea fortitudine stultius, quid officio inofficiosius, ut salutes alienum, tibi carissimos in præsens vitæ [1] discrimen adducere? Heic tamen quanto minus est periculi à pestilentia, quam ab hac scabie? Rarius afflat propinquos, nec fere senes attingit, & quos attigit, aut cito liberat, aut restituit sanitati, puriores etiam quam antea fuerant. Hæc quid aliud quam perpetua mors est, vel, ut verius dicam, sepultura? Obvolvuntur linteis & unguentis more cadaverum. PE. Verissima narras. Saltem idem curæ dandum erat huic tam exitiali malo, quod datur [2] leprosis. Aut si hoc quoque nimium est, nemo barbæ silvam patiatur sibi demeti, aut sibi quisque tonsorem præstet. GA. Quid si uterque claudat os? PE. Afflant naribus malum. GA. Est & isti malo remedium. PE. Quodnam? GA. Ut quod solent [3] Alcumici, addant [4] personam quæ per vitreas fenestellas præbeat lumen oculis, ori naribusque respirationem, cornu [5] à persona per axillas in tergum porrecto. PE. Belle, si nihil metuendum est à contactu digitorum, linteorum, pectinis, & forcipis. GA. Optimum igitur barbam usque ad genua [6] demittere. PE. Ita videtur. Deinde fiat edictum, ne quis idem sit tonsor & [1] chirur-

1 Periculum.

2 Respice *Diversoria*. *Ab his opinor non multo minus esse periculi quam a leprosis*, inquit Autor de iis, qui morbo Hispanico laborant.

3 *Alcumici*, vel *Alcumistæ* qui sint, disce supra ex Colloq. *Alcumist.*

4 Larvam, faciem appositiciam.

5 Post larvam.

6 Sinere ut crescat.

[1] chirurgus. GA. Ad famem relegas tonsores. PE. Minuant sumtus, & aliquanto pluris radant. GA. Esto. PE. Tum feratur lex, ne quis cum alio poculum habeat commune. GA. Istam vix recipiat Anglia. PE. Neve duo misceantur eodem lecto, præter uxorem & maritum. GA. Placet. PE. Ad hæc in diversoriis ne quis hospes indormiat linteis, in quibus alius indormiit. GA. Quid facies Germanis, qui vix [2] lavant bis in anno? PE. Exstimulent lotrices. Præterea tollatur mos quamvis vetustus salutandi osculo. GA. Etiamne in templis? PE. [3] Tabellæ suam quisque opponat manum. GA. Quid de colloquio? PE. Vitetur illud Homericum: [4] Ἀγχι χὼν κεφαλὴν; & vicissim qui auscultat, comprimat labra. GA. Vix istis legibus suffecerint [5] duodecim tabulæ. PE. Sed quid [6] consulas interim infelici puellæ? GA. Quid? nisi ut libenter sit misera, quo sit minus misera; & suavio conjugis [7] opponat manum; tum armata cum illo dormiat. PE. Quonam hinc properas? GA. Recta in museum. PE. Quid facturus? GA. Pro epithalamio, quod postulant, scripturus Epitaphium.

1 Proprie qui manu operatur. Peculiari vero significatione, qui medicas manus alicui admovet.

2 Respice in *Diversoriis*, *Imtea forte lota ante menses sex*, in fine.

3 Designat tabellam, quæ in solenni celebratione Missæ, uti vocant, sacrificulis ministris, & reliquo populo exosculanda præbetur.

4 Ἀγχι χὼν κεφαλὴν, id est, *propius admovens caput*. Ὀδυσσ. α.

5 De XII tabularum legibus fusius annotata vide in *Ichthyoph.* pag. 534.

6 Consilii des?

7 Ita Horatius Mecænati suo, Epod. 3. *Precor, Manum puella suavio opponat tuo.*

[1] IMPOSTURA.

Livinus, Philippus.

PH.

1 *Impostura* (ab impono, quod est fallo, vel decipio) inscribitur hoc Colloquium, quia alter alterum fallit loquendo carmine, ita pronunciato, ut nisi gnaviter attendatur, non possit sentiri.

PH. SAlve, Livine. LI. Salvebo, si vis ita: sed à me tibi cave. Nam est animus imponere tibi, nisi caves. PH. Non est admodum metuendus hostis, qui periculum denuntiat. Sed age, falle, si potes. LI. Ecce jam fefelli, nec sentis adhuc. Iterum cave. PH. Cum [1] præstigiarum, opinor, artifice mihi res est. Nihil enim sentio impostura. LI. Rursus adverte mentem tuam, ni velis decipi, sicuti falsus es non semel. PH. Heic sum; incipe. LI. Jamdudum mihi quod jubes peractum est. PH. Quid actum, aut quid peractum? Nihil sentio doli. LI. Jam toties admonitus saltem adhibe attentum animum. PH. Novum præstigiarum genus. Ludor, ut ais, neque quidquam artis sentio, cum observem & oculos, & manus, & linguam tuam. Sed age, rursus incipe. LI. Iterum atque iterum incipio, atque adeo toties facio, neque tu assequeris [2] laqueos. PH. Qua re mihi laqueos tendis? LI. Hæc tibi, inquam, lingua dolos parat, nec auribus sentis, nec oculis vides. Nunc saltem habe attentos oculos & aures. PH. Non possum magis, etiamsi de capite ageretur. Sed falle rursum. LI. Iterum ecce fefelli, neque deprehendis artem. PH. [3] Enecas. Quæso dic quodnam est hoc præstigiarum genus? LI. Hactenus sum tibi locutus carmine, atque adhuc loquor. PH. Nihil minus sensi quam istuc. LI. Primum respondi duobus [4] trimetris jambicis. Deinde [5] trochaico [1] tetra-

1 *Præstigiæ* dicuntur vanæ rerum species, quibus spectatores illuduntur.

2 *Laqueus*, proprie vinculum, significat quemvis dolum, quo quis decipi potest.

3 *Enecas*, vel ant. *enicas me*, hoc est obtundis, excrucias me, vel mihi molestus es. Vide Terent. Andr. Act. 4. Sc. 1. & Phorm. Act. 2. Sc. 3.

4 *Jambicum trimetrum* dicitur, quod sex pedibus constat, nam Græci in dimetiendo duos pedes conjungunt. Versus Jambici unde nomen habeant, respice annotatum in *Convivio Poëtico*.

5 *Trochaicum* carmen ita dictum à pede *Trochæo*, qui constat prima longa altera brevi. Consule Prosodiam.

[1] tetramento [2] catalectico. Mox meris [3] Creticis sum locutus. Post hæc [4] Phalæcio hendecasyllabo. Deinde meris [5] choriambis. Adhæc meris [6] anapæstis. Rursum tribus [7] Sapphicis. Mox [8] Sotadico. Postremo [9] Trochaico tetrametro. PH. Deum immortalem! quidvis suspicabar potius, quam istud. Si vixero, aliquando [10] vicem reponam. LI. Huc si quid potes. PH. Ecce bis par pari retuli, nec dolum percipis. LI. Hui tam cito? PH. Minatus sum tibi jambico tetrametro catalectico; mox addidi Creticos quinque. LI. Prorsus accidit, ut video, quod dici solet, [11] Cretensis incidit in Cretensem. PH. Sic est: sed illud precor utrique nostrum, ne nobis unquam occurrat impostura nocentior.

1 Τετράμετρος versus, qui est quatuor metrorum.

2 *Catalecticus* versus est, cui in fine deest syllaba.

3 Pes *Creticus*, sive *Amphimacer*, constat tribus syllabis, prima & ultima brevi, media vero longa.

4 Carmen Phalæcium nomen habet à Phalæco inventore, & vocantur *hendecasyllabon*, quod undecim constet syllabis.

5 *Choriambus* pes quatuor syllabis constat, prima & ultima longa, & duabus mediis brevibus.

6 Pes *Anapæstus* trium syllabarum est, duabus prioribus brevibus & ultima longa.

7 Sapphici Carminis Autor est Sappho, Poëtria Lesbia. Constat pedibus quinque.

8 Versus *Sotadicus*, vel, *Sotadeus* ita appellatur à Sotade poëta, alio nomine *Jonicus a Majore*, qui pes est quatuor syllabarum, duabus primis longis, & posterioribus brevibus.

9 Respice jam nunc annotata.

10 Simili modo te eludam, par pari referam.

11 *Cretenses* vulgo habebantur mendaces, & impostores. Vide supra proverb. *Cretensem agere cum Cretensi*, in Colloq. *Hippoplan.*

CYCLOPS, SIVE EVANGELIOPHORUS. [1]

CANNIUS, POLYPHEMUS.

CA.

1 Voluit Autor nihil aliud hoc Colloquio, quam perstringere eo, qui Evangelium semper habent in ore, sed revera in omni vita Evangelio adversantur. Præcipue torquere videtur spicula sua in Lutheranos, qui sese Evangelicos

CA. QUid hic venatur Polyphemus? PO. Quid vener, rogas, sine canibus & venabulo? CA. Forte nympham aliquam [1] hamadryadem. PO. Pulchre [2] divinasti. En tibi rete venatorium. CA. Quid ego video? Bacchum [3] in exuvio leonis, Polyphemum cum codice? Γαλῇ κροκωτὸν. PO. Non croco tantum pinxi libellum, sed etiam minio, [5] lasurioque. CA. Non loquor de croco, sed Græce dixi quiddam. Militaris videtur libellus; nam nodis, laminis & circulis æreis armatus est. PO. Introspice. CA. Video. Sane perquam bellus est: sed nondum ornasti satis. PO. Quid deest? CA. Addere debebas tua insignia. PO. Quæ? CA. [6] Sileni caput è dolio prospiciens. Sed quid tractat? artem

gelicos appellare gaudent. Belle itaque induxit Cyclopem, seu Polyphemum, portantem codicem Evangeliorum, unde Evangeliophorus dicitur, & Cannium confabulatores. Fuit autem Cannius iste Erasmi, cum Basileæ viveret, famulus, & Polyphemi nomine prodiit nescio quis è corte Lutheri, qui circumferebat Evangelia publice ornata, quum ipsius vita nihil esset inquinatius. Uterque ambibat Colloquiis celebrari, ut ipse Autor scribit in epistola quadam ad Oecolampadium. Cur alterum Polyphemum appellaverit, non mirum; nam Polyphemus fingitur à Poëtis unus è Cyclopibus Neptuni filiis, pastor ille gigas, monstrum horrendum, deforme, ingens, cui unicum oculum, quem in media fronte habebat, Ulysses præusta sude terebravit. De hoc lege præter Homeri in Odyss. & Nasonis in Metamorph. fabulas, Virgilium eleganter canentem lib. Æneid. 3.

1 *Nymphas Hamadryades* appellarunt poëtæ sylvarum Deas, *in ipsis sylvis habitantes, quas una cum arboribus nasci & mori fingebant, à Gr.* ἅμα, & δρῦς δρυὸς, *quod arborem vel quercum significat.*

2 Conjecisti.

3 *Exuvium* non novi, sed *exuvias* quæ significant spolia tum hominibus tum bestiis detracta. Unde pro pelle sæpius ponitur. Sic Erasmus supra dixit *præstigium*: unde haustum ille viderit.

4 Γαλῇ κροκωτὸν, id est, *Felt Crocotam*, supple das. Utuntur hoc proverbio quoties honor additur indignis. Est autem κροκωτὸς, Ciceroni *Crocota*, vestis crocei coloris, olim matronis nobilibus usitata

5 Nonnunquam de industria facit Autor confabulatores barbaros barbare loquentes, nam *lasurium* colorem dicit pro *cæruleo*, vel *glauco*.

6 *Silenus* ille Bacchi Pædagogus, asino vehi solitus, notatus est supra in *Ichthyoph.* pag. 552.

tem [1] potaticam? PO. Vide ne quam imprudens effutias blasphemiam. CA. Quid igitur? estne sacri quippiam? PO. Est, quo nihil sacratius, Evangelium. CA. [2] Ἡράκλεις! [3] Quid Polyphemo cum Evangelio? PO. Quin ita rogas, quid Christiano cum Christo? CA. Nescio, nisi quod te talem magis decet [4] halbardacha. Nam si quis mihi ista specie ignotus occurreret in mari, piratam esse crederem; si in nemore, [5] sicarium. PO. Atqui hoc ipsum nos docet Evangelium, ne quem judicemus juxta faciem. Quemadmodum enim sæpenumero sub [6] tunica cinericea latet animus tyrannicus, ita nonnunquam attonsum caput, circumtorta barba, torva supercilia, truces oculi, vertex plumam ventilans, [7] sagum militare, caligæ intersectæ, tegunt Evangelicum animum. CA. Quid ni? nonnunquam & sub pelle lupina latet ovis; &, si qua fides [8] apologis, sub exuvio leonis latet asinus. PO. Imo ego novi qui ovem gestat in vertice, vulpem in pectore; cui libens optarim, ut quam habet nigros oculos, tam habeat candidos amicos, tamque probe inauretur, quam colorem habet inauraturæ congruum. CA. Si ovem gestat in vertice, qui pileum gestat ovillum, quam tu incedis onustus, cum [9] ovem simul & struthiocamelum gestes in capite? Tum annon absurdius facit, qui avem portat in capite, asinum in pe-

1 Adjectivum *Potaticus, a, um*, mihi sane ignotum est. Satis constat tamen quid hasce arma Cannius velit.

2 Ἡράκλεις! i. e. *Hercules!* admirantis interjectio

3 Supple, *negotii est?*

4 Barbare loquitur Cannius. Intelligit per *Halbardacham*, securim vel bipennim Romanam.

5 *Sicarius* est latro armatus sica, seu pugione.

6 Quali sese induunt Franciscani monachi

7 *Sagum*, quamvis non addatur *militare*, significat militare indumentum, quod armis super inducebatur.

8 Ἀπόλογοι, narratio fabulosa, præcipue in qua bruti sermo affingitur. It. fabula moralis.

9 Intellige per *ovem*, pileum è lana ovilla, & per *struthiocamelum*, plumas ex illius avis pennas adornatas.

pectore? PO. Mordes. CA. Sed belle res habuerit, si, quam tu decorasti variis ornamentis Evangelium, tam te vicissim exornet. Ornasti coloribus; utinam exornet te bonis moribus! PO. Curabitur. CA. Ut soles. PO. Sed omissis conviciis; itane damnas eos qui circumferunt codicem Evangelicum? CA. Minime gentium. PO. Quid? an tibi videor[1] minimus gentium, vel asinino capite te procerior? CA. Non arbitror tanto, si asinus arrigat auriculas. PO. Certe bubalino. CA. Placet collatio; sed ego minime, dixi, non minime. PO. Quid interest inter ovum & ovum? CA. Quid interest inter medium digitum & infimum? PO. Medius est longior. CA. Scite. Quid interest inter asininas auriculas, & lupinas? PO. Lupinæ sunt breviores. CA. Rem tenes. PO. At ego longa breviaque[2] palmo & ulna metiri soleo, non auribus. CA. Age, qui Christum gestavit, dictus est[3] Christophorus: tu qui Evangelium portas, pro Polyphemo dicendus Evangeliophorus. PO. An sanctum non putas portare Evangelium? CA. Non, nisi tu fatearis esse sanctissimos asinos. PO. Qui sic? CA. Quia unus sufficit gestandis tribus istiusmodi codicum millibus; nec te crediderim futurum imparem oneri, si probe sis[4] clitellatus. PO. Nihil absurdi, sic asino tribuere sanctimoniam, quia gestavit Christum. CA. Istam sanctimoniam tibi non invideo. Et, si vis, donabo tibi reliquias illius asini, cui Christus insedit, ut exoscu-

1 Ambiguitas vocis *minime* excitat jocum. Cannius dixit, *Minime gentium*, quod idem est ac nequaquam. Polyphemus intellexit quasi non adverbium, sed vocativum minime dixisset.

2 *Palmus* mensuræ genus duplex est. Palmus major, intervallum est inter pollicem & minimum digitum diductos. Minor est quatuor digitorum spatium.

3 Gigas ille Papicolarum fabulis celebratus, jam sæpius occurrit supra in *Naufragio*, & alibi.

4 Clitellis oneratus. *Clitellæ* sunt ἐπισάγματα, quibus sarcinæ colligatæ mulis vel asinis imponuntur.

exoſculeris. PO. Dabis munus gratiſſimum. Nam aſinus ille contactu corporis Chriſti conſecratus eſt. CA. Sane Chriſtum contigerunt, & qui illi impegerunt alapas. PO. Sed agè dic ſerio; nonne pium eſt circumferre codicem Evangelicum? CA. Pium, ſi abſit [1] hypocriſis, ſi vere id fiat. PO. Abeat hypocriſis ad monachos; quid militi cum hypocriſi? CA. At primum expedi mihi quid ſit hypocriſis. PO. Cum aliud præ te fers, quam lateat in animo. CA. Sed quid præfert circumlatus Evangelii codex? Nonne vitam Evangelicam? PO. Opinor. CA. Ergo ubi vita non reſpondet codici, nonne hypocriſis eſt? PO. Videtur. Sed quid eſt, vere codicem Evangelicum circumferre? CA. Quidam circumferunt manibus, quemadmodum [2] Franciſcani Franciſci regulam: idem poſſunt & bajuli [3] Lutetiani, & aſini, & cantherii. Sunt qui circumferunt ore, nihil crepantes niſi Chriſtum & Evangelium: hoc eſt [4] Phariſaicum. Quidam circumferunt animo. Proinde vere circumfert, qui & manibus, & ore, & corde portat Evangelium. PO. Ubi ſunt iſti? CA. In templis [5] diaconi, qui portant codicem, pronuntiant populo, & tenent corde. PO. Tametſi non omnes ſancti ſunt, qui animo geſtant Evangelium. CA. Ne mihi [6] ſophiſtam agas. Non geſtat animo, niſi qui medullitus amat, niſi qui moribus exprimit Evangelium. PO. Iſtas ſubtilitates non aſſequor. CA.

1 Τπόκρισις, ſimulatio.

2 Regula Franciſci vocatur inſtitutum, quod monachis ſuis præſcripſit iſte fatuus, quem vide annotatum ſupra in Colloq. *Franciſc.* & infra in *Exſeq. Seraph.*

3 Qui ſunt Lutetiæ.

4 Subdolum, ex mera ſimulatione conſtans. Cur ita dictum, reviſe in notis *Ichth.* pag. 545.

5 Διάκονοι, miniſtri. Peculiariter in ſacris dicuntur *Diaconi*, qui eleemoſynas pauperibus diſtribuunt.

6 Philoſophus olim idem qui Sophiſta. Dein Sophiſtæ dici cœperunt, qui falſis argumentis colligunt, & vanæ ſapientiæ laqueis incautos capiunt.

1 Craſ-

CA. At dicam [1] craſſiore Minerva. Si lagenam vini [2] Belnenſis geſtes humeris, quid aliud eſt quam onus? PO. Nihil aliud. CA. Si teneas faucibus, ac mox exſpuas? PO. Haud profuerit; quamquam id quidem non ſoleo. CA. Sin, ut ſoles, affatim haurias? PO. Nihil divinius. CA. Concaleſcit omne corpus, rubeſcit facies, hilareſcit frons. PO. Prorſus. CA. Tale quiddam eſt Evangelium, in animi venas demiſſum, innovat totum hominis habitum. PO. Videor igitur tibi parum Evangelice vivere? CA. Iſtam quæſtionem nemo te diſſolverit rectius. PO. Si [3] bipenni res agatur. CA. Si quis in os te vocet mendacem, aut ganeonem, quid facias? PO. Quid faciam? ſentiret pugnos meos. CA. Quid ſi quis tibi impingat colaphum? PO. Amputarem illi collum pro colapho. CA. Atqui codex tuus docet, ut pro convicio referas benignum ſermonem, & ferienti maxillam dextram, porrigas & ſiniſtram. PO. Legi; ſed [4] exciderat. CA. Oras, opinor, frequenter. PO. Iſtuc eſt [5] Phariſaicum. CA. Phariſaicum eſt, prolixe precari, ſed [6] fucate. At tuus codex docet ſemper orandum, ſed ex animo. PO. Attamen oro nonnunquam. CA. Quando? PO. Cum venit in mentem, ſemel aut bis in hebdomade. CA. Quid tum oras? PO. Precationem Dominicam. CA. Quoties? PO. Semel. Nam vetat Evangelium [7] battologiam eadem iterantem. CA. Potes

1 Craſſiore, rudi, vel pingui Minerva dicere, hoc eſt, non arte exquiſita, nec diſerte, ſed indocte & ſimpliciter.

2 Vinum *Belnenſe*, ſic nuncupatum ab urbe Belna, Gallice *Beaulne*, quæ eſt in Burgundia, unde vina generoſiſſima.

3 Alludit forte ad Tenediam bipennem, quam annotavimus in *Ichthyoph.* pag. 545.

4 Scil. menti vel animo, id eſt, oblitus fueram.

5 Vide jam nunc annotata.

6 Cum fuco, id eſt, fallacia.

7 Βαττολογία, frequens & inanis verborum eorundem iteratio. Verba Chriſti refert Matth. Cap. 6 προσευχόμενοι δὲ μὴ βαττολογήσητε, i. e. *precantes vero ne ſitis multiloqui.*

1 I. e.

Potes attentus absolvere precationem Dominicam? PO. Nonnunquam id tentatum est. An non satis, quod voce pronuntio? CA. Nescio, nisi quod Deus non audit nisi cordis vocem. Crebro jejunas? PO. Nunquam. CA. At tuus codex probat precationem & jejunium. PO. Probarem & ego, nisi aliud flagitaret venter. CA. At Paulus negat eos servire Jesu Christo, qui ventri serviunt. Vescéris carnibus quovis die? PO. Cum dantur. CA. Atqui ista [1] gladiatoria laterum firmitas, vel fœno arborumque corticibus poterat ali. PO. Sed Christus dixit, [2] non coinquinari hominem his quæ intrant in os. CA. Ita, si modice, si præter offendiculum. At Paulus Christi discipulus mavult fame mori, quam fratrem infirmum offendere suo cibo, nosque ad suum hortatur exemplum, ut omnibus per omnia placeamus. PO. Paulus est Paulus, ego sum ego. CA. At [3] Ægonis est capras pascere. PO. Malim [4] esse. CA. Pulchre tibi precaris; caper citius fies, quam capra. PO. Esse dixi, pro edere. CA. Eleganter. Libenter [5] succurris pauperibus? PO. Non est quod dem. CA. At esset, si sobrie viveres, si gnaviter laborares. PO. Dulce est otium. CA. Servas præcepta Dei? PO. Grave est. CA. Agis [6] admissorum pœnitentiam? PO. Christus pro nobis dependit. CA. Unde igitur declaras te amare Evangelium? PO. Dicam. [7] Franciscanus quidam

1 I. e. validissima, quia gladiatores & athletas firmi corporis esse oportet. Respice in Formulis *pancratice, seu athletice valere.*

2 Revise annotata in *Ichthyoph.* pag. 514.

3 Respicit ad illud Virgilii Eclog 3. *Cujum pecus? an Meliboei? Non; verum Ægonis.* Interim Cannius captat ambiguitatem in voce & *ego* & *ago.*

4 Alter dixerat est, à verbo sum, hic dicit *esse* pro edere.

5 Opem fers.

6 Peccatorum, vel criminum.

7 Supp. monachus.

quidam apud nos non desinebat è [1]suggesto [2]deblaterare in Novum Testamentum [3]Erasmi: conveni hominem privatim, lævam injeci capillis, dextra [4]pugilem egi, [5]fugillavi illum magnifice, totamque faciem [6]tuber reddidi. Quid ais? non est hoc favere Evangelio? Deinde absolvi illum à commissis, hoc ipso codice ter in verticem impacto, feciique tria tubera, [7]In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. CA. Satis quidem Evangelice. Istuc nimirum est Evangelium Evangelio defendere. PO. Occurrit alter ejusdem sodalitii, qui nullum neque modum, neque finem faciebat [8]debacchandi in Erasmum. Accensus Evangelico zelo, minis hominem adegi, ut utroque genu flexo rogaret veniam, fatereturque, se, quæ dixerat, instigante diabolo dixisse: ni feciisset, jam [9]halbardacha erat in cervicem vibrata. Vultus erat qualis esse solet [10]Martis irati. Hoc gestum est coram aliquot testibus. CA. Miror hominem non fuisse protinus exanimatum. Sed ut pergamus. Vivis caste? PO. Id fortasse fiet, ubi senuero. Sed vis tibi verum fatear, Canni? CA. Non sum sacerdos: si confiteri libet, alium quære. PO. Deo soleo confiteri; sed tibi fateor me nondum esse perfectum Evangelicum, sed unum è po-

1 *Suggestus*, ûs, quartæ, & *suggestum*, i. secundæ declin. excelsior sedes unde sermo fit.

2 *Deblaterare* est obloqui, & inaniter declamare in aliquem.

3 Ab Erasmo versum è Græco in Latinum. Nisi forte designat Paraphrasin in N. Testamentum, de qua varia doctorum judicia.

4 Pugnavi instar pugilis.

5 Aliquem *fugillare*, hoc est ita verberare, ut cutis liveat ex nimio ictu.

6 *Tuber* pro tumore. *Reddidi tuber* i. e. *feci tuberosum, ita ut tota facies esset unum tuber.* Sic Terent. in Adelph. Act. 2. Sc. 2. *Colaphis tuber est totum caput.*

7 Satis equidem proterve, & ferociter hic Erasmus Polyphemum loquentem facit.

8 *Debacchari* proprie est ex ebrietate furere. Inde pro vehementer in aliquem declamare.

9 Vocem barbaram paulo ante notatam respice.

10 *Mars* olim Deus belli, vel pueris notus.

è populo. Habemus quatuor Evangelia, nos [1] Evangelici quatuor res potissimum venamur: ut ventri bene sit; ne quid desit iis, quæ sub ventre sunt; tum ut sit unde vivamus; postremo ut liceat, quod lubet, agere. Hæc si suppetant, inter pocula clamamus, [2] Io triumphe, [3] Io Pæan: vivit Evangelicum, regnat Christus. CA. Ista quidem [4] Epicurea vita est, non Evangelica. PO. Haud [5] inficior. Sed scis Christum omnipotentem esse; potest repente vertere nos in alios homines. CA. Potest & in sues, quod quidem proclivius arbitror, quam in bonos viros. PO. Utinam non essent pejores in mundo suibus, bubus, asinis, & camelis? Multos videas leonibus truculentiores, lupis rapaciores, [6] passeribus salaciores, canibus mordaciores, viperis nocentiores. CA. At jam tempus est, ut ex animante bruto in hominem incipias verti. PO. Recte mones. Nam horum temporum prophetæ dicunt, instare supremum mundi diem. CA. Tanto magis properandum. PO. Exspecto Christi manum. CA. Vide ut tu manui [7] ceream præbeas mate-

1 Ridet Lutheranos, qui se Evangelicos vocari volunt.

2 De triumphis Romanorum annotatum est in *Conviv. Relig.* pag. 150. In hisce imperatorum triumphis milites, qui pompam comitabantur, acclamare solebant IO TRIUMPHE. Ejusmodi faustas acclamationes, cum cæteris triumphi ritibus eleganter describitas, lege in Ovid. Trist. lib. 4. Eleg. 2.

3 IO PÆAN fuit quoque solennis acclamatio, qua milites imperatores ab hostium cladibus reversos prosequi solebant. Hinc Ovid lib. 2. de art. amand. docens de amica triumphandum esse inquit. *Dicite IO Pæan, & IO bis dicite Pæan.* Est autem παιὰν proprie Hymnus in Appollinem, vel Dianam: dein quilibet Hymnus *Pæan* dictus est.

4 *Epicurea vita*, pro luxuriosa, quia Epicurus, male à vulgo intellectus, summum bonum in voluptate consistere docuit. Respice confabulationem de captandis Sacerdotiis. De Epicuro vide sis ultimum Colloq.

5 Nego.

6 Passerum salacitas in proverbium abiit. Has aviculas Veneri dicatas voluerunt antiqui *Salax* est, qui libidine prurit, & cujus membrum (non dicerem, lector, nisi Grammatici jubererent) facile salit.

7 *Ceream* dicit pro flexibili. Ita apud Horatium lib. de Art. Poët. imberbis juvenis dicitur, *Cereus in vitium flecti, monitoribus asper.*

1 Opi-

materiam. Sed unde colligunt, in propinquo esse mundi finem? PO. Quoniam, inquiunt, idem nunc faciunt homines quod faciebant imminente diluvio: epulantur, potant, comessantur, ducunt, nubunt, scortantur, emunt, vendunt, fœnerant, & fœnerantur, ædificant: reges belligerantur, sacerdotes studeant augendis [1] censibus, Theologi nectunt [2] syllogismos, monachi per orbem cursitant, populus tumultuatur, Erasmus scribit colloquia: denique nihil malorum abest, fames, sitis, latrocinia, bellum, pestilentia, seditio, rerum bonarum inopia. An non hæc arguunt, adesse finem rerum humanarum? CA. Ex hoc malorum acervo quod tibi est molestissimum? PO. [3] Divina. CA. Quod crumenam tuam obsident [4] araneæ. PO. [5] Dispeream, nisi [6] rem acu tetigisti. Nunc venio recens à compotatione: alias sobrius tecum disputabo, si voles, de Evangelio. CA. Quando te videbo sobrium? PO. Cum fuero. CA. Quando eris? PO. Cum videris. Interim, mi Canni, sis felix. CA. Tibi vicissim opto ut sis [7] quod diceris. PO. Ne me vincas officio, precor ne [8] Cannium unquam destituat unde cognomen sortitus est.

[1] Opibus, & annuis reditibus.

[2] A verbo συλλογίζομαι, *colligo*, derivatur συλλογισμὸς, i. e. *collectio*, quæ fit ratiocinatione: vel oratio, in qua positis duabus propositionibus, more logico dispositis, tertium aliquid, scilicet conclusio, colligitur, veluti rei summa.

[3] Conjice.

[4] Araneæ crumenas obsidere dicuntur, in quibus nihil est nummorum. Nam araneis obsidentur quæ inania & sola sunt. Sic festive Catullus inquit de sua crumena, Carm. 13. ad Fabullum.

--- *Nam tui Catulli*
Plenus sacculus est aranearum.

[5] *Male, peream*, jurandi formula, cujusmodi est *emoriar*, & plura alia.

[6] *Rem acu tangere*, i. e. rem divinare, & conjectura assequi. Translatio sumpta est à lusu quopiam, in quo, quod divinandum erat, quis acu notabat, quasi minutissimum punctum: sæpius supra.

[7] Nam πολύφημος, quod componi potest à πολὺς *multus*, & φημὶ *dico* significat *celebrem*, de quo multa dicuntur.

[8] Polyphemus Cannio ludenti in voce *Polyphemi*, par pari refert, & optat ut Cannio nunquam desint pocula & canthari. Nam Germanis & Belgis Cantharus dicitur *eene Kanne*.

[1] Ἄπρος-

[1] ΑΠΡΟΣΔΙΟΝΤΣΑ,

sive absurda.

ANNIUS, LEUCIUS.

AN. AUdio te interfuisse nuptiis Pancratii & Albinæ. LE. Nunquam antehac infelicius navigavi, quam hoc tempore. AN. Quid ais? tantam fuisse hominum frequentiam? LE. Nec unquam mihi vilior fuit vita, quam id temporis. AN. Vide quid faciant opes. Ad meas nuptias pauci convenirent, idque tenues. LE. Vix fueramus ingressi [2] pelagus, ortus est ingens turbo. AN. Narras deorum cœtum. Totne aderant viri principes, tot matronæ nobiles? LE. Boreas dissecuit velum, dissectumque dissipavit. AN. Desponsam novi. Nihil fingi potest venustius. LE. Mox fluctus revulsit clavum. AN. Idem videtur omnibus. Nec sponsus admodum illi cedit, ut ajunt, formæ gratia. LE. Quid animi censes nobis illic fuisse? AN. Sane rarum nunc est virgines nubere. LE. Remigandum nobis erat. AN. Dotem vix credibilem narras. LE. Ecce mox aliud malum. AN. Cur puellam impuberem commiserunt tam feroci? LE. Apparuit [3] piratarum navis. AN. Profecto sic est; in multis nequitia supplet ætatem. LE. Ibi nobis geminum fuit bellum, alterum cum mari, alterum cum prædonibus. AN.

1 Ἀπροσδιόνυσα, sive absurda, dicuntur quæ nihil ad rem præsentem attinent. Vox originem traxit ab adagio: Οὐδὲν πρὸς διόνυσον, hoc est, *nihil ad Bacchum*. Ajunt enim quondam poëtas solitos argumenta fabularum de Baccho actitare: deinde vero ad tragœdias aliasque fabulas scribendas cum animum applicarent, prætermissa Bacchi mentione, spectatores acclamasse, *Nihil ad Bacchum*. Alii aliam proverbii occasionem quæruntur. Vide Erasmi Chiliad.

2 Πέλαγος, mare.

3 Prædonum.

1 *Festuca*

AN. Hui tantum donariorum? Interim pauperibus nemo dat [1] festucam. LE. Quid? cederemus? Imo desperatio vitæ addebat animos. AN. Vereor ne sint steriles nuptiæ, si vera prædicas. LE. Imo injecimus [2] harpagones. AN. O rem novam; ante nuptias gravida? LE. Si spectasses [3] eum conflictum, fatereris me non esse fœminam. AN. Ut audio, conjugium hoc non solum [4] ratum est, sed etiam consummatum. LE. Insiluimus in navim piraticam. AN. At demiror te vocatum alienum, me præterito, qui tertio propinquitatis gradu sponsæ patrem contingo. LE. Ipsos in mare [5] præcipites dedimus. AN. Vera prædicas; infelicium [6] nulli sunt affines. LE. Quidquid erat prædæ, inter nos partiti sumus. AN. [7] Expostulabo cum puella primo quoque tempore. LE. Mox exorta est subita tranquillitas: dixisses esse [8] Alcedonia. AN. Si illi res est, mihi est animus. Nihil miror illius benevolentiam. LE. Ita pro una duas naves in portum deduximus. AN. Indignetur qui alit. LE. Quo eam, rogas? in templum, veli partem dicaturus divo [9] Nicolao. AN. Hodie non est liberum mihi, nam ipse domi convivas exspecto; alias non excusabo.

[1] ΙΠΠΕΥΣ

1 *Festuca* pro re levissima, & minimi pretii.

2 *Harpago* hoc loco significat perticam adunco ferro præmunitam, qua navis tenetur.

3 Illud certamen.

4 Firmum.

5 Præcipitavimus è navi.

6 Juxta illud Ovidii Trist. lib. 1 Eleg. 8. *Donec eris felix multos numerabis amicos: Tempora si fuerint nubila solus eris.*

7 *Expostulare*, est querelam apud eum ipsum deponere, de eo ipso, qui fecit injuriam; unde expostulatio est adversus eum quem incusamus; Terent. And. Act. 4. Sc. 1. *Cum eo injuriam hanc expostulem?*

8 Ajunt Halcyones vel Alcedones esse genus quoddam avium, in ipso mari nidificantium. Hinc *Alcedonia* pro temporibus placidis ac tranquillis. Plaut. in prol. Casinæ. *Tranquillum est Alcedonia sunt circum forum.*

9 Nam hic Nicolaus, Sanctorum ordini adscriptus, res maritimas curat, cum collega suo Christophoro isto gigante, quem vide in *Naufr.* Prodigiosa quoque mendacia de hujus Nicolai munificentia fingunt Papicolæ.

[1] ΙΠΠΕΥΣ ΑΝΙΠΠΟΣ,

sive ementita nobilitas.

[2] HARPALUS, NESTORIUS.

HA. POtes me tuo levare consilio? Senties me hominem non immemorem, nec ingratum. NE. Dabo [3] expeditum, ut sis, quod esse velis. HA. At nobis in manu non est, ut nascamur nobiles. NE. Si non es, enitere benefactis, ut à te initium capiat [4] nobilitas. HA. Perlongum est. NE. [5] Exigua summa tibi vendet Cæsar. HA. Vulgo ridetur emtitia nobilitas. NE. Cum nihil sit magis ridiculum quam ementita nobilitas, quid est ut tantopere affectes nomen equitis? HA. Sunt causæ, nec leves; quas tibi non gravabor indicare, si mihi commonstraris rationes, quibus nobilitatis opinionem mihi parem apud vulgus. NE. Nomen absque re? HA. Atqui cum res abest, proximum est opinio. Sed age, consule, Nestori; ubi causas audieris, fateberis [6] operæ pretium. NE. Quando ita vis, dicam. Primum fac procul te abducas à patria. HA. Memini. NE. Ingere te in convictum juvenum vere nobilium. HA. Intelligo. NE. Hinc primum orietur suspicio, te talem esse, cum qua-

1 Ἱππεὺς ἄνιππος, i. e. *Eques sine equo.* Ita inscribitur hoc Colloq. quia in eo graphice depingit Autor nebulones istos, qui ementita nobilitate superbi Thrasonicam vitam agunt, nusquam non jactantes genus & proavos, & insignia sua ostentantes, cum interim sint obscuro loco nati, & nequissimi latrones, digni quibus corvi pascantur.

2 Forte alterum Harpalum appellat, quasi *rapacem*, ab ἁρπάζω *rapio*: alterum *Nestorium*, tanquam senem prudentem, multoque rerum usu exercitatum, qualis fuit disertus ille Nestor, quem tria secula vixisse referunt poëtæ.

3 Consilium promptum.

4 De nobilitate respice quæ annotavimus in *Ichthyoph.* pag. 569.

5 Paucis nummis.

6 Eo labore dignum esse.

1 Vesti-

qualibus victitas. HA. Sic est. NE. Vide ne quid habeas plebejum. HA. Quidnam? NE. De [1] cultu loquor. Ne vestis sit lanea, sed aut serica, aut, si deest qui emas, [2] fustanea, denique vel canabea potius, quam pannea. HA. Recte. NE. Vide ne quid sit integrum, sed disseca pileum, thoracem, caligas, calceos, ungues, si potes: neve quidquam humile loquaris. Si quis Hispania veniat hospes, roga quomodo conveniat [3] Cæsari cum Pontifice, quid agat affinis tuus [4] Comes à [5] Nassauen, quid cæteri congerrones tui? HA. Fiet. NE. Sit annulus in digito cum gemma signatoria. HA. [6] Si quidem loculi ferant. NE. At parvo constat annulus æreus inauratus, cum gemma facticia. Sed adde clypeum cum insignibus. HA. Quænam mihi suades deligam? NE. Duo mulctra, si velis, & cantharum cerevisiarium. HA. Ludis: age dic serio. NE. Nunquam fuisti in bello? HA. Ne vidi quidem. NE. At interim, opinor, decollasti anseres & capos rusticorum. HA. Persæpe, & quidem fortiter. NE. Pone [7] machæram argenteam, tria anserum capita aurea. HA. In [8] quo solo? NE. Quo? nisi

1 Vestitu.

2 Pro *Gossipio*, barbare dicitur *fustanum* vel *fustagium*. Hinc *fustaneus*.

3 Nam eo tempore, quo Erasmus hæc scripsit, gravissima fuerunt dissidia inter Carolum V. & Pontificem Clementem VII. Florentinum, quem annotavimus supra in *Ichthyoph.* pag. 520.

4 *Comes*, idem quod assecla, factum est hisce posterioribus seculis dignitatis nomen. Nam *Comites* dicti, eo quod Cæsares comitabantur.

5 Præcipui in aula Cæsaris Caroli V. fuerunt Comites à Nassauen, eique inter intimos amicos. Præ cæteris præclarissimus est magnus ille Guilielmus Arausionensis Princeps, qui funesto bello, quod Hispani cum Belgis gesserunt sub Philippo Caroli filio, peracto, fœderatam Belgicam in libertatem vindicavit. Sunt qui *Nassau* dictum putant quasi *Nasgau*, à *nas* vel *nat*, madidum, & *Gau*, lata via, quæ aquas dirimit, atque ita quasi à locis humidis vel palustribus campis.

6 Si nummos habeam in crumena, unde mihi possim comparare. De *loculo* paulo post dicturi sumus.

7 Μάχαιρα, ensis, gladius, vel culter.

8 *In quo solo*, i. e. in qua planicie? *quo?* pro cujus coloris.

nisi sanguinolento? monumentum fortiter effusi cruoris. HA. Quid ni? rubet sanguis anserinus æque atque humanus. Sed perge, obsecro. NE. Hunc igitur clypeum pro foribus omnium diversoriorum, in quibus forte versatus es, affigendum curato. HA. Quid addetur galeæ? NE. Recto submones. Eam facies ore [1] dissecto. HA. Quam ob rem? NE. Ut spires, deinde ut congruat vestitui. In vertice quid eminebit? HA. Exspecto. NE. Caput canis demissis auribus. HA. Vulgatum est. NE. Adde duo cornua: rarum hoc est. HA. Placet. Sed quæ bestiæ sustinebunt clypeum? NE. Cervos, canes, dracones, [2] gryphes occuparunt principes? tu ponito duas [3] harpyias. HA. Optime [4] consulis. NE. Restat cognomen. Heic illud in primis cavendum, ne plebejo more te patiaris vocari Harpalum Comensem, sed Harpalum [5] à Como: hoc enim nobilium est, illud sordidorum Theologorum. HA. Sic memini. NE. Habesne quidquam cujus te posses appellare dominum? HA. Ne [6] haram quidem. NE. In urbe celebri natus es? HA. In [7] obscuro pago: non enim fas est ei mentiri unde petis medicinam. NE. Recte est. Sed ei pago nullus est vicinus mons? HA. Est. NE. Et habet alicunde rupem? HA. Habet præruptam. NE. Ergo sis Harpalus eques ab aurea

1 Hiante, vel aperto.

2 *Gryps*, vel Gryphus. Ajunt vulgo esse genus avis rapacis, rostro adunco.

3 *Harpyias*, ab ἁρπάζω, *rapio*, finxit antiquitas monstra alata, vultu virgineo, quæ Virgilius lib. 3. Æneid. tria enumerat. *Aello*, *Ocypete*, & *Celæno*. Revise annotata in *Apotheos. Capn.* in principio.

4 Consilium mihi das.

5 More Italorum nobilium, qui magis superbum putant, si ab urbe, pago, vel prædio quodam cognomen suum derivarunt additis præpositionibus, a, ab, de, &c. Interim jocus est Autoris in *Como*. Est enim *Comum* Galliæ Cisalpinæ civitas, quæ imperante Julio Cæsare, *Novum Comum* cœpit appellari, unde incolæ *Novocomenses*, & cognomen *A como*, potest deduci à *Como* lasciviæ, & comessationum Deo. Respice πολυδαιτίαν, in limine.

6 Porcorum stabulum, al. *suile*.

7 Non celebri, ignobili.

8 Consilium. Metaph. ab ægrotis.

1 Pecu-

aurea rupe. HA. Atqui mos est magnatum, ut suum quisque [1] symbolum habeat vocale: quemadmodum [2] Maximilianus habebat, Tene mensuram: [3] Philippus, Qui volet: [4] Carolus, Ulterius: item alius aliud. NE. Tu ascribito, [5] Omnis jacta sit alea. HA. Næ tu percommode dicis. NE. Jam quo firmior sit hominum opinio, fingito litteras à magnatibus ad te missas, in quibus identidem appelleris Eques clarissimus; magnarumque rerum fiat mentio, de [6] feudis, de arcibus, de multis florenorum millibus, de præfecturis, de matrimonio opulento. Curabis, ut hujusmodi litteræ tibi velut elapsæ, aut per oblivionem relictæ veniant ad aliorum manus. HA. Istud quidem erit mihi commodum: nam & litteras novi, & hanc facultatem multo usu paravi, ut cujusvis manum facile effingam. NE. Interdum insue vesti, aut relinque in crumena, ut quibus farciendi negotium dederis, illic reperiant. Illi non silebunt; & tu, simul ac resciveris, compones vultum ad iracundiam ac mœstitiam, quasi doleat casus. HA. Et istuc jam pridem meditatus sum, ut faciem tam facile mutem, quam [7] personam. NE. Ita fiet, ut nec [8] fucus suboleat, & res cum fide spargatur.

HA.

1 Peculiare quoddam dictum, quo insignia sua solent ornare. Vox symbolum quam late pateat, videsis supra in *Inquisit. de fide*, in principio.

2 *Maximilianus* Austriæ dux, postea rex, & tandem Cæsar Romanus Philippi Pater, & Caroli V. avus.

3 *Philippus*, Maximiliani Cæsaris filius ex Maria Caroli Bellicosi filia, jure matrimonii, quod contraxerat cum Joanna Ferdinandi Castiliæ regis filia, Rex Hispaniarum, & XXIX. Hollandiæ Comes, Caroli V. pater.

4 *Carolus V.* Philippi Hispaniarum regis filius, Maximiliani nepos, omnium paternorum dominiorum hæres, & innumeris triumphis multis terribilis, insuper Cæs. Romanus fuit. Respice notas in *Epith. Pet. Ægid.*

5 Jacere aleam, i. e. *facere periculum*. Fusius annotata respice in Colloq. *Proc. & puel.* fere in medio.

6 *Feudum* vox barbara. Revise notas in Colloq. γάμ. ἄγαμ. pag. 636.

7 Larvam, faciem appositiam.

8 *Fucus* est color factitius. Hinc, uti hoc loco, pro fraude. Est & insectum instar apis, non mellificans.

HA. Curabitur sedulo. NE. Deinde sodales aliquot adsciscendi sunt, aut etiam famuli, qui tibi cedant loco, & apud omnes te [1] Joncherum appellent. Nec est, quod heic sumtum metuas, sunt plurimi juvenes, qui vel gratis cupiant hanc agere fabulam. Adde huc, quod hæc regio scatet juvenibus [2] eruditulis, qui mira tenentur scribendi libidine, ne dicam scabie. Nec desunt famelici quidam typographi, nihil non audentes, si [3] spes quæstus affulserit. Ex his aliquot suborna, qui in libellis suis te prædicent patriæ [4] procerem, idque subinde repetatur litteris majusculis. Hac via vel in [5] Bohemia celebrabunt procerem patriæ. Et citius enim & latius discurrunt libelli, quam voces, aut quamlibet loquaces famuli. HA. Nec ista displicet ratio. At famuli sunt alendi. NE. Sunt: at non ales famulos [6] ἀχείρους, & ob id ἀχρείους. Mittantur huc & illuc, [7] invenient aliquid. Scis, varias esse talium rerum occasiones. HA. Desine, teneo rem. NE. Supersunt artes. HA. Aveo scire. NE. Ni sis bonus aleator, probus [8] chartarius, scortator improbus, potator strenuus, profusor audax, [9] decoctor & [10] conflator æris alieni,

1 Magnatum filii vulgo à Germanis & Belgis vocantur *Jonkers*, q. d. *Jong* juvenis, & *Heer*, Dominus.

2 Qui eruditionis famam captant, sed tantum quodammodo eruditi sunt.

3 Ita Persius in prologo. *Quod si dolosi spes refulserit nummi.*

4 *Proceres* plur. num. (ratius, & forte apud unum Juvenalem invenia *procerem*) proprie sunt extantia capitabrum. Hinc Metaphorice qui civitatis principes sunt, appellantur proceres, quod ita in civitate eminent, ut illa in ædificis.

5 Bohemia regio, Germaniæ portio ultra Danubium.

6 Ἀχείρους sine manibus, ἀχρείους, inutiles.

7 *Quod furentur*, scil. Nam sic paulo post inquit; *Reperient aliquid in diversoriis, aut in ædibus, aut in navibus incustoditum, tenes?*

8 *Chartarius* hoc sensu vox barbara est. Nam Chartaria officina dicitur, in qua charta venditur. Hic intelligit eum, qui chartis lusoriis ludendi peritus est.

9 *Decoctor*, prodigus, & *decoquere* pro nequiter prodigere. Revise *Alcumist.*

10 *Æs alienum conflare* dicitur, qui multa debita contraxit.

alieni, deinde [1] scabie ornatus Gallica, vix quisquam te credet equitem. HA. In istis quidem jam pridem exercitatus sum. Sed unde sumtus? NE. [2] Mane istuc ibam. Est tibi patrimonium? HA. Perpusillum. NE. Postquam apud multos confirmata fuerit nobilitatis opinio, facile reperies fatuos qui tibi [3] credant; quosdam etiam pudebit negare, quidam metuent. Jam ut [4] ludas creditores, mille sunt artes. HA. Earum quidem rudis non sum. Sed tandem urgebunt, ubi perspexerint nihil esse nisi verba. NE. Imo nulla est commodior ad regnum via, quam debere quam plurimis. HA. Qui sic? NE. Primum creditor observat te non aliter quam obligatus magno beneficio, vereturque ne quam præbeat [5] ansam amittendæ pecuniæ. Servos nemo magis habet obnoxios, quam debitor suos creditores; quibus si quid aliquando reddas, gratius est, quam si dono dones. HA. Animadverti. NE. Illud tamen caveto, ne cum [6] tenuibus habeas commercium. Nam hi [7] ob parvulam summulam ingentes excitant [8] tragœdias. Placabiliores sunt, quibus lautior est fortuna; cohibet illos pudor, [9] lactat spes, deterret metus, norunt quid possint equites. Postremo, cum inundaverit æris alieni magnitudo, fictis cassis alio demigra, atque inde rursus alio. Nec est, quod hujus rei te pudeat. Nulli magis [10] obærati sunt, quam magni

1 Revise de hoc fœdissimo morbo notas in *Drverſor*, &, *γάμ. ἄγαμ.*

2 Tace, hoc volui dicere.

3 Nummos mutuo dent.

4 Fallas.

5 Occasionem.

6 Tenuis fortunæ hominibus.

7 Ob paucos nummos, quos illi debes.

8 Tumultus cum tristi exitu, qualis semper in tragœdiis.

9 Producit. *Lactare* significat, juxta Donatum, in aliquam voluptatem inducere: unde oblectare exprimit frustrationem, nisi forte metaphora à matribus. Terent. And. Act. 4. Sc. 1. *Nisi me lactasses amantem.*

10 *Obærati*, i. e. ære alieno oppressi, debitis onerati.

magni principes. Si quis rusticus urgeat, finge offensum improbitate animum. Interdum tamen aliquid reddito, verum nec totum, nec omnibus. Illud ubique curandum, ne cui [1] suboleat tibi prorsus [2] exhaustos loculos. Semper ostenta. HA. Quid ostentet, qui non habet? NE. Si quid amicus apud te [3] deposuit, ostenta pro tuo; sed [4] artem dissimula, cura ut casus videatur. In hunc usum interdum sumito pecuniam commodato, quam mox reddas. Ex loculo nummis æreis distento profer [5] aureos duos ibi sepositos. Cætera ex te ipso conjicito. HA. Intelligo. At tandem obruar oportet ære alieno. NE. Scis quantum apud nos liceat equitibus. HA. Nihil non, & quidem impune. NE. Ergo famulos ale non segnes, aut etiam sanguine propinquos, qui alioqui forent alendi. Occurret negotiator quem obvium spolient. Reperient aliquid in diversoriis, aut in ædibus, aut in navibus incustoditum. Tenes? Meminerint non frustra datos homini digitos. HA. Siquidem tuto. NE. Cura ut habeas pulchre vestitos, cum insignibus. Committe litteras ficticias ad [6] summates. Si quid clam [7] sustulerint, nullus audebit illos insimulare: etiamsi quid suspicentur, timebunt equidem dominum: sin vi prædam extorserint, bellum vocabitur. His [8] progymnasmatibus ad bellum præluditur. HA. O felix consilium! NE. Jam illud equestre [9] dogma semper erit

1 Suspectum sit. Plaut. in Casina. *Subolet hoc jam uxori*, & Terent. in Phormione, *Numquid patri subolet?*

2 *Loculus* varias obtinet significationes, hoc loco sumitur pro crumena vel marsupio.

3 Fidei tuæ mandavit, unde depositum, quod vide notatum in Colloq. *Pseud. & Philet.*

4 Dissimula te hoc de industria facere.

5 *Aureus*, nummus ex auro cusus, valens 100 sestertios.

6 *Summates*, iidem qui optimates, hoc est, qui in civitate summi, seu principes sunt.

7 Abstulerint.

8 Προγύμνασμα, quasi rudimentum, quod præexercitationem vocant, ἀπὸ πρὸ, & γυμνάζω exerceo.

9 Δόγμα, præceptum.

1 Eadem

erit tuendum, Jus fasque esse equiti plebejum viatorem exonerare pecunia. Quid enim indignius, quam ignobilem negotiatorem abundare nummis, cum interim eques non habeat, quod impendat scortis & aleæ? Fac semper te adjungas magnatibus, vel ingeras potius: ne quid pudeat, [1] perfricanda frons est, sed præsertim [2] hospitibus: eoque præstat in celebri quopiam loco vitam agere, puta in [3] thermis, frequentibus diversoriis. HA. Istud ipsum erat in animo. NE. Heic sæpenumero fortuna prædam objicit. HA. Qui? rogo. NE. Puta, hic aut ille reliquit crumenam, aut oblitus reliquit clavim in sera [4] promptuarii. Cætera tenes. HA. At. NE. Quid metuis? de sic culto, de tam magnifice loquente, de equite ab aurea rupe, quis audebit suspicari? Et si quis forte tam improbus exstiterit, quis erit tam audax, ut te appellet? Interim suspicio derivabitur in aliquem [5] hospitum, qui pridie discesserint. Turbabuntur famulitia cum [6] pandocheo. Tu tranquillus tuam personam [7] agito. Hoc si acciderit homini modesto, cordatoque, silebit, ne simul cum damno lucrifaciat pudorem, qui rem suam indiligenter servaverit. HA. Non absurde dicis; nam nosti, opinor, Comitem à vulture albo. NE. Quid ni? HA. Apud hunc diversatus est, ut accepi, Hispanus quidam, specie cultuque sane quam liberali. Is abstulit florenos sexcentos: nec unquam Comes ausus est queri. Tanta erat hominis majestas. NE. Habes exemplum. E famulis tuis

1 Eadem verba, atque in ea, quæ notavimus, revise in Colloq. *Francisc.* in principio.

2 An cauponibus, qui alios hospitio excipiunt, an peregrinis? utrumque sibi constat.

3 Balneis calidis, ἀπὸ τῆς θέρμης, à calore.

4 Vel cellæ promptuariæ, unde promuntur cibi.

5 Advenarum.

6 Caupone; originem vocis revise in *Diversoriis*.

7 Respice *Ichthyoph.* pag. 524.

tuis interdum aliquem emandes, in bellum scilicet. Is spoliatis templis aut monasteriis quibuslibet, redibit onustus præda bello parta. HA. Hoc quidem est tutissimum. NE. Est & alia ratio [1] conflandæ pecuniæ. HA. Narra, obsecro. NE. In bene nummatos finge causas irarum, præsertim in monachos aut sacerdotes, qui nunc apud omnes fere summa laborant invidia. Alius irriserit aut conspuerit clypeum tuum, alius parum honorifice de te sit locutus, alius scripserit aliquid, quod in calumniam detorqueri valeat. His per [2] feciales tuos [3] ἄσπονδον πόλεμον denuntia. Sparge minas atroces, excidia, exitia [4] πανωλεθρίας meras: territi venient ad [5] componendam litem. Ibi fac magno æstimes tuam dignitatem, hoc est, iniquum petas, ut æquum feras. Si postules tria millia, pudebit minus offerre, quam ducentos aureos. HA. Aliis minitabor leges. NE. Istud propius quidem accedit ad [6] sycophanticam; sed tamen juvat & hoc in partem. Sed heus, Harpale, pene [7] exciderat, quod dictum in primis oportuit; puella quæpiam bene dotata in matrimonii [8] nassam illaqueanda est. Habes apud te [9] philtrum, juvenis es, candidulus es, lepidus nugator es, rides [10] blandum. [11] Sparge, te magnis promissis ascitum

1 Comparandæ Metaph. à metallis, quæ liquefacta conflantur.

2 Legatos. *Fecialis* enim à faciendo dictus Legatus Romanus, penes quem belli pacisque faciendæ jus erat. Hic res repetebat, fœdus feriebat, pacem suadebat, eaque non impetrata bellum indicebat. Eorum antiquissimus *Pater patratus* dicebatur, à jurejurando patrando, qui augustiore veste indutus cæremonias peragebat. Ritum plenissime describit Livius lib. 1. c. 24.

3 Ἄσπονδον πόλεμον, i. e. *bellum irreconciliabile.*

4 Πανωλεθρίας, i. e. stragem, seu omnium rerum destructiones.

5 Finiendam. Sic Virgil. Eclog. 3. *Non nostrum inter vos tantas componere lites.*

6 Artem Sycophantarum. Qui dicantur Sycophantæ notatum respice *Ichthyoph.* pag. 560.

7 Scil menti, vel animo, hoc est, oblitus eram.

8 *Nassa*, rete ex viminibus contextum. Translata locutio à piscatoribus.

9 Φίλτρον, venenum, seu poculum amatorium.

10 Blande.

11 Divulga, sparge rumorem.

scitum in aulam Cæsaris. Amant puellæ [1] Satrapis nubere. HA. Novi quibus hoc bene [2] cesserit. Cæterum quid si [3] fucus tandem erumpat, & insiliant undique creditores? Irridebor [4] personatus eques. Nam id apud istos turpius est, quam si templum sacrilegio spolies. NE. Heic oportet meminisse [5] perfrictæ frontis. Illud in primis, quod nullis unquam temporibus magis licuit audacia pro sapientia uti, quam hodie. Comminiscendum est aliquid quod excuses. Deinde nunquam deerunt [6] candidi, qui faveant tuæ fabulæ, nonnulli civiliores dissimulabunt intellectum fucum. Postremo, si nihil aliud, profugiendum est aliquo in bellum, in tumultum. Quemadmodum [7] κλύζει θάλασσα πάντα τῶν ἀνθρώπων κακά: ita bellum operit omnium scelerum [8] sentinam. Nec enim habetur hodie bonus belli dux, nisi tali tyrocinio præparatus accesserit. Hoc erit extremum [9] asylum, si cuncta fefellerint. Verum omnis [10] movendus erit tibi lapis, ne huc veniatur. Vide ne te securitas opprimat; oppidula minuta fuge, in quibus ne pedere quidem licet, ni populus sciat: in magnis ac frequentibus civitatibus plus est licentiæ, nisi si qua sit [11] Massiliæ similis. Dissimulanter [12] expiscare, quid quisque de te

1 *Satrapa* vel *satrapes*, vox Persica sonat Provinciæ præfectum.

2 Evenerit.

3 Fraus, dolus.

4 Alludit ad fabularum actores. *Persona*, larva est, & Histriones personati in scenam prodibant.

5 Vide paulo supra, *perfricanda frons est*.

6 *Candidus* pro puro, & sincero. Hoc loco *candidi*, pro *vere fidi*.

7 I. e. eluit mare omnia hominum mala.

8 Locus est *sentina*, quo colluvies aquarum & navis sordes confluunt. Metaphorice ergo sentina pro quavis colluvie.

9 Refugium. *Asylum* locus sacer est, quo perfugi tutus receptus, unde nefas erat aliquem diripere.

10 *Omnem movere lapidem*, proverbio dicitur pro omnia experiri, & nihil intentatum relinquere: sumtum ab iis, qui sub saxis venantur.

11 *Massilia*, urbs Narbonensis Galliæ vetustissima, adeo disciplinarum studiis floruit, ut *Massiliensium mores* pro severissimis & optimis, in proverbium abierint.

12 Inquire.

te loquatur. Ubi ſenſeris hujusmodi voces increbreſcere. Quid agit? cur heic tot annos moratur? cur non reviſit patriam? cur negligit arces ſuas? unde ducit [1] imagines? unde tantæ profuſioni [2] facultates? Hoc genus, inquam, voces, ubi cœperint magis ac magis gliſcere, tum mature tibi de migrando cogitandum eſt: ſed ſit fuga [3] leonina, non leporina. Adſimula te vocari in aulam Cæſaris ad res magnas, brevi te adfuturum cum exercitu. Non audebunt in abſentem hiſcere quibus eſt quod nolint amittere. Sed in primis tibi cenſeo cavendum genus iſtud hominum poëticum, [4] irritabile, nigrumque. [5] Illinunt chartis, ſi quid illos habet male: ſubitoque per orbem ſpargitur quicquid illeverint. HA. [6] Diſpeream, ni mihi vehementer placet tuum conſilium. Efficiam, ut intelligas te nactum docile ingenium, & juvenem minime ingratum. Equum quem primum te dignum nactus in paſcuis fuero, tibi dono mittam. NE. Nunc ſupereſt, ut quod pollicitus es, viciſſim præſtes. Quid eſt, cur tantopere affectes falſam opinionem nobilitatis? HA. Nullam aliam ob cauſſam, niſi quod his omnia licent impune. An hoc tibi leve videtur momentum? NE. [7] Ut peſſime [8] cedat, mors una debetur naturæ,

1 Majorum ſcil. quibus nobilitatem generis ſui probat. Horat. Epod. 8. *Eſto beata: funus atque imagines Ducant triumphales tuum.*

2 Opes.

3 *Fuga ſit Leonina*, hoc eſt, fuge impavidus, ſicuti leones ſolent, & perge recta via, non uti lepores, qui, dum canes fugiunt, ſæpius reſpiciendo pereunt.

4 Poëtas Satyricos recte irritabiles & nigros quis vocet. Ideoque de quodam ejusmodi Horat. Sat. 4. lib. 1. inquit *Ecœnum habet in cornu: longe fuge. Nigri* dicuntur homines malæ notæ: unde *atro carbone notati* appellantur. Et Horat. *Hic niger eſt: hunc tu Romane caveto*, ibid.

5 *Illinere* pro inſcribere, ſumptum à liquidis. Horat. Sat. 4. lib. 1. *Et quodcunque ſemel chartis illeverit.*

6 Male peream, emoriar, jurandi vox.

7 Quamvis.

8 Eveniat.

ræ, etiamsi vixisses in [1] Carthusia. Et levius moriuntur in [2] rota, quam qui moriuntur calculo, [3] podagra aut [4] paralysi. Nam militare est credere, nihil hominis superesse post mortem, præter cadaver. HA. Sic opinor.

1 *Carthusia* locus inculcus in Gallia Celtica, ubi Bruno ille Colonienſis institutor ordinis Carthusiani monasterium erexit. Revise fusius annotata in *Conviv. relig.* pag. 171. & *Milit. & Carth.* in principio.

2 Latrones & sicarii in Gallia rotæ imponuntur, in qua, contusis omnibus membris, miserrime moriuntur.

3 Notatam respice hanc vocem in *Ichthyoph.* pag. 505.

4 *Paralysis* à παραλύω, dissolvo, dissolutionem nervorum sonat.

[1] Ἀστραγαλισμός,

sive talorum lusus.

Carolus, Quirinus.

QU. Disce, inquit [2] Cato, sed à doctis. Cupio itaque, mi [3] Utenhovi, te magistro discere, quam ob rem prisci illi religionis [4] antistites edixerint, ut [5] clerici talaribus tunicis uterentur, hoc est, usque ad talos demissis. CA. Duabus, opinor,

1 Ἀστράγαλος, idem quod σπόνδυλος, *vertebra.* Item *Talus* dicuntur ἀστράγαλοι. Hinc astragalismus talorum ludus, qui quaternis fiebat talis. Suetonius in Octavio. *Animi laxandi causa, modo piscabatur hamo, modo talis, aut ocellatu, nucibusque ludebat cum pueris minutis.*

2 Sub cujus nomine prodierunt disticha moralia. Est hoc lib. 4. distich. 23. *Disce sed à doctis: indoctos ipse doceto: Propaganda etenim rerum est doctrina bonarum.*

3 Carolus Utenhovius Gandavensis, dominus Methegemii, vir multæ doctrinæ, inter præcipuos amicos ab Erasmo cultus est.

4 *Antistes*, quem & præsulem vocant, ita dictus, quod cæteris antestat, hoc est præstat. Intelligit hoc loco priscos in ecclesia Christiana doctores.

5 Primi illi ecclesiæ Christianæ antistites, quos vulgo *Patres* vocamus, populum distinxerunt in *Clericos* (ἀπὸ κλήρου *sors*) quasi sorte electos ad sacrum ministerium, & *Laicos*, (ἀπὸ λαὸς *populus*) quosvis è plebe. Sed parum utilitatis, hercle, istud discrimen orbi Christiano attulit, utpote ex quo Ecclesiasticorum, quos vocant, mera tyrannis originem traxit.

pinor, de cauſſis. Primum verecundiæ gratia, ne quid nudi pateret oculis. Nam olim nec hoc caligarum genus fuit repertum, quod nunc ab ilibus uſque ad imos pedes corpus tegit, neque ſubligaribus aut femoralibus vulgo utebantur. Eadem de cauſſa turpe eſt fœminis brevioribus uti veſtimentis, quo magis conſultum ſit ſexus pudori. Deinde ut non ſolum moribus, verum etiam [1] habitu differrent à populo, in quo ut quisque eſt [2] profaniſſimus, ita breviſſimis tunicis uti gaudet. QU. Non diſſimile veri eſt quod narras. Cæterum ex Ariſtotele, Plinioque didici, nulli hominum eſſe talos, ſed tantum quadrupedibus, non tamen omnibus, ſed [3] biſulcis plerisque, nec rurſus his niſi in tibiis poſterioribus. Unde igitur veſtis dici talaris poteſt, quam geſtat homo, niſi fuerunt homines olim quadrupedes, juxta fabulam [4] Ariſtophanis? CA. Imo, ſi credimus [5] Oedipo, & quadrupedes, & bipedes inveniuntur homines; nec raro nobis è bello redeunt unipedes, interdum [6] apodes: ſed quod ad tali vocabulum attinet, rectius mireris, ſi legas Horatium, qui fabulis quoque talos attribuit. Sic enim, opinor, ſcribit in Arte poëtica:

[1] *Securus,*

1 Veſtitu.

2 Profanus, qui non eſt ſacer, vel à religione remotus, ſive ſacris non imbutus. Hinc pro ſcelerato, item pro imperito &c.

3 Quæ ungulas habent ſciſſas.

4 Qui Græcorum comicorum feſtiviſſimus eſt.

5 Fabulantur Poëtæ fuiſſe olim apud Thebas monſtrum quoddam ſcopulo inſidens, *Sphinx* dictum, ἀπὸ τοῦ σφίγγειν, hoc eſt, à conſtringendo, quod prætereuntibus indiſſolubilia proponebat ænigmata: quotquot vero diſſolvere non poterant, eos mox interficiebat. Oedipo propoſitum fuit ænigma, *Quod animal mane quadrupes, meridie bipes, veſperi tripes eſſet.* Is nodum diſſolvit, dicens eſſe hominem, qui infans manibus & pedibus vetius repit, quam incedit, vir factus absque adminiculo pedibus ſuis incedit, ſenex vero ægre procedens ſcipione utitur, atque adeo tripes eſt. Hinc ille Davus apud Terent. in Andria, *Davus ſum non Oedipus.*

6 Absque pedibus.

1 Verſus

[1] *Securus, cadat, an recto ſtet fabula talo.*

QU. Poëtis licet, ut libet, loqui: apud quos [2] Tmolus habet aures, & [3] naves loquuntur, & [4] ſaltant quercus. CA. Quin & Ariſtoteles tuus hoc te docere poterat, eſſe talos dimidiatos, quos ille vocat ἡμιαστραγάλους, quales tradit eſſe [5] lyncum generi. Addit, leonibus ineſſe quiddam vice tali, ſed anfractuoſum, quod ille vocat λαβυρινθώδες, Plinius vertit [6] tortuoſum. Denique ubicunque committuntur oſſa oſſibus ad flexus commoditatem, cava prominentibus inter ſe reſpondent, utrinque lubrica [7] cartilagine communitis, ac velut incruſtatis partibus, ne mutuo attritu ſeſe lædant, ut idem docet Ariſtoteles. In his fere eſt aliquid quod à tali ſimilitudine pariter & uſu non diſcrepat; velut in ima tibia juxta calcaneum, ubi totius pedis flexus eſt, prominet quiddam talo ſimile, quod Græci σφυρὸν appellant. Rurſus in flexura genu, quod, ni fallor, ἰσχίον appellant, quidam [8] vertebrum. Simile quiddam videmus in coxendicibus, in humeris; poſtremo in commiſſuris digitorum, pedis, ac manus. Quod ne tibi mirum videatur, Græci tradunt ἀστραγάλους vocabulum apud probatos auctores tributum

1 Verſus ille non habetur in Horatii libello de Arte Poëta, ut falſo opinatur Eraſmus. Extat is in Epiſtola ad Auguſtum, cujus exordium eſt, *Cum tot ſuſtineas, &c.* lib. Epiſt. 2. *Recto talo ſtare* hoc loco ſignificat *bene agi, cum applauſu ſpectatorum.* Metaphora ſumta ab iis, qui firmis talis nituntur.

2 *Tmolus* Lydiæ mons. Hunc Ovidius lib. XI. Metamorph. conſediſſe refert, ad audiendum cantum Panis certantis cum Apolline. *Judice ſub Tmolo certamen venit ad impar. Monte ſuo ſenior judex conſedit*, &c. Sed per Tmolum indicat Naſo Deum montis.

3 Argo navem vocalem fuiſſe autores ſunt poëtæ, qui Argonauticam ſcripſerunt.

4 Orpheus & Amphion ſaxa & arbores cithara moviſſe dicuntur.

5 *Lynx*, animal ex luporum genere, ut volunt, maculoſum, acutiſſimo viſu, unde *Lynceus*. Reviſe *Conviv. Relig.*

6 A torquendo, quod multis flexibus tortum eſt

7 Cartilago medium quoddam inter carnem & os, qualis eſt auris.

8 Vertebras.

tum etiam ossibus, quibus spina connectitur præsertim in cervice. Citant etiam hoc carmen:

[1] Ἐκ δέ μοι αὐχὴν ἀχραγάλων ἐάγη.

Quoniam autem Aristoteles tradit, priores tibias animanti datas ad celeritatem, & ob id carere talis; posteriores ad stabilitatem, quod in eam partem vergat pondus corporis, quemadmodum ad robur iis, quæ calcibus feriunt: Flaccus dum significare vult, fabulam non ejectam, sed ad finem usque peractam, dicit illam stetisse fixo talo: nec aliter tribuit fabulæ talum, quam nos libro tribuimus [2] calcem, & volumini [3] umbilicum. QU. Næ tu probe [4] Grammaticum agis. CA. At quo magis id credas, Græci litteratores ἀχράγαλον dici volunt à [5] χρέφω, & α particula privativa, quod minime flectatur, sed immobilis sit. Quanquam alii malunt ἀχράγαλον, interjecta litera ρ dictum pro [6] ἀχάγαλον, quod lubrica volubilitate stare nesciat. QU. Ad istum modum licet plura divinare. Simplicius erat dicere, Nescio. CA. Non usque adeo videbitur absurda [7] divinatio, si cogites quantam habeat caliginem vocum primitiva origo: tum in re nullam esse contrarietatem: quod apparebit, si propius inspicias. Volubilis est talus, sed ita volubilis, ut eam partem cui innectitur, reddat ad standum firmiorem: deinde os ossi connectit, ne facile [8] luxari queat. QU. Tu vel [9] sophistam agere possis, quantum video,

1 I. e. *Cervix mihi fracta est ex talis.*

2 Sic dicimus *in calce libri*, pro *in fine.*

3 *Umbilicus* est ornamentum libri. Cæteroquin *umbilicus* est omne, quod in re quapiam medium est.

4 Probas te litterarum peritum esse.

5 Στρέφω, verto.

6 Ἀ γάω. ἵστημι, sto.

7 Conjectura.

8 Intorquendo de loco suo moveri.

9 Vanæ sapientiæ fallax ostentator dicitur *Sophista.* In multis superioribus Colloquiis hæc vox plenius notata est.

video, si libeat. CA. Sed nihil est, [1] Talesi, quod nos torqueat [2] etymologia vocis. Nam quod hodie Græci vocant ἀστράγαλον, prisci, quorum est [3] Callimachus, dixerunt, ἄστριον, cujus hoc refertur [4] hemistichium; [5] Δέκα δ' ἄστρια αἶνυτο λύτρον, unde quemadmodum ἀστραγαλίζειν, ita & ἀστρίζειν dicebant talis ludere. QU. Quale est igitur illud quod proprie talum vocant? CA. Est id quo nunc ludunt puellæ: olim puerorum erat lusus, quemadmodum [6] nuces. De quo est illud illud Græcorum, [7] Ἀμφ' ἀστραγάλοισι χολωθεὶς, cum iram levi de caussa susceptam indicant. Rursus Horatius in Odis: [8] *Nec regna vini sortiere talis.* Item in Sermonibus: [9] *Te talos, Aule, nucesque*, &c. Postremo dictum illud Lacedæmonii, ni fallor, Pueros esse fallendos talis, viros jurejurando. Hunc talum negant in ullo animante inveniri, quod sit μώνυχον, hoc est, ungula solida, excepto asino Indico unicorno: aut quod sit πολυχηδὲς, hoc est, pede in multos digitos ungulasve fisso; quod genus sunt leo, [10] panthera, canis, simius, homo & avis, aliaque permulta. Quæ

1 Per jocum Carolus Quirinum de talis differentem *Talesium* vocat.

2 Ἐτυμολογία est λόγος ἐτύμων, hoc est, *ratio originum*, scil. vocum.

3 Callimachus Cyrenæus, Poëta Græcus, cujus Hymni & Epigrammata extant.

4 Ἡμιστίχιον, versus dimidiatus.

5 Non ita sese habet illud Callimachi fragmentum, Δέκα δ' ἄστρια αἶνυτο λύτρον, ut Erasmus scribit. Verba sunt - - Δέκα δ' ἄστρια ἄσυτο λάβρον, hoc est, *Decem vero parvos talos cæpit clam*, nam ἄστρια, ὑποκοριστικὸς posuit, & quod notandum est, λάβρον pro λάθρα.

6 Nucibus ludere olim puerorum fuit; unde phrases, *Nunquam à nucibus recedere, Redire ad nuces, Nuces abjicere Nuces intermittere, Nucibus indulgere, Nuces repetere*, &c. Martial. in Apophoretis *Alea parva nuces, & non dammosa videtur: Sæpe tamen pueris abstulit illa nates.* Nam ultra Saturnalia pueris ludere nucibus nefas erat.

7 Hoc est, *Ob talos iratus.*

8 Versus est in Oda 4. lib. 1. ad Sextium *Regna vini talis sortiri*, i. e. *Inter bibendum, magistrum seu regem bibendi facere, jactu talorum*, qui veterum mos fuit in compotationibus.

9 *Postquam te talos, Aule, nucesque Ferre sinit laxo, donare & ludere vidit:* verba sunt Oppidii morientis ad pueros. Horatius Sat. 3. lib. 2.

10 *Panthera* animal quadrupes, dictum quasi πᾶν totum, & θὴρ vel θηρίον *fera*, sive *Pardalis.*

Quæ vero δίχηλα sunt, hoc est, ungula bisulca, pleraque talum habent, idque, ut recte dicebas, in posterioribus cruribus. Uni homini duplici de caussa tali non sunt; primum quia bipes, deinde quia quinis digitis fissos habet pedes. QU. Ista frequenter audivi. Cæterum pervelim mihi situm ac formam tali describi. Nam istud lusus genus etiam puellis hodie fastiditum est; sed aleam, chartas, aliosque masculos lusus affectant. CA. Non mirum: cum affectent & Theologiam. Verum etiamsi mathematicus sim, aut pictor aut etiam [1] plastes, non possim tibi melius tali formam exhibere, quam ipso talo: nisi mavis, ut tibi describam per litteras, ut illi solent. QU. Habesne talum? CA. En tibi ovillum è dextro crure. Vides quatuor duntaxat latera, cum in [2] cubo, & alea, seu tessera sint sex; in ambitu quatuor, in summo & imo duo. QU. Sic est. CA. In talo, quoniam summa pars & ima curvatur, non sunt nisi quatuor latera: quorum unum vides velut in dorsum intumescere. QU. Video. CA. Quod est è regione, cavum habere. Illud Aristoteles vocat πρανὲς id est, pronum; hoc ὕπτιον, id est, supinum. Velut in congressu uxoris & mariti, cum dant operam liberis, mulier supina est, vir pronus; & manus si vola spectet terram, prona est, si invertas, supina. Quamquam oratores & poëtæ nonnunquam his verbis abutuntur, quod ad hanc rem nihil attinet. QU. Istuc quidem eleganter oculis subjecisti. Inter reliqua duo latera quid est [3] discriminis? CA. Alterum modice cavatum est, ut ossi, cui innectitur, congruat: alterum propemodum nihil habet concavi, minusque arma-

1 Πλάστης formator, à πλάσσω fingo, formo, qui simulacra effingit.
2 Κύβος figura est, ex omni latere quadrata.
3 Differentiæ.

1 *Suffrago*

armatum est cartilaginea tunica, sed tantum nervo & pelle tegitur. QU. Video. CA. Pronum latus nihil habet nervorum, sed supinæ partis concavo adhæret nervus, quemadmodum dextri lateris summo, lævi imo. QU. Pulchre narras; sed unde dignoscam dextrum à siniſtro? CA. Recte admones. Nam perperam docui, nisi dextri cruris talum intelligas. Dicam igitur melius, simulque, quod volebas, situm indicabo. Talus est in ipsa[1] suffragine cruris infra coxam. QU. Complures arbitrantur juxta pedem esse. CA. Errant. Is qui proprie dicitur talus, est in suffraginibus, quas Græci[2] κάμπας vocant, sed crurum, ut dixi, posteriorum. Inter pedem tuum & genu tibia est. QU. Sic opinor. CA. Post genu κάμπη. QU. Assentior. CA. Nam qui flexus est homini in brachiis, idem est quadrupedibus in cruribus posterioribus; simiam excipio semihominem. Itaque quod genu est in cruribus, id cubitus est in brachiis. QU. Animadverto. CA. Itaque flexus flexui respondet. QU. Illud dicis, crurum posteriorum & priorum. CA. Tenes. In ea igitur suffragine, quæ respondet suffragini, quæ est post genu, stat talus erectus, cum stat quadrupes, cujus summa & ima pars leniter incurvatur, quanquam non prorsus eodem modo. Nam superior replicatur in cornua quædam, quas Aristoteles appellat κεραίας, [3] Theodorus vertit antennas, juxta quas se submittit pronum latus: ima tale nihil habet. QU. Plane video. CA. Illud ergo latus quod spectat tibias priores, Aristoteles vocat supinum: quod illi adversum est, pronum.

1 *Suffrago* in posterioribus quadrupedum pedibus dicitur, quod in prioribus genu. Gr. ὀπισθία. Suffragines appellantur, quod subtus franguntur, id est, flectuntur, non supra, sicut in brachiis.

2 Κάμπη inflexio, flexus.

3 Theodorus Gaza Thessalonicensis, vir utriusque linguæ peritissimus, multa egregie ex Latino in Græcum, rursus ex Græco in Latinum conversa reliquit.

num. Rursum sunt duo latera, quorum alterum intus spectat tibiam posteriorem, puta lævam aut dextram, alterum spectat foras. Quod introrsum spectat, Aristoteles appellat κῶλον, quod foras, ἰσχίον. QU. Prorsus oculis rem video. Jam superest ut nobis indices, quæ fuerit olim talis ludendi ratio. Nam qui lusus nostra memoria dicitur in usu fuisse, nihil convenit cum iis, quæ comperimus apud priscos auctores de hoc ludendi genere. CA. Ac sane fieri potest, ut quemadmodum hodie chartis ac [1] tesseris ad varias ludendi formas abutimur, ita non fuerit eadem apud veteres talis lusitandi ratio. QU. Probabile est quod dicis. CA. Theodorus Gaza, sive, ut alii malunt appellare, Thessalonicensis, vertens Aristotelis librum de Historia animalium secundum, ait, tali latus, quod foras transversum spectat, Canem vocari, quod introrsum ad alterum crus, Venerem. Cæterum hoc quidem de suo addidit. Nam Aristoteles hæc tantum ponit: [2] Τὸ μὲν πρανὲς ἔξω, τὸ δ' ὕπτιον εἴσω, καὶ τὰ μὲν κῶλα ἐντὸς ἐγραμμένα πρὸς ἄλληλα, τὰ δ' ἰσχία καλούμενα ἔξω, καὶ τὰς κεραίας ἄνω. Cæterum quando constat ab aliis, Veneris jactum appellari, quoties ex quatuor talis nullus est qui summam faciem habet cum alio congruentem, demiror quid sequutus Theodorus, unum latus appellet Venerem. Erasmus noster, quem communem habemus amicum, hujusmodi observationum non admodum curiosus, in proverbiis aliquot ex autoritate veterum indicat quædam de ludo talorum, velut in proverbio,

[1] Non

1 Tesserarius lusus ab Astragalismo *jaciunt*. Et Macrobius lib. 2. *Tessera* divetsus est. Vitruvius lib. 5. *Cubus est corpus ex sex lateribus æquali latitudine planitierum quadratum. Is cum est jactus, intactus, immotam habet stationem: uti sunt etiam tessera, quas in alveo ludentes* Græco nomine κύβος appellatur.

2 l. c. *Pronum quidem foras, introsus tus vertuntur: quæ vero foras, ischia. Denique superiores partes à cornibus ceræas* appellari.

1 Chius

[1]Non Chius, sed Cous: refert, Coum & [2]Senionem eundem esse quem Græci ἑξίτην dicunt. Idem tradit in proverbio: [3]Chius ad Coum, (addens Chium eundem esse cum Cane) Coi jactum fuisse felicem, Canis infelicem, teste Persio:

[4]*Quid dexter senio ferret,*
Scire erat in votis, damnosa canicula quantum
[5]*Raderet*

Itidem Propertius:

[6]*Semper damnosi subsiluere canes.*

Et Ovidius libro de Tristibus secundo damnosos Canes appellat. Addit ex Martiale, Senionem videri per se felicem: cæterum infelicem fieri, si accedat Canis. Sic enim loquitur:

[7]*Senio nec nostrum cum Cane quassat ebur.*

Jam Veneris jactum esse ut rarum, ita felicissimum, indicat Martialis in [8]Apophoretis:

[1]*Cum*

1 Chius & Cous jactus fuere talorum (fuerunt autem Chios & Coos insulæ maris Ægei) Cous jactus felix, continens sex; *Chius* vero infelix, habens unum tantum. Unde & *infelix Canis* dictus.

2 Recte, nam Cous habebat sex.

3 *Chius ad Coum*, est unio contra senionem.

4 Versus extant in Persii Sat. 3.

5 *Senio* erat summus talorum jactus. Felix.

6 I. e. *mihi detraheret.*

7 Versus Propertii est pentameter lib. 4. Eleg. 9. cujus initium est, *Cum fieret nostro toties injuria lecto.*

8 Pentametrum Martial. lib. 13. Epig. 1. cujus initium, *Ne toga* &c.

[1] *Cum ſteterit vultu nullus tibi talus eodem,*
Munera me dices magna dediſſe tibi.

Tot autem talis ludebatur, quot quisque habet latera. Nam teſſeris non plus tribus ludi ſolet. Sed propius ad ludendi rationem facit, quod ſcribit [2] Suetonius in Octavio Auguſto, recitans ex illius quadam ad Tiberium epiſtola hæc: Inter cœnam luſimus [3] γεροντικῶς & heri & hodie. Talis enim jactatis ut quisque canem aut ſenionem miſerat, in ſingulos talos ſingulos denarios in medium conferebat, quos tollebat univerſos qui Venerem jecerat. QU. Docuiſti, feliciſſimum eſſe jactum cum omnes tali quatuor oſtenderint diverſum latus, quemadmodum in teſſerarum ludo fortunatiſſimus eſt,

1 Martialis libro Epigr. 14. inditum nomen *Apophoreta*. Sunt autem *apophoreta* munera, quæ dantur convivis in fine conviviorum auferenda, à verbo ἀποφέρω, aufero. Totus ille Martialis Epigrammatum liber conſtat meris diſtichis, ut ipſe primo Epigrammate ad lectorem profitetur. *Verſibus explicitum eſt omne duobus opus.*

2 Eſt illud Epigr. 14. lib. 14. Diſtichon hoc ſatis explicat Calcagninus de talis. *Sex ſunt*, inquit *tali latera, etſi quatuor tantum in uſu ludentium ſint: nam duo ſunt ita incurva, ut illis talus vix poſſit conſiſtere. Has κερμάτας videtur Ariſtoteles appellaſſe, id eſt antennas. Proinde ſcitum eſt, in talo binarium & quinarium, qui duo numeri ſunt in teſſeris oppoſiti, deſiderari. Ex reliquis quatuor talis partibus una ſupina altera prona dicitur: quæ duæ ternaris & quaternarii vices obeunt. Unitas autem & ſenio duabus reliquis partibus tribuuntur: Senionem vero Coum, unitatem Chium appellabant.* Et paulo infra. *Sed omnes caſus talorum ex conſuetudine ludentium annumerati erant quinque & triginta, quorum quidam à Diis, alii ab Heroibus, à claris hominibus, aut à meretriculis nomen accipiebant: nonnulli vero ab eventibus, qui cum laude aut probro acciderant, denominabantur. Senio autem à Venere nuncupatim ſeparatur apud Suetonium in epiſtola Auguſti ad Tiberium.* Luſimus, mi Tiberi, γεροντικῶς, heri & hodie. *Talis jactatis, ut quisque canem aut ſenionem miſerat, in ſingulos talos ſingulos denarios conferebat, quos tollebat univerſos, qui Venerem jecerat.* Et porro. *Sed quoties tali ita excidebant, ut diverſa eſſet omnibus facies, qui jactus inter eos, quos quinque & triginta Euſtathius dixit, ultimus numerabatur: tum felix ille caſus, qui Veneris nomine cenſebatur, affulgebat, tum nempe unus talus canem, alter ternarium, tertius quaternarium, quartus ſenionem oſtenderet.*

3 Γεροντικῶς, i.e. ſeniliter. Hunc Suetonii locum in ſuperioribus notis explicatum vide.

1 Hic

est, qui dicitur [1] Midas; at nondum declarasti hunc jactum dici Venerem. CA. Illud expediet tibi Lucianus, ita loquens in [2] Cupidinibus: Καὶ βαλὼν μὲν ἐπὶ σκοπῦ, μάλιστα ἤ ἔποτε τὴν θεὸν αὐτὴν ἐυβολήσειε, μηδενὸς ἀστραγάλε πεσόντος ἴσῳ χρήματι προσεκύνει, τῆς ἐπιθυμίας τεύξεσθαι νομίζων. Loquitur autem illic de Venere. QU. Si falsus est Theodorus, duo tantum latera suis vocabulis designantur. CA. Fortassis alicujus auctoritatem ille secutus est, quæ nos fugit: quod apud autores compertum est, afferimus in medium. Nam sunt qui meminerunt de numero [3] Stesichorio in talis, quem putant ogdoadem esse: item de [4] Euripideo, qui continebat quadraginta. QU. Restat ut lusus leges præscribas. CA. Non arbitror, pueros iisdem usos legibus, quibus se usum fuisse scribit Octavius. Nec probabile est, hoc ludendi genus quod commemorat, fuisse publicum. Id si fuisset, satis erat dixisse, inter cœnam lusimus talis. Sed mihi subindicare videtur novam ludendi conditionem inter illos repertam, velut aptam senibus, minimeque torquentem animos solicita cogitatione, quemadmodum faciunt hodie complures lusus, ut levius sit intendere studiis. QU. Profer, obsecro te, reliquos talos, ut experiamur. CA. Sed deest nobis [5] turricula volvendis talis, deinde tabula.

QU.

1 Hic jactus in tesseris, à nonnullis idem est, qui *senio* in talis.

2 Dialogus est Luciani, cui nomen inditum ΕΡΩΤΕΣ, sive amores. Verba Græca ita sonant Latine. *Et jaciens quidem ad scopum, maxime si quando deam ipsam (Venerem scil.) feliciter jactasset, nulla talo æquali figura cum alio aliquo cadente, adorabat, sperans se quod expetebat, consecuturum.*

3 Numerus Stesichorius, est, ut ipse Autor exponit, ὀγδοὰς, i. e. *octonarius.* A sepulcro Stesichori Poëtæ Græci, ut volunt, quod ab omni parte fuit octonarium.

4 Quadragenarium numerum in talis voluit inducere Euripides, eo tempore quo exactis triginta tyrannis, quadraginta principes Athenienſium tempublicam regerent, unde numerus iste Euripideus dictus.

5 Turricula, quæ & pyrgus dicitur, vasculum est, in quod tali aut tesseræ conjectæ agitabantur, priusquam in tabulam

QU. Suffecerit hæc mensa ad qualecunque specimen exhibendum. Pro turricula suffecerit cyathus aut pileum. CA. Imo complexus cavarum manuum. Jactus sæpius ostendit supinam partem, quam pronam, & pronam sæpius, quam senionem, aut canem. QU. Videtur. CA. Si inter quatuor talos extiterit unus canis, expones nummum; si duo, duos; si tres, tres; si quatuor, quatuor. Item quoties jeceris senionem, toties recipies unum è nummis. QU. Quid si senionem cum cane? CA. Si vis, uterque nummum addet, neuter tollet; cui primum obtigerit Venus, is auferet acervum. QU. Quid si talus ostendat partem supinam aut pronam? CA. Is jactus erit irritus, & aut tu jactum repetes, aut jaciendi jus ad me devolvetur. QU. Placet devolutio. CA. Nunc appone[1] sortem. QU. Experiamur absque periculo. CA. Vis tu tantam artem discere gratis? QU. Verum impar certamen est inter artificem & rudem. CA. Aqui spes lucri, & damni metus, reddet te attentiorem. QU. Quanti certabimus? CA. Si vis cito diteſcere, centum[2] ducatis. QU. Utinam sint quos deponam! Tutius est paulatim diteſcere. En tibi [3] solidum assem. CA. Age, addemus pusillum pusillo, quemadmodum monet [4] Hesiodus; sic quoque fiet ingens acervus. Convolve, ac mitte. Felix [5] auspicium, canem

bulam seu alveolum lusorium mitterentur. Inventa est nempe ad vitandas in ludo talorum fraudes veteratorum. Unde Martialis Epigr. 16. lib. in Turriculam. *Quærit compositos manus improba mittere talos: Si per me misit, nil nisi vota facit.*

1 Nummos.

2 Rectius aureis.

3 Jocatur procul dubio in voce solidum; nam *solidum æs*, libram] significat. Hoc loco intelligere videtur nummum æreum.

4 Verba Hesiodi antiqui Poëtæ Græci lib. 1. ἔργων, hæc sunt: *Εἰ γάρ κεν ἢ σμικρὸν ἐπὶ σμικρῷ καταθείο, Καὶ θαμὰ τοῦτ' ἔρδοις, τάχα κεν μέγα ἢ τὸ γένοιτο.* Hoc est: *Nam si vel parvum parvo superaddere pergas, Et crebro id facias, ingens existet acervus.*

5 Initium: revise notas pag. 6.

1 In

nem habes; appone nummum, & hosthac agnosce damnosum latus. Da talos. QU. Felicius auspicium, treis habes canes; appone. CA. Insidiatur tibi fortuna, mitte, sed [1] circumvolutos, ô bone. Labor irritus; pronum habes, & supinum. [2] Succedo; trade talos. QU. O factum bene! rursum treis video canes. CA. [3] Μὴ πρὸ τῆς νίκης ἐγκώμιον. Illectat, inquam, te fortuna. Sed heus tu, ad hunc quidem modum edoctus sum. At mea sententia [4] secus lusit Octavius. QU. Quomodo? CA. Qui canem jecerat, apponebat denarium, ut diximus; qui senionem, nihil quidem auferebat, sed alter ponebat. QU. Quid si plures seniones exissent? CA. Totidem nummos alter addebat. Bene cumulatum acervum semel tollebat Venus. Et illud addas licebit: cui nec senio obtigerit, nec canis, nihil aliud quam mittendi vicem perdet. QU. Non recuso. CA. Mihi videtur & hoc elegantius, si tertio quisque jactu defungatur qui talos tenet, mox alteri tradat vices. QU. Placet: sed quota Venus finiet ludum? CA. Tertia, si videtur. Deinceps liberum erit de integro paciscí. Siquidem tum raro, tum paucis favet Venus. Nunc aggrediamur [5] bonis avibus. QU. Fiat; sed præstat occludere fores, ne nostræ [6] culinæ regina videat nos puerorum more ineptientes. CA. Imo seniliter potius. Adeone loquacem habes famulam? QU. Tam [7] futilem, ut si desint homines quibus narret quidquid domi geritur, longo sermone gallinis narret ac felibus. CA. Heus puer, claude

1 In manu satis versatos, ne quid fraudis fiat.

2 Sunt meæ jaciendi vices.

3 Μὴ πρὸ τῆς νίκης ἐγκώμιον, i. e. *ne ante victoriam encomium*, supple *canas*. Monet dictum, ne præpropere gloriemur, re nondum confecta.

4 Aliter.

5 Id est, feliciter. Revise notas pag. 6.

6 Ancilla quæ culinæ præest.

7 Garrulam, quæ tacenda continere non potest. Revise notas in verbum *effutio*. Colloq. *Adolesc. & scorti*, pag. 283.

claude ostium, & [1] obde pessulum, ne quis subitus interveniat spectator, quo liceat ad satietatem usque ludere.

1. Græcorum πάσσαλος, Latinum *pessulus*, quo obducto fores intus claudebantur. Salmas. in illud Eunuchi Act. 3. Sc. 5. *Pessulum ostio obdo.*

[1] SENATULUS,

sive

ΓΥΝΑΙΚΟΣΥΝΕΔΡΙΟΝ.

CORNELIA, MARGARETA, PEROTTA, JULIA, CATHARINA.

CO. [2] QUod felix faustumque sit huic ordini, totique Reipublicæ fœmineæ, & frequentes hodie conveniistis & alacres; unde spem optimam concipio, futurum, ut Deus propitius cuique ea suggerat in animum, quæ ad communem omnium & dignitatem, & utilitatem pertinent. Scitis, opinor, omnes, quantum hinc commodis nostris [3] decesserit, quod, cum viri quotidianis conventibus suum agant negotium, nos colo telæque assidentes causam nostram deserimus. Itaque res huc devenit, ut nec inter nos sit ulla Reipublicæ disciplina, & viri nos pene pro delectamentis habeant, vixque hominis vocabulo dignentur. Quod si, qua cœpimus, pergamus; [4] divinate vos ipsæ, quo tandem res sit

1. Γυναικοσυνέδριον mulierculatum consilium *Senatulum* vocat Autor, quasi parvum Senatum, (sic alibi dixit *observatiunculas*, & *constitutiunculas*) sive γυναικοσυνέδριον, q. d συνέδριον τῶν γυναικῶν, i. e. consessus mulierum. Sed *Senaculum* dici, non vero *Senatulum*, mox annotabimus, quæ vide infra.

2. Respice annotata in hanc loquendi formulam in principio *Conv. fabulos.*

3. Imminutum, detractum sit.

4. Conjicite.

sit evasura: vereor enim verba [1] siniſtri ominis eloqui. Ut dignitatem noſtram negligamus, certe incolumitas debet esse curæ. At [2] sapientissimus ille rex scriptum reliquit, *Ibi demum esse salutem, ubi multa consilia.* Habent episcopi suas [3] synodos, habent monachorum greges sua conciliabula, habent milites suas [4] stationes, habent fures sua conventicula: denique habet & formicarum genus suos congressus. Solæ omnium animantium mulieres nunquam [5] coimus. MA. Sæpius quam decet. CO. Nondum interloquendi tempus est, finite me perorare; dabitur singulis dicendi locus. Neque novum est quod facimus: vetus exemplum revocamus. Siquidem ante annos mille trecentos, ni fallor, [6] Heliogabalus Cæsar laudatissimus. PE. Qui laudatissimus, quem unco tractum in cloacam projectum esse constat? CO. Rursus interpellor. Si quem hac ratione probamus aut improbamus; malum dicemus Christum, quod in crucem suffixus sit: pium [7] Domitium,

1 Significantia futuram infelicitatem. *Omen*, quasi *Oremen*, est futuræ rei pronunciatio, hominis ori incidens, ut antiqui voluerunt, non sine Deorum instinctu. Generaliter autem est signum futuræ rei, vel bonæ vel malæ. Quemadmodum vero *dexter* pro felici sumitur, ita *Sinister* contrarium & infelix significat. Virg. *Simens non læva* Æneid. 2. nempe, cum de humanis loquimur. Cum enim de cœlestibus, lævum prosperum significat

2 Salomon, quem in *Conviv. Relig* Sapientem illum Hebræum appellat. Proverb. 12.

3 Σύνοδος, conventus.

4 Quid sit *statio* disce supra ex notis in finem Colloq. *Ichthyophagiæ.*

5 Convenimus. Margareta vero respondet per jocum quasi intellexisset *coire*, pro concumbere, vel rem habere cum marito.

6 Heliogabalus Antoninus, ab Idolo Syro Heliogabalo, cujus sacerdos fuit, nomen sortitus, quum prius *Varius* nominaretur, præcipue opera matris Symiamiræ Romanorum imperator factus, post una cum matre à militibus interfectus, & unco per vicos tractus & cloacas, tandem in Tiberim abjectus est. Monstrum impurum ac sceleratissimum, omnes quotquot ante se fuerunt Cæsares ineffabili impietate superavit. Stulte loquentem igitur facit Autor hanc fœminam, quæ istum bipedum nequissimum Cæsarem laudatissimum appellat.

7 Quem Domitium? Oratorem illum qui sub Nerone in cœna mortuus est ex cibi copia. Nugæ. Legendum arbitror *Domitianum* Cæsarem nempe, qui ab aliquot conjuratis in cubiculo occisus est, ut Suetonius refert.

mitium, quod domi ſit mortuus. Atqui nihil objicitur Heliogabalo atrocius, quam quod ſacrum ignem, qui à [1] Veſtalibus ſervabatur, in terram abjecerit: quodque domi in [2] larario Moſen habuerit & Chriſtum, quem illi contumeliæ cauſſa [3] Chreſtum vocabant. Is igitur Heliogabalus inſtituit, ut quemadmodum Imperator cum ſuis habebat ſenatum, in quo de rebus communibus conſultaret; ita haberet & mater illius [4] Auguſta ſenatum ſuum, in quo de fœmineæ gentis negotiis tractaretur; quem viri vel jocandi, vel diſcernendi gratia, [5] Senatulum vocabant. Hoc exemplum, tot jam ſæculis intermiſſum, res ipſa jam dudum monet nos inſtaurare. Nec ullam moveat, quod Paulus Apoſtolus vetat mulierem loqui in cœtu, quam ille vocat eccleſiam: de cœtu virorum loquitur, heic cœtus eſt muliebris. Alioqui ſi ſemper tacendum erat fœminis, in quem uſum natura dedit nobis & linguas

1 Virginibus Sacris Deæ Veſtæ devotis, & æternum ignem aſſervantibus. Vide ſupra Coll. *Proc. & Puellæ.* Sed innumerabilia ſunt hujus portentoſi ſceleris, quæ narrant ſcriptores, facinora. Legatur Æl. Lampridius in ejus vita, & Herodianus lib. 5.

2 *Lararium* eſt ſacrarium domeſticum, in quo Lares, & Dii peculiares adorabantur. Quod vero hic Eraſmus Heliogabalo tribuit, id Lampridius de Alexandro Severo, qui poſt Heliogabalum imperavit, refert, quamvis de Moſe ne verbum quidem, ſed de Apollonio, Chriſto, Abrahamo, & Orpheo.

3 Χριστὸς, unctus, perunctus: χρηστὸς, *utilis, commodus.*

4 Ab Auguſto cæteri imperatores Auguſti cognomen ſibi aſciverunt, & è domo imperatoria mulieres Auguſtæ appellatæ. Heliogabali mater *Sæmis,* juxta Græcos ſcriptores, *Symiamira* vero à Latinis dicitur.

5 Male legitur in Lampridio *Senatulum.* Scribendum enim eſt (ita monent viri clariſſimi Gruterus, Caſaubonus, & Salmaſius) *Senaculum:* nam à *Senatus* Senaculum derivatur, ut à *potus* poculum. Eſt autem *Senaculum* locus quo conveniebatur ad Senatum, veluti ad curiam. Lampridii verba hæc ſunt. *Ubi primum diem ſenatus habuit, matrem ſuam in ſenatum rogari juſſit. Quæ cum veniſſet vocata ad Conſulum ſubſellia, ſcribendo aſſuit, id eſt Senatusconſulti efficiendi teſtis: ſolusque omnium imperatorum fuit, ſub quo mulier clariſſima loco viri ſenatum ingreſſa eſt. Fecit & in colle Quirinali Senaculum NB. id eſt, mulierum ſenatum, in quo ante fuerat conventus matronalis, ſolemnibus duntaxat diebus, &c.* & paulo poſt. *Sed Semiamirica facta ſunt Senatusconſulta ridicula.*

1 Con-

linguas non minus expeditas quam sunt virorum, & vocem non minus sonoram? quamquam illi sonant raucius, ac propius referunt asinos, quam nos. Verum illud oportet nobis omnibus esse curæ, ut ea gravitate tractemus hoc negotium, ne rursus viri Senatulum appellent; aut fortasse probrosius aliquod nomen excogitent, ut solent in nos libenter esse dicaces. Quanquam si liceat illorum [1] comitia veris æstimare, plusquam muliebria videri possint. Videmus, [2] monarchas tot jam annis nihil aliud quam belligerari: inter theologos, sacerdotes, episcopos, & populum nihil convenire: [3] quot homines, tot sententiæ; & in his ipsis plusquam muliebris est inconstantia. Nec civitati cum civitate, nec vicino cum vicino concordia est. Si nobis essent traditæ [4] rerum habenæ, aliquanto, ni fallor, tolerabilius haberent res humanæ. Non est fortasse fœminei pudoris, tantis [5] proceribus tribuere stultitiam, at fas est, opinor, recitare quod scripsit Salomon Proverbiorum capite decimo tertio: *Inter superbos semper jurgia sunt: qui autem agunt omnia cum consilio, reguntur sapientia.* Sed ne vos longiore morer [6] proœmio, uti singula gerantur ordine, decenter & sine tumultu, primo loco tractandum erit, quæ debeant interesse concilio, quæ submovendæ sint. Nam immodica turba, tumultus est verius, quam concilium: & paucorum consessus habet quiddam tyrannicum. Huc ego censeo nullam recipiendam virginem, eo quod

1 Conventus populi ad magistratus creandos, leges ferendas, & de Reipublicæ negotiis disceptandum.

2 Voces Monarcha, Episcopus, &c. sæpius in superioribus Coll. annotatæ.

3 Desumtum ex Terentii Phorm. Act. 2. Sc. 4. *Quot homines, tot sententia, suus cuique mos.*

4 Metaph. ab equis regendis, pro administratione Reipublicæ. Et *res* pro imperio.

5 Principibus viris. Revise notas in ἱππ. ἀγιππ. pag 661.

6 Exordio. Revise *Conviv. fabul.* pag. 420.

1 Εὐνὰχοι,

quod incident permulta, quæ non decet illas audire. JU. At quo signo dignoscas virgines? An pro virginibus habebuntur, quæcunque coronam gestant? CO. Non. At nuptas tantum recipiendas censeo. JU. Et inter nuptas virgines sunt, quæ maritos habent [1] eunuchos. CO. Sed tribuatur hoc honoris conjugio, ut nuptæ pro mulieribus habeantur. JU. Alioqui si non excludimus nisi virgines, erit immensa turba, nec multum decrescet numero. CO. Excludentur & plus quam ter nuptæ. JU. Quam ob rem? CO. Quoniam illis velut emeritis debetur [2] missio. Idem censeo de septuagesimum annum egressis. Statuendum ne qua nominatim de viro suo loquatur petulantius: in genere fas sit; sed ea moderatione, ne quid nimis. CA. Qui minus hic libere de viris liceat dicere, cum ipsi de nobis nusquam non loquantur? Meus Titius si quando studet esse conviva festivior, narrat quid mecum noctu egerit, quid dixerim; neque raro multa solet affingere. CO. Si velmus fateri verum, nostra dignitas pendet à viris: eos si [3] traducimus, quid aliud quam nos ipsas dehonestamus? Quanquam autem habemus non paucas justæ querimoniæ caussas, tamen [4] expensa rerum omnium summa, nostra potior est, quam illorum conditio. Illi dum quærunt [5] rem, per omnes terras ac maria volitant, non sine capitis discrimine: illi, si bellum incidat, excitantur buccina, ferrei stant in acie, dum nos domi sedemus tutæ. Si quid committunt adversus leges, gravius in illos [6] animadvertitur, nostro sexui parcitur.

1 Εὐνοῦχοι, eunuchi, spadones.
2 Quæ dabatur militibus.
3 Id est, si malam famam de iis spargimus. *Traducere* pro reprehendere & taxare, respice in *Francisc. Traducerer apud populum.*
4 Bene considerata.
5 Opes quibus rem familiarem curant.
6 Animadvertere in aliquem, pro punire.

1 *Nothus,*

citur. Denique magna ex parte in nobis situm est, ut commodos habeamus maritos. Restat ut de consessus ordine statuatur, ne nobis eveniat, quod frequenter usu venit regum, principum ac pontificum oratoribus, qui in conciliis totos tres menses litigant, antequam possint considere. Itaque censeo primum esse debere nobilium ordinem; & in his præcedent quæ quatuor habent nobilitatis partes: proximæ, quæ tres: deinde quæ duas: postremæ, quæ unam: postremo, quæ dimidiatam. Et in singulis ordinibus locus ex antiquitate designabitur. [1] Nothæ in suo quoque ordine extremum tenebunt locum. Alter consessus erit plebejarum. In hoc primas tenebunt, quæ copiosirem sobolem enixæ sunt. Inter pares litem dirimet ætas. Tertius erit earum quæ nondum pepererunt. CA. Quo mittis viduas? CO. Commode mones. Istis locus dabitur in medio matrum, si modo liberos habent, habuerintve. Steriles extremum obtinebunt locum. JU. Quem locum designas sacerdotum ac monachorum uxoribus? CO. De his proximo consessu deliberabimus. JU. Quid de his, quæ corpore faciunt quæstum? CO. Non patiemur hunc senatum admixtu talium inquinari. JU. Quid de concubinis? CO. Istarum non simplex est genus; de quibus per otium tractabitur. Adjiciendum est, quomodo fieri debeat [2] Senatusconsultum, punctisne, an [3] calculis, an [4] suffragiis vocalibus,

1 *Nothus*, qui non ex uxore legitima, *spurius*, qui incerto patre natus est.

2 In Comitiis primum Romani per multos annos suffragium viva voce tulerunt, dein punctis in tabellis. Revise *Conviv. fabul.* & quæ illic in limine annotavimus.

3 Antiquos in sententiis, præcipue capitalibus ferendis, calculos albos & nigros usurpasse disce ex hisce Ovidii versibus, qui extant Metam. lib. 15. fab. 1. *Mos erat antiquis, niveis atrisque lapillis; His damnare reos, illis absolvere culpa*, &c. Hos lapillos in urnam conjiciebant. Unde dictum, *Errori album calculum adjicere.*

4 Qui primus Romanorum mos fuit, ut jam diximus.

1 Por-

bus, an [1] porrectis digitis, an [2] discessione. CA. In calculis dolus est, quemadmodum & in punctis: si pedibus eatur in sententiam, quoniam vestes longas gerimus, nimium movebimus pulveris: optimum igitur, uti voce pronuntiet unaquæque quod sentit. CO. At difficile est numerare voces. Deinde cavendum ne fiat pro concilio [3] convicium. CA. Nihil fiet absque [4] notariis, ne quid possit excidere. CO. Ita quidem consultum est numero. Sed quibus modis excludes convicium? CA. Ne qua loquatur nisi rogata, & suo ordine. Quæ [5] secus fecerit, è senatu movebitur. Tum si qua quid [6] effutierit eorum, quæ heic aguntur, silentio plectetur triduano. CO. Hactenus de ratione tractandi. Nunc accipite quibus de rebus consultandum sit. Primam oportet esse curam dignitatis: ea potissimum sita est [7] in cultu. Cujus rei tantus est neglectus, ut hodie vix agnoscas discrimen inter nobilem & plebejam, inter nuptam & vir-

1 Porrectis digitis sententiam ferre, est cum porrecta manu posteriores senatores priorum suffragia comprobant.

2 Etiam per discessionem suffragia ferebantur, nempe cum Senatores, qui in postremis scripti erant, sententias non rogabantur, sed in eas, quas priores dixerant, discedebant. Unde illud vulgare, *pedibus in sententiam ire.* Duobus itaque his modis Senatusconsulta fiebant, aut per discessionem, si consentiretur, aut, si res dubia esset, per singulorum sententias exquisitas. Singuli consulebantur gradatim, & initium sumebatur à Consulari gradu, ex quo gradu primum rogari solitus, qui princeps in Senatu lectus esset. Sed in Senatusconsulto per discessionem moris fuit, ut is Magistratus, qui de aliqua re ad Senatum retulerat, diceret: *Qui hoc censetis, illic transite: qui alia omnia, in hanc partem*; quibus verbis præibat, omnis causa, ne diceret, *Qui non censetis.* Videatur porro Rosinus.

3 Nam *convitium*, vel potius *convicium* (quod est maledictum) Jurisconsulti quasi *convocium* dictum volunt. Sed videatur omnino L. Vallæ disputatio de hac voce in Elegantiis suis lib. 6. cap. 52.

4 *Notarius*, qui quod ab aliis dicitur notando, seu scribendo assequitur. Etiam hujusmodi Notarii aderant Senatui. Seneca in Apocolocynthosi Claudiana. *Multa disserte dixit in Senatu Deorum, quæ notarius persequi non poterat.*

5 Aliter.

6 Garriendo divulgarit. Notas respice in Colloq. *Adol. & scorti.*

7 Vestitu.

1 Quæ

& virginem aut viduam, inter matronam & meretricem. Adeo sublatus est pudor, ut quidvis usurpent quælibet. Videre & plusquam plebejas ac loci plane sordidi, vestiri [1] holosericis, [2] undulatis, [3] florulentis, [4] virgatis, [5] byssinis, aureis, argenteis, pellibus [6] zebellinis, [7] Madauricis; cum interim maritus domi consuat calceos. Digitos habent smaragdis & adamantibus onustos: nam [8] uniones nunc vulgo fastidiuntur. Ne quid querar de [9] succinis & [10] coralliis, & crepidis inauratis. Satis erat [11] tenuibus, in honorem sexus cingulis uti sericis, ac fimbrias vestium serico limbo decorare: nunc geminum est malum, & res familiaris extenuatur, & ordo, qui dignitatis est custos, confunditur. Si [12] pilentis & lecticis eboratis ac byssо tectis vehuntur plebejæ, quid relictum est nobilibus ac potentibus? Et si vix equiti nupta [13] caudam trahit ulnarum quindecim, quid faciet Ducis aut Comitis uxor? Atque hæc res hoc est intolerabilior, quod mira temeritate subinde mutamus cultum. Pridem è porrectis à vertice cornibus pendebant linteamina. Hoc ornatu fœminæ

1 Quæ totæ ex serico constant.

2 Vestes undulatæ, ita dictæ, à similitudine undarum, quæ in iis expressæ.

3 Intertextis floribus.

4 Virgis & lineis distinctis.

5 Ex Byssо, tenuissimo lino.

6 Designat pelles quæ magna copia advehuntur ex Russia, & magno in pretio sunt.

7 Pellibus è Madaura, quæ Numidiæ civitas est. An forte legendum *Madaricis?* à regione *Madura*, quæ est in Australi parte Indiæ Orientalis, sub imperio regis Bisnagaris. Est & *Madura* Indiæ Orientalis insula, peculiarem regem habens.

8 Margaritæ insignes Uniones dictæ, quod nunquam duo in conchis reperiantur.

9 *Succinum*, lachryma vel resina arborum odoratarum. Ovidius lib. 2. Metamorph. *Electrum* vocat.

10 *Corallium*, lapis in modum fruticis nascens in mari mollis ac lentus, sed extractus duritiem assumit.

11 Pauperculis.

12 *Pilentum*, vehiculum, quo matronæ vehuntur.

13 Gr. ὄγκια vocant, quo fœminæ humum verrunt. Revise Colloq. *Franciscæ. Quis enim non videt, quoties videt fœminas onustas longa vestis coronide, quæ nobilitatem generis caudæ longitudine metiuntur?*

fœminæ [1] principes discernebantur à plebejis. Illæ ne quid conveniret, sumserunt pilea, foris ostentantia pelles albas nigris maculis variegatas. Statim vulgus arripuit. Rursus mutato cultu sumserunt [2] flammea nigra byssо. Id fœminarum vulgus non solum ausum est imitari, verum etiam addiderunt fimbrias aureas, denique & gemmas. Olim nobilium erat, à fronte atque à temporibus revulsis pilis in verticem capillos cogere. Non diu licuit, mox quælibet [3] æmulatæ sunt. Tandem demiserunt crines in frontem; protinus & hoc imitatæ sunt plebejæ. Solæ nobiles olim habebant [4] laterones & [5] anteambulones: & ex his unum [6] delicatum, qui surrecturæ manum porrigeret, qui lævam incedentis brachio dextro fulciret, nec hoc honoris concedebatur nisi [7] bene nato. Nunc ut passim id faciunt matronæ, ita quoslibet ad hoc officii recipiunt, quemadmodum ad gestandam à tergo caudam. Item olim solæ nobiles salutabant osculo, nec quemvis ad osculum recipiebant, imo ne dextram quidem porrigebant quibuslibet. Nunc qui corium olent, irruunt ad osculum fœminæ, quæ scutum habet plenæ nobilitatis. Ne in conjugiis quidem habetur ulla dignitatis ratio. [8] Patriciæ nubunt plebejis, plebejæ patriciis; ita nascuntur nobis [9] hybridæ. Nec ulla tam [10] obscuro loco nata est, quæ metuit adhibere [1] fucos

1 Nobiles.

2 *Flammeum*, proprie tegmen luteum, quo novæ nuptæ tegebantur. A colore flammæ.

3 Imitatæ sunt. Notum est, *æmulor tibi*, id est, *invideo*. *Æmulor te*, id est, *imitor*.

4 *Latero*, idem qui stipator, à tuendo latere.

5 Qui dominum aut heram præcedit.

6 Qui hero præcipue in deliciis est, vel præ cæteris placet.

7 Nobili loco, εὐπατρίδῃ.

8 A patribus, h. e. Senatoribus oriundæ.

9 *Hybridæ* dicuntur diverso genere nati, cum de bestiis, tum de hominibus, veluti ex altero fero, altero domestico aut altero nobili, altero ignobili patentibus.

10 Ignobili genere.

[1] Colo-

[1] fucos omnes nobilium: cum plebejis sufficere deberet, aut flos recentis cerevisiæ, aut succus recens ab arbore detracti corticis, aut si quid aliud parvo [2] parabile: [3] purpurissam, [4] cerussam, [5] stibium, reliquosque colores elegantiores oportebat claris fœminis relinquere. Jam in conviviis, in publico incessu, quam nullos ordo! Sæpe fit ut negotiatoris uxor dedignetur utroque parente nobili cedere. Res igitur ipsa jam dudum hortatur, ut hisce de rebus aliquid certi statuamus. Atque hæc inter nos facile poterunt [6] transigi, quoniam non nisi ad fœmineum pertinent genus. Est autem & quod cum viris agamus, qui nos summovent ab omni dignitate, ac tantum non pro lotricibus & cocis habent, ipsi res omnes pro suo gerunt arbitratu. Concedemus igitur illis magistratus publicos, ac bellicæ rei curam. Quis hoc ferat, quod in clypeo semper uxoris insignia lævum habent latus, etiamsi tribus partibus superet viri nobilitatem? Deinde par est, ut in [7] elocandis liberis etiam mater habeat jus suffragii. Et fortassis hoc quoque evincemus, ut vicissim geramus officia publica: duntaxat, quæ intra mœnia, & sine armis geri possunt. Hæc est [8] summa rerum, de quibus mihi videtur operæ pretium consultare. Super his apud se quæque deliberet, ut de singulis fiant senatus consulta; & si cui vestrum aliud quippiam in mentem venerit, cras in medium conferat. Conveniemus enim diebus singulis, donec synodum absolverimus.

1 Colores factitios, sæpius supra.

2 Venale.

3 *Purpurissa*, vel purissimum, color factitius, quo fœminæ faciem fucant.

4 Cerussa.

5 *Stibium*, vel *stimmi*, quo tingendis nigrore ciliis utuntur mulieres.

6 Revise notas in *Colloq. Senile* in principio. *Transigere* pro pacisci. Terent. Andr. Act. 1. Sc. 5. *Facta transacta omnia.*

7 In matrimonium dandis.

8 Caput.

rimus. Adhibeantur notariæ quatuor, quæ notis excipiant quidquid dicatur. Præterea [1] quæstoriæ duæ, quæ loquendi potestatem vel faciant, vel adimant. Sit hic consessus [2] divinationis loco.

1 A *Quæstor* (qui fuit olim præpositus pecuniæ publicæ quærendæ) derivatur *quæstorius*. Et qui quæstionum Judicia exercent, postea *Quæstores* dicti

2 *Divinare* proprie est augurari vel futura prædicere. Hinc *divinatio*, providentia futurorum, & inde pro quavis conjectura. Hoc loco vero significat *judicium*, nam judicium super constituendo accusatore vocatur divinatio, quia quodammodo divinare oportet judicem, quinam accusator idoneus sit.

DILUCULUM.

[1] NEPHALIUS, PHILYPNUS.

NE. HOdie te conventum volebam, Philypne, sed negabaris esse domi. PH. Non omnino mentiti sunt: tibi quidem non eram, sed mihi tum eram maxime. NE. Quid istuc ænigmatis est? PH. Nosti illud vetus proverbium, [2] Non omnibus dormio. Nec te fugit [3] jocus ille Nasicæ, cui cum, Ennium familiarem invisere volenti, ancilla jussu heri negasset esse domi; [4] sensit Nasica, & discessit. Cæterum ubi vicissim Ennius Nasicæ domum ingressus rogaret puerum, num esset intus, Nasica de conclavi clamavit, Non, inquiens, sum domi. Quumque Ennius agnita voce dixisset, Impudens, non te loquentem agnosco? Imo tu, inquit Nasica, impudentior, qui mihi ipsi fidem non habeas, cum ego crediderim

1 Νηφάλιος, *sobrius, vigilans*, φίλυπνος, *amans somni*. Ex φίλος amicus, & ὕπνος *somnus*. Eleganter & docte agit Autor in hoc dialogo de tempore bene impendendo.

2 Adagii originem reviše in *Domest. confab.*

3 Quem refert Cicero in libro de Oratore 2. Ipsam historiolam verbis Tullianis descripsimus infra in domesticis confabulationibus. Dialog. Petrus, Mida puer, & Jodoc.

4 Dolum scil.

derim ancillæ tuæ. NE. Eras fortassis occupatior. PH. Imo suaviter otiosus. NE. Rursum ænigmate torques. PH. Dicam igitur explanate, nec aliud dicam [1] ficum quam ficum. NE. Dic. PH. [2] Altum dormiebam. NE. Quid ais? Atqui jam præterierat octava, cum sol hoc mense surgat ante quartam. PH. Per me quidem soli liberum est vel media nocte surgere, modo mihi liceat ad satietatem usque dormire NE. Verum istuc utrum casu accidit, an consuetudo est? PH. Consuetudo prorsus. NE. Atqui rei non bonæ consuetudo pessima est. PH. Imo nullus est somnus suavior; quam post exortum solem. NE. Qua tandem hora soles lectum relinquere? PH. Inter quartam & nonam. NE. Satis amplum spatium: vix tot horis [3] comuntur reginæ. Sed unde venisti in istam consuetudinem? PH. Quia solemus convivia, lusus & jocus in multam proferre noctem; id dispendii matutino somno pensamus. NE. Vix unquam vidi hominem te perditius prodigum. PH. Mihi parsimonia videtur magis, quam profusio. Interim nec candelas absumo, nec vestes detero. NE. Præpostera sane parsimonia, servare vitrum ut perdas gemmas. Aliter sapuit ille [4] Philosophus, qui rogatus quid esset pretiosissimum, respondit, Tempus. Porro cum constet, diluculum esse totius diei partem optimam, tu quod in re pretiosissima pretiosissimum est, gaudes perdere. PH. An hoc perit, quod datur corpusculo? NE. Imo detrahitur corpusculo quod tum suavissime afficitur, maximeque vegetatur, cum

1 *Ficum ficum, & scapham scapham vocare*, annotatum respice in fine Coll. *Pseudoch. & phlet.*

2 Sic Juvenal. Sat. 1. *Consilium dedimus Syllæ, privatus ut altum Dormiret.*

3 *Nosti*, inquit Clinia apud Terent. in Heaut. Act. 2. Sc. 2. *mores mulierum; Dum moluntur, dum comuntur, annus est.*

4 Quem alii Democritum, alii Theophrastum, alii alium atque alium fuisse volunt.

cum tempestivo moderatoque somno reficitur, & matutina vigilia corroboratur. PH. Sed dulce est dormire. NE. Quid esse potest dulce nihil sentienti? PH. Hoc ipsum dulce est, nihil sentire molestiæ. NE. Atqui isto nomine feliciores sunt qui dormiunt in sepulcris. Nam dormienti nonnunquam [1] insomnia molesta sunt. PH. Ajunt, eo somno maxime saginari corpus. NE. Ista [2] glirium sagina est, non hominum. Recte saginantur animalia quæ parantur epulis: homini quorsum attinet accersere obesitatem, nisi ut graviore sarcina onustus incedat? Dic mihi, si famulum haberes, utrum obesum malles, an vegetum, & ad omnia munia habilem? PH. Atqui non sum famulus. NE. Mihi sat est, quod ministrum officiis aptum malles, quam bene saginatum. PH. Plane mallem. NE. At Plato dixit animum hominis hominem esse, corpus nihil aliud esse quam domicilium aut instrumentum. Tu certe fateberis, opinor, animum esse principalem hominis portionem, corpus animi ministrum. PH. Esto, si vis. NE. Cum tibi nolles ministrum [3] abdomine tardum, sed agilem malles & alacrem, cur animo paras ministrum ignavum & obesum? PH. Vincor veris. NE. Jam aliud dispendium accipe: ut animus longe præstat corpori, ita fateris opes animi longe præcellere bona corporis. PH. Probabile dicis. NE. Sed inter animi bona, [4] primas tenet sapientia. PH. Fateor. NE. Ad hanc parandam nulla diei pars utilior, quam [5] diluculum, cum Sol novus exoriens vigorem & alacritatem adfert

1 Terricula, quæ dormientes infestant.

2 Glis, animal somniculosum, locum dedit proverbio. *Glire somnolentior.* Respice jussa Herilia. *Videre mihi vel cum gliribus certare posse*, atque illic annotata.

3 Revise notas in *Charontem* pag. 621.

4 Supple *partes*. Primas partes tenere, hoc est præcellere. Sapius supra.

5 Unde illud protritum: *Aurora musis amica.*

adfert rebus omnibus, discutitque nebulas è ventriculo exhalari consuetas, quæ mentis domicilium solent obnubilare. PH. Non repugno. NE. Nunc mihi supputa, quantum eruditionis tibi parare possis quatuor illis horis, quas somno intempestivo perdis. PH. Profecto multum. NE. Expertus sum in studiis plus effici una hora matutina, quam tribus pomeridianis; idque nullo corporis detrimento. PH. Audivi. NE. Deinde illud reputa, si singulorum dierum [1] jacturam in summam conferas, quantus sit futurus cumulus. PH. Ingens profecto. NE. Qui gemmas & aurum temere profundit prodigus habetur, & tutorem accipit: hæc bona tanto pretiosiora qui perdit, nonne multo turpius prodigus est. PH. Sic apparet, si rem recta ratione perpendamus. NE. Jam illud expende quod scripsit Plato, Nihil esse pulcrius, nihil amabilius sapientia: quæ si corporeis oculis cerni posset, incredibiles sui amores excitaret. PH. Atqui illa cerni non potest. NE. Fateor, corporeis oculis. Verum cernitur oculis animi, quæ pars est hominis potior. Et ubi amor est incredibilis, ibi summa voluptas adsit oportet, quoties animus cum tali amica congreditur. PH. Verisimile narras. NE. I nunc, & somnum, mortis imaginem, cum hac voluptate commuta, si videtur. PH. Verum interim pereunt nocturni lusus. NE. Bene pereunt quæ pejora melioribus, inhonesta præclaris, vilissima pretiosissimis permutantur. Bene perdit plumbum, qui illud vertit in aurum. Noctem natura somno tribuit: sol exoriens cum omne animantium genus, tum præcipue hominem ad vitæ munia revocat. Qui dormiunt, inquit [2] Paulus, nocte dormiunt: & qui ebrii sunt, nocte ebrii sunt. Pro-

1 Damnum, respice *Naust.* & alibi.
2 In epist. ad Thessal. 1. cap. 5. οἱ γὰρ καθεύδοντες, νυκτὸς καθεύδουσι, καὶ οἱ μεθυσκόμενοι νυκτὸς μεθύουσι.

Proinde quid turpius est, quam cum omnia animantia cum sole expergiscantur, quædam etiam illum nondum apparentem, sed adventantem cantu salutent; cum [1] elephantus solem orientem adoret; hominem diu post solis exortum stertere? Quoties aureus ille splendor illustrat cubiculum tuum, nonne videtur exprobare dormienti, Stulte, quid optimam vitæ tuæ partem gaudes perdere? Non [2] in hoc luceo, ut abditi dormiatis, sed ut rebus honestissimis invigiletis. Nemo lucernam accendit ut dormiat, sed ut aliquid operis agat: & ad hanc lucernam omnium pulcherrimam nihil aliud quam stertis? PH. Belle declamas. NE. Non belle, sed vere. Age, non dubito quin frequenter audiveris illud [3] Hesiodeum, Sera in fundo parsimonia. PH. Frequentissime. Nam in dolii medio vinum est optimum. NE. Atqui in vita prima pars, nimirum adolescentia, est optima. PH. Profecto sic est. NE. At diluculum hoc est diei, quod adolescentia vitæ. An non igitur stulte faciunt, qui adolescentiam nugis, matutinas horas somno perdunt? PH. Sic apparet. NE. An est ulla possessio, quæ cum hominis vita sit conferenda? PH. Ne universa quidem [4] Persarum gaza. NE. An non vehementer odisses hominem, qui tibi vitam posset ac vellet malis artibus ad annos aliquot decurtare? PH. Illi mallem ipse vitam eripere. NE. Verum pejores ac nocentiores arbitror, qui sibi volentes reddunt vitam breviorem. PH. Fateor, si qui tales reperiantur. NE. Reperiantur? Imo

1 Dicitur elephas, & elephantus.

2 Eo fine

3 Verba Hesiodi Ascræi extant in opere cui tit. Ἔργα καὶ ἡμέραι. Ἀρχομένου δὲ πίθου καὶ λήγοντος κερέσασθαι, Μεσσόθι φείδεσθαι, ἐπὶλὴ δ' ἐνὶ πυθμένι φειδώ. Id est, *Incipiente vero dolio & desinente, saturato te. Medio parce: sera in fundo parsimonia.*

4 Olim *Persarum gaza* pro maximis divitiis celebrata, etiam nunc proverbio dicitur pro summis opibus. Et ipsa vox *gaza*, pro thesauro, vox originem Persica est.

Imo id faciunt omnes tui similes. PH. [1]Bona verba. NE. Optima. Sic tuo cum animo reputa: nonne videtur rectissime dixisse [2] Plinius, Vitam esse vigiliam, & hoc pluribus horis hominem vivere, quo majorem temporis partem impenderit studiis? Somnus enim mors quædam est. Unde & [3] ab inferis venire fingitur, & ab Homero [4] mortis germanus dictus est. Itaque quos somnus occupat, nec inter vivos, nec inter mortuos censentur, sed tamen potius inter mortuos. PH. Ita videtur omnino. NE. Nunc mihi rationem subducito, quantam vitæ portionem sibi resecant, qui singulis diebus tres aut quatuor horas perdunt somno. PH. Video summam immensam. NE. Nonne pro Deo haberes [5] Alcumistam, qui posset decem annos vitæ summæ adjicere, & provectiorem ætatem ad adolescentiæ vigorem revocare? PH. Quid ni habeam? NE. Sed hoc tam divinum beneficium ipse tibi præstare potes. PH. Qui sic? NE. Quia mane diei est adolescentia: usque ad meridiem fervet juventus; mox virilis ætas; cui succedit pro senecta vespera, vesperam excipit occasus, velut diei mors. Magnum autem [6] vectigal parsimonia est, sed nusquam majus quam heic. An non igitur ingens lucrum sibi adjunxit, qui magnam vitæ partem, eamque optimam

1 Charientissimus. Notas respice in pag. 14. & sæpius alibi.

2 Plinius in præfatione ad Vespasianum. *Homines sumus, & occupati officiis: succisivisque temporibus ista curamus, id est, nocturnis, ne quid vestris putetis cessatum horis. Dies vobis impendimus: cum somno valetudinem computamus: vel hoc solo præmio contenti, quod dum ista, ut ait M. Varro, musinamur, pluribus horis vivimus. Profecto enim vita vigilia est.*

3 Somnum, ejusque regiam elegantissime describit Naso Metamorph. lib. 11. *Est prope Cimerios longo spelunca recessu Mons cavus ignavi domus & penetralia Somni*, &c. quæ vide fab. 10.

4 Mortis frater. Homerus Iliad. π loquitur de ὕπνῳ ἠ θανάτῳ διδυμάοσι, id est, *somno & morte gemellis*. Id. alibi somnum θανάτῳ ἀγχίστα ἐοικότα, hoc est, *morti simillimum* appellat.

5 Vide Colloq. *Alcumist.*

6 Vectigal scil. privatum, i. e. reditus, vel proventus. Vide proverb.

mam perdere desiit? PH. Vera prædicas. NE. Proinde videtur admodum impudens eorum querimonia, qui [1] naturam accusant, quod hominis vitam tam angustis spatiis finierit, cum ipsi ex eo, quod datum est sibi, sponte tantum amputent. Satis longa est cuique vita, si parce dispensetur. Nec mediocris profectus est, si quis suo quæque tempore gerat. A prandio vix semihomines sumus, cum corpus cibis onustum aggravat mentem, nec tutum est, spiritus ab officina stomachi, concoctionis officium peragentes, ad superiora evocare: à cœna multo minus. At matutinis horis homo totus est homo, dum habile est ad omne ministerium corpus, dum alacer viget animus, dum omnia mentis [2] organa tranquilla sunt ac serena, dum auræ divinæ, ut ait [3] ille, particula spirat, ac sapit originem suam, & rapitur ad honesta. PH. Eleganter tu quidem concionaris. NE. Apud Homerum audit Agamemnon, opinor, [4] Οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βεληφόρον ἄνδρα. Quanto turpius est tantam diei partem somno perdere? PH. Verum, sed βεληφόρῳ. Ego non sum dux exercitus. NE. Si quid aliud tibi carius est quam ipse tibi, ne quid te moveat Homeri sententia. Faber ærarius ob vile [5] lucellum surgit ante lucem: & nos amor sapientiæ non potest expergefacere, ut saltem solem ad lucrum inæstimabile evocan-

1 Qualis fuit Theophrastus, qui moriens naturam accusasse dicitur, quod corvis & cornicibus vitam diuturnam, quorum id nihil interest, hominibus, quorum maxime interfuisset, tam exiguam vitam dedisset: quorum si ætas potuisset esse longinquior, futurum fuisse, ut omnibus perfectis artibus, omni doctrina hominum vita eruditetur.

2 Ὄργανα. Lat. instrumenta.

3 Horat Sat. 2. lib. 2. - - - *Quin corpus onustum Hesternis vitiis animum quoque prægravat una, Atque affigit humo divinæ particulam auræ*, i. e. animam, divinæ mentis partem, seu divini spiritus participem.

4 Id est. *Non decet solidam noctem dormire virum consiliarium.* Ita loquitur somnium Agamemnoni, Iliad. β.

5 Exiguum lucrum.

1 Φέρε-

vocantem audiamus? Medici non fere dant [1] pharmacum nisi diluculo; illi norunt horas aureas, ut subveniant corpori: nos eas non novimus, ut locupletemus ac sanemus animum? Quod si hæc [2] leve pondus habent apud te, audi quid apud [3] Solomonem loquatur illa cœlestis sapientia: *Qui mane*, inquit, *vigilaverint ad me, invenient me.* Jam in [4] mysticis Psalmis quanta matutini temporis commendatio? Mane Propheta extollit Domini misericordiam, mane exauditur vox ejus, mane illius deprecatio prævenit Dominum. Et apud Lucam Evangelistam, populus sanitatem ac doctrinam expetens à Domino, [5] mane ad illum confluit. Quid suspiras, Philypne? PH. Vix lacrymas teneo, cum subit quantam vitæ jacturam fecerim. NE. Supervacaneum est ob ea discruciari, quæ non revocari, sed tamen posterioribus curis [6] sarciri possunt. [7] Huc igitur incumbe potius, quam ut præteritorum inani deploratione futuri quoque temporis jacturam facias. PH. Bene mones; sed me jam sui juris fecit diutina consuetudo. NE. Phy! [8] Clavus clavo pellitur, consuetudo consuetudine vincitur. PH. At durum est ea relinquere, quibus diu assueveris. NE. Initio quidem; sed eam molestiam diversa consuetudo primum lenit, mox vertit in summam voluptatem, ut te brevis molestiæ non oporteat pœnitere. PH. Vereor, ut succedat. NE. Si septuagenarius esses, non retraherem te à solitis; nunc vix decimum septimum, opinor, annum egressus es. Quid autem est, quod ista ætas non possit

1 Φάρμακον, *medicamentum*, significat quoque venenum.

2 Parvam autoritatem.

3 Prov. 8. v. 17.

4 Mystici vocantur Psalmi, quibus subest mysterium. Nam multa Mysteria, quæ ad Christum referunt Theologi, vaticinatus est in iis Rex David.

5 Luc. 6 ὅτε ἐγένετο ἡμέρα, id est, *Cum dies factus esset.*

6 Reparari, corrigi.

7 Huic rei operam da.

8 Idem dictum vide in limine *Conv. Relig.*

possit vincere, si modo adsit promtus animus? PH. Equidem aggrediar, conaborque ut ex [1] Philypno fiam Philologus. NE. Id si feceris, mi Philypne, sat scio, post paucos dies tibi serio gratulaberis, & mihi gratias ages, qui monuerim.

1 Φιλυπνος, somni amans. φιλόλογος, amans litterarum.

[1] ΝΗΦΑΛΙΟΝ ΣΥΜΠΟΣΙΟΝ.

ALBERTUS, BARTHOLINUS, CAROLUS, DIONYSIUS, ÆMILIUS, FRANCISCUS, GYRARDUS, HIERONYMUS, JACOBUS, LAURENTIUS.

AL. VIdistine unquam hoc horto quidquam amœnius? BA. Vix opinor in [2] insulis fortunatis esse quidquam jucundius. CA. Plane mihi videor videre [3] paradisum, cui custodem cultoremque Deus præfecerat Adam. DI. Heic vel [4] Nestor, vel [5] Priamus posset repubescere. FR. Imo vel mortuus reviviscere. GY. Adderem lubens, si quid possem, tuæ [6] hyperbolæ. HI. Profecto

1 Νηφάλιον συμπόσιον, i. e. *sobrium convivium*, in quo nempe non poculis, sed eruditis sententiis certatur.

2 De Insulis fortunatis mitas lege fabulas apud festivissimum Lucianum in vera, quam vocat, historia. Has Insulas fortunatas veteres Poëtæ finxerunt esse in Oceano, ad quas post mortem deferantur eorum animi, qui sancte religioseque vixerint. Ibi eos inter se jucundissime ac suaviſſime vivere in amœnissimo quodam prato, &c. Illic nunquam non ridere cœlum, frondescere arbores, pubescere herbas, ridere omnia, &c. multa alia ejusmodi narrat Muretus, Var. lect. lib. 5. cap. 1.

3 Παράδεισος, vox Persica, significat hortum.

4 Nestorem illum facundissimum Græcorum tria sæcula vixisse fingunt poëtæ Homer. & Ovid.

5 Postremus Trojanorum Rex infelix Priamus, admodum senex depingitur à Marone lib. Æneid. 2.

6 Ὑπερβολὴ figura rhetorica est, qua veritas superatur rei augendæ vel minuendæ gratia.

1 Me-

fecto miris modis arrident omnia. JA. Oportet hunc hortum aliqua compotatiuncula dedicare. LA. Recte monet noster Jacobus. AL. [1]Talibus mysteriis jam olim initiatus est hic locus. Verum scito, nihil heic esse unde vobis merendam exhibeam: nisi placet [2]ἄοινος compotatio, lactucas apponam absque sale, aceto & oleo: vini guttula non est, nisi quod gignit hic puteus. Ne panis quidem adest, aut poculum; & ea est anni pars, quæ magis pascit oculos, quam ventrem. BA. Sed habes tabulas lusorias, habes sphæras, lusu dicabimus hortum, si minus licet convivio. AL. Quoniam tam belli homunculi convenimus, habeo quiddam quod vel lusum, vel convivium possis dicere, mea sententia multo dignius ad hunc hortum [3]initiandum. CA. Quodnam? AL. Suum quisque [4]symbolum conferat; non deerit lautum, nec minus suave convivium. ÆM. Quid adferemus, qui vacui huc venerimus? AL. Vacui, qui tantum opum circumferatis in pectore? FR. Expectamus quid velis. AL. Proferat in medium quod quisque per hanc hebdomadam legit elegantissimum. GY. Recte mones; nihil vel hujusmodi conviviis, vel te convivatore, vel hoc loco dignius. Te hujus consilii ducem sequemur omnes. AL. Nihil recuso, si vobis ita videtur. Hodie vehementer delectavit animum meum in homine non Chri-

1 Metaphorica locutio. Qui sacris initiantur, vel initiati, hoc est, imbui dicebantur *Mystæ*. Nam *mysterium* proprie est arcanum ad aliqua sacra pertinens.

2 Ἄοινος, id est, *absque vino*.

3 Inaugurandum.

4 Ambiguitas est in voce *symbolum*, *essemus de symbolis*. Sed revise notas in principio Coll. *Inquis. de fide.*

dam sententiæ, quibus aliquid altioris indaginis significatur; & sumitur pro collatione ad convivium, (quo sensu accepit Æmilius) qua quisque quod ad manum erat, conferebat, a συμβάλλω, *confero*, quamvis hæc potius συμβολὴ dicatur. Ter. in Eunucho Act 3 Sc. 4. *ut*

Christiano tam Christiana sententia. [1] Phocion enim, quo vix alius apud Athenienses fuit vir sanctior, publicæque utilitatis studiosior, cum per invidiam damnatus, esset bibiturus [2] cicutam, rogatus ab amicis, quid vellet etiamnum mandare filiis suis, *Ne hujus*, inquit, *injuriæ velint unquam meminisse.* BA. Tam insignis patientiæ exemplum vix hodie reperias inter [3] Dominicanos & Franciscanos. Itaque simile referam, quando par non possum. [4] Aristides Phocioni simillimus erat, moribus incorruptissimis, adeo ut vulgus illi Justi tribueret cognomen. Ob hujus cognominis invidiam, vir optime de Republica meritus, [5] ostraciſmo populi jussus est [6] vertere solum. Posteaquam intellexerat populum non alia re offensum, quam Justi cognomento, cum alioqui rem semper expertus esset sibi salutarem, paruit æquo animo. In exilio rogatus ab amicis, quid precaretur ingratissimæ civitati, *Nihil aliud*, inquit, *nisi tantam rerum prosperitatem, ut illis nunquam in mentem veniat Aristides.* CA. Mirum si Christianos non pudet sui, ad quamvis levem injuriam excandescentes, ac vindictam per fas nefasque molientes. Tota [7] Socratis vita nihil aliud mihi

1 De Phocione vide Cornelium Nepotem in ejus vita. Magnæ equidem in illo emicuere virtutes, sed etiam vitia. Ab undecim viris Athenienſibus capitis condemnatus fuit. Memorant de eo Plutarch. Ælian. Val. Max.

2 Herbam venenosam. Hæc olim publica Athenienſium pœna. Revise *Conviv. Relig.* de Socrate.

3 Quorum impias contentiones vide in *Ichthyoph.* & infra in *Exseq. Seraph.*

4 Hujus vitam narrat quoque, præter Nepotem, Plutarchus, Herod. Diod. Sicul. Val. Max. Cicero, Seneca, &c.

5 Nepos de Cimone. *Testarum suffragiis, quod illi* Ostracismum *vocant, decem annorum exilio multatus est.* Unde constat *Ostracismum* fuisse modum multandi decennali exilio, testulis (quæ Græcis ὄστρακα,) hoc est testularum suffragiis eos, quorum potentia Athenis nimia videbatur.

6 Proprie de exulibus dicitur. In aliam regionem, vel tertam (quæ & *solum* dicta) demigrare.

7 Qui fuit Sophronici statuarii, & Phanaretæ obstetricis filius, Philosophus Athenienſis, Apollinis oraculo, ut ajunt, sapientissimus declaratus. Hunc tamen falsè irrident Lucianus & Aristophanes.

hi videtur, quam temperantiæ, ac tolerantiæ exemplum. Sed ne plane sim [1] asymbolos, unum referam, quod mihi præ cæteris arrisit. [2] Eunti publica via improbus quispiam colaphum impegit. Cum id tacitus ferret Socrates, amici quidam hortati sunt ad ultionem. At ille, *Quid percussori faciam?* inquit. *Voca*, inquiunt, *in jus. Ridiculum*, inquit, *si me asinus calcibus percussisset, num vobis auctoribus asinum in jus traham?* significans, improbum scurram nihilo potiorem asino; & infimi animi esse, non posse ferre contumeliam ab homine vecordi, quam ferret ab animali bruto. DI. Pauciora sunt in Romanis Annalibus exempla moderationis, nec ea perinde insignia: neque enim opinor magnam habere laudem tolerantiæ, si quis parcat devictis, & debellet superbos. Non arbitror tamen indignum memoratu quod [3] Cato senior, cum Lentulus quidam in os illi sputum & oris [4] purulentiam injecisset, nihil aliud responderit, quam, *Posthac habeo quod illis respondeam, qui negant tibi esse os.* Os autem Latinis habere negantur, quos nihil pudet. Itaque jocus est ex ambiguo. ÆM. Aliis arrident alia: mihi inter [5] Diogenis dicta, præclara quidem omnia, nihil magis adblanditur, quam quod roganti cuidam, quo pacto

phanes. Revise eum in *Conviv. Relig.* Dom. Baudius in Oratione ad studiosos tumultuantes, docta, Jupiter, & laboriosa: *Tota*, inquit, *Socratis vita nihil aliud est, nisi perpetua quædam scita constantiæ, integritatis, patientiæ.* Lege, tyro, hanc Baudii orationem, in qua vir ille clarissimus hæc & sequentia exempla post Erasmum (fere dixerim ex hoc Erasmi Colloquio) eodem fere ordine refert.

1 Ἀσυμβολ@-, qui nihil confert absque symbolo. Vide notas in principio Colloq.

2 Socrati nempe.

3 Vide Plutarchum. Senior dicitur ad differentiam alterius Catonis Uticensis, qui hujus fuit pronepos. Eum vide in *Conviv. Relig.* pag. 361.

4 Purulentam oris salivam.

5 Ob caninos mores cognominatus Cynicus, quem in dolio habitasse ferunt. Respice *Conv. Prof.* Erasmus in Apophthegmatibus suis lib. 3. tota sententiarum plaustra hujus philosophi refert.

1 Δόγμα,

eo maxime posset ulcisci inimicum, *Si te ipsum*, inquit, *quam maxime probum & honestum virum præstiteris.* Demiror quis Deus illis tales cogitationes miserit in mentem. Videtur autem & Aristotelis dictum valde consentaneum Paulino [1] dogmati; qui rogatus à quodam, quid fructus sua illi philosophia attulisset, *Ut mea* inquit, *sponte ea faciam, quæ plerique legum metu coacti faciunt.* Docet enim Paulus, eos quos afflavit Christiana caritas, non esse legi obnoxios, eo quod plus præstant suapte sponte, quam lex metu pœnæ possit extorquere. FR. Christus Judæis obmurmurantibus, quod cum publicanis & peccatoribus haberet etiam mensæ familiaritatem, respondit, [2] non esse opus medico iis qui recte valerent, sed qui minus prospera essent valetudine. Non abhorret hinc quod apud Plutarchum dixit Phocion; qui cum reprehenderetur, quod homini illaudato improboque patrocinatus esset in judicio, non minus festiviter quam clementer, *Quid ni*, inquit, *quando nemo probus indiget tali patrocinio?* GY. Et istud [3] Christianæ bonitatis exemplum est, ad exemplum æterni patris, & probis, & improbis, quantum licet, benefacere; qui solem suum oriri jubet, non solum piis, sed etiam impiis. Verum admirabilius forsitan erit in rege moderationis exemplum. Cum Demochares Demosthenis nepos, Athenienſium nomine legatione fungeretur apud [4] Philippum Macedonum regem, & impetratis quæ volebat à rege dimitteretur, humaniter interrogante, si quid præterea vellet; *Ut te ipsum suspendas*, inquit Demochares. Vox impotens odium arguebat; & rex erat, & bene meritus in quem jaciebatur convicium; nec tamen [5] incanduit; tantum ad [6] collegas con-

1 Δόγμα, præceptum.
2 Matth. 9. Marc. 2. Luc. 4.
3 Matth. 5.
4 Illum magni Alexandri patrem.
5 *Incandescere*, Metaphorice pro valde irasci.
6 Scil. *Demochari*, Legationis socios.

1 Μόνας-

conversus, *Vos*, inquit, *hæc renuntiate populo Atheniensi, quo re cognita judicet, utrum nostrum existimet præstantiorem, me qui hæc patienter audierim, an istum qui hæc dixit.* Ubi nunc sunt orbis [1] monarchæ, qui se Diis pares putant, & ob verbum inter pocula dictum atrocia bella concitant? HI. Magnos impetus habet gloriæ sitis, multosque [2] transversos agit hic affectus. Ex eorum numero quidam Socratem interrogabat, qua via posset sibi compendio honestissimam comparare famam? *Si talem*, inquit, *præstiteris te ipsum, qualis haberi vis.* JA. Profecto non video quid dici possit vel brevius, vel [3] absolutius. Fama non est affectanda, sed ea virtutem ultro comitatur, quemadmodum improbitatem infamia. Vos admiramini viros; mihi puella [4] Lacæna placuit, quæ cum auctione venderetur, licitator quidam adiit illam, *Quid?* inquiens; *num proba futura es, si te mercatus fuero? Etiam*, inquit illa, *si tu non fueris mercatus:* indicans, sese non in cujusquam gratiam probitatem servare, sed suopte ingenio virtutem ipsius gratia sectari, quod [6] virtus ipsa sui pretium est. LA. Masculam sane vocem edidit puella. Cæterum insigne mihi videtur exemplum, adversus fortunam quamlibet blandientem, constantiæ, quod cum Philippo Macedonum regi tres eximiæ felicitates eodem die nuntiarentur, quod in [7] Olympiis vicis-

1 Μόναρχος, vel μονάρχης, qui solus imperat.

2 Ab æquo & bono depellit, aut a vertit. Sic Sallust. in *bello Jugurth.*

3 Magis perfectum.

4 Ex Laconia, regione Peloponnesi, cujus caput Lacedæmon.

5 *Auctio* venditionis genus, in quo à licitantibus pretium magis magisque augetur.

6 Ita incipit excellentissimum carmen panegyricum Claudiani de consulatu Fl. Malli Theodori V. C. *Ipsa quidem virtus pretium sibi, solaque Lata Fortunæ secura nitet: nec fascibus ullis Erigitur, plausuve petit clarescere vulgi: Nil opis externæ cupiens, nil indiga laudis, Divitiis animosa suis, immotaque cunctis Casibus, ex alta mortalia despicit arce.*

7 *Olympia*, ludi quinquennales, ab Hercule in honorem Jovis institui circa Olympiam Elydis urbem.

viciſſet, quod dux exercitus Parmenion prælio ſuperaſſet [1] Dardanos, quod uxor [2] Olympias ipſi filium eſſet enixa, ſublatis in cœlum manibus precatus eſt, ut Deus tantam proſperitatem pateretur levi quopiam infortunio [3] expiari. AL. Hodie nulla eſt tanta proſperitas, cujus invidiam metuat quisquam; ſed perinde jactant, ſi quid ſucceſſerit, quaſi vel mortua vel ſurda eſſet [4] Nemeſis. Hæc merenda ſi vobis placet, hic hortulus eam vobis quoties volueritis exhibebit, quem hoc colloquio non minus jucundo quam frugifero dicaſtis. BA. Profecto nec [5] Apitius potuiſſet diſcum ſuaviorem apponere. Quare nos exſpectabis frequenter, modo boni conſulas, quod nunc attulimus, non quæ digna erant tuis auribus, ſed quæ non præmeditatis venerunt in mentem. Meditati lautiora proferemus. AL. Hoc eritis gratiores.

1 Populos in Aſia loca Helleſponto proxima tenentes, à Dardano Jovis filio dictos volunt. Horum regionem, prius Dardaniam dictam, poſtea Troas Erichthonius Trojam appellavit. Unde & Trojani Dardanides dicti. Virgil. Æneid. lib. 2. *O patria, o divum domus Ilium, & inclyta bello Mœnia Dardanidum*

2 Quæ Alexandri Magni mater fuit.

3 Caſtigari.

4 *Nemeſis*, quæ & *Rhamnuſia* dicitur, poëtis Dea ſcelerum & ſuperbiæ vindex habetur.

5 Iſte omnium helluonum princeps, quem notatum vide in *Convivio profano*, & πολυδαιτία, ſeu *Convivio diſpari*.

[1] ARS NOTORIA.

Desiderius, Erasmius.

DE. QUomodo [2] ſuccedunt tua ſtudia, Eraſmi? ER. [1] Muſis,

1 Hanc alii artem memorialem, ſeu memorativam appellant qua quis brevi multa memoriæ poſſit mandare, ac facili negotio omnes liberales diſciplinas perdiſcere. Autor noſter eam, ut fabuloſam ridet, atque ideo hujus Colloquii interlocutores facit ſe ipſum, & Hieronymi Frobenii, nobiliſſimi apud Baſileenſes typographi, filiolum Joannem Eraſmium Frobenium, cui & hunc Colloquiorum librum inſcripſit, quemue unice Eraſmus amavit; ita quidem ut de ſuo nomine Eraſmius appellatus fuerit.

2 Procedunt.

1 *Muſis*

[1]Musis, ut apparet, parum faventibus: sed felicius succederent, si quiddam abs te queam impetrare. DE. Nihil non impetrabis, modo sit [2] in rem tuam, dic tantum quid rei sit. ER. Non dubito, quin nihil sit artium reconditarum quod [3] te fugiat. DE. Utinam vera prædices! ER. Audio artem esse quandam [4] notoriam, quæ hoc præstet, ut homo minimo negotio perdiscat omnes disciplinas liberales. DE. Quid audio? Vidisti codicem? ER. Vidi, sed vidi tantum, quod non esset doctoris copia. DE. Quid continebat liber? ER. Varias animantium formas, draconum, leonum [5] leopardorum, variosque circulos, & in his descriptas voces, partim Græcas, partim Latinas, partim Hebraicas, aliasque [6] Barbaricarum linguarum. DE. Intra quot dies pollicebatur titulus disciplinarum cognitionem? ER. Intra quatuordecim. DE. Magnifica sane pollicitatio: sed nostine quenquam per istam artem notoriam evasisse doctum? ER. Nequaquam. DE. Neque quisquam alius vidit unquam aut visurus est, nisi posteaquam viderimus, aliquem per [7] alcumisticam evasisse divitem. ER. Equidem optarim, artem esse veram. DE. Fortasse quod pigeat

1 *Musis parum faventibus*, i. e. non admodum feliciter. Nam Musæ, quæ numero novem, sæpius in super. Coll. annotatæ, liberalium artium præsides, earumque auxilium ab antiquis imploratum.

2 Tibi utile.

3 Tibi ignotum sit.

4 Henrici C. Agrippæ verba sunt in libello De vanitate scientiarum. *Ars memorativa nihil aliud est, quam inductio quædam, & præceptionis ratio, locis & imaginibus, tanquam membrana constans, & characteribus, à Simonide Melitone plurimum excogitata, deinde per Metrodorum Scepticum perfecta: ipsa tamen, qualis qualis sit, sine naturali memoria perfistere minime potest, quam tot sæpissime monstrosis obtundit imaginibus, ut pro memoriæ tenacitate maniam & phreneſim nonnunquam inducat, dum videlicet naturalem memoriam innumerabilium rerum ac verborum imaginibus prægravans, naturæ finibus non contentos arte insanire facit.*

5 Ita vocant Pantheras, quas respice in ἀσφαλ. vel animal ex Leone & Pardali, seu Panthera. Vide *finis.* pag. 588.

6 Revise *Ichthyoph.*

7 Respice Colloq. *Alcumist.*

pigeat litteras tantis [1] sudoribus emere. ER. Scilicet. DE. Atqui sic visum est [2] superis. Opes istas vulgares, aurum, gemmas, argentum, palatia, regnum, nonnunquam largiuntur ignavis & immerentibus: sed quæ veræ sunt opes, ac proprie nostræ sunt, voluerunt parari laboribus. Nec oportet nobis videri molestum laborem, quo res tanta paratur, cum cernamus plurimos homines, per horrenda [3] discrimina, per non æstimandos sudores eluctari ad res & temporarias, & plane viles, si ad eruditionem conferantur: nec tamen semper assequuntur quod [4] ambiunt. Et habent studiorum labores multum admixtum [5] mellis, si paululum in ea processeris. Jam in te bona ex parte situm est, ut magnam tædiorum partem amputes. ER. Quonam pacto? DE. Primum, ut animum inducas amare studia. Deinde, ut ea mireris. ER. Quibus rationibus hoc fiet? DE. Contemplare quam multos ditarint, quam multos ad summam dignitatem auctoritatemque provexerint litteræ: simulque tecum considera quantum interfit inter hominem & pecudem. ER. Probe mones. DE. Deinde [6] cicures ingenium tuum oportet, ut possit secum consistere, atque his delectari, quæ utilitatem adferunt potius quam voluptatem. Nam quæ per se sunt honesta, etiam initio nonnihil habent molestiæ; tamen assuetudine dulcescunt: ita fiet, ut & minus fatiges præceptorem, & ipse facilius percipias, juxta dictum [7] Isocraticum, aureis litteris in frontispicio codicis tui pingendum, [8] Ἐὰν ἦς φιλομαθὴς, ἔσῃ πολυμαθὴς. ER. Satis adest cele-

1 Magnis laboribus: Meton. effecti. Vide infra *Philodoxum*.

2 Diis, Juxta illud Græcorum dictum, θεοὶ τ' ἀγαθὰ τοῖς πόνοις πωλοῦνται, *Dei bona laboribus vendunt.*

3 Pericula.

4 Appetunt.

5 Dulcedinis.

6 Mansuefacias.

7 In Orat. ad Demonicum.

8 Id est, *Si fueris cupidus discendi, addisces multa.*

celeritatis in percipiendo, sed mox[1] effluit quod perceptum est. DE. Itaque pertusum mihi narras dolium. ER. Haud multum aberras à scopo. Sed quid remedii? DE. Obturanda est rima, ne perfluat. ER. Quibus rebus? DE. Non musco, neque gypso, sed diligentia. Qui voces ediscit non intellecta sententia, mox obliviscitur: nam verba, ut inquit Homerus, [2] πτερόεντα sunt, facileque avolant, nisi sententiarum pondere librentur. Prima igitur cura sit, ut rem penitus intelligas, dein subinde tecum versos ac repetas: & in hoc cicurandus est, ut dictum est, animus, ut quoties opus est, cogitationi possit insistere. Nam si cui mens est adeo [3] silvestris, ut in hoc cicurari non possit, haudquaquam est idonea litteris. ER. Istuc quam sit difficile, plus satis intelligo. DE. Quisquis enim habet animum adeo volubilem, ut nulli cogitationi possit immorari, nec diu potest audire loquentem, nec infigere memoriæ quod didicit. Plumbo potest aliquid imprimi quod maneat in loco: aquæ aut argento vivo, quoniam assidue fluitant, nihil potest imprimi. Quod si possis in hoc ingenium tuum mansuefacere, cum assidue verseris inter eruditos, quorum confabulationes quotidie tam multa proferunt digna cognitu, minimo labore disces quam plurima. ER. Profecto sic est. DE. Nam præter sermones conviviorũ, præter quotidiana colloquia, statim à prandio audis octo lepidissima dicta, ex probatissimis autoribus selecta, totidem à cœna. Jam mihi supputa quantam hæc summam conficiant in singulos menses & annos. ER. Magnificam, si possim meminisse. DE. Ad hæc cum nihil audias nisi bene Latine loquentes, quid obstat, quo minus intra paucos menses ediscas

1 Metaphora à vase futili, de quo vide Colloq. *Adolesc. & scorti.*

2 Πτερόεντα, id est, alata. Epitheton Homero usitatum.

3 Vasta.

ediscas Latine, cum illiterati pueri Gallicam aut Hispanicam linguam discant exiguo temporis spatio? ER. Sequar tuum consilium, experiarque, num possit hoc ingenium Musarum jugo mansuescere. DE. Ego aliam [1] artem notoriam non novi, quam curam, amorem, & assiduitatem.

1 Sunt tamen, qui, ut in principio annotavimus, jactant se callere hanc artem memorativam, cujus admirandum exemplum refert Muretus in Var. lect. lib. 3. cap. 1. oculatus testis.

[1] CONCIO, SIVE MERDARDUS.

Hilarius, Levinus.

HI. DEum immortalem! Cujusmodi [2] portenta gignit alitque terra? Usque adeo nihil pudere viros [3] Seraphicos? Existimant, opinor, sese apud [4] fungos, non apud homines loqui. LE. Quid secum murmurat Hilarius? Componit, opinor, versiculos. HI. Quam libens illi blatherōni os impurum obturassem [5] oleto! LE. Compellabo hominem. Quid agis, Hilari, parum hilaris? HI. Optime temet offers, Levine, in quem hanc pectoris ægritudinem [6] evomam. LE. In pelvim evomas malim, quam in me. Sed quid est mali? & unde

1 Erasmus in concione, quam Franciscanus monachus, cui forte nomen *Medardus*, habuerat, inique traductus, concionatorem istum stolidum in hoc Colloquio deridendum præbet, & ficto nomine *Merdardum* vocat, quasi à merda, i. e. stercore humano.

2 Monstra. Vide mox infra.

3 A Seraphinis angelis (quos Pontificii statuunt esse in supremo angelorum choro. Vide *supra* pag. 587.) impudentissime se *Seraphicos* appellari volunt monachi, ut à Jesu *Jesuitæ*.

4 Fungus, cujus species boletus, sæpius pro stulto, & homine nihili.

5 *Oletum* hoc loco significat stercus. Est & *oletum* locus, in quo alvus exoneratur. Al. *oletum* locus est oleis consitus.

6 Ita Terent. Adelph. Act. 3. Sc. 5. - - - *Requiram fratrem, ut in eum hæc evomam.* Et Hecyr. Act. 3. Sc. - - - *In eam hoc omne, quod mihi ægro est, evomam.* Nam qui laborant languore, vomitu ægritudinem aliquando levare solent.

1 *Sacram*

unde nobis prodis? HI. E concione sacra. LE. Quid homini poëtæ cum sacris concionibus? HI. A sacris non abhorreo: sed in hanc incidi ita sacram, ut Virgilius auri famem appellavit [1] sacram. At tales [2] rabulæ sunt in caussa, ut rarius audiam [3] ecclesiastes. LE. Ubi habita est concio? HI. In summo templo. LE. A prandio? Id temporis fere dormitant homines. HI. Utinam illi [4] locutuleio dormissent omnes, vix digno qui concionetur apud anseres. LE. Obstreperum est animal anser. Ferunt tamen, [5] patriarcham Franciscum aliquando concionatum apud sorores aviculas, à quibus magno silentio sit auditus. Sed age, etiamne sabbato fit concio? HI. Fit in honorem divæ Virginis matris. Nam die Dominico Christus prædicatur. Decet autem ut [6] priores teneat mater. LE. Quod erat thema? HI. Enarrabat [7] canticum Virginis. LE. Argumentum vulgatissimum. HI. Nimirum aptissimum ecclesiastæ. Nam suspicor illum hoc unum thema didicisse; quemadmodum ajunt inveniri sacerdotes qui nullam [8] liturgiam callent, nisi pro defunctis unicam. LE. Dicatur igitur ille, concionator

1 *Sacram* dixit Virgil. pro *execrandam*, Æneid. lib 3 - - - *Quid non mortalia pectora cogis Auri sacra fames?*

2 *Rabula* proprie advocatus, seu causarum patronus admodum loquax & maledicus, quasi rabiosus. Hinc pro quovis garrulo, cui, ut Sallustius de Catilina inquit, satis loquentiæ, sapientiæ parum.

3 Ἐκκλησιαστὴς Concionator.

4 Blateroni, rabulæ, garrulo.

5 Patriarcha, Gr. πατριάρχης, propriè dicitur familiæ aut tribus princeps. Indignus vero Franciscus iste stolidus hoc dignitatis nomine, qui hirundinibus (nam has fuisse aviculas ipsæ Papicolarum fabulæ perhibent) concionatus est. De Francisco Assisiensi vide *Ichthyoph. Colloq. Francisc.* & *Exseq. Seraph.*

6 Supple *partes*. Quos in honore, aut gratia habemus, eos priores partes apud nos habere dicimus. Metaphora ab actionibus scenicis, in quibus primæ, secundæ, aut tertiæ partes. Terent. Eun. Act. 1. Sc. 2. *Sine illum priores partes hosce aliquot dies apud me habere.*

7 Quod refert Lucas Cap. 1.

8 Λειτουργία, ministerium publicum. Sæpius circa sacra.

nator de [1] Magnificat, aut, si mavis, Magnificatitius. Sed cujusmodi tandem avis erat, aut quibus ornata plumis? HI. Vulturi non dissimilis. LE. Qua tandem ex [2] corte? HI. Franciscana. LE. Quid audio? ex tam sancto sodalitio? fortassis ex illorum degenere genere, qui dicuntur [3] Gaudentes, colore fusco, calceis integris, cingulo candente: nec horrent, contremisco referens, nudis digitis contrectare pecuniam. HI. Imo è grege selectissimo istorum, qui gaudent Observantes nominari, colore cinericio, cingulis canabeis, calceis fenestratis, quique citius occiderent hominem, quam nuda cute pecuniam attingerent. LE. Nil mirum est, in rosariis nasci [4] cynorrhodum. Sed quis talem [5] histrionem induxit in hoc [6] proscenium? HI. Istuc magis etiam diceres, si vidisses personam [7] tragicam. Corpore erat vasto, buccis rubentibus, ventre prominente, lateribus [8] gladiatoriis: dixisses athletam esse: & quantum ego [9] divinare queo, biberat in prandio plus quam unum vini [10] sextarium. LE. Unde tanta vini copia non tractanti pecuniam? HI. Ex aula [11] regis Ferdinandi singulo quo-

1 Nam Canticum Mariæ incipit his verbis: *Magnificat anima mea Dominum*, &c.

2 *Cors* locus parietibus cinctus, quo custodiuntur anseres, gallinæ, &c.

3 Franciscanorum monachorum mendicantium ordo triplex, *Capuccinorum*, *Observantium*, & *Gaudentium*. Revise *Colloq. sen.* pag 341. & *Ichthyoph* pag 527.

4 *Cynorrhodum*, quasi κυνὸς ῥόδον, id est, rosa canina.

5 Fabularum actor dicitur *Histrio*. Vocis Originem respice in Colloq. *Virg Poænit.* pag 226.

6 Theatrum, προσκήνιον, prop. *vestibulum scenæ*.

7 Qualem decet esse personam eorum, qui fabulas tragicas agunt. De Comœdiis & Tragœdiis sæpius supra.

8 Id est, *validissimis*. Respice in *Cyclope*, *Ista gladiatoria laterum firmitas*, & quæ illic annotata.

9 Conjicere.

10 *Vini Sextarius*. Horat. lib. 1. Sat. 1. sexta pars congii, id est, XVIII. uncias.

11 Ferdinandus, Maximiliani nepos, ex Maria Caroli Audacis filia, Rex Romanorum electus est Coloniæ Agrippinæ ductu Caroli V. fratris anno 1531. quinquennium nempe ante Erasmi mortem; utpote qui IV. Id. Julii 1536. Basileæ obiit.

1 Impu-

quoque die dabantur illi sextarii quatuor. LE. O male collocatam benignitatem! Fortassis erat doctus. HI. Præter [1] effrontem improbitatem, & linguam [2] effrænem nihil habebat. LE. Quæ res igitur sic [3] imposuit Ferdinando, [4] ut bovem adduceret ad ceroma? HI. Ut numero dicam, pietas & regia bonitas. Commendatus erat, ille demittebat caput in dextrum humerum. LE. Sic Christus pendet in cruce. Sed erat concio frequens? HI. Qui potuit esse infrequens [5] Augustæ, in templo celeberrimo, & in tot [6] monarcharum conventu, quos [7] Carolus Cæsar ex universa Germania, ex Italia, ex Hispaniis, ex Anglia eo contraxerat? Quin & eruditi complures aderant in ipsa concione, præsertim ex aula regum. LE. Demiror si porcus ille quidquam adferre potuit dignum tali auditorio. HI. At multa se digna protulit. LE. Quæ tandem, obsecro? Sed prius te quæso ut mihi nomen hominis edas. HI. [8] Non expedit. LE. Quam ob rem, Hilari? HI. Non libet talibus gratum facere. LE. Au! gratificatur qui [9] traducit? HI. Illis pro summo beneficio est, quocunque modo innotescere. LE. Saltem mihi nomen edito taciturno. HI. [10] Merdardum vocant.

1 Impudentem.

2 Intemperantem.

3 *Imponere* pro fallere.

4 *Bovem ad Ceroma adducere* dicitur, qui hominem ineptum studet imbuere quapiam arte, ad quam prorsus inutilis est, veluti si quis bovem ad certamen ducat. *Ceroma* vero unguentum est, quo certaturi athletæ ungebantur.

5 *Augusta* olim *Vindelicorum* dicta, urbs nobilissima. Germanis *Augspurch.*

6 Principium. Revise *super. Colloq.*

7 Carolum V. respice annotatum in *Epith. Petri Ægid.* & in Coll. ἱππ. ἀνππ. Designat Erasmus comitia, quæ præter alia Augustæ celebravit Carolus V. ut in dies crescentes ob religionis reformationem tumultus sedaret. Nam eo tempore Lutherani Cæsari obtulerunt Confessionem fidei suæ, quæ inde *Augsburgica* vulgo dicta est.

8 Non utile est.

9 *Traducere*, pro malam famam de aliquo spargere. Respice in Coll. *Franciscc.* & *Senatulo.*

10 Merdardum à merda. Respice princip.

vocant. LE. Merdardum illum probe novi. Nimirum is ipse est, qui nuper in convivio Erasmum nostrum appellavit [1] diabolum. HI. Rem tenes. Sed quod in convivio dixit, tametsi non omnino dixit impune, qui civiliores erant imputabant [2] temulentiæ, & vino censebant inscribendum. LE. Sed quid excusationis attulit objurgatus? HI. Negavit se dixisse ex animo. LE. Qui potuit ex animo, cui nihil erat mentis aut animi? HI. Sed mihi ac doctis omnibus visum est intolerabile, quod publicitus, quod eo in loco, quod apud tales auditores, denique quod in tam celebri monarcharum conventu, Merdardus suas [3] merdosas purulentias effuderit. LE. Aveo scire quid dixerit. HI. Multa stolidissime [4] debacchatus est in Erasmum nostrum, quorum hæc erat [5] summa. His, inquit, temporibus exstitit quidam novus doctor Erasmus; lapsa est lingua, asinus volebam dicere: simulque populo interpretatus est, quid Germanice sonaret asinus. LE. Rem mire facetam narras. HI. Itane facetam? imo fatuam potius. LE. An non tibi facetum videtur, talem asinum quenquam omnino vocare asinum, nedum Erasmum? Unum illud scio, si Erasmus ipse præsens fuisset, non potuisset à risu temperare. HI. Profecto non minus refert asinum animi stupore, quam [6] colore vestis. LE. Neque arbitror, in tota [7] Arcadia esse ullum asinum usque adeo asinum, quin hic dignior sit, qui fœno pascatur, quam ille. HI. Prorsus inversus est

[1] Apu-

1 Diabolus quis dicatur respice in *Conv. relig* pag. 178.

2 Ebrietati *Temetum*, vinum.

3 Stercoreas.

4 *Debacchari*, proprie ex ebrietate furere. Inde pro vehementer in aliquem declamare.

5 Caput rei.

6 Qui cinericeus est. Erat enim Franciscanus. Franciscanorum ordines & cultum disce ex notis in *Ichthyoph.* pag. 547.

7 Arcadia Peloponnesi regio fertilissima ingentes asinos habet, ut in proverbio est. *Ne quidem Arcadia prodigiosiores habet asinos.*

1 Re-

[1] Apulejus: ille sub asinina specie tegebat hominem; hic sub hominis specie tegit asinum. LE. At tales asinos hodie musso & placentis saginamus; ut mirum non sit, si mordeant quemlibet, & calcibus feriant. HI. Is, inquit, doctor asinus audet corrigere [2] Magnificat, cum id canticum sit à Spiritu sancto proditum per os sacratissimæ Virginis. LE. Agnosco [3] παροιμίαν ἀδελφικὴν. HI. Atqui id verbis exaggerabat, quasi summa esset admissa blasphemia. LE. Mihi nunc cor metu palpitat. Quid erat criminis? HI. Ajebat Erasmum pro eo quod ecclesia canit, *Quia respexit Dominus humilitatem ancillæ suæ*, vertisse, *Quia respexit vilitatem ancillæ suæ:* eaque vox odiosius sonat Germanice quam Latine. LE. Quis autem non fateatur esse blasphemiam execrabilem, si quis sacratissimam Christi matrem, etiam angelica dignitate celsiorem, appellet vilem ancillam? HI. Age; quid si quis appellet Apostolos servos inutiles? LE. Pararem blasphemo [4] fasciculos. HI. Quid si quis eximium illum Paulum appellet indignum Apostoli nomine? LE. Clamarem, ad ignem. HI. Atqui sic Apostolos suos loqui docuit ille doctor unus irrefutabilis Christus: [5] *Cum omnia feceritis, quæ præcepta sunt vobis, dicite, Servi inutiles sumus.* Et hujus præcepti non immemor Paulus de se prædicat, [6] *Minimus sum omnium Apostolorum, atque adeo indignus Apostoli titulo.* LE. Verum ubi de se talia prædicant homines pii,

1 Revise notas in *Inquisit. de fide*, pag. 315.

2 Canticum Mariæ vulgo ita vocant, quia his verbis incipit: *Magnificat anima mea*, &c.

3 id est: *Proverbium fraterculorum.* Interim ludit in voce ἀδελφικὴν, quæ significat *fraternum*, & intelligi posse quasi *non Delphicum*, hoc est, non ita verum, quemadmodum olim dicta Apollinis Delphici habita sunt, sed vulgatum.

4 Lignorum & ramalium materiem, quibus ut Hæreticus comburi posset. Ita loquitur Autor, ut execrandam ostendat quorundam crudelitatem, qui alios secus de religione sentientes mox igni comburendos clamant.

5 Luc. 17. v. 10.

6 1. Cor. 12. v. 11.

pii, modestia virtus est, qua nulla Deo gratior: si quis alius idem prædicet de illis, præsertim in divorum consortium relatis, gravis sit blasphemia. HI. Pulchre nodum [1] secuisti. Proinde si Erasmus adorandam illam Virginem dixisset vilem ancillam Domini, nemo non fateretur esse dictum impie. Cæterum quoniam ipsa ad istum modum de se loquitur, & in illius cedit gloriam, & nobis salutare modestiæ exemplum exhibetur: ut, quoniam, quidquid sumus, munificentia Dei sumus, quo quisque major est, hoc se gerat submissius. LE. Hactenus quidem inter nos convenit. Verum isti cum corrigere dicunt, sentiunt corrumpere, sive [2] falsare. Illud itaque videndum, an *vilitatis* verbum Græcæ [3] voci, quam Lucas posuit, respondeat. HI. Istam ipsam ob causam à concione mox ad codicem cucurrimus. LE. Exspecto [4] venatum. HI. Verba quæ Lucas afflatu spiritus sanctissimis digitis suis exaravit, sic habent; ὅτι ἐπέβλεψεν ἐπὶ τὴν ταπείνωσιν τῆς δέλης αὐτῦ. Ea sic reddidit noster Erasmus: *Quia respexit ad humilitatem ancillæ suæ:* Tantum addidit præpositionem, quam Lucas [5] non omisit: nec eam respuit Romani sermonis elegantia, nec ad sensum est otiosa. Sic enim loquitur Terentius in Phormione: *Respice ad me.* In [6] Annotationibus tamen admonet, Lucam potius dixisse, *Adspice ad me*, quam *Respice ad me.* LE. Interest igitur aliquid inter respicere & adspicere? HI. Non ita multum, sed tamen nonnihil. Respicit, qui flexo collo adspicit quæ à tergo sunt: Adspicit, qui simpliciter intuetur, velut apud [1] Teren-

1 Dissolvisti, i. e. rem expedivisti.
2 Pro *falsum facere.*
3 Vox Græca est ταπείνωσις. Luc. 1.
4 Quid in codice venatus sis, hoc est, inveneris ad rem expediendam.
5 Nam habetur ἐπί.
6 Præter versionem Latinam Testamenti Novi; & Paraphrasin in illud, edidit Autor noster & aliud opus, quod *Annotationes in N. T.* inscribitur.

[1] Terentium Phædria adspicit Thaidem domo prodeuntem: *Totus*, inquiens Parmeno, *tremo horreoque, postquam adspexi hanc.* At hujus frater Chærea [2] sic loquitur; *Cum huc respicio ad virginem.* Nam ad senem sese flexerat; eo abiolúto reflexit corpus ad virginem. Interdum tamen usurpant; *Respicere*, pro eo quod est [3] rationem sive curam habere, sive rei cujuspiam imminentis, sive præsentis. Ita [4] Satyricus:

Respicere extremæ jussit spatia ultima vitæ.

Mors enim velut à tergo imminens sequitur, ad quam reflectimus oculos, quoties eam animo reputamus. Et Terentius: *Respice senectutem tuam.* Proinde qui alibi intentus non habet curam liberorum, dicitur *illos non respicere.* Rursus qui discussis aliis curis, cogitationem huc vertit, eleganter *respicere* dicitur. At Deus unico intuitu contuetur universa, præsentia, præterita & futura; & tamen in scriptura nobiscum humano more loquitur. *Aversari* dicitur eos, quos reprobat; *respicere*, quos aliquandiu veluti neglectos dignatur suo favore. Verum hoc magis expressisset Lucas, si dixisset, ἀπέβλεψεν, nunc legimus ἐπέβλεψεν. Sed utrum legas, minimum refert ad sensum. LE. At videtur otiosa præpositio repetita. HI. Certe sic & Latini loquuntur; *Accessit ad me.* [5] *Appulit animum ad scribendum.* Heic mihi præpositio non videtur otiosa. Nam respicere potest, qui in tergum flectit oculos casu quopiam, in nullam rem certam intendens intuitum: ac cum audis, *Respexit ad me*, exprimitur peculiaris favor volentis huic aut illi succurrere. Item *adspicimus* inter-

1 In Eunucho, Act. 1. Sc. 2.
2 In Eunuch. A. 1. Sc. 3.
3 Non semel in Terentio *respicere* pro rationem habere.
4 Juvenalis in Satyr. 10. de Crœso loquens ita inquit. *--- Quem vox justi facunda Solonis. Respicere ad longa jussit spatia ultima vitæ*, non extremæ.
5 Terentianum est in Prologo Andriæ.

interdum casu obvia, quorum nobis nulla cura est, imo quæ videre nolumus. At quisquis ad aliquem *adspicit*, peculiariter attentus est ad id quod intuetur. Ad hæc, multa simul *adspicimus*, sed non ad multa. Spiritus itaque sanctus, volens nobis exprimere singularem erga sanctissimam virgunculam favorem, sic per illius os loquutus est: *Quia respexit ad humilitatem ancillæ suæ.* Avertit oculos ab elatis, suoque judicio magnis; & obtutum suum flexit ad eam, quæ in oculis suis erat infima. Nec enim dubium est, quin multi fuerint docti, potentes, divites, nobiles, qui sperabant Messiam ex ipsorum stirpe proditurum: sed illos aspernatus Deus, clementissimi favoris oculos flexit ad virginem, fama obscuram, opibus tenuem, [1] fabro nuptam, ne [2] sobole quidem ulla divitem. LE. Nondum audio quidquam de *vilitate*. HI. Ea vox [3] sycophantæ fuit, non Erasmi. LE. At in Annotatione forsitan meminit *vilitatis*. HI. Nequaquam. In vocem ταπείνωσιν tantum hoc modestissime notat. *Ut intelligas*, inquit, *parvitatem, non animi virtutem:* situque sensus; *Etsi sim infima ancilla, tamen non est aversatus me Dominus.* LE. Hæc si vera sunt ac pietatis plena, quid est quod [4] obrudant onagri? HI. Latinæ vocis ignorantia parit hos tumultus. *Humilitas* apud veteres emendatius loquentes non declarat virtutem animi, quæ pugnat cum arrogantia, diciturque modestia, sed conditionis abjectiorem sortem: quo sensu ignobiles, [5] tenues, [6] idiotas, & contemtos,

1 *Josepho* scil. quem fabrum fuisse colligitur ex admiratione Judæorum dicentium, οὐχ οὗτός ἐστιν ὁ τέκτων; *Non ne hic est Faber?* de ipso Christo, qui forte una cum Josepho manibus laboraverat. Marc. cap. 6. v. 3.

2 Prole.

3 *Calumniatoris* Merdardi istius. Qui dicantur *Sycophantæ* revise notatum in *Ichthyoph.* pag. 560.

4 *Rudere* asinorum est, & ὄναγος est *asinus sylvestris.*

5 Pauperes, tenuis fortunæ homines.

6 Ἰδιώτης, proprie privatus. Latinis *Idiotæ* frequenter pro *illitterato. Respice Conv. Relig.*

temtos, humiles dicimus, quasi humi repentes. Quemadmodum igitur magnatibus loquentes dicimus, *Rogo ut tua* [1] *celsitudo nobis hac in re faveat*: ita qui de se loquentes sua volunt elevare, dicere solent, *Quæso ut humilitatem nostram tua humanitate subleves*. Nam pronominum [2] primogeniorum emphasis interdum habet nescio quid arrogans. Quod genus est illud, *Ego dicam, ego perficiam*. Bifariam itaque [3] puella modestissima simul & suam [4] *sortem* extenuavit, & numinis in se munificentiam extulit, non contenta se ipsam *ancillam* dicere, sed addidit, *humilem ancillam*, & infimæ sortis. Quemadmodum, juxta proverbium, [5] servus præ servo est; ita & inter ancillas alia est alia præstantior, nimirum pro dignitate functionis. Honestior enim comtrix quam lotrix. LE. At miror Merdardum non agnovisse sermonis formam, cum ipse frequenter audierim Franciscanos ita loquentes, *Mea parvitas agit tibi gratias pro* [6] *lauta refectione*. HI. Quidam non multum aberrarent, si dicerent, [7] mea pravitas. Cæterum quoniam Græca vox ταπεινοφροσύνη quiddam amplius exprimere videtur, quam Latina, *modestia*, Christiani maluerunt *humilitatem* dicere quam *modestiam*: hoc est, maluerunt significantius loqui quam elegantius. *Modestus* enim is dicitur, qui modice de se sentit, nihil sibi præter meritum arrogans. At

1 *Celsitudo tua*, &c. formula magis usitata quam probata doctis, ut inquit Autor supra in principio formularum.

2 Vel *primitivorum*. Grammaticis *primitiva* vel *primogenia* dicuntur, quæ non derivantur ab alio, vel certe quorum origo vel ignota, vel incerta est.

3 Virgo Maria.

4 Vitæ conditionem.

5 *Servus præ servo est*, proverbium monet non omnes homines fortunæ tenuis esse æquales, sed & interesse inter servum & servum, ideoque & hominum esse habendam rationem, & conditionis. Nam qui ipse servus est, aliquando in alios imperio utitur. Et Dominus majori domino paret.

6 *Pro lauta refectione*, barbare, pro quod me laute exceperis.

7 Nota ironicam paronomasiam. Non humiles nec *parvi* sunt monachi, sed *pravi*.

1 Assu-

At ταπεινοφροσύνης laus non competit nisi in eum, qui minus sibi arrogat quam habet. LE. At periculum est, ne dum *modestiam* amplectimur, incidamus in *vanitatem*. HI. Qui sic? LE. Nam si verum dixit Paulus, *Non sum dignus vocari Apostolus*; & si vere se dixit Maria *ancillam humilem*, hoc est, infimæ sortis; periclitantur de mendacio, qui utrumque tam magnificis efferunt laudibus. HI. Nihil hic, ô bone, periculi: cum nos laudibus vehimus pios aut pias, prædicamus in illis Dei beneficentiam: cum ipsi semet abjiciunt, respiciunt vires ac merita sua, si desit favor numinis. Nec statim mendacium est, si quis sibi non [1] vindicat quæ habet: si loquitur ex animo, fortassis error dici potest, mendacium dici non potest. At hunc errorem in nobis amat Deus. LE. At Paulus qui [2] se negat esse dignum Apostoli titulo, alibi magnifice de se prædicat, commemorans sua facinora: *Plus*, inquit, *omnibus laboravi; & [3] qui videbantur esse aliquid, nihil mihi contulerunt:* cum sanctissima Virgo tale nihil dixisse legatur. HI. Sed ista facinora Paulus appellat suas infirmitates, quibus illustrata est Dei potentia; eamque commemorationem vocat *insipientiam*, ad quam sit adactus [4] pseudapostolorum improbitate, ob quos fuit illi necesse sibi vindicare auctoritatem apostolicam, non quod ipse delectaretur humana gloria, sed quod [5] expediret Evangelio, cujus dispen-

1 Assumit.

2 Ita inquit, Paulus in Epist. 1. ad Corinth. Cap. 15. Χάριτι δὲ θεοῦ εἰμι ὅ εἰμι· καὶ ἡ χάρις αὐτοῦ ἡ εἰς ἐμὲ οὐ κενὴ ἐγενήθη, ἀλλὰ περισσότερον αὐτῶν πάντων ἐκοπίασα, id est, *Gratia autem Dei sum, quod sum. Et gratia ejus in me non vacua fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi.*

3 In Epist. ad Galatas Cap. 2. ἐμοὶ γὰρ οἱ δοκοῦντες, εἴδέν προσανέθεντο. *Mihi enim qui videbantur esse aliquid, nihil contulerunt.*

4 Ψευδαπόστολος, qui falso nomen Apostoli usurpat, ψευδὴς, *falsus, mendax.*

5 Utile foret, prodesset.

1 Ge

dispensatio fuerat illi credita. In Virgine matre non fuit eadem ratio: non enim illi commissum erat munus prædicandi Evangelii. Tum & sexum, & virginem, denique Jesu matrem decebat summus pudor, summaque modestia. Nunc venio ad hujus erroris fontem. Qui Latine nesciunt, putant humilitatem nihil aliud declarare, quam insignem modestiam: cum interdum referatur ad locum, aut conditionem, non ad animi virtutem; interdum sic referatur ad animum, ut vitium sonet. LE. Etiamne in sacris litteris? HI. Maxime. En tibi locum apud Paulum ad Col. Cap. 2. *Nemo vos seducat volens in humilitate & religione Angelorum.* Nec heic est ἐν ταπεινώσει, quæ vox est in cantico Virginis, sed ἐν ταπεινοφροσύνῃ. Locus habet nonnihil obscuritatis, fateor: sed mihi videtur [1] germanus sensus, quem accuratius docti adferunt, *Ne sitis tam humili, tamque abjecto animo, ut cum semel dedicaveritis vos ipsos Christo salutis unico auctori, patiamini vobis persuaderi, ab Angelis sperandam esse salutem, quos quidam sibi fingunt apparuisse. Sitis excelso animo, ut, etiamsi vere Angelus quispiam è cœlo veniens prædicet vobis aliud Evangelium quam quod Christus tradidit, sit vobis execrabilis, velut Angelus impius & Christi adversarius. Multo minus convenit vos esse tam demissis animis, ut istorum fictis apparitionibus patiamini vos abduci à Christo. Ab uno Christo sperare salutem, religio est; ab Angelis aut divis idem exspectare, superstitio est.* Paulus igitur vult, humilis abjectique animi esse, ab illo sublimi Christo ad commentitias Angelorum apparationes desciscere: demissi ingenii est, quorumlibet suasu circumagi. Vides heic ταπεινοφροσύνην in vitium usurpatam esse. LE. Quid ni videam? HI. Rursus in eodem capite: *Secundum præ-*

1 Genuinus, rectus, verus.

præcepta & doctrinas hominum, quæ sunt rationem quidem habentia sapientiæ in superstitione & humilitate. Heic iterum ταπεινοφροσύνη vitium sonat. LE. Palam est. HI. Atqui 1. Pet. 5. usurpatur pro virtute quæ contraria est superbiæ, [1] τὴν ταπεινοφροσύνην ἐγκομβώσασθε, pro quo nos legimus, *humilitatem insinuate.* Rursum ad Phil. 2. τῇ ταπεινοφροσύνῃ ἀλλήλους ἡγέμενοι ὑπερέχοντας ἑαυτῶν, id est, *Per animi modestiam unusquisque alium se præstantiorem existimet.* LE. Docuisti, ταπεινοφροσύνην usurpari in utramque partem, cum apud Latinos *modestia* non usurpetur nisi in laudem. Verum potesne docere ταπείνωσιν accipi pro modestia? HI. Nihil absurdi, si quis ad istum modum usurpet. Nam & animo tribuere submissionem aut demissionem pro modestia, nihil vetat. Cæterum, an in divinis literis ita positum reperiatur, nescio. LE. Vide num apud divum Jacobum ita sit usurpatum; [2] *Glorietur autem frater humilis in exaltatione sua, dives autem in humilitate sua.* HI. Isto quidem loco est ἐν ταπεινώσει non ταπεινοφροσύνῃ. Quod si contendas heic *humilitatem* accipi pro *modestia*, consequens est, ut *exaltationem* accipiamus pro *superbia:* ac protinus gemina existet absurditas. Nam ut *modestus* non est, qui de sua modestia gloriatur ac jactitat sese; ita bis *arrogans* est, qui de sua superbia gloriatur. LE. Quid igitur sibi vult Apostolus? HI. Commendat æqualitatem inter Christianos. Pauper dicitur *humilis* ob fortunam abjectiorem: dives dicitur *sublimis*, utique juxta mundum, ob fortunæ splendorem. Hic dives se demittit ad sortem pauperum, & pauper erigitur ad æqualitatem divitum. Uterque habet

1 Τὴν ταπεινοφροσύνην ἐγκομβώσασθε, id est, *Ornate*, vel *vestite vos intus humilitate.*

2 Jacobi verba Cap. 1. ita sese habent, καυχάσθω δὲ ὁ ἀδελφὸς ὁ ταπεινὸς ἐν τῷ ὕψει αὐτοῦ, ὁ δὲ πλούσιος ἐν τῇ ταπεινώσει αὐτοῦ.

1 Distri-

habet quod glorietur: alter gaudet suis opibus sublevari pauperum inopiam: alter glorificat Christum, qui eam mentem inspirarit divitibus. LE. Sed interim dives ille modestiæ laudem habet. HI. Fortasse: sed non ideo protinus ταπείνωσις significat *modestiam*. Sunt enim qui venantes laudem ab hominibus, multa pauperibus [1] erogant. Quin potius uterque modestus est, si modo adsit sincera pietas: dives, dum non gravatur ob Christum æquari pauperi; pauper, dum ob honorem sibi habitum non insolescit, sed Christo gratias agens in illo gloriatur. Illud extra controversiam est, ταπείνωσιν in divinis libris frequentissime usurpari pro *demissione*, sive *dejectione*, quæ fit per afflictionem, aut conditionis infirmitatem. Ita Paulus Phil. 3. *Reformabit corpus humilitatis nostræ*, ταπεινώσεως. Item Psal. 9. *Vide humilitatem de inimicis meis*, ταπείνωσιν. Rursum 118. *Hæc me consolata est in humilitate mea*, ἐν ταπεινώσει, nimirum in afflictione. Hujus generis loca sunt complura, quæ longum sit heic referre. Quemadmodum igitur [2] μεταφορικῶς ταπεινὸς dici posset ὁ ταπεινόφρων, qui modesto sit animo, minimeque elato; ita [3] nihil prodigii fuerit, si quis ταπείνωσιν dicat ταπεινοφροσύνην, nos de scripturæ usu loquimur. Cæterum qui contendunt in cantico Mariæ ταπείνωσιν sonare modestiam animi, quin eadem opera sic interpretantur quod legimus Genes. 29. *Vidit Dominus humilitatem meam*, ταπείνωσιν. Lia non jactat suam modestiam, sed, quod ob deformitatem minus esset cordi marito, *humilitatem* appellat. Eundem ad modum Deuter. 26. *Et respexit humilitatem, & la-*

1 Distribuunt.

2 Μεταφορικῶς, Metaphorice, i. e. *per translationem.*

3 *Nihil prodigii*, id est, *nihil mirum. Prodigia* sunt quæ aliquid portendunt, *monstra, portenta.*

& laborem, atque anguſtiam. An non heic ταπείνωσιν appellat *afflictionem?* LE. Unde igitur iſtis in mentem incidit, ut *humilitatem* in Cantico interpretentur animi modeſtiam? HI. Nihil aliud video cauſæ, niſi quod multi Theologi neglexerint & linguarum peritiam, & Latini ſermonis ſtudium, una cum priſcis eccleſiæ doctoribus, qui ſine hiſce [1] præſidiis ad plenum intelligi non queant: præterea quod difficillimum ſit revellere, ſi quid penitus inſederit animo. Porro videas quosdam tantum ſcholaſticis placitis tribuere, ut malint ad ea detorquere ſcripturam, quam ad ſcripturæ regulam opiniones humanas corrigere. LE. At iſtuc abſurdius eſt, quam quod narrant de [2] regula Lesbia. HI. [3] Beda monachus, non admodum gravis auctor, quoties ab alienis recedit veſtigiis, ex occaſione dictæ humilitatis meminit de ſuperbia. At [4] Theophylactus ſcriptor Græcus, qui ſua fere ex probatiſſimis Græciæ ſcriptoribus hauſit, negat, heic ταπείνωσιν accipi poſſe pro virtute. LE. Ad iſtuc probandum quid opus eſt auctoritate, cum ipſe ſenſus communis reſpuat eam interpretationem? HI. Recte dixiſti. Nam cum modeſtia ſit quodammodo [5] colophon ac tutatrix omnium virtutum; immodeſtia eſt, ſi quis eam de ſe prædicet. Fatemur quidem, in ſanctiſſima Virgine virtutem hanc fuiſſe ſummam & incomparabilem; (Chriſtum ſemper excipio;) ſed hoc ipſo ob modeſtiam laudabilior eſt, quod eam ipſa

1 Auxiliis.

2 Eraſmus in Chiliadibus ſuis adagium regulæ Lesbiæ detorquet ex Ariſtotelis Moral. lib. 5. ubi loquitur de plumbea Lesbiæ ædificatione, quæ non fit juxta regulam, ſed transmovetur ad lapidis figuram. Hinc Lesbia regula res agi dicitur, quoties præpoſtere non ad rationem factum, ſed ratio ad factum accommodatur. Aut cum lex moribus applicatur, non mores ad legem emendantur.

3 Quis ille Beda reviſe in Coll. *Peregrin. Relig. ergo.*

4 Theophylactum reſpice in *Conv. Relig.* pag. 160.

5 Κολοφὼν, finis, ſumma manus, vel perfectio rei.

1 Mecæ-

ipsa non laudat, sed agnoscens suæ conditionis humilitatem, mysterii magnitudinem adscribit misericordiæ divinæ. Maria, inquiunt, per modestiam meruit fieri mater Dei. Donemus, hoc aliqua ex parte verum esse: verum quæ tandem modestiæ species est, puellam hoc de se prædicare? LE. Quin & ipse cantici tenor declarat, illam de sua indignitate loqui; eoque sic orditur: *Magnificat anima mea Dominum.* At qui dicit, *merui fieri mater Dei per modestiam*, se magnificat, non Dominum. Non subjicitur: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Ecce*, significat rem subitam & inexpectatam. Non expectat autem summum honorem, qui se nullo honore dignum judicat. Nec felicitas dicitur, si contingat quod meritis debebatur. Flaccus enim negat, se hoc nomine felicem appellandum, quod à Mecænate in amicorum numerum adoptatus esset. HI. Quam ob rem? LE. Quia judicio fuit ascitus, non gratuito favore. Mecænas hoc illi tribuit, quod ejus virtutibus deberi judicarat. HI. Eodem pertinet, quod sequitur, *Quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen ejus.* Non dixit, fecit mihi magna, quia me dignam judicavit, sed, *quia potens est*, & facit quæcunque vult, & ex indignis facit suo favore dignos; & ideo sanctum nomen ejus: *sanctum* dixit gloriosum. Quantum autem nostris meritis arrogamus, tantum detrahimus divini nominis gloriæ. Nam juxta Paulum, illius potentia per nostram imbecillitatem perficitur. Mox in eo versu, *Deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles*, non est ταπεινόφρονας, sed ταπεινὰς, hoc est, *contemtos juxta mundum*; ut opponatur *potentibus*. Hunc versiculum, juxta Propheticæ eloquutionis morem declarat sequens. *Esurien-*

1 Mecænatem revise in formulis, & in *Epith. Petri Ægidii.*

Esurientes implevit bonis, & divites dimisit inanes. Quos modo dixerat *humiles*, heic appellat *esurientes*, hoc est, tenues; quos modo *potentes*, heic *divites* vocat. Proximo versu fit mentio misericordiæ sese per omneis orbis nationes profundentis. In extremo versu prædicat fidem Dei in promissis, *Sicut locutus est*, &c. Toto cantico prædicatur gloria, hoc est, potentia, bonitas, & veritas Dei: nulla est meritorum mentio. LE. Sed ut potentiam ac divitias comitatur superbia, ita paupertas docet modestiam. HI. Non equidem [1] inficior, istuc interdum accidere; sed videas plerumque [2] pauperes arrogantissimos; si negas, objiciam Merdardos multos. Verum [3] demus esse, quod non est perpetuum; non jam agitur qualis fuerit sacratissima Jesu mater, sed qualia de se prædicarit in hoc cantico. LE. Demiror istorum pervicaciam, qui toties moniti, frequenter etiam irrisi, non resipiscant. HI. Quoties moniti sunt, *declamationem* esse ficti [4] thematis tractationem, ad exercendam dictionis facultatem adhiberi solitam? & tamen istis *declamatio* nihil aliud est, quam sacra concio. Quoties inclamatum est illis, [5] cœlibem esse quisquis uxorem non habeat, etiamsi sexcentas alat concubinas? & tamen cœlibatus istis nihil aliud est, quam continentia & castitas. Idem usu venit *de humilitate* aliisque similibus quamplurimis. LE. Unde stupor tam pertinax? HI. De Merdardis respondeo. Non dederunt [6] a puero operam litteris; nec est illis præceptorum aut librorum copia: si quid istiusmodi facultatis obtigit, malunt [7] abdomini imponere.

1 Nego.

2 Monachos nempe splendide pauperes.

3 Concedamus.

4 Argumenti.

5 Cœlebs dicitur, qui conjugii experes.

est, quasi κοίλη, ex κοίτη & λείπεσθαι.

6 A puericia. Sic dicitur, *a cunis*, vel *ab incunabulis*, *a teneris*, sc. *annis*, *a teneris unguiculis*, &c.

7 Luxui. Quid proprie *abdomen* respice in *Charonte*.

impendere. Sacrosanctam illam [1] vestem existimant abunde sufficere & ad pietatis & ad eruditionis opinionem. Postremo putant nonnullam esse religionis partem, si cum suo [2] Francisco ne Latine quidem loqui sciant. LE. Profecto plurimos novi, qui ista ex parte belle referant [3] instituti sui principem, qui *caperonem* dixit pro galero, opinor & *vestimentibus* pro vestibus. At Franciscus constanter recusavit [4] presbyteri honorem; quod idem, opinor, fecit [5] Benedictus & Dominicus. Nunc isti cum suis vestimentis non abhorrent à [6] galero Cardinalicio. HI. Quid ais? imo ne à [7] corona quidem triplici; & humiles illi pauperis Francisci filii porrigunt calceos suos summis orbis [8] monarchis osculandos. LE. Jam si fuisset facta vilitatis mentio, quid erat [9] piaculi? HI. Nihil, si vilem intelligas, qui parvo æstimatur apud homines, aut qui sibi videtur contemtibilis. Sed quid opus excusare quod dictum non est? LE. Non puduit Merdardum ad istum mentiri modum? Idque in fano tam celebri, in frequentissima monarcharum [10] synodo, coram tot eruditis viris, quorum plerique Erasmicas [11] lucubrationes evolverant? HI. Puduit, ais? Imo

1 Franciscanam scil. cui nescio quam sanctitatis vim inesse non sine execrabili superstitione Pontificii credunt.

2 Ipse enim Franciscus plane idiota fuit, qui neque natare, quod ajunt, neque litteras novit.

3 Ordinis.

4 Πρέσβυς senex, in compar. Gr. πρεσβύτερος, senior. Ita dicti à Christianis seniores, qui ecclesiæ præsunt, quique vel politiam ecclesiasticam, vel docendi munus administrabant.

5 Benedictum & Dominicum revise in *Colloquio simil.*

6 Id est à **munere** Cardinalium, quos vocant. Meton. adj. nam Cardinales Romani rubro pileo caput tegunt.

7 A Pontificatu maximo. Pontificibus enim Romanis triplex corona caput ornat.

8 Μόναρχος vel μονάρχης qui solus imperat. Princeps. Respice Colloquium Franciscanorum. *Sed tamen hujus (vestis) qualis qualis est, non puduit aliquando Cardinales & summos Pontifices.*

9 Criminis expiatione digni.

10 Σύνοδος, conventus.

11 Vide mox infra.

Imo tibi visus est scurra [1] rem palmariam ac [2] triumpho dignam facere. Hoc est quartum Merdardorum [3] votum, longe tribus illis religiosius, Nihil omnino pudere. LE. Istius profecto plerique sunt [4] observantissimi. HI. Nec erat simplex mendacium. Primum Mariæ canticum, ut est à Luca scriptum, manet intactum. Qui vero corrigere dicitur, qui nihil mutat? Deinde vox humilitatis immutata non est; nec ulla usquam vilitatis mentio. Postremo non corrigit canticum, qui bona fide reddit quod scripsit Lucas, sed explicat. LE. Video triplex mendacium [5] effronte scurra dignum. HI. Mane: nondum audisti, quod est omnium impudentissimum. LE. Etiamne amplius? HI. Vociferabatur, doctorem illum asinum fuisse principem, auctorem & antesignanum universi tumultus, quo nunc concutitur orbis Christianus. LE. Quid ais? HI. Huic imputandum quod tot sectis discinditur ecclesia, quod [6] sacerdotes spoliantur decimis, quod contemnuntur episcopi, quod sacrosanctæ Pontificis majestati passim [7] oppeditur, quod [8] agricolæ vetus [9] gigantum exemplum instaurarunt. LE. Ista

1 *Res palmaria*, quæ triumpho vel palma digna est, vel quod in palma est, hoc est, in laude Palma in certaminibus signum victoriæ. Terent. in Eun. Act. 5. Sc. 4. *Quod ego puto palmarium me reperisse.*

2 Respice *Conv. relg.*

3 Ridet Autor tria Monachorum vota, nempe *perpetuam castitatem, cæcam obedientiam, & voluntariam paupertatem.* Ideoque quartum addit *imprudentiæ* votum.

4 Franciscanorum ordinem triplicem *Capuccinorum, Observantium, & Gaudentium*, respice in Collo. *Francisc.* pag 346.

5 Impudente. Frontem pudori saepe non semel supra notatum. Vide *Francisc.* &c.

6 Respice *Puerperam* in principio.

7 *Oppedere*, proprie contra pedere, contra ventris flatum emittere. Metaphorice, uti hoc loco, pro *adversari.*

8 Nam eo ferme tempore, circa 1520. rustici in Suevia magnos motus concitarunt.

9 Gigantes olim Cœlum oppugnare ausos, notum est ex Poëtarum fabulis. Vide Ovidii Metamorph. lib. 1. fab. 5. *Neve foret terris securior arduus æther, Affectasse ferunt regnum cœleste gigantes, Altaque congestos struxisse ad sidera montes.* Dicti gigantes è terra nati, à γίνεσθαι, & γῆ. Vide infra Philodoxum.

1 Scri-

Ista publicitus? HI. Magnis clamoribus. LE. Atqui longe secus existimant, qui Erasmi libros attentius introspiciunt. Horum plurimi fatentur, se ex illius [1] lucubrationibus hausisse veræ pietatis semina. Totum hoc incendium per monachos ortum, per eosdem huc usque [2] incanduit, quod non aliter nunc quoque conantur extinguere, quam si [3] oleum, quod ajunt, addant camino. HI. Vides [4] ὡς κάκιστον θηρίον ἐστιν ἡ γαστήρ. LE. [5] Rem acu tetigisti. Illi nimirum expedit, in populo Christiano superstitionis esse quam plurimum, pietatis quam minimum. Sed quid [6] concio? ferebatne [7] Cumanum asinum, tam insolenter rudentem è suggesto? HI. Quidam mirabantur, quid accidisset homini. Qui stomachi erant impatientioris, surgebant, atque è templo abibant, submurmurantes, Venimus huc audituri laudes divæ Virginis, & hic temulentus nobis evomit meras [8] sycophantias. In his erant etiam non paucæ mulieres. LE. Atqui solet hoc genus mire deditum esse isti sodalitio. HI. Vera prædicas; sed cœperunt & feminæ sapere. Eruditi, quotquot aderant, plerique ringi, nonnulli etiam [9] subsibilare. LE. Non curat asinus sibila; oportuit

1 Scriptis nocte elaboratis. Nam *lucubratio* & vigilia est, & opus quod lucubrando fit. Est autem *lucubrari*, aliquid nocte ad lucernam componere.

2 Processit. Sic Metaphorice incendium pro tumultu.

3 *Oleum camino addere*, proverbium allegoricum est, pro malum malo augere.

4 Ὡς κάκιστον θηρίον ἐστιν ἡ γαστήρ, id est, *Ut pessima bestia venter est.* Venter & abdomen, sæpius pro luxu. Vide *Charontem.* Notat Monachos ventricolas, luxus gratia lingua abutentes.

5 Respice pag. 39.

6 Cœtus auditorum.

7 Fabula est de asino fugitivo, qui apud Cumanos gessit se pro leone. Hinc ὄνος παρὰ κυμαίοις, id est, *Asinus apud Cumanos*, dicitur de homine inepto, & ridiculo, qui tamen apud ignoros in pretio habetur.

8 Calumnias, mendacia, à *Sycophanta*, cujus originem require in *Ichthyoph.* pag. 560.

9 *Sub* in compositione sæpe diminuit. *Subsibilare*, id est, fermè explodere. Metaph. à spectatoribus, qui fabularum actores, si populo non placent, explodebant. Horat. lib. 1. Sat. 1. *Populus me sibilat: at mihi plaudo.*

portuit talem [1] rabulam putribus ovis aut ruderibus e [2] suggesto deturbare. HI. Non deerant qui hoc illo dignum existimarent; sed cohibebat illos loci reverentia. LE. Sed loci religio non debet his opitulari, qui locum scelere profanarunt, veluti qui in templi septis occidunt hominem, non æquum est ut illic habeant [3] asylum: itidem qui in sacris concionibus & loci religione, & populi patientia stolide abutitur, huic non oportet esse [4] præsidio quod ipse sua temeritate profanavit. Laudatus est à priscis ille, qui eum non habuit pro Consule, cui ipse non esset Senator: nec par est, ut populus eum habeat pro [5] Ecclesiasta, cui ipse non est [6] concio. HI. Metuunt [7] fulmen episcoporum, [8] *Si quis instigante diabolo* &c. nosti legem. LE. Sed prius in tales rabulas episcopi debebant vibrare fulmen. HI. Metuunt & illi. LE. Quos? HI. Illos ipsos rabulas. LE. Quam ob rem? HI. Ob hoc ipsum, quod rabulæ sunt. LE. Apostoli non metuebant regum & præsidum minas; & isti metuunt unum mendicum? HI. Sed ob istuc ipsum magis formidandi, quod mendici sunt: quod eripiatur non habent, quo lædant habent. Abi tu lodes [9] ad vesparum aut crabronum nidum aliquem, & unam quamlibet ex illis digito contige, ea res si tibi bene successerit, redito ad me, & episcopos ignavos appellato, qui refugiant unum mendicum irritare. Romanum Pontificem

1 Vide notas in principio hujus Coll.

2 Respice *Evangelioph.*

3 Revise *inst. divin.* pag. 687.

4 Auxilio. Revise *Conviv. relig.* pag. 165.

5 Ἐκκλησιαστὴς, concionator.

6 *Concio* significat multitudinem populi ad audiendum congregatam, & locum, in quo concio habetur, & orationem ipsam.

7 *Excommunicationem*, quam vocant.

8 Canon est in Decretis, quo excommunicatur, qui in monachos & sacerdotes manus injecerint.

9 Crabrones irritare. Revise *sunus*, pag. 593.

1 Re-

tificem nonne potentissimi Christianæ ditionis monarchæ reverentur? fortassis & metuunt. LE. Nec mirum: est enim Christi [1] vicarius. HI. At [2] Alexander sextus, vir nec stultus nec indoctus, fertur ita loqui solitus, *Se malle è summis monarchis aliquot offendere, quam unum quemlibet fraterculum ex ordine mendicantium.* LE. Omitte Pontifices. Cum istius sceleris rumor ad aures principum, qui tum [3] Augustæ erant, dimanasset, non est sumptum de homine supplicium? HI. Indigne tulerunt omnes, sed præcipue Rex [4] Ferdinandus, & hujus soror Maria, feminarum hujus seculi decus; Bernardus Cardinalis Tridentinus, Balthasar Episcopus Constantiensis. Objurgatus est graviter ecclesiastes, sed à nullo acrius quam à Joanne Fabro Episcopo Viennensi. LE. Quid objurgatio? asinus non sentit nisi fustem HI. Præsertim si in ventrem ingeras. Sed quid illi stolido fecissent principes, longe gravioribus curis occupati? LE. Certe submovissent à concionandi munere, & suam illi benignitatem subtraxissent. HI. At artifex ille [5] pus suum in ipsam concilii dissolutionem distulerat, cum jam alioqui foret abeundum. LE. Isto quidem pacto dicuntur abire [6] cacodæmones, ingenti fœtore relicto. HI. Itaque

1 Respice *Inquisit. de fide*, in principio.

2 Qui fuit natione Hispanus, Theodoricus antea vocatus ex gente Borgia, Calixti III. nepos ex sorore, si non spurius, Pontificatum adeptus est anno 1492. & tandem post gravissima bella in Italia, ac in urbe gesta, veneno periit. Nebulonem nosce ex hoc epitaphio, quod in eum conscripsit poëta Pontificius, *Sævitiæ, insidiæ, rabies, furor, ira, libido, Sanguinis & dirі sponsa, dira sitis, Sextus Alexander jaceo hic, jam libera gaude Roma: tibi quoniam mors mea vita fuit.*

3 Vide supra in hoc Coll.

4 De Ferdinando supra diximus. Ejus soror Maria, filia Philippi & Joannæ, nupta Ludovico Hungariæ regi, cui successit Ferdinandus, post obitum mariti sui nomine Caroli V. fratris Provincias Belgicas rexit annos XXIV.

5 Calumnias suas, quibus, ut vestis pure, ita fama hominum commaculatur.

6 Κακοδαίμων, id est, malus genius, seu dæmon.

1 Fran-

Itaque dimissus est à rege Ferdinando, sed bene pastus. Nam objurgatio ne tantillum quidem detraxit hominis obesitati. LE. [1] Franciscus dicitur concionatus fororibus avibus; iste dignus videtur, qui concionetur fratribus asinis ac suibus. Sed quò se contulit? Quò, nisi ad suos [2] gregales? à quibus exceptus est [3] ovatione ob rem strenue feliciterque gestam; & inter pocula, pro [4] Io triumphe, cantatum est, Te Deum laudamus. LE. Dignissimus est iste Merdardus, qui funem in collo gestet potius quam [5] in lumbis. Sed quid imprecemur isti stolido gregi, qui tales fovet pecudes? HI. Vix invenias quod illis impreceris malum gravius quam ipsi accersunt sibi. Siquidem his rationibus maxime [6] trâducunt sese, & in bonorum omnium conjiciunt odium, efficacius quam quisquam possit hostis. Sed non est Christianæ mentis, cuiquam imprecari male; illud potius optandum, ut clementissimus rerum formator & reformator (qui ex [7] Nabuchodonosor homine fecit bovem, & rursus ex bove fecit hominem, quique asinæ [8] Balaam dedit hominis linguam) omnes Merdardi similes vertat in melius, detque illis & mentem, & linguam viris Evangelicis dignam.

[1] PHI-

1 Franciscum hirundinibus concionatum in principio hujus Coll. annotavimus. Addunt Papicolæ miraculum, si Diis placet, nempe aviculas istas post auditam sacram Francisci concionem in quatuor cœli partes avolasse, indicantes isto augurio, sectam Franciscanorum monachorum in quatuor mundi plagas dispersum iri.

2 Monachos Collegas suos, qui ex eodem grege sunt.

3 De triumpho & ovatione plenius annotata respice in *Conv. relig* & *Cycl.*

4 Respice *Cycl.* sive *Evangelioph.*

5 Nam Franciscani tunicam nodoso fune cingunt.

6 Respice non procul à limine hujus coll.

7 Historiam Regis Nabuchodonosoris refert Daniel cap. 4.

8 Balaami asinam loquentem vide Numer. cap. 22.

[1] φιλό-

[1] PHILODOXUS.

PHILODOXUS, [2] SYMBULUS.

PH. FElix [3] auſpicium interpretor occurſum tuum, Symbule. SY. Utinam ſit aliquid, Philodoxe, in quo tibi queam eſſe felix! PH. Quid [4] auſpicatius, quam ſi quis deus ocurrat homini? SY. Equidem nihil iſtoc exiſtimarem auſpicatius, etiamſi ſexcentæ volitent [5] noctuæ. Sed quem mihi narras deum. PH. Te, inquam, Symbule. SY. Mene? PH. Te plane. SY. Ego deos cacantes nunquam [6] feci pili. PH. Si non fallit proverbium, deum eſſe quisquis juvat mortalem, tu mihi deus eſſe potes. SY. De fide proverbii viderint alii; ego certe perquam lubens amico profuero, ſi queam. PH. Non eſt quod metuas, Symbule; haut peto [7] mutuum: ſacra res eſt conſilium; eo tantum me juva. SY. Atqui iſtuc ipſum eſt petere mutuum, quandoquidem hoc officii genus inter amicos ultro citroque commeare debet, quemadmodum & cætera omnia. Sed quid eſt rei, in quo meum deſideras conſilium? PH. Piget obſcuritatis, cuperem eſſe celebris; commonſtra viam. SY.

1 Φιλόδοξος, Gloriæ cupidus. Docet autor in hoc colloquio, quo pacto quis veram, perpetuam, & livori quam minimum expoſitam gloriam ſibi comparet.

2 Σύμβουλος, Conſiliarius.

3 *Auſpicium*, quaſi aviſpicium, reſpice pag. 6.

4 Felicius.

5 Noctuæ volatus Athenienſibus olim felix. Reviſe coll. *Proc. & puel.* pag. 204. Et *Conv. relig.* pag. 139.

6 Flocci, pili, nauci, nihili facere, reſpice in formulis in *Conv profano.*

7 Quid mutuum ſit, diſce ex notis in coll. *Pſeud. & Philet.*

SY. En tibi compendiariam: Imitare [1] Eroſtratum, qui incendit templum Dianæ, aut huic ſimillimum [2] Zoilum, qui [3] laceravit Homerum; aut aliud aliquod facinus memorabile deſigna, & [4] ᾠδίῳ eris cum [5] Cercopibus ac [6] Neronibus. PH. Famam ex ſcelere parent alii; ego nomen ambio rumoris honeſti. SY. Talem igitur te præſta, qualis optas prædicari. PH. At multis egregia virtute præditis non contigit nominis celebritas. SY. Iſtuc an verum ſit, neſcio: attamen ſi id eveniat, quod ais, [7] ipſa virtus abunde magnum ſui præmium eſt. PH. Vera prædicas, planeque philoſophice. Verumtamen, ut ſunt res humanæ, mihi videtur [8] gloria præcipuum quoddam ornamentum eſſe virtutis? quæ non aliter gaudet agnoſci, quam ſol amat lucere, vel ob hoc ipſum, ut & proſit quam plurimis, & quam plurimos ad ſui pelliceat æmulationem. Poſtremo non video quam poſſeſſionem ſpecioſiorem parentes liberis ſuis relinquere poſſint, quam honeſti nominis immortalem memoriam. SY. Ut video, gloriam

1 Eroſtratus nebulo, cum virtute ſibi nomen comparare neſciret, poſſimo id tentavit facinore, nam incendit templum Dianæ, quod fuit Epheſi, inter ſeptem orbis miracula celebratum, ratus hoc pacto nomen ſuum poſteris in hiſtoriis clarum fore. Sed quanquam Græciæ civitates edicto caverant, ne quis ejus nomen annalibus inferret, tamen id in vulgus dimanavit.

2 Zoilus Sophiſta Græcus Homerum, libris adverſus eum editis, traduxit. Hinc invidi vulgo *Zoili*.

3 Calumniatus eſt.

4 Ἀοιδίμῳ, carminibus decantatus, celebratus.

5 *Cercopes* populi fuere, ut ajunt, ſceleratiſſimi, quos à Jove in ſimias mutatos refert Ovid. lib. 14. Metamorph.

6 Præ aliis, ex Neronum familia oriundis, notus eſt Nero Claudius, ſextus Romanorum imperator, omnium mortalium crudeliſſimus pariter ac ſceleratiſſimus.

7 Claudian. *Ipſa quidem virtus pretium ſibi*, &c. quæ vide in Arte notoria.

8 Præclare, ut omnia alia, Cicero in Orat. pro Archia *Trahimur omnes laudis ſtudio, & optimus quisque maxime gloria ducitur. Philoſophi etiam in libris, quos de contemnenda gloria ſcribunt, omen ſuum inſcribunt; in eo ipſo, in quo prædicationem nobilitatemque deſpiciunt, prædicari ſe ac nominari volunt.*

riam expetis virtute partam. PH. Scilicet. SY. Proinde tibi propone litteris omnium celebratos, [1] Aristidem, Phocionem, Socratem, Epaminondam, [2] Scipionem Africanum, Catones, Seniorem & Uticensem, [3] M. Brutum, & horum similes, qui belli domique de Republica quam optime mereri studuerunt. Heic est enim feraciſſimus gloriæ campus. PH. Verum inter istos celebres, Aristides [4] ostracismo jussus est [5] solum vertere; [6] Phocion, & Socrates biberunt cicutam; [7] Epaminondas capitis est postulatus quemadmodum & Scipio: Cato senior quadragies [8] reus caussam dixit; [9] Uticensis sibi mortem conscivit, itidem [10] Brutus. Ego gloriam optarem nulla invidia contaminatam. SY. At istuc ne [11] Herculi quidem filio concessit Jupiter. Nam post tot monstra virtute domita, cum [12] excetra fuit extremum certamen, idque multo omnium pertinaciſſimum. PH. Ego Herculi suos glo-

1 Aristidem, Phocionem, Socratem & Catones notatos respice in *Conv Sobr.* De Epaminonda, Thebanorum fortissimo duce ita narrant scriptores. Cum Lacedæmonios vicisset apud Mantineam, simulque gravi vulnere exanimari videret se: ut primum despexit, quæsivit salvusne esset clypeus. Cum salvum esse flentes sui respondissent, rogavit essentne fusi hostes. Cumque id quoque ut cupiebat audivisset, evelli jussit eam, qua transfixus, hastam. Ita multo sanguine profuso in lætitia & victoria mortuus est.

2 *Scipio*, Cornelii filius, *Africanus* dictus, quod bello Punico rebus præclarè gestis, in Africam trajecerit, & victo Annibale Carthaginem vectigalem reddiderit.

3 Designat procul dubio M. Brutum, M. Jun. Bruti filium, unum ex C. Jul. Cæsaris percussoribus.

4 Quid sit Ostracismus, docent notæ in *Conv sobrium.*

5 *Solum vertere*, respice in *Conv. sobr.*

6 De Phocione dictum in *Conviv. sobr.* De Socrate in *Conviv. Relig.*

7 Verum est, sed omnes tamen absoluti.

8 Accusatus.

9 Cato, ab illa fatali Utica cognomen sortitus, notatus est supra in *Conviv. Relig.*

10 Brutus in Philippis ab Antonio & Augusto victus, in stricti gladii sui mucronem incumbens vitam finiit. Lege Plutarchum in ejus vita.

11 Hercules Jovis & Alcmenæ filius. Ejus labores Poëtarum fabulis decantati sunt. Revise *Conv. prof.*

12 Excetra dicta est Hydra, quam occidit Hercules in palude Lerna, cum uno capite abscisso mox plura excrescerent.

glorioſos labores nunquam invidebo. Eos demum felices duco, quibus obtigit honeſtum nomen nulla invidia contaminatum. SY. Vis, ut video, ſuaviter vivere; eo metuis invidiam: nec id injuria, [1] κάκιζον γὰρ ἐξὶ θηρίον. PH. Sic eſt. SY. Ergo [2] λάθε βιώσας. PH. At iſtuc eſt mortuum eſſe, non vivere. SY. Intelligo quid affectes. In ſole clariſſimo verſari gaudes abſque umbra. PH. Iſtuc quidem fieri non poteſt. SY. At nihilo magis fieri poteſt, ut gloriam conſequaris nulla contaminatam invidia. Recte facta ultro ſequitur gloria, gloriam comitatur invidia. PH. Atqui poſſe gloriam abſque invidia contingere, docet nos [3] ſenex ille Comicus; *Ita ut facillime ſine invidia laudem invenias, & amicos pares.* SY. Si iſta laude contentus es, quam tulit Pamphilus adoleſcens obſequiis & morum commoditate, poteris eodem è loco petere rationes aſſequendi quod expetis, unde decerpſiſti ſententiam. In omni re memento; [4] Ne quid nimis: ſed tamen mediocriter omnia: eſto facilis in perferendis aliorum moribus, ad leviora vitia connivens. Ne ſis præfractus, tuæque ſententiæ nimium tenax, ſed aliorum ſtudiis temet accommoda: [5] nulli lædas os, ſed comem te præbeas omnibus. PH. Adoleſcentiæ favent plerique, nec magni negotii ſit tum iſtam parare laudem. Ego magnificum quoddam nominis decus optarim, quod per univerſum orbem reſonet, quodque cum ætate ſemper fiat illuſtrius, atque [6] à funere

1 Id eſt, peſſima enim eſt fera.

2 Id eſt, *Sic vive, ut nemo te vixiſſe ſentiat.* Ovid. Triſt. lib. 3. Eleg. 4. *Crede mihi; bene qui latuit bene vixit: & infra Fortunam debet quisque manere ſuam.*

3 Senex Simo Pamphili pater in Terentii Andria. Act. 1. Sc. 1. *Invenire*, pro adipiſci.

4 *Ne quid nimis*, ſupple *agas*. Reſpice *Conv. diſpar* in fine.

5 Reſpice *Collog. Senile.*

6 Poſt mortem.

1 Ap-

funere tandem clarius eluceſcat. SY. Equidem laudo generoſam iſtam indolem tuam, Philodoxe. Cæterum ſi cupis gloriam virtute partam, præcipua virtus eſt, negligere gloriam; & ſumma laus eſt, non ambire laudem, quæ magis ſequitur fugientem. Videndum eſt igitur, ne, quo impenſius iſta [1] ambis, hoc fruſtrere magis. PH. Non ſum Stoicus [2] ἀπαθής: tangor humanis affectibus. SY. Si te profiteris hominem, nec ea recuſas, quæ ſunt humanæ ſortis, cur ea [3] venaris, quæ nec Deo contingunt? Noſti enim [4] Theocriticum illud non minus vere quam ſcite dictum, *Jovem nec pluvium, nec ſerenum placere omnibus.* PH. Non eſt fortaſſis ignis abſque fumo; ſunt tamen [5] ἄκαπνα. Si non poteſt obtineri, quin aliqua livoris nubecula obſcuretur hominis gloria, arbitror tamen eſſe rationes, quibus fiat, ut quam minimum invidiæ ſit admixtum. SY. Eas igitur tibi vis commonſtrari? PH. Percupio. SY. Modice virtutem [6] exſere, & minus gravaberis invidia. PH. At gloria, niſi ſit inſignis, non eſt gloria. SY. Ecce tibi certiſſimam viam. Deſigna præclarum aliquod facinus, & morere, & citra invidiam celebraberis cum [7] Codris,

1 Appetis.

2 Ἀπαθὴς, i. e carens affectibus Stoici Philoſophi (ita dicti à Stoa portico Athenis, in qua docuit Zeno Stoicæ ſectæ Autor) negabat in virum ſapientem ullos cadere affectus. Vide Senecam de conſtantia ſapientis.

3 Ambis, cupis.

4 Apud Theognidem invenio - - - οὐδὲ γὰρ ὁ Ζεὺς Οὔθ' ὗων πάντας ἀνδάνει οὔτ' ἀνέχων. Id eſt, *Neque enim Jupiter neque pluens omnibus placet, neque ſuſtinens.*

4 Ἄκαπνα, id eſt, ſine fumo. Sunt quædam ligna, quæ, dum cremantur, fumum non dant.

5 Invidiæ.

6 Oſtenta.

7 De Codro ita refert Juſtinus lib. 2. Erant inter Athenienſes & Dorienſes ſimultatum veteres offenſæ, quas vindicaturi bello Dorienſes, de eventu belli oracula conſuluerunt. Reſponſum, ſuperiores fore, ni regem Athenienſium occidiſſent. Cum ventum eſſet in prælium, militibus ante omnia cuſtodia regis præcipitur. Athenienſibus eo tempore rex Codrus erat, qui & reſponſo Dei, & præceptis hoſtium cognitis, permutato regis habitu pannoſus,

dris, [1] Menœceis, [2] Iphigeniis, [3] Curtiis ac [4] Deciis.

[5] *Pascitur in vivis livor, post fata quiescit.*

PH. Equidem, ut ingenue quod res est fatear, cupio liberis ac nepotibus meis honesti nominis hæreditatem relinquere: verum hujus rei fructum vivus apud vivos aliquandiu decerpere cupiam. SY. Age, non te [6] suspendam amplius. Certissima ad illustre nomen est via bene mereri, cum privatim de singulis, tum publicitus de universis. Id partim fit officiis, partim benignitate. Benignitas sic temperanda est, ne cogaris ab aliis rapere quod aliis suppedites. Nam ex hujusmodi largitionibus plus odii nascitur apud probos, quam favoris apud improbos. Porro ab improbis laudari, infamia verius est quam gloria. Ad hæc benignitatis fons largiendo exhauritur. Porro beneficentia, quæ constat officiis, fundum non habet: imo quo largius hinc hauritur, hoc

sus, sarmenta collo gerens castra hostium ingreditur: ibi in turba obsistentium, à milite, quem falce astu vulneraverat, interficitur. Cognito regis corpore Dorienses sine prælio discedunt. Atque ita Athenienses virtute ducis, pro salute patriæ morti se offerentis, bello liberantur.

1 *Menœceus*, nobilis adolescens Thebanus, qui pro salute patriæ lubens & ultro se morti objecit.

2 *Iphigenia* Agamemnonis & Clytemnestræ filia, quam immolandam esse responderunt vates, quia pater ejus cervam Dianæ sacram in Aulide interfecisset.

3 Marcus Curtius, nobilis adolescens Romanus, cum Romæ in medio foro terra ingenti hiatu desedisset, & oraculum consultum respondisset unicum malo esse remedium, si quis ex primæ spei adolescentibus vivus in hiatum insiliret, conscenso equo in specum se præcipitavit.

4 Tres Decii se pro patriæ salute Diis Manibus devoverunt. Pater bello Latino, filius Hetrusco, nepos eo quod Pyrrhus pro Tarentinis gessit. Quid sit *sese Dîis Manibus devovere*, docet *Ichthyophagia* in principio.

5 Ovidii versus est, Amor. 1. Eleg. 15.

6 In dubio relinquam.

1 Vir-

hoc scatet uberius. At heic multæ res sunt, quæ & invidiam mitigant, & famæ celebritatem illustrant, quas nemo sibi præstare valet, sed contingunt gratuito favore numinis:

[1] *Gratior est pulchro veniens è corpore virtus.*

At formam corporis sibi nemo largitur. Adfert secum dignitatis plurimum generis claritudo. At hæc quoque fortunæ munus est. Idem sentiendum de divitiis, quæ recte factis partæ ab avis atque atavis ad nos devenerunt. Ne hoc quidem quisquam sibi præstat. Hujus generis sunt & ingenii [2] dexteritas, ac dicendi gratia, lepos & comitas non ascita, sed ingenita. Postremo decorum quoddam arcanum atque etiam felicitas; cujus effectum in multis videmus quotidie, causam reddere nemo potest. At non frequenter conspicimus eadem geri, dicive à diversis, & magnam inire gratiam qui pejus gessit, dixitve, cum is qui melius rem egerit, pro gratia referat odium. Hoc prisci quidam ad [3] genios referebant. Dicebant enim ea re quemque fortunatum esse ad quam natus esset; contra parum succedere, quod quis [4] invita Minerva, iratoque genio tentaret. PH. Heic igitur nullus est consilio locus? SY. Vix ullus: attamen qui sagaces sunt, deprehendunt in pueris aut adolescentibus notas quasdam, quibus conjecturam facere liceat,

1 Virgil. Eurya lo lib. V. Æneid.

2 Vide infra *dexter* pro *aptus*.

3 *Genius* prisci fuit singulorum, tum hominum, tum locorum peculiaris quidam Deus, vel Angelus. Fuere & genii boni, vel mali. Fusius supra annotatum vide de geniis, bonis, & malis dæmonibus.

4 *Facere* aut *dicere al quid invita Minerva*, id est, quod mox addit Autor irato genio, vel ingenio, aut natura reluctante. Nam Minerva sapientiæ & artium dea. Meton. effic. Horat. in libello de arte poët. *Tu nihil invita dices faciesve Minerva.*

ceat, ad quæ ſtudia, quodve vitæ genus, quasve actiones ſint idonei. Idem indicat in nobis arcanus quidam animi ſenſus, quo à quibusdam abhorremus nulla evidente cauſa, ad quædam item miro impetu rapimur. Hinc eſt quod alius feliciter tractat rem militarem, alius [1] dexter eſt in negotiis politicis, alium dicas ad ſtudia natum. Quanquam & in his mira varietas; nimirum tanta, quanta eſt functionum diverſitas. Alium natura genuit imperio, alium voluit eſſe fortem militem: cui plurimum indulſit, ei conceſſit, ut, juxta [2] Homerum, pariter & bonus ſit lancearius, & egregius dux. Itidem in rebus civilibus, alius valet in conſilio, alius in agendis cauſis excellit, alius [3] obeundis legationibus, & gaudet, & feliciter rem gerit. De ſtudiorum varietate quid attinet dicere? Sunt qui ſic rapiantur ad inſtitutum [4] monaſticum, nec ad quodvis, ſed vel ad hoc, vel illud, ut [5] vitam ſibi putent acerbam, niſi, quod optant, aſſequantur. Sunt è diverſo qui mirum in modum abhorrent, ut mori ducant potius, quam fieri monachum: nec id odio faciunt, aut certa ratione, ſed arcano quodam naturæ ſenſu. PH. Iſta quidem in compluribus ita, ut narras, & [6] comperi nonnunquam, & frequenter admiratus ſum. SY. In his igitur bonis, quæ nobis gratuito largitur naturæ benignitas, multo minus orietur invidiæ, ſi [7] faſtus abſit & oſtentatio. Amabilior enim eſt forma, aut nobili-

1 Aptus.

2 Ἀμφότερον βασιλεὺς τ' ἀγαθὸς κρατερός τ' αἰχμητής, id eſt, *Utrumque, rexque bonus fortisque pugnator.* Homer. Iliad. γ.

3 Adminiſtrandis.

4 Vitæ ſolitariæ in monaſterio tranſigendæ.

5 Ciceronianum dictum eſt in Epiſt. ad Lent. 1. *Tanta magnitudo eſt tuorum erga me meritorum, ut, quoniam tu, niſi perfecta re, de me non conquieſti, ego, quia non idem in tua cauſa efficio, vitam mihi eſſe acerbam putem.*

6 Hoc de ſe vere dicit Eraſmus, qui, ut ipſe in vita ſua fatetur, non à pietate abhorrebat, ſed à monaſterio.

7 Superbia.

1 Re-

bilitas, aut opulentia, aut facundia, in his qui se his bonis præcellere quasi nesciunt. Comitas autem & modestia nihil imminuunt hæc commoda, sed ut gratiam addunt, ita depellunt invidiam. Hæc autem comitas & morum suavitas oportet in omnibus vitæ actionibus sit perpetua, nisi prorsus repugnat [1] Minerva. Nam frustra, ut opinor, tentaret [2] Xenocrates, quod successit [3] Socrati ac Diogeni: frustra moliretur [4] Cato Censorius, quod [5] Lælium fecit gratiosum. Attamen [6] Demea ille Terentianus subito mutatus, satis declaravit quantum ad conciliandam benevolentiam habeat momenti studiis & affectibus omnium obsecundare. Verum quoties à recto receditur, jam & à vera gloria ad temporarium hominum favorem degeneratur. Cæterum ea demum gloria perpetua est, quæ honesti radicibus nititur, à judicio rationis profecta. Nam affectus temporarios habent impetus; qui simul atque relanguerint, odisse cœpimus quod ante vehementer arrisit; ac proinde [7] plausus vertitur in sibilum, laus in vituperium. Cæterum ut ingenium [8] prorsus inverti non potest, ita potest aliqua ex parte corrigi. PH. Exspecto quid dicas. SY. Qui natura blandior est, is

1 Respice paulum. *Facere invita Minerva.*

2 Designatur ab Autore Xenocrates Philosophus Chalcedonius, qui Platonis auditor fuit, homo tetricus ac severus.

3 De Socrate & Diogene in hoc & in *Conv. sobr.* dictum.

4 Cato Porcius postea à censuræ dignitate Censorius dictus, homo rigidus & severus, quem ob morum gravitatem Virgil. lib. 6. Æneid. Inferorum judicem fingit.

5 Fuit Lælius Ciceronis coætaneus, & familiaris, cui librum de Amicitia inscripsit.

6 Terentius in Adelphis depingit Demeam hominem natura agrestem & durum, contra fratrem ejus Mitionem mitem & nimis facilem.

7 *Plausus* hic pro laude, *sibilus* pro *contemptu*. Translatum à spectatoribus, qui si fabulæ quas histriones egissent, sibi placerent, plaudebant, si non, eos explodebant, & sibilabant. Respice in *Merdardo*, *Populus mihi sibilat; at mihi plaudo.*

8 Recte *prorsus*, nam *Naturam expellas furca tamen usque recurret.* Horat.

is cavere potest, ne, dum apud omnes gratiosus esse studet, deflectat ab honesto, neve dum sese quibuslibet accommodat, [1] Polypum imitatus, sibi parum constet. PH. Tales novi permultos lubricæ fidei, & erubescendæ vanitatis. SY. Rursus qui severiore sunt ingenio, dare operam oportet, ut sic affectent comitatem, ne quod agunt, videatur simulatum; aut subinde ad naturam suam recurrant; pro laude geminum dedecus sibi comparaturi, & quod interdum rigidius agant, & quod sint inconstantes. Tantam enim vim habet constantia, ut qui vitiosam nacti sunt naturam, tamen ob hoc ipsum levius ferantur, quod nusquam sunt sui dissimiles. [2] Fucus autem simul atque suboluit, etiam in benefactis gignit odium: porro quod simulatum est, perpetuo latere non potest; aliquando erumpat oportet: quod ubi jactum fuerit, semel evanescit omnis ille magnificus gloriæ fumus, atque etiam [3] in fabulam vertitur. PH. Illud igitur, ut video, mones, à natura minimum, ab honesto minime recedendum. SY. Tenes. Ad hæc scis, quidquid subito inclarescit, obnoxium esse invidiæ. Inde vox odiosa [4] νεοπλούτων apud Græcos, apud Romanos novorum hominum cognomen, apud utrosque [5] terræ filiorum; & è cœlo delapsorum. Cæterum fama quæ paulatim nascitur, & augescit, quemadmodum minimum habet invidiæ,

1 Piscem *Polypum* respice in *Convivio Relig. Polypum imitari* dicuntur homines, qui tempori inserviunt, seque cujusvis ingenio accommodant. Ajunt enim Polypum, maxime vero in metu, colorem mutare ad similitudinem loci, cui adhæret.

2 *Fucum*, pro fraude, notatum respice in multis *Colloq.* ut & in *Exorcismo. Suboluit*, id est, *suspectus est*. Vide ibid

3 *In fabulam vertitur*, id est, omnium risui exponitur, veluti fabula spectatoribus risum movet.

4 Νεόπλουτος, qui nuper dives factus est, vel subito divitias est adeptus.

5 Homines obscuro loco nati olim vel è cœlo lapsi dicebantur, vel terræ filii. Eo quod terra sit omnium communis parens. Vide Persium. Juvenalis pro ignobili dixit *fraterculum* gigantum, Satyr 4. *Unde fit ut malim fraterculus esse gigantem.* Gigantes enim, ut volunt, à γίνεσθαι nasci, & γῆ, terra.

1 Ho-

vidiæ, ita maxime durabilis est; ut indicat hoc ille poëtarum acutissimus Horatius: [1] *Crescit occulto, velut arbor, ævo Fama Marcelli.* Proinde, si veram, si perpetuam, si livori quam minimum expositam gloriam expetis, ausculta Socrati, qui dixit, quibusdam usu venire, ut dum nimium properant initio, serius perveniant ad finem. PH. Sed hominum vita brevis est. SY. Ergo ad benefacta properandum, non ad gloriam, quæ sua sponte consequitur. Non enim id [2] consulis, opinor, quibus rationibus longævus fieri possis. Nam istuc [3] Parcarum munus est, quæ fila ducunt & amputant cum ipsis est visum. PH. Utinam istuc quoque possis! SY. Nunquam, ô Philodoxe, divi tam fuerunt benigni, ut uni darent omnia. Quod annis detrahunt, nominis splendore pensant. Quibusdam, sed pauciſſimis, tam indulgenter favent, ut vivi, sibique quodammodo superstites posteritate sua fruantur. Sed rari sunt [4] quos æquus amavit Jupiter. Hoc fortassis aliqui diis geniti potuere; verum ista felicitas non cadit in hanc consultationem. PH. Sæpe mecum admirari soleo seu fortunæ seu naturæ invidentiam, quæ nihil omnino commodi largitur mortalibus, quod non aliquo temperet incommodo. SY. Quid igitur supereſt, amice, nisi ut homines nati, sortem humanam æquo feramus animo? Jam & illud haud mediocriter [5] conducit ad leniendam invidiam, si penitus cures habere perspecta nationum, & singulorum hominum

1 Horat. Od. 12. lib. 1. ad Augustum.

2 Istud consilii à me petis.

3 De Parcis alibi supra. Eas fingunt Poëtæ sorores numero tres, quæ nendo hominum fata disponebant. *Clotho* colum portat, *Lachesis* trahit, *Atropos* occat.

4 Virgil. Æneid. lib. 6.

Noctes atque dies patet atri janua Ditis:
Sed revocare gradum, superasque evadere ad auras
Hoc opus, hic labor est. Pauci, quos æquus amavit
Jupiter, aut ardens evexit ad æthera virtus,
Dis genti potuere. - - - -

5 Prodest, utile est.

num ingenia, nimirum ad eorum exemplum, qui beſtiis cicurandis alendisque dant operam. Siquidem horum præcipuum eſt ſtudium, animadvertere quibus rebus quodque animal vel efferetur, vel deliniatur. Non jam loquor tantum de [1] diſcrimine quod eſt inter avem & quadrupedem, inter ſerpentem & piſcem, aut quod eſt inter aquilam & vulturem, inter elephantum & equum, inter delphinum & phocam, inter viperam & [2] aſpidem; ſed de innumera varietate, quæ eſt in ſingulis animantium generibus. PH. Expecto quo ſis evaſurus. SY. Omnes canes ſub una ſpecie continentur: ſed hæc ſpecies quam in innumeras formas diſtrahitur? ut dicas illos genere diſtingui, non ſpecie. Jam prorſus in eadem ſpecie quam varii ſunt canum mores, & ingenia? PH. Immenſa varietas. SY. Quod de canibus dictum eſt, de ſingulis animantium generibus dictum puta: ſed in nullo magis elucet diſcrimen, quam in equis. PH. Vera prædicas. Sed quorſum hæc? SY. Quidquid in animantium generibus, vel in formis, vel in ſingulis animantibus varietatis eſt, hoc omne puta eſſe in homine. Illic reperies lupos varios, canes inenarrabili varietate, elephantos, camelos, aſinos, leones, oves, viperas, ſimios, dracones, aquilas, vultures, [3] hirudines: & quid non? PH. Quid tum? SY. Nullum autem eſt animal tam efferum, quin arte tractatum aliquam de ſe præbeat utilitatem, aut certe non lædat. PH. Nondum perſpicio quid agas. SY. Eſt nonnihil diſcriminis inter Hiſpanum, Italum, Germanum, Gallum & Anglum. PH. Eſt plane. SY. Ad hæc, eſt ſingulis in unoquoque genere peculiare quod-

1 Differentia.

2 *Aſpis*, ſerpens parvus, qui vulnere dentibus inflicto leuiſerum ſoporem inducere fertur.

3 *Hirundo* avicula, *Hirudo* vero, quæ & ſanguiſuga vermis eſt. Horat. de art. Poët. verſu ultimo, *Plena cruoris hirudo*.

1 Vide

quoddam ingenium. PH. Fateor. SY. Hanc varietatem si sagaciter habueris animadversam, & singulorum moribus te accommodes, perfacile consequeris, ut aut omnes habeas amicos, aut certe nullos inimicos. PH. Si [1] Polypum me fieri jubes, ubi rectum & honestum? SY. Est in rebus communibus aliquod obsequium, quod nullo pacto vitiat honestum, quod genus, apud Italos osculo salutant viri viros: in Germania si facias idem, absurdum videatur; sed pro osculo dextram porrigunt. Rursus in Anglia viri salutant mulieres etiam in templo obvias: idem si fiat in Italia, flagitium habeatur. Item in Anglia porrigere poculum tuum intervenienti in convivio, civilitatis est; in Gallia contumeliæ est. In his & aliis hujusmodi, citra recti [2] jacturam licet omnibus obsequundare. PH. At perdifficile sit omnium gentium mores, ac singulorum hominum ingenia nosse. SY. Verum, ô Philodoxe, si gloriam insignem quæris, eamque virtute partam, necesse est ut virtutem quoque præstes non vulgarem. Scis autem, virtutem circa difficilia versari, quemadmodum ante [3] Peripateticum illum docuit [4] Hesiodus: proinde si mel cupis, apes feras oportet. PH. Scio, memini: sed mitigandæ invidiæ rationem quærimus. SY. Proin da operam, ut in bello dux esse malis

1 Vide supra in hoc Coll. *Imitari Polypum.*

2 *Jactura*, damnum.

3 Aristotelem Peripateticorum principem. Dicti sunt Philosophi Peripatetici, ἀπὸ τῦ περιπατεῖν, i. e. ab ambulando, quod fere ambulantes disputabant.

4 Hesiodus Ascræus, Poëta Græcus, post Homerum antiquissimus, ita inquit in poëmate quod vocat, ἔργα καὶ ἡμέραι, i. e. *opera & dies.* Τῆς δ' ἀρε-

τῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν
Ἀθάνατοι, μακρὸς δὲ καὶ ὄρθιος οἶμος ἐπ' αὐτὴν,
Καὶ τρηχὺς τὸ πρῶτον, ἐπὴν δ' εἰς ἄκρον ἵκηται,
Ῥηϊδίη δ' ἔπειτα πέλει, χαλεπὴ περ ἐοῦσα.

Id est, *Ante virtutem vero sudorem dii posuerunt Immortales; longa vero atque ardua via est ad ipsam, Primumque aspera: ubi vero ad summum ventum fuerit, Facilis deinceps est, quamtumvis difficilis fuerit.*

malis quam miles; & in eo bello, quod gerendum cum invisis hostibus potius, quam cum civibus, aut sociis. In Republica ea potissimum munia capesse, quæ popularia sunt & gratiosa. Velut defendere popularius est, quam accusare, honorare, quam punire. Quod si qua [1] incidunt, sicut incidere necesse est, natura molesta, tamen ea quoque, si vitari non possunt, commoditate sunt lenienda. PH. Quo pacto? SY. Sedes judex aut arbiter; altera pars nonnihil offendenda est; sed ea rem æquitate geras, ut, si fieri possit, etiam victus gratias agat. PH. Qui sic? SY. Puta. Intenditur [2] actio furti aut sacrilegii: muta si potes, actionis formulam, & fac ut sit actio rei [3] vindicandæ. Heic protinus ita reum sublevas, ut nihil tamen decedat actori. Porro actionem omnem sic moderare, ut citra actoris dispendium reo videaris æquus. Postremo damnati pœnam nonnihil mitiga. Absit interim aut vultus torvitas, aut verborum acerbitas, aut morositas; quæ res faciunt, ut quidam pejorem ferant gratiam pro dato beneficio, quam alii pro negato. Interdum monendus est amicus: sed si nulla spes emendationis, silere præstat. Si res gravior est, & spes est profectus, magni refert qualis sit admonitio. Nam sæpenumero fit, ut qui [4] siniſtre aut intempestive admonet, & morbum exasperet, & ex amico reddat inimicum. Hæc dexteritas magis etiam habet locum, si agas cum principe. Nam horum affectibus nonnunquam incidit ut sit resistendum. Quod si fit comiter ac [5] dextre, paulo post qui obstitere plus ferunt gratiæ, quam qui obsecundarunt. Quod enim cupiditati placet, temporarium

1 Interim accidunt.
2 *Actionem intendere*, respice notatum in fine Coll. *Pseud. & philet.*
3 Restituendæ.
4 Male. De dextro & siniſtro revise *Senatulum*, pag. 683.
5 Apte, vel feliciter.

1 Vis

porarium est; quod recta ratione geritur, perpetuo probatur. Longe vero maxima pars invidiæ nascitur ex intemperantia [1] linguæ. Quantum odii nonnunquam unica vox temere excidens concitat nonnullis! Quam multis dictum, aut jocus intempestivus fuit exitio! Laudabis igitur, sed dignos; idque parce: sed vituperabis parcius, si tamen omnino quispiam vituperandus est: proinde vitanda loquacitas; Difficillimum enim sit, simul & multa & opportune dicere. PH. Assentior istis omnibus. Sed mihi videtur præcipua ad parandam nominis celebritatem via, scribere libros. SY. Vera prædicas, nisi quod obstat scribentium turba. Ac, si ista placet ratio, cura ut exacte scribas potius, quam multa. Cum primis autem argumentum delige neque [2] protritum, neque cum multis commune; ad hæc minime invidiosum: in id, quidquid insigne complurium annorum lectione contractum est, conferas: tractatione vero tale reddas, ut voluptatem habeat cum utilitate conjunctam. PH. Prudenter tu quidem, Symbule; meoque animo feceris satis, si unum illud adjeceris, quibus rebus effici possit, ut maturius etiam contingat gloria. Multos enim video, qui vix sub obitum inclarescunt, nonnullos [3] à rogo, quod ajunt, demum innotescere. SY. Heic quod consulam, nihil habeo melius, quam quod tibicen suasit tibicini. Fac ut his te ipsum probes, qui gloria jam vicerunt invidiam: in horum amicitiam temet insinua, quorum honorifica de te prædicatio facile populare studium tibi conciliabit. PH. At si quando exoriatur invidia, quid ostendis reme-

1 Vis exemplorum plaustra? lege libellum quem conscripsit Autor *de lingua*.

2 Nimis vulgare.

3 *Rogus* est strues lignorum ad cremanda cadavera. *A rogo*, id est, *post mortem*.

remedii? SY. Fac quod solent hi qui picem coquunt. Si flamma effulserit, infundunt aquam; ac tum magis efferatur ac stridet incendium, ni id facias constanter ac sæpius. PH. Quid istuc ænigmatis est? SY. Invidiam oborientem beneficiis obrue potius, quam vindicta. Nihil egit Hercules resectis [1]Hydræ Lernææ capitibus; igni Græco devicit exitiabile monstrum. PH. Sed quem vocas ignem Græcum? SY. Qui ardet etiam in mediis aquis. Eum adhibet, qui lacessitus injuria malorum, non cessat tamen de omnibus bene mereri. PH. Quid ego audio? beneficentia igitur nunc aqua est nunc ignis? SY. Quid vetat? quando Christus in [2] allegoriis nunc sol est, nunc ignis, nunc lapis. Dixi sedulo, si quid melius eris nactus, sequitor, meumque repudiato consilium.

1 Serpentem, quem occidit Hercules in lacu Lerna, vicinæ regioni adeo infestum fuisse tradunt, ut locum fecerit proverbio: λέρνη κακῶν, i. e. *Lerna malorum.* Nam uno capite abscisso, mox duo alia succedebant.

2 *Allegoria* est tropi in pluribus vocibus continuatio, cum aliud verbis, aliud sensu dicitur, q. d. ἄλλο ἀγορεύειν, i. e. aliud dicere.

OPULENTIA [1] SORDIDA.

JACOBUS, GILBERTUS.

JA. UNde nobis tam [2] exsuccus, quasi cum [3] cicadis interea rore sis pastus? mihi nihil aliud quam [4] syphar hominis esse videris. GI. Apud inferos

1 *Sordida* dixit pro avara. Describitur enim divitis cujusdam pessima avaritia.

2 Absque succo. Contrarium est succi plenus, ut Terent. in Eunuch. Act. 2. Sc. 3. Nam juxta Donatum *succus* est humor in corpore, quo abundant bene valentes, & quasi interior pinguedo membrorum.

3 Cicadas rore ali testis est Plin. lib. 2. cap. 36.

4 Σύφαρ, pellis sicca, sive tenue illud serpentis exuvium. Vide supra in Coll. *de votis temere susc.* Prov. *Nudior leberide.*

1 Herba

ros umbræ [1]malva & porro saturantur: at ego decem vixi menses, ubi ne id quidem contigit. JA. Ubinam? te quæso; num abreptus in [2]navem galeatam? GI. Nequaquam, sed [3]Synodii. JA. In urbe tam opulenta [4]bulimia periclitatus es? GI. Maxime. JA. Quid in causa? An deerat pecunia? GI. Nec pecunia, nec amici. JA. Quid igitur erat mali? GI. Mihi res erat cum [5]hospite [6]Antronio. JA. Cum illo opulento? GI. Sed sordidissimo. JA. [7]Monstri simile narras. GI. Minime; sed hic fiunt divites qui è summa emergunt inopia. JA. Quid ita libuit tot menses apud talem hospitem commorari? GI. Erat quod alligaret: & sic tunc erat animus. JA. Sed dic, obsecro, quo tandem vivit ille apparatu? GI. Dicam, quandoquidem [8]actorum laborum solet esse jucunda commemoratio. JA. Mihi certe futura est. GI. Illud [9]χρανόθεν accessit incommodi, cum illic agerem; totos tres menses spirabat Boreas, nisi quod illic nescio quo pacto nunquam perseverat ultra diem octavum. JA. Quomodo igitur spirabat totos tres menses? GI. Sub eum diem velut ex constituto mutabat [10]stationem, sed post horas octo migrabat in locum priorem. JA. Ibi tenui corpusculo opus erat foco luculento. GI.

1 Herba insipida. Respice Coll. *proci & puellæ*; umbræ vescuntur *malvis, porris & lupinis.*

2 Navem longam, seu triremem.

3 Vox ficta, forte designat oppidum Augustam, olim Vindelicorum, Germanis *Augspurch*: nam Σύνοδος *conventus* est: & Carolus V. in hac urbe multos conventus haberi jussit. ad sedandos tumultus ob religionis reformationem. Respice *Merdardum.*

4 Βελιμία vel βούλιμος bovina (i.e. ingens) fames.

5 Convivatore.

6 De Asino Antronio respice Coll. *Abb.* & *Erud.* in principio.

7 Quicquid contra naturam est, *monstrum* est. Si Antronius iste dirissimus fuit, & tamen in media bonorum abundantia pauperrimus, contra naturam factum, & recte monstrum est.

8 Respice *Naufr.* & alia Coll. *Jucundi sunt acti labores.*

9 Οὐρανόθεν, id est, cœlitus.

10 *Statio*, locus in castris ad custodiam assignatus. Alias porro hujus vocis significationis revise in fine *Ichthyoph.*

1 Nu-

GI. Satis erat ignis, si suppetissет lignorum copia. Verum ne quid heic faceret impendii noster Antronius, ex [1] rusculis insularibus evellebat arborum radices ab aliis neglectas, idque fere noctu. Ex his nondum bene siccis struebatur ignis non absque fumo, sed sine flamma: non qui calefaceret; sed qui præstaret, ne vere dici posset ibi nullum esse ignem. Unicus autem ignis durabat totum diem, adeo [2] temperatum erat incendium. JA. Hibernare durum erat. GI. Imo multo durius æstivare. JA. Qui sic? GI. Quoniam ea domus tantum habebat pulicum ac cimicum, ut nec interdiu quietum esse, nec nocto somnum capere liceret. JA. Divitias miseras! GI. Præsertim in hoc pecoris genere. JA. Oportet illic ignavas esse fœminas. GI. Latitant, nec inter viros versantur. Ita fit ut illic & fœminæ nihil aliud sint quam fœminæ, & viris desint ea ministeria, quæ solent ab eo sexu suppeditari. JA. Sed Antronium interim non pigebat tractationis? GI. Illi in hujusmodi sordibus eduducato præter lucrum nihil erat dulce. Ubivis potius habitabat quam domi; nulla in re non negotiabatur. Scis autem eam urbem esse præ cæteris [3] Mercurialem. [4] Pictor ille nobilis deplorandum existimavit, si dies abiisset sine linea; Antronius

1 Nugari hic mihi videtur Montanus in notis suis, qui *ruſculum* diminutivum esse vult à *ruſco*, humili frutice, de quo Virgil. Eclog. 7. *Horridior ruſco*, &c. quum *ruſculum* hoc loco nihil aliud significare possit quam parvum rus: præcipue quia Autor loquitur *de ruſculis inſularibus*, ex quibus radices arborum evellebant: qui vero fieri potuit, ut eas ex *ruſco* aspero frutice detraherent?

2 Nimio humore scil.

3 Mercurialem urbem vocat, in qua magna mercatorum copia. *Mercurius* enim præterquam quod Deorum nuncius esset, etiam furum & mercatorum Deus habebatur. Hinc mox Mercurium Autor pro ipso lucro, sed quæstu ponit.

4 Apelles ille Cous Pictorum celeberrimus, cujus dictum versiculus ille vulgatus continet, *Nulla dies abeat, quin linea ducta ſupersit.*

nius longe magis deplorabat, si dies præteriisset absque lucro. Quod si quando evenisset, domi quærebat Mercurium. JA. Quid faciebat? GI. Habebat in ædibus cisternam ex ejus civitatis more, illic hauriebat aliquot aquæ situlas, & infundebat in vasa vinaria. Heic erat certum lucrum. JA. Fortasse vinum erat æquo [1] vehementius. GI. Imo plus erat quam vappa: nunquam enim emebat vinum nisi corruptum, quo minoris emeret. Ex eo ne quid periret, subinde fæces annorum decem miscebat; volvens ac revolvens omnia, quo mustum videretur: neque enim ille passus fuisset ullam fæcis micam perire. JA. At si qua fides medicis, tale vinum gignit vesicæ calculos. GI. Non errant medici: nam in ea domo nullus erat annus tam felix, quin unus atque alter calculo periret; nec horrebat ille funestam domum. JA. Non? GI. Etiam [2] à mortuis colligebat vectigal. Nec aspernabatur quamvis exiguum lucellum. JA. Dicis furtum. GI. Lucrum vocant negotiatores. JA. Quid interea bibebat Antronius? GI. Idem ferme [3] nectar. JA. Non sensit malum? GI. Durus erat, qui vel fœnum [4] esse posset, & talibus, ut dixi, deliciis fuerat à teneris educatus. Hoc lucro nihil existimabat certius. JA. Quid ita? GI. Si supputes uxorem, filios

1 Generosius.

2 Erasmus in Chiliadibus: ἀπὸ νεκρῶν φορολογεῖν, id est, à *mortuo tributum exigere*, dicebantur, qui per fas nefasque divitias undecunque congerunt. Citat Aristoteles lib. Rhetor. 2. κἂν ἀπὸ νεκρῶν φέρει, id est, vel à mortuo vectigal aufert, ostendens dici solitum in eos, qui turpiter undecunque lucrum aucuparentur è rebus minutis ac sordidis, veluti Vespasianus. E turpibus, velut è lenocinio, quæstuque corporis; aut cum à quibuslibet extorquetur, ab amicis, à tenuibus, à mendicis, postremo vel à mortuis.

3 Ironice villum illud fæculentum vocat *nectar*, quod est vinum aromaticum, & delicatissimum: Deorum potus, ut poëtæ volunt.

4 *Esse*, pro *edere*.

filios, filiam, generum, [1] operas, & famulas, alebat domi fere corpora triginta tria. Jam quo vinum erat dilutius, hoc & parcius bibebatur, & serius exhauriebatur. Heic mihi subducito, in singulos dies addita aquæ situla quam non pœnitendam [2] summam conficiat in annum? JA. O sordes! GI. Atqui non minus [3] compendii redibat ex pane. JA. Quo pacto? GI. Emebat triticum vitiatum, quod alius noluisset emere. Heic præsens statim lucrum, quia minoris emebat. Cæterum vitio medicabatur arte. JA. Qua tandem? GI Est argillæ genus frumento non dissimile, quo videmus & equos delectari, dum & parietes arrodunt, & ex lacunis ea argilla turbidis bibunt libentius. Ejus terræ tertiam partem admiscebat. JA. Est istuc medicari? GI. Certe tritici vitium minus sentiebatur: an hoc quoque lucrum putas aspernandum? Adde jam aliud [4] stratagema. Domi panem [5] subigebat; nec id crebrius, etiam æstate, quam bis in mense. JA. Istuc est lapides apponere, non panes. GI. Aut si quid lapide durius. Sed huic quoque malo erat paratum remedium. JA. Quodnam? GI. Fragmenta panis immersa cyathis vino [6] macerabant. JA. [7] *Similes habebant labra lactucas.* Sed ferebant talem tractationem operæ? GI. Primum narrabo primatum ejus familiæ apparatum; quo facilius [8] divines, quomodo tractentur operæ. JA. Audire cupio.

1 Per Metonym. effecti *operæ* pro operariis, hoc est, pro personis, quæ pretio conductæ aliquid operis faciunt Horat. lib. 2. Sat. 7. — *Accedes opera agro nona Sabino.*

2 Nummorum sortem.

3 Lucri.

4 Στρατήγημα, proprie Imperatoris facinus, & callidum factum, quo dux hostem circumvenit. Hic pro artificio, seu solerti consilio.

5 *Subigere*, scil. *pedibus*

6 *Macerare* pro madefacere, vel proluere.

7 *Similes habent labra lactucas* Proverbio dicitur, ubi similia similibus, digna dignis eveniunt. Natum videtur ab asino carduos pascente, quæ lactuca asininis labris digna fuit.

8 Conjicias.

pio. GI. De jentando nulla erat illic mentio, prandium fere differebatur in horam à meridie primam. JA. Quam ob rem? GI. Exspectabatur Antronius paterfamilias. Cœnabatur interdum ad horam decimam. JA. At tu solebas esse inediæ impatientior. GI. Eoque subinde clamabam ad Antronii generum Orthrogonum, (agebamus enim in eodem conclavi:) Heus Orthrogone, non cœnatur hodie apud Synodios? Commode respondit, brevi adfuturum Antronium. Cum nihil viderem apparari, & [1] latraret stomachus, Heus, inquam, Orthrogone, erit hodie pereundum fame? Excusabat horam, aut aliud simile. Cum non ferrem stomachi latratum, rursus interpellabam occupatum: Quid futurum est? inquam: eritne moriendum fame? Ubi jam Orthrogonus consumsisset omnem tergiversationem, abiit ad famulos, jussitque adornari mensam. Tandem cum nec rediret Antronius, nec quidquam appararetur, Orthrogonus victus conviciis meis descendebat ad uxorem, & socrum, ac liberos, clamitans ut apparent cœnam. JA. Nunc saltem exspecto cœnam. GI. Ne propera. Prodibat tandem famulus claudus, ei præfectus negotio, non admodum dissimilis [2] Vulcano; insternit mensam linteo. Ea prima cœnæ spes. Tandem post longam vociferationem afferuntur phialæ vitreæ, cum aqua sane limpida. JA. Altera cœnæ spes. GI. Ne propera, inquam. Rursum post atroces clamores adfertur [3] phiala illius nectaris fæculenti plena. JA. O factum bene! GI. Sed sine pane. Nihil adhuc periculi,

1 Stomachus latrare dicitur, cum cibum appetit.

2 Is enim Deus ignis, Jovis & Junonis filius, Veneris maritus, à parentibus è cœlo dejectus, & in insulam Lemnum delapsus, exinde claudus fuit.

3 Poculum capax & repandum.

culi; nemo famelicus bibit lubens tale vinum. Clamatum est iterum usque ad ravim. Tum demum apponitur panis ille, quem vix ursus dentibus frangeret. JA. Certe [1] jam vitæ consultum est. GI. Sub multam noctem tandem venit Antronius; hoc fere [2] proœmio [3] inauspicatissimo, ut diceret, sibi dolere stomachum. JA. Quid heic mali auspicii? GI. Quia tunc nihil erat quod ederetur. Quid enim exspectes, [4] hospite male affecto? JA. Dolebat revera? GI. Adeo, ut solus devoraturus fuerit tres capos, si quis dedisset gratis. JA. Exspecto convivium. GI. Primum ipsi apponebatur patina cum farina [5] fabacea; quod [6] obsonii genus illic vulgo venditur [7] tenuibus. Ajebat se hoc uti remedio adversus omne morbi genus. JA. Quot eratis convivæ? GI. Interdum octo aut novem, inter quos erat Verpius ille doctus, quem arbitror tibi non ignotum, & filiusfamilias natu major. JA. Quid illis apponebatur? GI. An non satis est [8] frugi hominibus quod [9] Melchisedech obtulit Abrahæ quinque regum victori? JA. Nihil igitur obsonii? GI. Erat nonnihil. JA. Quodnam? GI. Memini nos fuisse in mensa convivas numero novem; cum in patina non numerarem nisi septem foliola lactucæ aceto innatantia, sed absque oleo. JA. Solus igitur ille devorabat suas fabas? GI. Vix semiobolo emerat: nec tamen vetabat, si quis proxime assidens

1 Jam curavit ne fame periretis.

2 Προοίμιον proprie exordium, quo cantores ac citharœdi præludunt. Inde pro quovis principio.

3 *Inauspicatum*, id est, infelix; & *auspicium*, pro rei cujusdam exordio. Respice de utraque voce pag. 6.

4 Convivatore.

5 Ex fabis.

6 *Obsonium* quid sit respice in princip. *Ichthyoph.*

7 Pauperibus.

8 *Homo frugi* dicitur, qui est sobrius & utilis, veluti fruges sunt hominibus. Terent. Eun. Act. 4. Sc. 7. & Adelph. Act. 5. Sc. 9.

9 Historiam Melchisedeci, offerentis Abrahæ panem & vinum, lege Genes. Cap. 14.

dens vellet gustare; sed incivile videbatur, languido suum eripere cibum. JA. Secabantur folia, quemadmodum [1] de cumino meminit proverbium? GI. Non; sed lactucis à primoribus absumtis, reliqui panem immergebant aceto. JA. Quid autem post septem folia? GI. Quid, nisi caseus, conviviorum clausula? JA. Hiccine erat apparatus perpetuus? GI. Propemodum; nisi quod interdum, si eo die [2] Mercurium fuisset expertus propitium, erat paulo profusior. JA. Quid tum? GI. Jubebat emi tres uvas recentes uno æreo nummulo. Ea res exhilarabat totam familiam. JA. Quid ni? GI. Id eo duntaxat tempore, quo summa est uvarum ibi vilitas. JA. Proin extra autumnum nihil [3] profundebat? GI. Profundebat. Sunt illic [4] naviculatores, qui concharum minutum genus hauriunt, potissimum è latrinis: hi clamore certo significant quid habeant venale: ab his interdum jubebat emi dimidio nummuli, quem illi [5] bagathinum appellant. Tum vero dixisses, in ea familia esse nuptias, nam igni erat opus, licet celerrime percoquantur. Atque hæc quidem post caseum, loco [6] bellariorum. JA. Bella mehercule bellaria! Sed nihil unquam apponebatur carnium aut piscium? GI. Tandem victus meis clamoribus cœpit esse splendidior. Quoties

1 Qui ob parsimoniam male audit, olim dicebatur κυμινοπρίστης, *cuminisector*, quasi qui cuminum exiguum semen vellet dividere. Vide in Erasmi Chiliad.

2 Id est, si eo die multum lucri natus esset; quippe Mercurius, ut suprà notavi, Mercatorum Deus.

3 Profusius, vel largius impendebat.

4 *Naviculator*, idem qui nauta, navita, nauclerus, navicularius.

5 Quid vox barbara *bagathinum* significet, ego non dixerim; forte nummulus fuit minutissimus & nullius pretii. Gall. *bagatelles.*

6 *Bellaria*, mensæ secundæ. Revisa *Synodum Grammatic. Quam bella bellaria.*

ties autem videri volebat [1] Lucullus, hi ferme erant [2] missus. JA. Istuc vero lubens audiero. GI. Primo loco dabatur jusculum, quod illi, nescio quam ob causam, appellant ministram. JA. Lautum opinor. GI. His conditum aromatibus. Admovetur igni cacabus aqua plenus; in eam conjiciuntur aliquot fragmenta casei [3] bubalini, qui jam olim in saxum induruit, nam ad defringendum aliquid bona securi opus est. Cum ea fragmenta tepore aquæ solvi cœperint, inficiunt eam ne possit mera dici aqua, hoc jusculo præparant stomachum. JA. Suibus dignum. GI. Dein apponitur paululum carnium de ventre veteris vaccæ, sed elixum ante dies quindecim. JA. Fœtet igitur? GI. Maxime; sed adhibetur remedium. JA. Quodnam? GI. Dicam, sed vereor ne imitaturo. JA. [4] Scilicet. GI. Miscent ovum aquæ calefactæ; eo jure perfundunt carnem; ita magis falluntur oculi quam nares, nam fœtor erumpit per omnia. Si [5] dies requirit esum piscium, interdum apponuntur [6] auratæ tres, nec hæ magnæ, cum convivæ sint septem aut octo. JA. Præterea nihil? GI. Nihil nisi caseus ille [7] saxeus. JA. Novum mihi narras Lucullum. Sed qui potuit tam exilis apparatus tot sufficere convivis, præsertim nullo refectis jentaculo? GI. Imo ne sis insciens, ex ejus convivii reliquiis alebantur socrus, nurus, filius

1 *Lucullum* per antonomasiam posuit pro homine luxuriosissimo, qualis fuit imperator ille Lucullus Ciceronis æqualis, non minus fortitudine, quam divitiis & luxu clarissimus. Respice in *Conv. Relig. Cœnationes Lucullianas.*

2 Missus, vel ferculum, quod in mensam mittitur.

3 Non *bubuli*, sed *bubalini*, i. e. à bubalo, bove sylvestri.

4 Quasi vero. Jocus est.

5 Scil. dies Veneris, aut tempus quadragesimæ, ut vocant, quo carnibus vesci Pontificiis piaculum est. Revise *Conv. fab. Ing. de fide, & Ichthyoph.*

6 Aurata, vel Orata, Gr. χρυσόφρυς, ab aureo colore, piscis.

7 Durus instar saxi.

1 No-

filius natu minor, famula, & aliquot parvuli. JA. Tu quidem admirationem meam auxisti, non ademisti. GI. Istuc tibi vix possum describere, nisi prius ordinem convivii depinxero. JA. Pinge igitur. GI. Antronius obtinebat primum locum, nisi quod ego illi sedebam dexter, velut extraordinarius: è regione Antronii Orthrogonus, Orthrogono assidebat Verpius, Verpio [1] Strategus natione Græcus: Antronio sinister assidebat filius natu major. Si quis accessisset conviva, ei locus dabatur pro dignitate. Primum de [2] jure minimum erat vel periculi vel [3] discriminis, nisi quod in procerum [4] discis natabant fragmenta bubalini casei. Cæterum ex phialis vini aquæque ferme quatuor [5] vallum quoddam fiebat, ut nemo posset attingere quod erat appositum, præter tres, ante quos stabat patina, nisi quis [6] sustinuisset esse impudentissimus, & transilire septa. Nec tamen ea patina diu manebat, sed mox tollebatur, ut aliquid supereſſet familiæ. JA. Quid igitur edebant reliqui? GI. Suo more deliciabantur. JA. Qui? GI. Panem illum [7] argillaceum macerabant vino fæcis vetustissimæ. JA. Tale convivium oportuit esse perbreve. GI. Frequenter hora prolixius. JA. Qui potuit? GI. Sublatis, ut dixi, mox, quæ non carebant [8] periculo, ponebatur caseus, unde nullum erat periculum ne quisquam ullo cultello escario quidquam abraderet. Manebat illa præclara fæx, & suus cujusque panis. Atque inter

1 Nomen hoc, ut cætera omnia, fictum est. Στρατηγὸς, *dux exercitus.*

2 Jusculo isto, quod ex aqua, & caseo bubalino constabat, uti modo dictum.

3 Differentiæ.

4 Fusius de *disco*, revise notata in *Divers.*

5 Septum, quod mox sequitur.

6 Ausus fuisset.

7 Cui tertia pars argillæ admixta erat, ut supra narravit.

8 Ne comederentur.

inter hæc bellaria tuto miscebantur fabulæ. Interim prandebat fœminarum senatus. JA. Quid interim [1]operæ? GI. Nihil habebant nobiscum commune, suis horis sibi prandebant ac cœnabant. Sed hi cibo capiendo vix semihoram impendebant toto die. JA. Verum apparatus cujusmodi? GI. Istuc tuum est [2]divinare. JA. At Germanis vix sufficit hora in jentaculum, tantundem in merendam, sesquihora in prandium, duæ horæ in cœnam: ac nisi affatim expleantur eleganti vino, bonis carnibus ac piscibus, deserunt patronum, & fugiunt in bellum. GI. Suus cuique genti mos est. Itali minimum impendunt [3]gulæ; pecuniam malunt quam voluptatem; & sobrii sunt natura quoque, non solum [4]instituto. JA. Nunc profecto non miror te nobis rediisse tam [5]exilem; sed omnino vivum rediisse demiror, præsertim cum antea capis, perdicibus, turturibus & [6]phasianis assueviisses. GI. Plane perieram, nisi repertum fuisset remedium. JA. Male res agitur, ubi tot remediis est opus. GI. Effeceram ut mihi jam languescenti in singula convivia daretur quarta pars pulli elixi. JA. Nunc incipies vivere. GI. Non admodum. Emebatur pullus exiguus, ne multum impenderetur, cujusmodi sex non sufficerent uni boni stomachi Polono in jentaculum. Nec emto dabant cibum, ne quid esset impendii: itaque macie enecti ac semivivi coquebatur ala aut poples; jecur dabatur Orthrogoni filio infanti. Jus autem semel atque iterum ebibebant mulieres, subinde nova infusa aqua. Itaque poples ad me veniebat [7]pumice siccior,

1 Operarii, famuli, ut supra annotavimus.

2 Conjicere.

3 *Gula*, pro luxu, & deliciis; ut & *abdomen*, quod vide in Charonte. Cato in libello Distich. moral. *Indulgere gulæ noli, quæ ventris amica est.*

4 Vitæ genere.

5 Tenuem, macilentum,

6 Aves phasides, vulgo Phasianos, revise in *Conv. relig.*

7 Lapis pumex, quo nihil siccius, proverbio locum dedit.

1 Se-

or, & quovis putri ligno insipidior. Jus nihil erat nisi mera aqua. JA. Et tamen audio illic avium genus & copiosissimum esse, & elegans, & vile. GI. Est prorsus; sed illis carior est pecunia. JA. Satis dedisti pœnarum, etiamsi Romanum Pontificem occidisses, aut [1] si minxisses ad sepulchrum divi Petri. GI. Sed audi reliquum fabulæ. Scis esse in quaque hebdomada quinque dies, quibus vescimur carnibus. JA. Nimium. GI. Duos itaque pullos dumtaxat emebant. Die Jovis se fingebant oblitas emere, ne vel totum pullum eo die apponerent, vel aliquid supereset. JA. Næ iste Antronius superat etiam [2] Euclionem Plautinum. Sed piscariis diebus quo remedio [3] consulebas vitæ? GI. Amico cuidam dederam negotium, ut mihi [4] meo ære in singulos dies emeret ova tria, duo in prandium, unum in cœnam. Sed heic quoque fœminæ pro recentibus care emtis supponebant semiputria; ut mecum præclare crederem actum, si ex tribus unum esset quod edi posset. Tandem & [5] utrem vini purioris mea pecunia emeram: cæterum mulieres effracta sera intra paucos dies exsorbuerunt, non admodum irato Antronio. JA. Itane nullus erat illic, quem tui misereseeret? GI. Misereseeret? Imo videbar illis [6] gluto quispiam, & helluo, qui tantum ciborum unus devorarem. Itaque subinde me admonebat Orthrogonus, haberem ejus regionis ratio-

1 Sepulcrorum olim summa fuit religio. Revise *Conjugium impar*, atque illic *in patrios cineres mingere* annotatum.

2 Euclionem senem sordidissimum, eleganter depictum, vide in Plautina Comœdia Aululatia.

3 Curam gerebas.

4 Meis nummis.

5 Saccum coriacum, in quo olim vinum, oleum aliaque liquida asservabant.

6 *Gluto* idem quod helluo, vel manducus. Vide glutire, & deglutire, pro gula devorare.

rationem, meæque consulerem incolumitati: & aliquot nostrates commemorabat, quibus illic edacitas conciliasset mortem, aut morbum gravissimum. Cum is me videret deliciis quibusdam, quas illic ex nucleis pineis, aut peponum, melonumque venditant pharmacopolæ, fulcire corpusculum, & assiduis laboribus, & inedia, & jam etiam morbo fractum, subornat medicum mihi amicum & familiarem, ut persuadeat victus moderationem. Egit hoc mecum diligenter. Moxque sensi subornatum, nec respondi tamen. Cum idem accuratius mecum ageret, nec admonendi faceret finem; Dic, inquam, mihi, vir egregie, serio isthæc loqueris, an joco? Serio, inquit. Quid igitur suades ut faciam? A cœnis in totum abstine; & vino adde, ut minimum, aquæ dimidium. Risi præclarum consilium. Si me cupis extinctum, huic corpusculo [1] & raro & exili, & spiritibus subtilissimis, vel semel à cœna abstinere mors esset: id toties ipsa re compertum habeo, ut non libeat iterum experiri. Quid autem futurum censes, si sic pransus à cœna temperem? Et tali vino jubes addi aquam? quasi non præstaret puram aquam bibere, quam fæculentam. Nec dubito, quin hæc te loqui jusserit Orthogronus. Subrisit medicus, ac mitigavit consilium. Non hæc loquor, inquit, Gilberte doctissime, quod in totum arceam te à cœnis; licebit gustare ovum & semel bibere, sic enim ipse vivo. In cœnam coquitur ovum: inde capio vitelli dimidium, reliquum do filio; mox hausto semicyatho vini, studeo in multam noctem. JA. Num isthæc vera prædicabat medicus? GI. Verissima. Nam ipse forte per viam ambulans, redibam [2] à sacro, & comes admo-

1 Et tenui & macilento.
2 E templo, in quo sacrum peractum fuerat.

1 Vali-

admonuerat illic habitare medicum; libuit videre regnum illius. Erat autem dies dominicus. Pulsavi fores: apertæ sunt; ascendi; offendo medicum cum filio, & eodem famulo prandentem. Apparatus erat duo ova, præterea nihil. JA. Oportuit esse exsangues homines. GI. Ambo erant pulchre [1] habito corpore, colore vivido ac rubido, oculis lætis. JA. Vix credibile est. GI. At ego compertissima narro. Nec ille solus ad istum vivit modum, sed complures alii, & [2] imaginibus clari & re lauta. [3] Polyphagia & [4] polypotia, crede mihi, consuetudinis res est, non naturæ. Si quis paulatim assuescat, tandem eo proficiet, ut idem faciat quod [5] Milo, qui bovem eodem die totum absumsit. JA. Deum immortalem! si tam parvo victu licet tueri valetudinem, quantum impendiorum perit Germanis, Anglis, Danis & Polonis? GI. Plurimum haud dubie, & quidem non sine gravi tum valetudinis tum ingenii detrimento. JA. Sed quid obstabat, quo minus tibi sufficeret ille victus? GI. Quia diversis assueveram; & serum jam erat mutare consuetudinem: quamquam me non tam [6] offendebat ciborum exiguitas, quam corruptio. Duo ova poterant sufficere, si fuissent recens nata: vini cyathus erat satis, nisi pro vino daretur fæx vapida: dimidium panis aluisset, nisi pro pane daretur argilla. JA. Adeone sordidum esse Antronium in tantis opibus? GI. Arbitror censum illius non fuisse infra octoginta

1 Valido. Habitus, habitior. Vide Terent. Eun. Act. 2. Sc. 3. *Si qua est habitior paulo.*

2 Imaginibus & stemmatis, quæ per Metonym. adj. sæpius sumuntur pro generis nobilitate, Clarus, id est, nobilis; & re lauta, dives nummis: res pro censu, sæpius supra.

3 Πολυφαγία, edacitas.

4 Πολυποσία, bibacitas.

5 Milonem Crotonienſem, athletam istum validissimum, plenius descriptum vide in *Ichthyoph.* not.

6 Torquebat, vexabat.

ginta[1] ducatorum millia. Nec ullus erat annus, quo non accederet lucrum mille ducatorum, ut dicam parcissime. JA. Sed juvenes illi quibus hæc parabantur, num eadem utebantur parsimonia? GI. Utebantur, sed domi duntaxat; foris liguriebant, scortabantur, ludebant aleam: cumque pater in gratiam honestissimorum convivarum gravaretur teruntium impendere, juvenes interdum una nocte sexaginta ducatos perdebant alea. JA. Sic perire solent quæ [2] sordibus corraduntur. Verum è tantis periculis incolumis, quo nunc te confers? GI. Ad vetustissimum [3] Gallorum contubernium, [4] sarturus quod illic dispendii factum est.

1 Potius *aureorum*.
2 Pessima avaritia.
3 Gallicæ gentis humanitatem lege in *Diversorio*.
4 Restauraturus, pensaturus.

[1] EXEQUIÆ SERAPHICÆ.

[2] PHILECOUS, [3] THEOTIMUS.

PH. UNde nobis Theotimus, nova religionis facie? TH. Qui sic? PH. Quia severa frons, oculi in terram defixi, caput in lævum humerum nonnihil inflexum, [4] sphærulæ precatoriæ in manibus. TH. Si nosse cupis, amice, quæ ad te nihil attinent, è spectaculo venio. PH. An spectasti

1 Novem Angelorum choros, quos Papicolæ statuunt, interque eos principes Seraphinos (à *Seraphim*, i. e. ignitis, vel ardentibus) respice in *Funere*. Ab hisce Angelis denominari se volunt mendici monachi Franciscani, unde viros Seraphicos eos appellat Autor supra in *Merdardo*. Horum cæterorumque monachorum abominandas nequitias, & insanam superstitionem eorum, qui in Franciscana veste sepelirii cupiebant, atque adeo ipsum idiotam Franciscum una cum factis ejus stultissimis, ab Erasmo nostro in hoc salsissimo Colloquio belle depictum videbimus.
2 Philecous, audiendi cupidus.
3 Theotimus, qui Deum veretur.
4 Sphærulæ precatoriæ. Respice Coll. *peregrm. relig. ergo*, in principio.

spectasti funambulum, aut [1] præstigiarum artificem, aut aliud huic simile? TH. Fortasse non ita huic dissimile. PH. Equidem nunquam antehac vidi quenquam istiusmodi vultu redeuntem è spectaculo. TH. Sed ejusmodi fuit spectaculi genus, ut si tu interfuisses, fortassis me incederes aliquanto tristior. PH. Quin tu ergo memoras, quid te tam fecerit religiosum? TH. Redeo ab exsequiis [2] Seraphicis. PH. Quid ego audio? Itane moriuntur & angeli? TH. Non; sed horum sodales. Cæterum, ne te diutius suspensum habeam, nosti, opinor, heic apud [3] Pelusios Eusebium, hominem clarum & eruditum. PH. Illumne ex [4] principe privatum, è [5] privato exsulem, ex exsule tantum non [6] medicum, pene addideram [7] sycophantam? TH. Recte [8] divinasti quem dicam. PH. Sed quid illi accidit? TH. Hodie sepultus est: [9] à pompa funebri redeo. PH. Admodum tristem fuisse oportet, quæ te nobis tam tristem remisit. TH. Vereor ut sine lacrymis queam tibi quod vidi describere. PH. At ego vereor ut sine risu possim audire. Sed narra obsecro. TH. Scis Eusebium jam pridem fuisse misera valetudine. PH. Scio, ante annos aliquot [10] evirato corpusculo. TH. In hujusmodi morbis qui lente conficiunt hominem, medici certis præsagiis solent mortis diem prædicere. PH. Maxime. TH. Hi monuerunt hominem, [11] quidquid medicorum ars præstare

1 *Præstigiarum artifex. Præstigiæ* sunt rerum, quæ mirè videntur, vana species. Revise notas superior. Coll.

2 Vide notata in titulum.

3 Nomen fictum. Est enim *Pelusium*, seu *Peluſiacum*, vetustissimum in extrema Ægypti ora oppidum.

4 Civitatis præcipuo.

5 Privatus qui non fungitur magistratu. Respice *Coll. Smile.*

6 Quot quot vidi editiones *medicum* habent. Sed quid verat legere *mendicum?*

7 Qui dicantur *sycophantæ*, respice in *Ichthyoth* pag. 560.

8 Conjecisti.

9 Ab exequiis. *Pompa* dicitur omnis apparatus solennis cum ostentatione.

10 *Evirare*, vel castrare, vel debile & molle, seu effœminatum reddere significat.

11 Ejusmodi fere medicorum obtestationes revise in *Funere.*

ſtare poſſet, id omne ſumma cura præſtitum eſſe. Deum quidem potentiorem omni medicorum ope; ſed quod humana conjectura deprehendi quiret, non ſupereſſe triduum vitæ. PH. Quid tum poſtea? TH. Ibi continuo præclarus Euſebius [1] defecto corpuſculo totum [2] ſanctiſſimi Franciſci amictum induit, [3] raditur, accipit [4] cucullam cinericiam, [5] veſtem ejusdem coloris, funem nodoſum, feneſtratos calceos. PH. Moriturus? TH. Sic eſt. Quin & profitetur voce jam moribunda, ſe Chriſto militaturum juxta Franciſci regulam, ſi, quod medici deſperabant, daret Deus. Ad hanc profeſſionem adhibiti ſunt teſtes, viri ſanctimonia celebres. In ea veſte moritur vir egregius [6] ad tempus à medicis prædictum. Veniunt ex eo ſodalitio complures, qui funebrem pompam celebrent. PH. Utinam adfuiſſem iſti ſpectaculo! TH. Illacrymaſſes, ſi ſpectaſſes qua caritate Seraphici ſodales cadaver abluerint, amictum illum ſacroſanctum adaptarint, manus in crucis imaginem compoſuerint, pedes nudarint, & nudatos exoſculati ſint, faciem unguento etiam exhilararint, [7] juxta præceptum Evangelicum. PH. [8] Prodigioſa humilitas, Seraphicos viros agere [9] pollinctores ac veſpillones. TH. Poſt hæc feretro compoſuerunt, & juxta Pauli doctrinam, [10] *Alter alterius onera porta-*

1 Imbecilli.

2 Imo ſtolidiſſimi. Vide Coll. *Franciſc. Ichthyoph. Funus*, & quæ mox infra

3 Tondetur.

4 *Cucullum*, non *cucullam* dici, non ſemel ſupra notatum vide.

5 Franciſcanorum veſtes quales, docent notæ in *Ichthyoph.* pag. 547.

6 Sub.

7 Ironice Scripturæ locum accommodat Autor monachorum inſaniæ: nam longe alius ſenſus eſt verborum Chriſti Matth. 6. Σὺ δὲ νηστεύων ἄλειψαί σε τὴν κεφαλὴν, καὶ τὸ πρόσωπόν σε νίψαι. Id eſt, *Tu vero jejunans unge caput tuum, & faciem tuam lava.* Sic & infra Pauli monitum, *Alter alterius onera portate*, per jocum adfert.

8 Ad prodigium uſque mira.

9 *Pollinctor* qui cadavera lavat, & unguentis illinit. *Veſpillo* qui mortuos effert & feretro ſubit.

10 Ad Galat. Cap. 6. v. 2.

1 Can-

portate, propriis humeris fratres fratrem bajularunt per viam publicam ad monasterium. Ibi solemnibus [1] næniis sepelierunt. Cum venerabilis illa pompa per viam incederet, vidi complures invitis oculis effundere lacrymas, cum talem virum, quem prius viderant purpura [2] byssoque vestitum, nunc conspicerent in amictu Franciscano, fune canabeo cinctum, tam religiosa specie toto corpore compositum. Nam & mortui caput erat deflexum in humerum, & manus, ut dixi, [3] decussatim compositæ. Cætera item omnia mirificam quandam religionem præ se ferebant. Quin ipsa turba Seraphica cervicibus inflexis, oculis in terram defixis, & næniis adeo lugubribus, ut arbitrer ipsos [4] manes non canere lugubrius, multis excutiebat lacrymas & singultus. PH. Sed habebatne quinque [5] Franciſci vulnera? TH. Id non ausim affirmare certo. Apparebant in manibus ac pedibus vestigia quædam sublivida; ac vestis in sinistro latere [6] fenestellam habebat. Verum non ausus sum oculos acrius intendere, quod affirment in hujusmodi rebus curiositatem multis fuisse exitio. PH. Sed nullosne illic sensisti ridentes? TH. Sensi: verum eos suspicor [7] hæreticos esse, quorum hodie plenus est mundus. PH. Ut simpliciter tecum fabuler, mi Theotime, vix ipse valuissem à risu temperare, si isti spectaculo adfuissem. TH. Faxit

1 Cantibus funebribus. Respice *Funus*.

2 Lino tenuissimo & pretioso.

3 *Decussis* nummus est valens decem asses, signatus in formam crucis: hinc *decussatum* est, quod supra dixit in imaginem crucis X.

4 Umbræ, vel mortuorum animæ manes dicuntur.

5 Mentiuntur Papicolæ Christum Francisco isti Assisienſi, biennium ante mortem, postquam XL. dies in Alverniæ monte jejunasset, quinque vulnera impressisse. Horrendum illud mendacium diplomatibus suis sancire ausi sunt Pontifices Alexander V. Nicolaus III. & alii.

6 Fenestellam, id est, foramen, per quod scilicet, ad imitationem Christi, latus esset transfixum. Vah!

7 Hæretici unde, & qui dicti, respice pag. 322.

Faxit Deus, ne tu sis [1] istius fermenti contagio corruptus. PH. Nihil hinc periculi est, optime Theotime; ego à puero religiose beatum Franciscum, [2] juxta mundum nec doctum nec sapientem, sed profunda mundanorum affectuum mortificatione Deo carissimum, semper animo sum veneratus; cumque hoc omnes, qui illius ingressi vestigiis, ex animo studeant, mundo mortui Christo vivere. Nam vestem [3] nihil moror: sed lubens ex te didicero, quid vestis conferat mortuo? TH. Margaritas non esse porcis objiciendas, nec sanctum dandum canibus, scis ab ipso [4] Domino præceptum esse. Proinde, si ridendi caussa percunctaris, nihil ex me audies: sin simplici discendi studio, libens impartiam, quod ab illis didici. PH. Profiteor discipulum & attentum, & docilem, & benevolum. TH. Principio scis quosdam usque adeo ambitiosos, ut [5] non sat habeant superbe & insolenter vixisse, nisi & ambitiose sepeliantur mortui. Non sentiunt exanimes, sed tamen viventes imaginatione quadam futuræ pompæ voluptatem aliquam ac fructum percipiunt. Hoc quidquid est affectus abdicare, non negabis, opinor, aliquam pietatis partem. PH. Fateor, si [6] fastus exsequiarum non valeat alia ratione devitari. Sed mihi videtur modestius, si princeps exanimis involvatur linteo vili, ac per plebejos vespillones in vulgari [7] cœmeterio inter plebeja cadavera sepeliatur. Nam

1 Id est, ne hæreticorum dogmatibus sis imbutus, atque adeo sis ex illorum numero, quibus divos adunco naso suspendere mos est. Ita Christus discipulos suos jubet cavete à fermento Pharisæorum & Sadducæorum, Matth. 16.

2 Imo nec juxta Deum. Quid enim aliud tota hominis vita complectitur quam tidicula gesta, & meram κακοζηλίαν?

3 Non curo.

4 Matth. 7.

5 Exemplum Georgii Balearici respice in *Funere*.

6 Superbia.

7 Κοιμητήριον, hic significat locum, in quo corpora mortuorum humata jacent. Est & locus, in quo dormitur.

1 Scil.

Nam qui sic[1] efferuntur, quemadmodum elatus est Eusebius, mutasse fastum videntur verius, quam vitasse. TH. [2]Deo gratum est quidquid bono fit animo. Illius autem est judicare cor hominis. Verum quod dixi leve est; sunt alia graviora. PH. Quæ? TH. Profitentur ante mortem Francisci regulam. PH. Videlicet ut eam servent in [3] campis Elysiis. TH. Non; sed heic, si revalescant. Et fit aliquoties ut medicorum sententiis damnati, simul ut sacrosanctam vestem induerint, ope Dei reviviscant. PH. Idem sæpenumero usu venit in his, qui vestem eam non induunt. TH. Oportet simpliciter ambulare in via fidei. Si nihil esset eximii fructus in hac re, non ambirent, præsertim apud Italos, genere & litteris nobiles plurimi, ut in amictu sacrosancto sepeliantur. Ac ne repudies ignotorum hominum exempla; sic sepultus est ille, cui tu merito plurimum tribuis, [4] Rudolphus Agricola: sic nuper [5] Christophorus Longolius. PH. Mea nihil refert quid delirent homines cum [6] agunt animam; ex te doceri cupio, quid magni boni conferat, hominem metu mortis attonitum, ac certæ vitæ desperatione perturbatum, profiteri aut vestiri. Quid quod vota sunt irrita, nisi fiant animo sano sobrioque, matura deliberatione, sublato metu, dolo, aut vi? Ut horum nihil sit, professio talis non obligat, nisi post annum probationis, quo gestare jubentur tunicam [7] cum caperone: sic enim

1 Scil. ad sepulcrum. Terent. And. Act. 1, Sc. 1. *Effertur. imus.* Est hæc vox funebris, sicut Græcorum ἐκφέρεται.

2 Scilicet. Ergo Deo gratum foret, si quis maxima quæque facinora perpetraret, falso opinatus ista Deo placere.

3 Ubi, juxta Poëtarum fabulas, beatorum sedes. Respice *Charontem.*

4 Vir tempore quo vixit doctissimus, Heidelbergæ obiit.

5 C. Longolius, scriptis suis ad imitationem Ciceronis clarus, unde à nonnullis *simius Ciceronianus* appellatus, contra Lutherum scribens obiit Patavii.

6 Cum in articulo mortis versantur.

7 Per jocum barbare loquitur Erasmus *cum caperone*, pro *cum cucullo*: sic enim dicebat *Franciscus* iste omnis literaturæ rudis, quem Autor *Seraphicum virum* appellat.

enim loquitur vir ille Seraphicus. Itaque si revivi-scant, duplici nomine non tenentur; neque enim votum est, quod ab attonito fit metu mortis ac spe vitæ; neque professio obligat ante caperonem gestatum. TH. Utcunque habet obligatio, illi certe putant se obligari, & illa totius voluntatis addictio non potest Deo non esse gratissima, siquidem hoc est in causa ut bona opera monachorum, etiamsi demus cætera paria, gratiora sunt Deo quam aliorum, quod ex optima radice proficiscantur. PH. Non excutiam heic quanti momenti sit, hominem totum se Deo addicere, cum jam sui juris non est: ego arbitror unumquemque Christianum se totum addicere Deo [1] in baptismo, cum [2] renunciat omnibus pompis & voluptatibus Satanæ, [3] datque nomen Imperatori Christo, posthac illi per omnem vitam militaturus. Et [4] Paulus agens de his, qui Christo commoriuntur, ut jam sibi non vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est, non loquitur proprie de monachis, sed de universis Christianis. TH. Opportune meministi baptismi; sed olim tingebantur, aut aspergebantur agentes animam, quibus tamen dabatur spes æternæ vitæ. PH. Quid episcopi promiserint, non ita magni refert: quid Deus præstare dignetur, nobis incertum est. Si certum fuisset, tales aspergine aquulæ repente fieri cives cœli, quæ major poterat aperiri fenestra, ut homines mundo dediti studio per omnem vitam servirent impiis cupiditatibus, ac tum demum adhiberent aspersiunculam, cum jam amplius peccandi facultas non esset? Quod si tali baptismo similis est ista professio, præ-

1 Respice notata in *Inquisit. de fide*, pag. 322.

2 Valedicit. Revise *Convv. Relig. Abjuratur Satanas cum pompis & voluptatibus suis.*

3 Profitetur se Christo Duce militaturum, sc armis spiritualibus. Desumtum à militibus, qui nomina dant, i. e. se ordini militari adscribendos offerunt.

4 Ad Roman. Cap. 6.

1 Se-

præclare consultum est impie viventibus, ne pereant, hoc est, Satanæ vivant, Christo moriantur. TH. Imo si fas est aliquid ex [1] Seraphicis mysteriis prodere, efficacior est illorum professio quam baptismi. PH. Quid audio? TH. In baptismo tantum proluuntur crimina; restat anima pura, sed nuda: heic qui profitetur, statim ditatur totius ordinis egregiis meritis, nimirum insitus corpori sanctissimæ sodalitatis. PH. Itane qui per baptismum inseritur corpori Christi, nihil accipit, nec à capite, nec à corpore? TH. Nihil a [2] Seraphica massa, nisi beneficentia aut favore promereatur. PH. Quis angelus hoc istis revelavit? TH. Non angelus, ô bone, sed [3] ipse Christus ore proprio hoc aliaque permulta beato Francisco præsens præsenti patefecit. PH. Obsecro te per amicitiam nostram, atque obtestor, ne me graveris istis impartiri sermonibus. TH. Sunt reconditissima [4] mysteria; nec fas est ea profanis communicare. PH. Qui [5] profanis, amice? qui nulli unquam ordini melius voluerim quam Seraphico? TH. Sed interdum [6] vellicas eos odiosius. PH. Hoc ipsum, Theotime, amoris argumentum est: cum eum ordinem nulli gravius lædant, quam qui sub illius umbra turpiter vivunt: quisquis optime vult ordini, necesse est ut illius corruptoribus maxime succen-

1 Seraphica Mysteria, vel secreta vocat Autor illam Franciſci regulam, quæ constat duodecim capitibus, cæteraque impiorum monachorum commenta, de quinque vulneribus ab ipso Christo huic fungo impressis, biennium antequam is nudus, (scilicet ut in hac parte Christum, qui nudus è cruce pependit, imitaretur) mori voluit.

2 A cumulo Franciscanorum meritorum, scilicet.

3 Hæc & alia execranda mendacia de Francisco refert mendacissimus iste Barthol. de Pisis, aliique nugatores.

4 Μυστήρια, arcana, præcipuè quæ pertinent ad sacra.

5 *Profanus* vulgò opponitur religioso, vel *sancto*. Fusius id alibi dictum, Sunt qui legant *profanus*, q. d. Egone tibi profanus videor, qui nulli monachorum ordini magis faverim, quam Franciscanorum?

6 *Vellicare*, proprie sæpius vellere. Metaphorice pro calumniari, traducere.

succenseat. TH. At vereor ne Franciscum iratum habeam, si quid arcanorum [1] effutiero. PH. Quid mali metuis ab innocentissimo viro? TH. Quid? ne [2] me exoculet, aut ne mihi mentem adimat; quomodo multos tractasse [3] dicitur, qui reclamarunt illius quinque vulnerum vestigiis. PH. Itane divi pejores sunt in cœlo quam fuerint in terris? Audio Franciscum adeo fuisse miti ingenio, ut cum pueri per viam incedenti caseum, lac, rudera & lapides immitterent in rusticanam [4] cucullam à tergo pendentem, nihil offenderetur, sed hilaris incederet, & gaudens; & nunc factus est iracundus ac vindex? Alio die cum à socio audisset fur, sacrilegus, homicida, incestus, ebriosus, & quidquid criminum in sceleros issimum quemvis congeri potest, [5] confractus egit gratias, confessus, illum [6] nihil esse mentitum. Miranti socio cur ita loqueretur; Hæc, inquit, omnia, & his sceleratiora patraram, nisi me numinis favor servasset. Unde igitur nunc factus est vindex? TH. Sic est: divi in cœlo regnantes lædi nolunt. Quid [7] Cornelio mitius? quid Antonio mansuetius? quid [8] Johanne Baptista patientius, dum viverent? At nunc quam horrendos morbos immittunt, nisi legitime colantur? PH. Citius crediderim illos adimere morbos, quam immittere. Sed quod

1 *Effutire*, est garriendo divulgare. Uberiorem annotationem respice in Colloq. *Adolesc. & scorti* pag. 283.

2 Mihi oculos eruat.

3 Addit hæc aliaque ementita miracula ille mendacissimus Autor de Pisa, ne quis figmentis istis de quinque vulneribus, cæterisque fabulis ausit oppedere.

4 Nusquam non Erasmus utitur voce *cuculla*. Mihi *cucullus* notus est.

5 Submissus, abjectus.

6 Nam fortasse socius verum dixerat.

7 Intelligit forte Cornelium centurionem Romanum, à Petro Cæsareæ baptizatum, Act. 10. De Antonio, subulcorum peculiari divo, respice Notas in Colloq *Franciscan.*

8 Nam sicuti Antonium sacro igni, & alios divos aliis malis armatos fingunt Papicolæ, ita Joanni Baptistæ adscribunt vim morbi comitialis parcis sui cultoribus immittendi.

1 Ridi-

quod mihi dixeris, nec profano commiseris, & tacituro credideris. TH. Age, tua fretus fide dicam, quod quidem ad hanc rem attinet. [1] Obsecro te, Franciscе, ut te tuisque sodalibus [2] propitiis sit mihi fas audita loqui. Scis Paulo fuisse sapientiam reconditam, quam non palam, sed occulte loquebatur inter perfectos. Sic habent & illi quædam arcana, quæ non evulgant apud quoslibet, sed [3] beatis viduis, aliisque piis, & selectis, bene volentibus gregi Seraphico, privatim impartiunt. PH. Exspecto [4] τρισαγίας ἀποκαλύψεις. TH. Principio Dominus prædixit [5] patriarchæ Seraphico futurum, ut quo grex Seraphicus magis increbresceret, hoc illi pabulum abundantius suppeditaret. PH. Heic protinus ademta est omnis querela iis, qui dictitant, hoc hominum genere in dies increbrescente, gravari populum. TH. Deinde aperuit & hoc, quod quotannis, in die illi festo, omnes animæ non modo fratrum, qui sacrosanctum illum gestant habitum, verum etiam ordini bene cupientium, ac de ipsius sodalibus bene merentium, ab igni purgatorio liberarentur. PH. Tam familiariter Christus cum illo fabulabatur? TH. Quid ni? ut cum amico & sodali, quemadmodum Deus pater fabulabatur cum Mose. Moses à Deo traditam legem tulit ad populum; Christus legem Evangelicam promulgavit; Franciscus legem suam

[1] angeli

1 Ridicula Francisci & monachorum ejus ordinis invocatio.

2 Faventibus.

3 Quas scelesti monachi seducunt ut olim Scribæ & Pharisæi, quibus Christus minitatur Matth. 23. οὐαὶ ὑμῖν ὑποκριταὶ, ὅτι κατεσθίετε τὰς οἰκίας τῶν χηρῶν, καὶ προφάσει μακρὰ προσευχόμενοι, i. e. *Væ vobis hypocritæ, qui comeditis domos viduarum, idque prætextu longarum precum.*

4 Τρισαγίας ἀποκαλύψεις, id est, ter sanctas revelationes.

5 Franciscо. Πατριάρχης dicitur familiæ aut tribus princeps. Respice *Mendardum* in principio.

[1] angeli manibus bis descriptam, tradidit Seraphicis fratribus. PH. Exspecto tertiam [2] apocalypsim. TH. Verebatur egregius ille patriarcha, [3] ne bonum semen, quod seminatum erat, noctu vitiaret ille malus, & ita cum zizania revelleretur & triticum. Hunc [4] scrupulum exemit illi Dominus, promittens illi, sibi curæ futurum ne deficeret [5] semicalceatorum ac cinctorum fune populus usque ad extremum judicii diem. PH. O Domini clementiam! alioqui [6] fuerat actum de ecclesia Dei. Sed perge. TH. Quarto loco [7] reseravit illud, quod nullus impie vivens diu perseverare posset in eo ordine. PH. An non defecit ab ordine quisquis impie vivit? TH. Non: neque enim Christum statim abnegavit qui scelerate vivit; quanquam aliquo modo negant Deum, qui ore profitentes, factis negant. Sed quisquis abjicit sacrosanctum habitum, is irreparabiliter defecit ab ordine. PH. Quid igitur dicemus de tot monasteriis [8] Conventualium, qui pecunias habent, qui potant, ludunt aleam, scortantur, & palam alunt domi concubinas, ne plura commemorem? TH. Franciscus nunquam gestavit vestem tali

1 Angeli? Imo vero male feriati cujusdam monachi. Sed heus, Francisce, nonne legeres illud Pauli ad Galat. 1. ἀλλὰ καὶ ἐὰν ἡμεῖς ἢ ἄγγελος ἐξ οὐρανοῦ εὐαγγελίζηται ὑμῖν, παρ' ὃ εὐηγγελισάμεθα ὑμῖν, ἀνάθεμα ἔστω. *Cæterum etiam si nos, aut angelus ex cælo prædicet vobis evangelium, præter quod prædicavimus vobis, anathema sit.*

2 Revelationem.

3 Alludit ad parabolam Christi Matth. 13.

4 *Scrupulus* proprie lapillus in ambulantium calceis pedes torquens. Inde pro quavis solicitudine, & re anxia.

5 Franciscanorum monachorum gregem Autor vocat *populum semicalceatorum ac cinctorum fune*, à fenestratis calceis, & funibus nodosis. Eorum discrimen & cultum notavimus in *Ichthyoph.*

6 Ubi res in desperationem devenit, ita ut nihil remedii reliquum sit, dicitur *actum est*, imprimis Comicis usitatum.

7 Revelavit, aperuit.

8 Franciscanorum genus triplex est, Capucinorum, Observantium, & Gaudentium, quos & *Conventuales* vocant. Hi ultimi incedunt prorsus calceati; priores tantum soleas sub pedum plantis habent.

1 Nam

tali colore [1] nimium fusco, nec usus est cingulo è lino candido confecto. Proinde illis, ubi pulsarint ostium, dicetur, [2] Nescio vos; eo quod non habent vestem nuptialem. PH. Estne amplius? TH. Nihil adhuc audisti. Quinto loco patefecit illi, quod, qui male vellent ordini Seraphico, quales heu nimium multi sunt, nunquam pervenirent ad dimidium ætatis à Deo præfinitæ, nisi mortem anticipassent; sed omnes pessima morte quam ocissime perituros. PH. Vidimus istuc cum in aliis multis alias, tum nuper in [3] Matthæo Cardinale Sedunensi: de semicalceatis pessime & loquebatur, & sentiebat; [4] periit prius quam, opinor, attingeret quinquagesimum annum. TH. Recte quidem dicis: sed ille læserat etiam [5] Cherubicum ordinem. Nam hujus opera potissimum effectum prædicant, ut [6] Bernæ quatuor illi Domi-

1 Nam Franciscanorum tunica cinericia est: & cingulus, qui eam constringit è cannabe est. Ergo Conventuales quodammodo ab ordine deficiunt, ideo illis dicetur: *Nescio vos*, &c

2 Vide parabolam Matth. 22. de invitatis ad nuptias.

3 Qui obscuro loco natus, & propter ingenii dotes Episcopatum Sedunensem adeptus cum esset, tandem flagrante bello inter Julium secundum & Gallos, Cardinalium numero ad scriptus est.

4 Morbo, an veneno?

5 In novem, quos Pontificii statuunt, angelorum choris, secundi sunt Cherubim: vide notas in *Funus*. Utque Franciscanos *Seraphicos*, ita Dominicanos (quibus nomen dedit Dominicus iste Hispanus notatus in Coll. *Nauf.* & *Francisc.*) *Cherubinos* appellat, seu *Cherubicum ordinem*.

6 Quod Helvetiorum oppidum est. Historia ita se habet. Jam ab anno 1370. gravis quæstio fuit mota inter Dominicanos & Franciscanos de conceptione Mariæ Virginis: hi enim illam ab originali peccato immunem, illi contrarium asserebant. Dominicani ergo ut & dignitatem ordini, & veritatem sententiæ adstruerent, habito concilio, ad ementitas apparitiones & ficta miracula confugiunt. Provinciam hanc quatuor sceleratissimi monachi suscipiunt, & ad eam exequendam eligitur Berna, Helvetiæ oppidum, credulis hominibus plenum, ut & simplicis ingenii sartor Joannes Jezerus, in eorum ordinem hoc fine ascitus. Hunc nocturnis apparitionibus, incredibili astutia confictis, eo perducunt, ut crederet Mariam sibi loqui, confitentem inter alia se quoque peccato originali inquinatam, prædicentemque urbi Bernensi exitium, nisi ebrioso Franciscani ejicerentur. Jezerus autem, ut ut stupidus, ex voce unius Monachi, quam agnoscebat, fraudem subodoratus, personatam Divam

Dominicani traderentur flammis, cum alioqui pontificis animum pecunia fuerint expugnaturi. PH. Sed ajunt illos prodigiosæ impietatis orsos fabulam. Fictis visionibus ac miraculis agebant, ut persuaderent, Virginem matrem fuisse contaminatam labe originali, divum Franciscum non habuisse vera Christi vulnerum vestigia, ea verius habuisse [1] Catharinam Senensem; sed perfectissima pollicebantur [2] laico converso, quem ad hanc fabulam agendam subornaverant; & ad hanc imposturam abutebantur [3] corpore Domini, postremo etiam fustibus, & venenis. Denique prædicant, hanc [4] telam non fuisse unius monasterii, sed totius ordinis [5] procerum. TH. Utcunque ista habent, non temere dictum est à Deo, [6] Nolite tangere Christos meos. PH. Exspecto si quid supereſt. TH. Supereſt [7] apocalypsis sexta, qua Dominus juravit illi futurum, ut fautores ordinis Seraphici quantumvis impie

insigniter prostituit. Ibi re comperta Monachi hominem eo adigunt, ut promitteret silentium. Sed pollicitis non nimium fidentes, satius ducunt illum è medio tollere, pane orbiculari, quem ipsi verum corpus Domini affirmant, veneno infecto, in celebratione Missæ, ut vocant. Et successisset negotium, nisi Jezerus deglutitum panem venenatum stomacho ejecisset. Is ergo e tanto periculo liberatus, rem omnem ad Magistratum defert. Monachi torti omnia scelera confitentur, atque ita convicti, approbante Pontifice Romano, vivi in ignem positi, abominandi facinoris dignas pœnas dederunt 1509. prid. Kal. Jun

1 Divam illam Papicolarum, ementitis miraculis prodigiose exornatam, vide in *Naufr. & Apoth Capn.*

2 Nempe Sartori Jezero, eo fine in Dominicanorum ordinem aſlumpto: huic enim Monachus iste nequam, qui Mariæ personam agebat, noctu manum clavo transfixerat, additis mox quatuor aliis vulneribus. Atque ita Dominicani, quo gloriarentur quinque vulnerum vestigia apud se, non apud Franciscanos esse, hunc lezerum tanquam novum Christum populo offerebant.

3 Pane orbiculari scil. Vide jam nunc notata.

4 Technam, vel sceleratissimam fraudem, quam Dominicani monachi contexuerant.

5 Principum, primariorum.

6 Christos, id est unctos, Psalm. 105.

7 Revelatio ab ἀποκαλύπτω, detego, revelo. Vete equidem hic Autor revelat impia monachorum mysteria.

1 Tar-

pie viverent, tamen aliquando Domini misericordiam consequerentur, & sceleratam vitam beato fine clauderent. PH. Etiamne si in adulterio deprehensi occiderentur. TH. Quod Dominus promisit, non potest non esse ratum. PH. Sed quibus tandem rebus illi metiuntur favorem ac benevolentiam? TH. Oh, dubitas? qui dat, qui vestit, qui culinam instruit, jam dudum amat. PH. Non amat qui monet, qui docet? TH. Hæc ipsis domi abundant, & hujus generis beneficia solent aliis largiri, non ab aliis accipere. PH. Plus ergo Dominus promisit Francisci discipulis quam suis. Sibi quidem patitur imputari, si quid ipsius respectu benefiat cuilibet Christiano; sed non promittit male viventibus vitam æternam. TH. Nec mirum, amice, nam extremus Evangelii vigor servatus est huic ordini. Sed audi jam septimam apocalypsim, eamque postremam. PH. Heic sum. TH. Juravit illi Dominus, neminem male moriturum, qui in habitu Seraphico moreretur. PH. At quid appellas male mori? TH. Is male moritur, cujus anima relicto corpore recta defertur ad [1] tartara, unde nulla est redemtio. PH. Vestis igitur non liberat ab igni purgatorio? TH. Non, nisi quis moriatur in ipso festo beati Francisci. Verum an tibi parum videtur, tutum esse à tartaro? PH. Maximum ego quidem arbitror. Sed quid de his sentiendum, quibus jam mortuis induitur sacra vestis? Non enim in ea moriuntur. TH. Si vivi hoc petierunt, voluntas habetur pro facto. PH. At ego, cum [2] agerem Antverpiæ, adfui cum cæteris cognatis matronæ cuidam [3] agenti animam; aderat Franciscanus,

1 *Tartarus*, in plur. Tartara, locus inferorum profundissimus, quem abyssum vocant. Respice *Naufrag.*

2 Degerem, versarer.

3 In agone, seu puncto mortis versanti. Jam moti proximæ.

ciscanus, vir admodum venerabilis. Is ubi videt mulierem jam oscitantem, alterum brachium illius inseruit suæ vesti, sic ut etiam aliquam humeri partem tegeret. Ibi quidam dubitabant, utrum tota mulier esset tuta ab inferorum portis, an pars contecta. TH. Tota erat tuta, non aliter quam in baptismo pars hominis tingitur aqua, totus tamen Christianus redditur. PH. Mirum [1] cacodæmones tantopere horrere vestem illam. TH. Magis horrent quam crucem Domini. Cum [2] efferretur Eusebius, vidi (non solus tamen) agmina nigrorum dæmonum, [3] muscarum instar, assultantium ad corpus, nullus tamen audebat attingere. PH. At interim facies, manus, pedes erant in periculo, quippe nudi. TH. Ut serpentes nec umbram fraxini, licet porrectam longius, [4] ferre possunt, ita dæmones virus illud sacræ vestis etiam procul sentiunt. PH. Proinde non arbitror talia corpora putrescere, alioqui plus animi esset vermibus quam cacodæmonibus. TH. Verisimile narras. PH. Quam fortunati pediculi qui in tam divina veste perpetuo vivunt! Cæterum cum vestis deferatur ad sepulchrum, quid est quod tuetur animam? TH. Vestis umbram secum defert; ea tutam reddit, adeo ut negent quenquam illius ordinis venire in purgatorium ignem. PH. Næ ego istam apocalypsim, si vera narras, pluris facio, quam [5] illam Joannis! hæc enim [6] expeditam ac facilem ostendit

1 Κακοδαίμονες, mali Genii. Angeli impuri, (de Geniis & Angelis sæpius supra) item infelices, miseri. Istos stulti Pontificii ligno crucis posse abigi credunt. Respice *Exorcism.*

2 Vide pag. superiores.

3 Credo equidem: fuerunt enim veræ muscæ, vel culices.

4 Certe si Plinio fides, qui se hoc expertum dicit. Vide sequens Colloquium *de Amicitia.*

5 Quamvis omnia hæc falsè atque ironice ab Erasmo in medium proferantur, interim tamen verum est, eum de Autore libri, qui Apocalypsis Joannis Theologi inscribitur, dubitasse. Vide ejus annotationes in N. Testamentum, & Apologiam quam Beza adversus eas scripsit.

6 Planam.

1 La-

dit viam, qua cuivis liceat citra [1] sudorem, citra molestiam, citra pœnitentiam mortem æternam effugere, tota vita suaviter peracta in deliciis. TH. Assentior. PH. Jam igitur mirari desino, si plerique Seraphicis sodalibus plurimum tribuant: verum non queo satis admirari, non deesse qui non vereantur illis [2] oppedere. TH. Nimirum istos scias, quotquot videris, traditos in [3] reprobum sensum, suaque malitia excæcatos. PH. Posthac ero cautior; daboque operam ut in sacrosancta veste moriar. Verum extiterunt hoc sæculo quidam qui docent, hominem sola fide justificari, nullo operum præsidio: maximum igitur privilegium sit, si vestis beet absque fide. TH. Non simpliciter absque fide, ne quid erres, Philecoë, satis autem est credere, hæc quæ diximus esse promissa à Christo [4] patriarchæ Francisco. PH. Vel Turcam igitur servabit vestis? TH. Vel ipsum [5] Satanam, si se patiatur indui, & fidem habeat apocalypsi. PH. Jam dudum me tuum fecisti: sed unum atque alterum scrupulum mihi cupiam per te eximi. TH. Dic. PH. Audivi, Franciscum suum appellare institutum Evangelicum. TH. Verum. PH. Sed Evangelii regulam profitentur omnes Christiani, [6] mea quidem sententia. Quod si istorum institutum est Evangelicum, oportet quotquot Christiani sunt, eosdem esse Franciscanos; & in his [7] primas tenebit Christus cum Apostolis & sanctissima matre. TH. Convinceres tu quidem, nisi Franciscus quædam

1 Laborem. Meton. effect.

2 Adversari. Respice supra notata in *Merdardum*.

3 *Reprobam mentem*, vocant ἀδόκιμον νοῦν, ut Paulus inquit ad Roman. cap. 1.

4 Vide paulo ante in hoc Coll. annotata.

5 Satanas, baptismus, aliæque ejus farinæ voces notatæ sunt in *Conviv. relig.*

6 Juxta meam opinionem.

7 Supple, partes. Revise *Merdardum* in principio.

dam addidiſſet Evangelio Chriſti. PH. Quæ? TH. Veſtem cinericiam, funem canabeum, & pedes nudos. PH. Iſtis igitur notis dignoſcimus Evangelicum à Franciſcano? TH. Differunt & [1] contactu pecuniæ. PH. Verum, ut audio, Franciſcus recipi vetat, non attingi. Recipit autem vel dominus, vel procurator, vel creditor, vel hæres, vel [2] mandatarius: & ſi numeret [3] chirotheca munitus, nihilominus recepiſſe dicitur. Unde igitur hoc novum interpretamentum, ne recipiant, id eſt, ne contingant? Sic interpretatus eſt Benedictus pontifex. PH. At non ut pontifex, verum ut Franciſcanus. Alioqui nonne, qui ſunt [4] obſervantiſſimi, cum peregrinantur, excipiunt linteolo nummos? TH. Faciunt cum urget neceſſitas. PH. At mori ſatius eſt, quam violare regulam plusquam Evangelicam. Deinde nonne paſſim recipiunt per ſuos procuratores? TH. Quid ni? etiamſi dentur aliquot millia, id quod non raro accidit. PH. At regula dicit, neque per ſe, neque per alios. TH. At non [5] contingunt. PH. Ridiculum. Si contactus impius eſt, etiam per alios contingunt. TH. Verum non eſt illis cum procuratoribus actio. PH. Non eſt? Experiatur hoc qui velit. TH. Chriſtus non legitur usquam contigiſſe pecuniam. PH. Eſto: ſed probabile eſt Chriſtum adoleſcentulum crebro parentibus ſuis emiſſe oleum, acetum, & olera. Sed extra controverſiam

1 Reſpice *Franciſcanorum* Colloq. *Nos cogit regula non contingere pecuniam.*

2 *Mandatarium*, vel procuratorem vulgo appellant, qui mandata habet peragenda.

3 Manica.

4 Nam Franciſcani vel Capuccini vel Obſervantes, vel Gaudentes ſunt, ut ſupra diximus. Reſpice Coll. *Franciſc. Nos ſumus Obſervantes.*

5 Sed tamen corradunt quibuscunque modis poſſunt, conciones, Miſſas, preces, cantus, & quid non popello vendentes; ideoque cum ruri vagantur, alterum Judam habent, qui peram gerit.

versiam Petrus & Paulus contrectarunt. Non est in contactus fuga laus pietatis, sed in contemtu. Vini contactus multo periculosior est, quam pecuniæ; cur non horrent ibi periculum? TH. Quia Franciscus non prohibuit. PH. Nonne porrigunt manus suas otio molliculas, & pulchre lotas fœminis salutantibus; & nummo forte inspiciendi causa oblato resiliunt, ac se muniunt signo crucis? papæ quam Evangelice! Et quidem puto Franciscum, licet [1] omnis litteraturæ rudem, non adeo desipuisse, ut vetuerit qualemcunque pecuniæ contactum. Et tamen si id sensit, quanto periculo suos exposuit quos jussit nudis pedibus incedere? Vix enim vitari potest, quin aliquando imprudentes calcent nummum humi jacentem. TH. Verum non tangunt manibus. PH. An tactus non est sensus toti corpori communis? TH. Est; atque etiamsi quid tale [2] usu veniat, non sacrificant nisi confessi. PH. Religiose! TH. Verum omissis cavillationibus, dicam id quod res est. Pecunia multis est, eritque maximorum malorum occasio. PH. Fateor: sed eadem aliis est multorum bonorum materia. Divitiarum amorem lego damnatum, pecuniam damnatam nusquam lego. TH. Recte dicis. Sed quo longius absint ab avaritiæ morbo, sic prohibitus est contactus, quemadmodum in Evangelio vetamur jurare, ne incidamus in perjurium. PH. Quin igitur vetitus est adspectus? TH. Quia facilius est continere manus quam oculos. PH. Et tamen per illas fenestras ingressa est mors. TH. Et ideo qui [3] germane Franciscani sunt, ultra supercilia deducunt [4] cucullam, tectisque & in terram defixis

1 Sæpius hoc autor supra indicavit, Franciscum fuisse hominem litterarum rudem. Puer enim studiis valedicens mercator factus est, è mercatore miles, è milite tandem monachus.
2 Accidat.
3 Vere.
4 Cucullum, inquam.

1 Nunc

fixis oculis incedunt, ne quid videant præter viam: quod idem videmus in equis currus onustos trahentibus; utrinque corium capistro additum non sinit eos quidquam videre nisi quod ante pedes est. PH. Verum age dic mihi, estne hoc verum quod audio, in regula vetitum, ne quod indultum impetrent à Pontifice? TH. Est. PH. Atqui audio, nullum hominum genus pluribus instructum indultis; adeo ut liceat illis homines, ipsorum sententia damnatos, vel veneno necare, vel vivos defodere, citra ullum irregularitatis periculum. TH. Non est vana fabula quam audisti. [1] Nam mihi narravit vir minime mendax Polonus, se obdormisse [2] potum in templo Franciscanorum, in his angulis in quibus sedent fœminæ per laminas foraminosas confitentes. Experrectus cantu nocturno, non ausus est se prodere. Decantatis ex more [3] nocturnalibus, totus fratrum chorus descendit in ædem inferiorem; ibi erat parata fossa bene lata beneque profunda. Stabant duo juvenes revinctis à tergo manibus. Habita est concio de laude obedientiæ; promissa est apud Deum omnium [4] commissorum venia. Nonnulla etiam spes injecta, fore ut Deus fratrum animos flecteret ad misericordiam, si sponte descenderent in foveam, seque supinos reponerent. Factum est, subductisque scalis, omnes simul injecere terram. PH. Sed siluitne interim ille spectator? TH. Maxime; tum quidem nimirum metuens, ne si se prodidisset, tertius adderetur fossæ. PH. Etiamne hoc illis licet? TH. Licet, [5] quoties periclitatur decus ordinis. Nam ille simulatque eva-

1 Nunc audies, lector, illa vere sacra, id est, execrabilia Franciscanorum mysteria.

2 Ebrium.

3 Ita vocat Hymnos, quos monachi statis horis nocturnis in honorem Divi vel Divæ, cujus dies festus tunc occurrit, cantant.

4 Peccatorum.

5 Imo quoties verentur, ne quis scelera, quæ in monasteriis perpetrantur, palam faciat.

evasisset, passim in omnibus conviviis narrabat quæ viderat, magna Seraphicæ gentis invidia. Nonne [1] præstiterat vivum sepeliri? PH. Fortasse. Verum his subtilitatibus omissis, qui fit, ut cum [2] patriarcha jusserit incedi nudis pedibus, nunc maxime incedant calceis fenestratis? TH. Duabus de caussis præceptum hoc mitigatum est: altera est, ne per imprudentiam tangant pecuniam: altera, ne frigus lædat, aut spina, aut serpentes, aut silices, aut aliud simile, cum illis sit per universum terrarum orbem obambulandum. Cæterum ut id fiat inviolata regulæ majestate, fenestra calcei pedem nudum ostendit [3] per synecdochen. PH. Prædicant se profiteri perfectionem Evangelicam, quam ajunt constare consiliis Evangelicis, de quibus inter eruditos [4] magna digladiatio est. Et in unoquoque vitæ statu locus est perfectioni Evangelicæ. Sed quid omnium maxime perfectum tibi videtur inter Evangelii præcepta? TH. Arbitror totum illud quod prodidit Matthæus Cap. 5. cujus hæc est clausula; *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui vos oderunt, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos, ut sitis filii patris vestri qui est in cœlis, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, pluit super justos & injustos. Estote ergo vos perfecti, sicut & pater vester cœlestis perfectus est.* PH. Commode respondisti. Sed pater ille dives est ac munificus in omnes, nec mendicat à quoquam. TH. Munifici sunt & illi, sed opum spiritualium, hoc est, precum & bonorum operum, quibus opulenti sunt. PH. Utinam sint inter illos exempla charitatis Evangelicæ,

1 Satius, melius fuerat.
2 Franciscus.
3 Per synecdochen pars ponitur pro toto. Sic Franciscanorum pars pedis denudatur, pro toto scilicet pede. Eorum vestitum respice in *Ichthyoph.*
4 Magnum certamen.

licæ, quæ maledicta benedictis, injuriam beneficio pensat! Quid sibi vult illa tam celebris Alexandri pontificis vox, [1] *Tutius esse regem quamlibet potentem lædere, quam quemlibet ex ordine Franciscanorum aut Dominicanorum?* PH. Ordinis læsam dignitatem ulciscifas est: & quod uni ex minimis male fit, fit toti ordini. PH. At cur non potius quod uni bene fit, fit toti ordini? Et cur non unus Christianus læsus totum Christianismum ad vindictam provocat? Cur toties cæsus ac lapidatus Paulus non inclamavit [2] suppetias adversus apostolicæ dignitatis violatores? Jam si, juxta Domini sententiam, *Beatius est dare quam accipere*, utique perfectior est qui bene vivens ac docens de suo dat egentibus, quam qui tantum accipit. Alioqui frustra [3] Paulus gloriatur, quod gratis prædicaverat Evangelium. Atque heic videtur esse præcipuum illius laudatæ addictionis experimentum, si [4] conviciis impetiti non [5] incandescant, si in male merentes charitatis affectum obtineant. Quid magni est, si quis aliquid facultatum relinquat, de alieno victurus aliquanto lautius, cum sibi servet ulciscendi cupiditatem? Cinctorum fune, semicalceatorum, ubique est magna copia: hæc qui præstet quæ perfecta Dominus vocat, quæ Apostoli constanter exhibuerunt, inter istos nimium [6] rara est avis. TH. Non ignoro quas fabulas impii quidam de illis spargant: sed ego sic affectus sum, ut ubicunque videro illam sacrosanctissimam vestem, putem adesse angelos Dei: eamque domum esse felicem, cujus limen crebro teritur illorum pedibus. PH.

1 Alexandrum Pontificem, ejusque dictum respice in *Merdardo*, pag. 731.
2 Auxilium.
3 1. Cor. 9.
4 Maledictis.
5 *Incandescere* metaph. pro valde succensere, vel irasci.
6 Res nova, & inventu rara, *rara avis* dicitur. Iuvenal. Sat. 6 *Rara avis in terris, nigroque simillima cygno.*

PH. Et ego arbitror, pauciores esse [1] steriles fœminas, ubi illi agunt familiariter. Sed mihi propitius sit Franciscus, Theotime, qui hactenus tanto in errore sim versatus. Existimabam, istorum vestem nihil aliud esse quam vestem, nec per se meliorem veste nautæ, aut calcearii, nisi utentis sanctimonia commendaretur, quemadmodum Christi vestis contacta sanavit [2] hæmorrhoissam. Alioqui dubitabam, utrum textor an vestiarius eam vim dedisset vesti. TH. Haud dubie, qui formam dat, dat vim. PH. Posthac ergo vivam suavius: nec me [3] macerabo metu [4] inferorum, aut [5] confessionis tædio, aut cruciatu pœnitentiæ.

1 Revise in Coll. *Proci & puellæ*, Nub re crasso monacho.

2 Mulierem profluvio sanguinis laborantem: αἱμόῤῥοια, vel αἱμοῤῥοις, sanguinis profluvium. Miraculum lege Marc. Cap. 5.

3 Cruciabo.

4 Pœnarum, quas apud inferos impiorum animas vulgo ferre ajunt.

5 Scil. auricularis, inter Pontificios usitatæ.

[1] AMICITIA.

[2] EPHORINUS, JOANNES.

EP. SÆpenumero mecum admirari soleo, [3] quem Deum in consilium adhibuerit natura, cum in omni rerum genere misceret [4] amicitias & inimicitias

1 Ita inscribitur hoc Colloquium, quod in eo agat Autor de animantibus innata amicitia, vel inimicitia.

2 Nomen desumtum ab ἐφορᾷν, id est, diligenter contemplari, & cum cura inspicere. Hic enim Ephorinus animalium naturam, vim & potentiam contemplando observat.

3 Deum, quo nihil prudentius, aut consultius, in consilium adhibere, elegans loquendi forma est, quoties nos admirari novitatem, aut mirificum rei eventum significamus, quod subinde apud Poëtas Dii in consilium ab Heroibus adhibeantur.

4 Alludit ad Empedoclis Physici decretum, qui principia mundi φιλίαν καὶ νεῖκος, id est, *amicitiam & contentionem* statuit.

1 Com-

tias quasdam arcanas, nec ullis causis evidentibus probabiles, nisi quod hoc spectaculo videtur fuisse delectata, quemadmodum nos ex [1] commissis inter se gallis gallinaceis & coturnicibus voluptatem capimus. JO. Nondum satis percipio quid velis dicere. EP. Dicam igitur, si vis, [2] crassiore Minerva. Scis serpentium genus esse inimicum homini. JO. Scio vetus inter illos & nos esse dissidium & irreconciliabile, futurumque donec meminerimus illius [3] inauspicari pomi. EP. Nosti lacertam? JO. Quid ni? EP. Italia magnas habet & virides. Hoc animal natura & homini amicum est, & serpentibus inimicum. JO. Unde hoc deprehenditur? EP. Ubicunque prospicit homo, ibi congregantur lacertæ, obliquato capite diu contemplantes hominis faciem: si exspuas, elambunt salivam ore redditam: vidi & puerorum [4] mictum exsorbentes. Quin & puerorum manibus tractantur impune, atque etiam læduntur, & admotæ ori gaudent salivam lambere. Cæterum si comprehensæ inter se committantur, dictu mirum quam in sese sæviant; nec appetunt committentem. Si quis in agris ambulet per viam cavam, nunc hinc, nunc illinc strepitu dimoti rubi admonent hominem; insuetus crederet, serpentem esse: ubi dispexeris, lacertæ sunt, obliquato capite contemplantes, donec consistas; si pergas, sequentes. Rursus aliud agentem admonent. Diceres eas ludere, vehementerque

1 *Committere*, significat in certamen & contentionem mittere, quemadmodum dicimus *gladiatores commissos*, qui in certamen descendunt.

2 *Crassiore*, vel rudi *Minerva dicere* id est, simplicius & indoctius, non accurata loquendi forma, nec arte; sed ut illiterati solent. Minerva artium Dea Respice *Cyclops*.

3 *Inauspicatum*, id est infelix, quod bonis auspiciis non geritur. Quid sit auspicium dictum respice pag. 6. & in Coll. *Proc. & puel.* Historiam serpentis, qui Evam pomo seduxit, lege Genes. 3.

4 Urinam.

1 Tan-

terque delectari hominis aspectu. JO. Mira narras. EP. Quodam die vidi prægrandem & mire viridem in ostio cavi decertantem cum serpente. Primum mirabamur quid esset rei; nam serpens nobis non erat conspicuus. Italus admonebat, in antro esse hostem. Paulo post venit ad nos lacerta, velut ostendens sua vulnera, ac remedium flagitans, seque [1] tantum non tangi patiebatur: quoties autem restabamus, restabat & illa nos contemplans. Serpens alterum latus pene totum eroserat, & ex viridi rubrum fecerat. JO. Mihi, si adfuissem, libuisset ulcisci lacertæ vicem. EP. At hostis jam se in profundum antrum abdiderat: post aliquot tamen dies [2] pavimus oculos nostros vindicta. JO. Gaudeo profecto. Sed quo pacto? EP. Forte inambulabamus per eundem locum. Serpens è fonte vicino biberat; erat enim æstus [3] prodigiosus, adeo ut nos quoque aquæ inopia periclitaremur. Commodum occurrit ex agris puer natus annos tredecim, ejus domus filius, in qua tum metu pestilentiæ [4] Bononia profugi rusticabamur; gestans rastrum quo fœnum demessum converrunt agricolæ; simul ut serpentem vidit, exclamat. JO. Metu fortasse. EP. Nequaquam, imo gaudio, velut insultans deprehenso hosti. Ferit rastro; serpens se contrahit: ille non facit feriendi finem, donec contrito capite serpens in longum porrigitur, nam hoc non faciunt nisi morientes. Inde est, quem frequenter audisti, [5] apologus de

1 Tantum non, id est, propemodum.

2 Pascere pro delectari, vel recreare, notatum vide in principio *Conviv. Relig.*

3 Vehemens fere usque ad prodigium.

4 Bononia, urbs est Italiæ nobilissima.

5 Fabula Æsopi hæc est: Amicitiam junxerant anguis & cancer, & una vivere statuerant. Sed cancer animal simplex & probum, cum socii sui fraudulentia & calliditate admodum offende-

de cancro, qui serpentem hospitem occidit, ubi porrectum videt; Sic inquit, vivum incedere oportuit. JO. O factum bene! Quid tum? EP. Puer arreptum rastro suspendit à frutice supra antrum. Ibi diebus aliquot vidimus frondes sanie tinctas. Ejus ruris agricolæ pro comperto nobis aliud quiddam mirabile referebant. Agricolæ nonnunquam fessi obdormiunt in agro: atque illic interdum habent [1] urceum lactis, in cibi simul & potus usum. Serpentes summopere lacte capiuntur. Itaque non raro fit, ut in vas illabantur. Ei malo paratum habent remedium. JO. Quod? obsecro. EP. Summum testæ os allio circumlinunt. Is odor deterret serpentes. JO. Quid igitur sensit Horatius, cum scriberet, [2] allium venenum cicutis nocentius; cum sit, ut ais, adversus venena remedium? EP. Sed audi quod est durius; interdum clanculum adrepentes in os patens dormientis conjiciunt sese, & in stomachum sese convolvunt. JO. An non protinus exanimatur homo talem nactus hospitem? EP. Non, sed [3] afflictissime vivit, nec est ullum mali levamen, nisi ut lacte aliisque gratissimis serpenti cibis alant hospitem. JO. Nihil remedii adversus tantum malum? EP. Comesum affatim allium. JO. Non mirum igitur, si [4] messores gaudent allio. EP. Et alias mede-

fenderetur, sæpe hortatus fuit anguem, ut istos mores veteratorios exueret. Anguis non modo non obtemperare recte monenti, sed fieri etiam indies deterior atque versutior. Quodam igitur tempore cancer sopitum invadit, & forcipe sua captum strangulat; qui cum mortuus jaceret in longum porrectus: Itane, inquit cancer, viventem rectum ac simplicem esse oportebat, si ferri tuam consuetudinem à bonis postulabas. *Apologus* fabula est, sub ridicula narratione exhibens aliquid, quod moribus utile est.

1 Urnam fictilem minorem. Horat. de Arte Poët. --- *Amphora cœpit Institui, currente rota, cur urceus exit?*

2 Horat. Epod. 3. *Parentis olim si quis impia manu Senile guttur fregerit, Edat cicutis allium nocentius.*

3 Miserrime.

4 Horatius in carmine mox citato exclamat, *O dura messorum ilia!*

medetur delassatis labore & æstu. Verum in hoc [1] discrimine non raro lacerta quamvis pusilla servat hominem. JO. Qui potest? EP. Ubi sensit serpentem insidiari, circumcursat per collum & faciem hominis; nec finem facit, donec pruritu scalptuque unguium excitetur. Porro qui expergiscitur, conspecta in propinquo lacerta, mox intelligit hostem alicubi esse in insidiis, ac circumspiciens deprehendit. JO. Mira naturæ vis. EP. Jam nullum est animal inimicius homini quam crocodilus, qui sæpe numero totos homines devorat, & arte malitiam adjuvat, hausta aqua lubricans semitas, quibus descendunt ad [2] Nilum aquam hausturi, quo collapsos devoret. Neque te fugit delphinum, etiam in diverso elemento natum, [3] φιλάνθρωπον esse. JO. Audivi fabulam de [4] adamato puero celebrem, celebriorem autem [5] de Arione. EP. Quin & [6] in venatu mugilum piscatores delphinorum ministerio vice canum utuntur, qui accepta prædæ portiuncula recedunt. Quin & castigari sese patiuntur, si quid in venatu deliquerint. In mari vero frequenter navigantibus apparent, gaudio gestientes, & in summis undis lusitantes. Interdum adnantes ad navim, nonnunquam & tensa vela transilientes. Adeo delectantur hominum consuetudine. Verum ut hominum est studiosus

1 Periculo.

2 Præclarissimum Ægypti fluvium.

3 Φιλάνθρωπον, id est, hominum amatorem.

4 Non unam de pueris à Delphinis adamatis fabulam lege in Plinio, Nat. Hist. lib. 9. cap. 8.

5 Fabulam Arionis ex Herodoto versam exhibet A. Gellius lib. 16. cap. 19. Plinius quoque loco paulo ante citato de Delphinorum φιλανθρωπίᾳ. *Nec modus exemplorum. Eadem Amphilochi & Tarentini de pueris delphinisque narrant. Quæ faciunt, ut credatur Arionem quoque citharœdicæ artis interficere nautis in mari parantibus, ad intercipiendos ejus questus, eblanditum, ut prius caneret cithara, congregatis cantu delphinis, cum se jecisset in mare, exceptum ab uno Tanarum in littus pervectum.*

6 Plinius dicto loco. *Est provincia Narbonensis, & in Nemausiensi agro stagnum Latera appellatum, ubi cum homine delphini societate piscantur*, &c.

diosus delphinus, ita [1] crocodilo capitalis est hostis. Egreditur mare, & in Nilum, in quo regnat crocodilus, audet venire, congressurus cum dentibus, unguibus, & squamis ferro etiam impenetrabilibus, armata bellua, ipse nec ad morsum satis instructus, quippe os habens ad pectus vergens. Sed impetu fertur in hostem, ac jam illi proximus repente submittit sese, erectisque in tergo pinnis mollia ventris perscindit, alias invulnerabili. JO. Mirum est quodque animal statim agnoscere hostem suum, etiam nunquam antea visum; scireque & cur impetatur, & qua lædi aut sese tueri possit; cum hoc homini sit negatum, qui ne [2] regulum quidem horreret, nisi admonitus, malove doctus. EP. Scis equum animal obsequiis hominum natum. Huic capitale dissidium est cum urso, homini noxia bestia. Agnoscit hostem nunquam visum, ac protinus se parat ad pugnam. JO. Quibus armis pugnat? EP. Arte potius quam viribus. Transilit ursum, & in ipso saltu posteriores calces impingit in caput. Atque ursus interim unguibus scalpit equini ventris mollia. [3] Aspis homini venenum est immedicabile; cum hac belligeratur [4] ichneumon. Idem exitialis hostis crocodilo. Similis affectus est elephantis erga hominem: nam & viatorem simpliciter errantem clementer

1 Plinius lib. 8. cap. 25. *Itaque & delphini immeantes Nilo, quorum dorso tanquam ad hunc usum cultellata inest pinna, abigentes eos præda, ac velut in suo tantum amne regnantes, alioquin impares viribus ipsi æstu interimunt.*

2 *Regulus* Basiliscum etiam significat, facto nomine ab etymologia Græca, ne quis opinetur *regulum* avem esse homini inimicum.

3 *Aspis*, serpens parvus, morsu suo lethiferum somnum adducit.

4 Plinius lib. 8. cap. 24. *Habet (aspis scil.) deinde internecinum bellum cum ichneumone. Notum est animal hac gloria maxime, in eadem natum Ægypto. Mergit se limo sæpius, siccatque sole. Mox ubi pluribus eodem modo se coriis loricavit, in dimicationem pergit. In ea caudam attollens ictus irritos aversus excipit, donec obliquo capite speculatus invadat in fauces.* Est autem muris species.

1 Φιλαν-

menter reducunt in viam, & agnoscunt amantque doctorem suum. Feruntur & exempla devoti amoris erga certos homines: siquidem unus amavit in Ægypto mulierculam corollas vendentem, Aristophani grammatico caram. Alius Menandrum Syracusanum adolescentem sic amavit, ut desiderium illius, quoties non videret, inedia testatus sit. Sed ne hæc, quæ plurima commemorantur, referre pergamus, cum Bocchus rex in triginta quosdam sævire decrevisset, eos totidem elephantis objecit, stipitibus alligatos. Cumque immissi essent qui inter elephantos procursantes eos lacesserent, nunquam efficere potuerunt, ut se regiæ crudelitatis ministros præberent. Atque huic animanti [1] φιλανθρώπῳ bellum exitiale est cum draconibus Indicis, qui feruntur esse maximi, ut frequenter in pugna pereat uterque. Porro draco inimicus est homini, etiam non lacessitus. Simile dissidium est aquilæ cum draconibus minoribus, cum homini sit innoxia, imo cum feratur etiam [2] amatorios ignes sentire ergo certas puellas. Eidem avi bellum internecinum est cum [3] cyminde, id est, nocturno accipitre. Elephantus odit etiam murem, animal homini quoque molestum: eoque abhorret à pabulo in quo murem conspexerit. [4] Nec caussa liquet cur oderit. Nam [5] hirudinem merito horrent, quod ea in potu hausta gravissime discru-

1 Φιλανθρώπῳ, *hominum amatori.*

2 Plin. lib. 10. c. 5. *Est percelebris apud Sestον urbem aquilæ gloria: educatam a virgine retulisse gratiam, aves primo, mox deinde venatus aggerentem. Defuncta postremo, in rogum accensum ejus injecisse sese, & simul conflagrasse.*

3 Plin. lib 10. cap. 9 *Nocturnus accipiter* Cymindis *vocatur, rarus etiam in sylvis, interdiu minus cernens. Bellum internecinum gerit cum aquila*, &c. Sed Homerus Illiad. ξ Cymindim noctuam appellat, sic enim inquit, Χαλκίδα κικλήσκουσι θεοὶ, ἄνδρες δὲ κύμινδιν, id est, *Noctuam appellant Dii, homines vero Cymindim.*

4 Causa equidem satis liquet; solet enim mus, ut ajunt, in Elephantis proboscidem irrepere.

5 Sanguisuga. Respice *Philodox.* in medio.

ſcrucietur. Jam vix ullum animal amicius homini quam canis, nec inimicius quam lupus, ut quod [1] adſpectu quoque vocem adimat: & inter hæc ſumma diſcordia eſt, quemadmodum ovium generi lupus infeſtiſſimus, quod totum pendet à providentia hominum, quorum præcipua cura eſt tueri animal innoxium, & alendo homini natum: in lupum vero velut in publicum humani generis hoſtem armantur omnes, præcipue canum commilitio: quæ res etiam proverbio fecit locum, *Non magis parcemus, quam lupis.* [2] Lepus marinus immedicabile eſt homini venenum, ſi quis imprudens guſtaverit: at rurſus hominis contactus mors eſt lepori. [3] Panthera ſæva eſt in hominem, & tamen adeo terretur ab [4] hyæna, ut ne congredi quidem ſuſtineat. Hinc narrant, ſi quis quid ſecum geſtet de corio hyænæ, à panthera non appeti; tam ſagax eſt naturæ ſenſus. Addunt & illud, ſi pelles utriusque belluæ ſuſpendas invicem ex adverſo, panthericæ pilos defluere. Araneus homini domeſticum eſt animal, [5] exitiale vero ſerpenti, adeo ut forte conſpicatus ſub arbore ſerpentem apricantem, filo ſe libret, & aculeum mediæ infigat fronti, tam acri vulnere, ut ſerpens, dolore rotans ſeſe in gyrum, tandem emoriatur. Accepi ab iis qui ſpectarunt, ſimile diſſidium eſſe araneo cum bufonibus; ſed bufonem ictum, ſibi [6] plantagine admorſa mederi. Audies fabulam Britannicam. Scis, illic conclavium ſolum conſterni ſcirpis

1 Hinc proverbium, *Lupi illum videre priores*, in raucum dicitur, & qui ſubito conticeſcit. Et *lupus in fabula* dici ſolet, quoties is, de quo confabulatio eſt, de improviſo intervenit. Revide *Conviv. fabul.* in fine.

2 Ita Plinius teſtatur, lib. 9. cap. 48.

3 *Panthera* quaſi tota fera, à πᾶν totum & θὴρ fera.

4 *Hyænam* animal lupi ſimile dicunt. Vide Plin. lib. 8. cap. 30.

5 Ita refert Plinius lib. 10. cap. 74.

6 Plantago major & minor.

1 Vel

pis virentibus. Monachus quidam fasciculos aliquot [1]scirporum in cubiculum congesserat, sparsurus cum esset commodum. Is cum a prandio supinus dormiret, bufo ingens erepsit, & os dormientis obsedit, infixis superno atque inferno labro quatuor pedibus. Detrahere bufonem certa mors erat; non amoveri, quiddam erat morte crudelius. Quidam suaserunt ut Monachus ad fenestram deferretur supinus, in qua ingens araneus habebat telam. Factum est. Mox araneus, hoste conspecto, filo se librat, & bufoni spiculum infigit, ac filo se recepit in telam. Intumuit bufo, sed non est avulsus. Repetitur ab araneo: magis intumuit, sed vixit. Tertio ictus abduxit pedes, ac mortuus decidit. Hanc gratiam araneus retulit hospiti suo. JO. [2]Mira narras. EP. Addam, quod non legi, sed his oculis conspexi. Simius supra modum horret testudinem. Hujus rei quidam dedit nobis specimen Romæ. Puero suo in verticem imposuit testudinem, & pileo contexit; dein produxit ad simium. Illico simius gaudens insiliit in humeros pueri, venaturus pediculos: sublato pileo reperit testudinem. Mirum erat spectaculum quanto cum horrore resilierit bestia, quam timide respexerit, an sequeretur testudo. Additum est aliud specimen: alligavimus testudinem catenæ à qua revinctus erat simius, ut effugere non posset, quin saltem aspiceret: incredibile dictu, quantopere fuerit discruciatus, tantum non metu exanimabatur; interdum aversus posterioribus pedibus depellere tentavit hærentem bestiam. Tandem quidquid erat in alvo aut vesica oneris rejecit. Sequuti est ex eo pavore febris, ut nobis fuerit solvendu à catena, & aqua vino temperata refocillandus. JO. Atqui nihil est quod

1 Vel juncorum.

2 Ver: mira, & mihi incredibilia,

quod sibi à testudine metuat simius. EP. Fortassis aliquid est quod nos fugit, naturæ cognitum. Nam[1] cur acanthis oderit asinum, causa in promptu est, quod ille se affricat spinis, in quibus nidulatur avicula, & flores ejus depascitur. Tantus autem terror habet acanthidem, ut si quando procul asinum rudentem audiat, ova dejiciat, pulli è nido decidant metu. Nec patitur hostem impunem. JO. Sed qua tandem in re acanthis lædit asinum? EP. Rostro fodit illius hulcera, fustibus & oneribus facta; pungit & mollia narium. Potest item aliquid caussæ divinari, cur inter vulpes & milvios mutua sit simultas, quod avis rapax alterius catulis insidietur, fortasse vulpes vicissim illius pullis: quæ causa dissidii est inter sorices, &[2] ardeolas. Eadem fere ratio est inter[3] æsalon parvam aviculam & vulpem. Nam æsalon ova corvorum frangit. Eadem infestatur à vulpibus, & vicissim illas infestat, catulos earum vellicans. Quod ubi viderint corvi, vulpibus velut adversus communem hostem[4] suppetias ferunt. At vix divinare liceat, quam ob causam inter se oderint olores & aquilæ, corvus & [5] chlorio, cornix & noctua, aquila & [6] trochilus, nisi hoc male habet aquilam, quod ille rex avium vocetur. Cur male convenit cum noctua cæteris minoribus avibus, mustelæ cum cornice, turturi cum [7] pyrali, [8] ichneumonibus [9] vespis cum [10] phalangiis araneis, anatibus

1 *Acanthis*, seu *Carduelis*.

2 *Ardeola*, diminut. ab Ardea.

3 Æsalon Gr. αἰσάλων.

4 Auxilium.

5 *Chloris*, vel *Chlorio*, Gr. χλωρίων, à viridi colore viteo dicitur.

6 *Trochilus*, Gr. τροχίλος, ἀπὸ τοῦ τρέχειν, à currendo dicitur.

7 *Pyralis* columba species est, quam non ab igne, ut alii, sed παρὰ τὸν πυρὸν ἁλίσκεσθαι, id est, quod in triticum excurrat pabulatum, nonnulli dictam volunt.

8 De Ichneumone paulo ante dictum.

9 *Vespa*, insectum aculeatum.

10 Φαλάγγιον, Græci vocant aranei genus, longioribus cruum internodiis. Vide Plinium lib. 29 cap. 4. & in plurimis aliis locis.

1 Ga-

anatibus cum [1] gaviis, [2] harpæ cum [3] triorche accipitre, [4] thoibus cum leonibus? Præterea cur ſorices [5] formicoſam horreant arborem! Unde tam irreconciliabile bellum [6] inter ſcarabeum & aquilam? nam apologus ex ipſa animantium natura confictus eſt. Unde eſt quod juxta [7] Olynthum in certo terræ ſpacio non vivant ſcarabei, ſi inferantur? Et inter aquatilia, quam ob cauſam [8] mugil & lupus mutuo odio flagrant, ſicut [9] conger & muræna, caudas inter ſe prærodentes? [10] Polypum in tantum horret [11] locuſta piſcis, ut ſi eum juxta viderit, metu emoriatur. Sic quædam animantia mire junxit arcanus quidam benevolentiæ affectus; veluti pavones cum columbis, turtures cum pſittacis, merulas cum turdis, cornices cum ardeolis, qui ſibi viciſſim auxiliantur adverſus vulpium genus; harpam & milvium adverſus triorchen accipitris genus, communem hoſtem. Balænis [12] muſculus piſcis exiguus prænatans monſtrat viam; nec apparet quam ob rem illi velit inſervire. Nam quod crocodilus fauces porrigit trochilo aviculæ, amicitia dici non poteſt, cum utrumque animal ſuo ducatur commodo: crocodilus gaudet ſibi purgari dentes, & ſcabendi voluptatem amplectitur: avicula cibum quærit, veſcens

1 *Gavia*, ſeu *larus*, avis vorax.

2 Harpam avem dicunt aquilæ ſimilem, forte ab ἁρπάζω, rapio.

3 Plinius, unde hæc omnia deſumta ſunt, lib 10. cap. 8. *Triorchen* de genere accipitrum eſſe refert, à numero teſtium nomen habentem, & Romanos eum *buteonem* appellare.

4 Plin lib. 10. cap 74. *Diſſident Thoes & Leones.* Et lib 8 34. de Thoibus: *Luporum id genus eſt procerius longitudine, brevitate crurum diſſimile, velox ſaltu, venatu vivens, innocuum homini.*

5 Formicis plenam.

6 Scarabeus capitalis hoſtis aquilæ. Vide *Conv. relig.*

7 Quod eſt oppidum Thraciæ.

8 *Mugil*, qui & *capito*, piſcis.

9 *Conger*, ſeu *Congruus*. Murænula. Sed de Muræna vide infra *Epicur.*

10 Polypus qui, reſpice *Conv. relig.*

11 Locuſta piſcis.

12 *Muſculus*, piſcis ita dictus, alii Laurnæ piſciculo adſcribunt. Quod hic de Muſculo narratur, videatur Plinius, aliique.

vescens piscium reliquiis inter dentes hærentibus. Consimili ratione corvus inequitat dorso suis. Inter[1] anthum & ægithum tam pertinax est odium, ut negent sanguinem illorum posse misceri: quemadmodum narrant aliarum avium pennas absumi, si aquilinis misceantur. Accipiter est infestus columbino generi; sed has defendit[2] tinnunculus avicula; cujus conspectum & vocem mirum in modum horret accipiter, nec hoc latet columbas: ubicunque tinnunculus reconditus est, ab ea sede non migrant, fiducia protectoris. Quis causam conjiciat, cur aut bene velit generi columbino tinnunculus, aut cur tinnunculum horreat accipiter? Atque ut interdum animalculum minimum[3] præsidio est ingenti belluæ, ita contra à minutissimis exitium est maximis. Est piscículus scorpii effigie, magnitudine[4] aranei piscis: is sub pinna affigit sese aculeo[5] thynnis, interdum magnitudinem delphini superantibus, tanto dolore, ut nonnunquam in naves insiliant: idem facit mugilibus. Quid est cur leo, animal cunctis tremendum, expavescat galli[6] gallinacei cantum? JO. Ne sim in hoc convivio prorsus[7] asymbolus, referam quod olim his oculis vidi

1 Plin lib. 10. cap. 74. de Antho & Ægitho avibus. *Ægithum vero Anthus in tantum odit, ut sanguinem eorum credant non coire, multique ob id venefi ciis infament.*

2 *Tinnunculus* avicula.

3 Auxilio.

4 *Piscis Araneus*, qui & Draco dicitur.

5 *Thinnus* ingens piscis.

6 Imo Leones non posse intueri gallos, credit Lucretius Poëta, qui & naturalem causam indagat, atque ita cani lib 4.

Quin etiam gallum, noctem explaudentibus alis,
Auroram clara consuetum voce vocare,
Quem nequeunt rapidi contra constare leones,
Inque tueri: ita continuo meminere fugai.
Nimirum quia sunt gallorum in corpore quædam
Semina, quæ cum sunt oculis immissa leonum,
Pupillas interfodiunt, acremque dolorem
Præbent, ut nequeant contra durare feroces.

7 *Asymbolus* dicitur, qui nihil ad symbolum confert. Translatum à concœnationibus. Respice ψφελ. συμπόσ. sive *Convivium sobrium* in principio. *Suum quisque symbolum conferat*, quæque in ea notavimus.

1 Viri

vidi in ædibus [1] Thomæ Mori, clarissimi apud Anglos viri. Alebat domi simium prægrandem: tum forte, quo revalesceret à vulnere, solutus obambulare sinebatur. In extremo horti erant inclusi cuniculi, quibus insidiabatur mustela. Id simius procul quietus & otiosus spectabat, donec videret cuniculis nihil esse periculi. Cæterum posteaquam mustela [2] labefactasset caveam à muro revulsam: jamque periculum esset, ne cuniculi à tergo nudati prædæ essent hosti; accurrit simius, & conscensa trabe quadam, caveam retraxit in locum pristinum, tanta arte, ut homo non posset [3] dexterius. Ex quo perspicuum, hoc animantium genus similis esse carum. Ipsi cuniculi non intelligebant suum periculum, sed hostem suum per cancellos osculabantur. Simius opitulatus est periclitanti simplicitati. EP. Omnibus catulis minoribus delectantur simii, gaudentque fovere sinu & complecti. Sed pius ille simius dignus erat aliquo pietatis præmio. JO. Habuit. EP. Quod? JO. Reperit illic frustum panis à pueris, ut opinor, projectum: id arreptum comedit. EP. Verum mihi videtur mirabilius, hoc genus [4] sympathias & antipathias, sic enim Græci vocant amicitiæ & inimicitiæ naturales affectus, etiam in rebus anima aut certe sensu carentibus deprehendi. Omitto jam dicere de fraxino, cujus nec umbram quamvis in longum porrectam ferunt serpentes: adeo ut si locum in gyrum circumdes igni, [5] serpens citius in flammam eat,

1 Viri eruditionis pariter ac virtutis nomine clarissimi, Angliæ tunc temporis Cancellarii, ut vocant, sub Henrico VIII. Angliæ rege, cujus jussu capite plexus est. Virtutes ejus & vitia lege ista in Gilberti Burnet Historia Reformationis Anglicanæ.

2 Destruxisset, concussisset.

3 Aprius.

4 Συμπαθείαν, Græci vocant affectuum convenientiam, quæ philosophis & medicis naturalis quædam concordia dicitur, ex similitudine vel generis, vel naturæ, vel temperamenti, vel ex alia quapiam abstrusa causa: ἀντιπαθείαν vero, repugnantiam inter aliquas res ob contrarium affectum.

5 Autore Plinio, qui sese hoc expertum dixit, Natur. Hist. lib. 16. cap. 11.

1 Vermis

eat, quam ad arborem fugiat. Nam hujus generis exempla sunt innumera. [1] Erucæ cum membranis inclusæ, occulto naturæ opificio transfigurantur in papiliones, mortuis simillimæ videntur, ne ad contactum quidem sese movent, [2] nisi transeunte araneo: hominis prementis digitum non sentiunt, & sentiunt leviſſimi animantis leviter incedentis pedes; ibi demum vivit. JO. Sentit hostem capitalem nondum natum insectum. Isti non omnino dissimile est quod narrant de [3] ferro cæsis; ad quos si cæteri accedant, nihil accidere novi; sin is qui necavit, continuo profluere sanguinem, velut ex recenti vulnere: atque hoc indicio ferunt frequenter proditum cædis auctorem. EP. Nec est vanum quod audisti. Sed ne persequamur [4] fabulas Democriticas, nonne comperimus experimentis, tantum esse dissensionis inter [5] quercum & oleam, ut utraque in alterius scrobe posita emoriatur? quercui autem tam male convenire cum juglande, ut in propinquo posita extinguatur? tametsi juglans cunctis fere satis & arboribus noxia est. Rursus cum vitis claviculis suis omnia complecti soleat, [6] solam brassicam refugit, & perinde quasi sentiat, in diversam

1 Vermis frondes & olera rodens. Est & *eruca* herba, quam notatam respice in *Ichthyoph.*

2 Ita refert Plinius lib. 11. cap. 32. *De diversitate insectorum.*

3 *Ferro cæsis*, id est quovis telo ferreo occisis.

4 Democritus Philosophus, Magiam professus, mirabiles commentationes reliquit, in quibus de naturæ secretioribus fabulosissima quævis narrantur: scripsit & artem, quo pacto avium garritus possit intelligi. Item non exiguum volumen de illis, quæ apud inferos usu veniunt, ut Athenæus refert, prodigiosis nugis refertum. Hinc *Fabulæ Democriticæ* videntur dictæ, de naturalibus quidem rebus traditæ, sed quæ ob insignem vanitatem fidem non merentur.

5 Hæc & cætera sequentia quære in Plinio.

6 Causam fabulosam fingunt Græci, quam recenset Aristophanis interpres. Lycurgus homo sceleſtus omnes vites falce demetere in animum induxerat: hunc comprehensum Bacchus vitibus alligavit, ut supplicium de illo sume-

ſam partem ſeſe vertit. Quis admonet vitem, hoſtem eſſe in propinquo? Eſt enim braſſicæ ſuccus vino contrarius; eoque ſolet edi adverſus ebrietatem. Nec deeſt braſſicæ ſuus hoſtis, ſiquidem oppoſita[1] cyclamino &[2] origano exareſcit. Similis affectus eſt inter [3] cicutam & vinum; cicuta homini venenum eſt, cicutæ vinum. Quod eſt illud arcanum commercium inter lilium & allium, ut in propinquo naſcentia mutuo ſibi gratificentur? Nam allio plus eſt vigoris, & lilii flores ſuavius olent. Quid heic memorem de conjugiis arborum, quarum fœminæ ſterileſcunt, niſi in propinquo ſit maſcula? Oleum ſoli calci miſcetur, cum utraque res pariter oderit aquam. Pix attrahit oleum, cum utrumque ſit pingue. Argento vivo innatant omnia, excepto auro. Id ſolum ad ſe trahit & complectitur. Quis ille naturæ ſenſus, ut adamas, quamlibet duris reſiſtens, ſanguine hircino molleſcat? Quin & inter ipſa venena diſſidia videas. [4] Scorpius ſi forte repat per aconitum, palleſcit ac torpeſcit. Eidem adeo noxia eſt herba, cui nomen [5] ceraſtis, ut qui ſemen modo ejus tractarit digitis, impune contrectet ſcorpium. Sed harum rerum, quæ ſunt innumeræ, conſideratio ad rei medicæ profeſſores pertinet. Quænam eſt illa vis vel amicitiæ, vel diſſidii, inter chalybem & magnetem, ut materia natura

ſumeret: ſed is dum vitibus alligatus lachrymas effunderet, ex illis braſſica enata eſt: atque hinc eſſe ajunt, quod etiamnum male conveniat viti & braſſicæ. Hanc autem fabulam ruſticorum filios credere dicit: quia ſi quis braſſicæ radice vitem contingat, vitive alliget, nullos vitem fructus edituram: unde etiam illam primo loco in ſympoſiis proponi: & Ægyptii ante omnia fercula coctas braſſicas deguſtabant, quo ſe munirent adverſus calicum nimbos.

1 Cyclaminus, tuber terræ.

2 Origanum.

3 Cicutam herbam venenoſam notatam reſpice in *Conv. relig.* & in νηφαλ. συμποσ. ſive *Convivio ſobrio.*

4 Idem reviſe in *Conv. relig.*

5 *Ceraſtis* herba nomen habet à *Ceraſta*, quæ ſerpentis ſpecies eſt.

1 Fu-

natura gravis ad lapidem currat, & inhæreat, velut osculo, & ab eodem citra contactum refugiat? Jam cum aqua se facile misceat rebus omnibus, maxime sibi: tamen sunt, quæ tamquam odio mutuo mixturam refugiunt; velut amnis qui in [1] Fucinum lacum invectus supermeat, in [2] Larium Addua, in [3] Verbanum Ticinus, in [4] Benacum Mincius, in [5] Sevinum Ollius, in [6] Lemanum Rhodanus; è quibus nonnulli multorum millium transitu hospitales suas aquas tantum, nec largiores, quam intulere, evehunt. [7] Tigris influit in lacum [8] Arethusam, ac per eum velut hospes fertur, sic, ut nec color, nec pisces nec aquarum naturæ misceantur. Ad hæc cum cætera fere flumina properent in mare procurrere, quædam tamen velut exosa mare, prius quam eo perveniant, abdunt sese in terram. Simile quiddam videmus & in ventis. Auster homini pestilens est, huic contrarius Boreas salubris: alter nubes contrahit, alter dissipat. Jam, si qua fides [9] astrologis, sunt & sideribus quidam amicitiæ & inimicitiæ affectus, quædam amica homini, quædam infesta: rursus sunt quæ homini adversus nocentium vim [10] opitu-

1 *Fucinus* lacus Italiæ, qui & Marsicus, *Lago de Rossiion*, Erythræo, *Lago di Celano*, And. Braccio.

2 *Larius* lacus, qui & *Comacenus*, Lombardiæ Transpadanæ. *Lago di Como*, Alberto & Jovio. *Abdua*, vel *Addua*, ejusdem Lombardiæ fluvius. *Adda*, Leandro Alberto.

3 *Verbanus* itidem Lombardiæ lacus, nunc *lago majore*, fluvius vero *Ticinus*, hodie *Tesino*.

4 *Benacus* ejusdem Lombardiæ lacus, vulgo *Lago di gardo*. Sed *Mincius* Venetorum fluvius, ex Benaco profluens, alium lacum prope Mantuam efficit.

5 *Ollius* seu *Olius*, nunc *Oglio*, in *Sevinum* Lombardiæ lacum influit.

6 *Lacus Lemanus*, Galliæ Narbonensis est. Vulgo *Lac de Geneve*. *Rhodanus* Galliæ fluvius, prope fontes Danubii & Rheni ortus, in Mediterraneum mare excurrit, vulg. *Rhosne*.

7 *Tigris* Asiæ nobilissimus fluvius, Hebræis olim *Hidekel*.

8 *Arethusa* lacus in Armenia majori, quem hic designat Autor. Item fons Siciliæ. Hanc prius formosissimam Nympham in fontem mutatam esse refert Ovidius, Metamorph. lib. 5.

9 Ἀστρολόγοι astrorum peritus, vel qui effectus siderum prædicit.

10 Auxilium ferunt.

1 Μάγοι,

pitulantur. Adeo nihil est in ulla naturæ parte, quod non per hæc dissidia, concordiasque, & noxam, & remedium homini suppeditet. JO. Fortasse & ultra cœlos quidquam deprehendere liceat. Etenim si [1] Magis credimus, unumquemque mortalium duo comitantur [2] genii, alter amicus alter malevolus. EP. Nobis, amice, satis est ad cœlum usque perveniisse, etiamsi non hoc quoque septum transiliamus. Redeamus ad boves & equos. JO. Næ tu præclarum facis saltum. EP. Illud nobis magis admirandum est, quod in eadem prorsus animantium specie deprehendamus amoris & odii vestigia, nulla evidente causa. Sic enim nobis persuadere conantur equisones & bubulci: in iisdèm pascuis, aut eodem in stabulo, bos bovem, equus equum gaudet habere vicinum, qui alium non ferat. Equidem arbitror similes esse affectus in omni animantium genere, præter sexus favorem. Sed in nullo genere evidentius quam in homine. Siquidem in plurimis manifestum est quod de suo in Volusium affectu profitetur [3] Catullus: *Non amo te Volusi, nec possum dicere quare: Hoc tantum possum dicere: Non amo te.* Verum in [4] adultis fortasse [5] divinet alius aliam caussam: in pueris, qui solo naturæ sensu ducuntur, quid est illud, quod sic hunc illi tanto amore conciliat, rursus alium ab hoc tanto dissidio separat? Ipse quum puer essem, natus annos plus minus octo, incidi in

1 Μάγος, vox origine Persica, significat sapientem, seu rerum divinarum & naturalium peritum. Sumitur & in malam partem, inprimis à vulgo, pro venefico, vel præstigiarum mirto artifice.

2 *Genius* peculiaris cujusdam loci, & hominis Deus, vel angelus ab antiquis habitus est.

3 Dormitas Erasme. Legisti equidem Catulli Epigramma in Volusium, quod incipit: *Annales Volusi, cacata charta.* Sed de Sabidio ita loquitur Martialis, Epigr. 33. lib. 1. *Non amo te, Sabidi, nec possum dicere quare: Hoc tantum possum dicere; non amo te.*

4 Qui jam ad justam ætatem perve-nerunt.

5 Conjiciat.

in quendam meæ ætatis, aut fortassis anno majorem, prodigiosæ vanitatis, adeo ut ad omnem occasionem ex tempore monstrosa quædam confingeret. Occurrebat mulier; *Vides*, inquit, *hanc?* Video *Cum hac decies concubui.* Transibamus ponticulum angustum juxta molam, ubi vidit me horrescentem ad conspectum aquæ ob profunditatem nigrantis: *In hanc*, inquit, *aquam aliquando prolapsus sum.* Quid ais? *illic reperi cadaver hominis, accinctum crumena; in ea erant annuli tres.* Quum nullus esset mentiendi finis, sic puer horrui puerum, [1] ut viperam minus: nulla certè ratione, cum talibus mendaciis alii delectarentur, sed tantum arcano naturæ sensu. Neque vero id fuit temporarium: imo & hodie sic horreo natura [2] vanos, ut conspectis illis sentiam totum corporis habitum commoveri. Tale quiddam in Achille notat [3] Homerus, quum profitetur mendaces sibi æque odiosos atque ipsas inferorum portas. Hoc ingenio quum natus sim, tamen hoc contra fato natus videor, ut per omnem vitam mihi cum mendacibus & impostoribus fuerit res. JO. At nondum video scopum, quo totus hic sermo confertur. EP. [4] Expediam paucis. Sunt qui felicitatem petant à [5] magicis artibus, sunt qui ab astris: ego nullam certiorem ad felicitatem viam arbitror inveniri posse, quam si quisque abstineat

1 Cane pejus & angue, inquit Horatius, Epist 17. lib. 1.

2 Mendaces. Hoc de se profitetur Autor in vita sua. *Ingenium erat simplex, adeo abhorrens à mendacio, ut puellus etiam odisset pueros mentientes, & senex ad illorum conspectum etiam corpore commoveretur.*

3 Achilles apud Homerum Iliad. 1. sic loquitur.

Ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος ὁμῶς Ἀΐδαο πύλῃσιν,
Ὅς χ' ἕτερον μὲν κεύθει ἐνὶ φρεσὶν ἄλλο δὲ βάζει.

Hoc est:

Inimicus enim mihi ille aque ac inferni portæ,
Qui aliud quidem occultat in animo, aliud vero dicit.

4 Explicabo.

5 *Magicus* à magus, quem vide paulo ante notatum.

neat ab eo vitæ genere, à quo naturæ ſenſu tacito abhorret; ad id ſe conferat, quo propenſus eſt: ſemper excludo turpia. Item ab eorum conſuetudine ſe ſubducat, cum quorum geniis ſentit ſuo genio non convenire; & his ſe copulet, ad quos arcano naturæ fertur affectu. JO. Id ſi fiat, inter paucos erit amicitia. EP. Chriſtiana caritas ſe dilatat ad univerſos: familiaritas autem cum paucis habenda eſt. Et qui nullum quamvis malum lædit, gaviſurus etiam ſi reſipiſcat, ſatis, opinor, Chriſtiane diligit omnes.

[1]PROBLEMA.

[2]CURIO, ALPHIUS.

CU. LUbens ex te rerum plurimarum perito diſcerem quiddam, ſi tibi non ſit moleſtum. AL. Age Curio, percunctare quod voles, ne non reſpondeas tuo nomini. CU. Equidem non gravabor dici Curio, modo ne addas [3] animal illud monoſyllabum, Veneri juxta ac Minervæ inviſum. AL. Dic igitur quid velis. CU. Scire cupio quid ſit, quod appellamus grave & leve. AL. Eadem opera roga, quid ſit frigidum & calidum. Quin.

1 Πρόβλημα à προβάλλω, projicio, ſignificat omne quod objicitur. Item quæſtionem, quæ proponitur. Ideo que *Problema* dictum hoc Colloquium, quod quæſtiones quædam in eo proponuntur, quibus reſponſio mox ſubjungitur.

2 Interlocutores *Curio* & *Alphius*: alter à cura, vel curioſitate; alter ἀπὸ τῦ ἀλφεῖν, id eſt, ab inveniendo & excogitando nomen habere videtur.

3 Syllabam *ſus*, quæ addita nomini *Curio* facit *Curioſus*. Interim ludit in vocis amphibolia. Eſt enim *ſus* animal Minervæ, quæ bonarum artium Dea dicitur, odioſa propter immunditiem; & Veneri ob interitum Adonidis, ab illa adamati. Nam dum incautius per ſilvas vagatur Adonis, à porco ſilveſtri interemptus eſt. Ovidius Metamorph. lib. 10.

Quin tu istuc problema bajulis proponis potius, quam mihi; aut, si mavis, asinis, qui gravitatem oneris demissis auriculis indicant. CU. At ego non asininam, sed philosophicam responsionem exspecto; præsertim ab [1] Alphio. AL. Grave est quod suapte natura fertur deorsum; leve, quod sursum. CU. Cur igitur [2] Antipodes, qui infra nos sunt, non decidunt in subjectum cœlum? AL. Pariter illi mirantur quam ob rem tu non decidas in cœlum, non subjectum, sed imminens. Cœlum enim est supra omnia, quæ intus complectitur. Nec Antipodes sunt infra te, nihilo magis, quam tu supra illos: contra nos esse possunt, infra nos non possunt: alioqui justius admirareris, cur rupes, quas sustinet Antipodum terra, non decidant, cœlumque perrumpant. CU. Quæ est igitur nativa sedes gravium, quæ contra levium? AL. Ad terram nativo motu deferuntur omnia gravia, ad cœlum levia: de motu violento aut animali jam non loquimur. CU. Est igitur motus aliquis, qui dicitur animalis? AL. Est. CU. Quinam? AL. Is fertur juxta quatuor corporis situs; prorsum, retrorsum, ad dextram ac lævam, & in circulum: & in principio ac fine celerior est, in medio lentior; nam in initio vigor addit alacritatem, in fine propinquo spes perveniendi quo tendit animal. CU. Nescio quid aliis accidat animalibus; sed habeo famulam, quæ lassa est prius quam incipiat, delassata prius quam opus absolvat. Verum redi ad id quod agere cœpisti. AL. Nativo, inquam, motu, quæ gravia sunt, feruntur deorsum. Et quo quidque gravius est, hoc celeriore motu fertur ad terram; quo levius, hoc majore impetu

1 Utpote qui ab excogitando, quod philosophorum est, nomen sortitur.

4 *Antipodes* sunt, qui nobis è diametro oppositi sunt, pedesque suos nostris directe obversos habent.

impetu rapitur in cœlum. Contra fit in motu violento, qui celerior in initio, paullatim segnescit; quum contra fiat in motu naturali; veluti sagitta in altum missa, & saxum ex alto decidens. CU. Atqui ego putabam homines sic per orbem terræ discurrere, quemadmodum minutissimæ formicæ cursitant in prægrandi sphæra, hærent undique, nec ulla decidit. AL. In causa sunt sphæræ superficies, nonnihil habens asperum, tum scabrities quædam in formicarum pedibus, quam habent insecta fere omnia, postremo corpusculorum levitas: id si non credis, fac sphæram vitream bene lævem & glabram, videbis solas formicas non decidere, quæ in summo versantur orbe. CU. Si quis Deus orbem terræ medium perterebret, hinc usque ad Antipodes perpendiculo per [1] centrum demisso, quemadmodum solent [2] Cosmographi, terræ totius situm in globis ligneis repræsentantes, tum si saxum conjicias in foramen, quo perferetur? AL. Usque ad terræ centrum; ibi quies est omnium gravium. CU. Quid si Antipodes quoque ex adverso mittant lapidem? AL. Tunc lapis occurret lapidi circa centrum: ibi conquiescet uterque. CU. Age, si verum est, quod dixisti motum nativum progressu magis ac magis incitari, si nihil obstet, lapis aut plumbum conjectum in foramen, ob motus vehementiam prætercurreret centrum, jamque prætermisso centro rursum motus erit violentus. AL. Plumbum nunquam perveniret ad centrum, nisi liquefactum; sed lapis si prætereat centrum motu tam violento, primum segnius feretur, nec aliter redibit ad centrum quam lapis vi in altum projectus redit in terram. CU. Sed recurrens

1 Κέντρον est punctum medium in circulo, vel globo.

2 Κοσμογράφος, mundi descriptor à κόσμος mundus, & γράφω scribo.

currens nativo motu, rursus concitato impetu prætervehetur centrum: itaque fiet, ut nunquam quiescat lapis. AL. Conquiescet tandem, prætercurrens, ac recurrens, donec perventum fuerit ad [1] æquilibrium. CU. At si nihil est in rerum natura [2] vacuum, oportet foramen illud aëre plenum esse. AL. Esto. CU. Pendebit igitur in aëre corpus natura grave. AL. Quid ni? Quemadmodum chalybs in aëre pendet, undique librantibus magnetibus. Quid autem [3] prodigii, si unicum saxum pendeat in meditullio aëris, cum tota terra tot rupibus onusta ad istum pendeat modum? CU. Sed ubi est terræ centrum? AL. Ubi est circuli centrum? CU. Id quidem est punctum indivisibile. Si tantillum est terræ centrum, quisquis perforaverit mediam terram, auferet centrum, nec habebunt gravia quo ferantur. AL. Næ tu satis otiose nugaris. CU. Ne quæso succenseas: discendi studio loquor quidquid loquor. Si quis terræ sphæram perterebret, non per ipsum centrum, sed à latere, puta ut absit à centro [4] centum stadiis; quo tum feretur conjectus lapis? AL. Non feretur recta per foramen; imo potius recta, sed ad centrum: itaque prius, quam perveniet ad medium, jam conquiescet in terra, quæ ad lævam est, si centrum est ad lævam.

1 Id est, ad eam partem medii, ubi æquo pondere suspendatur & libretur, ubi nec huc nec illuc cadat, sed quasi in æqua trutina consistat.

2 Quod qui sese saniores Philosophi haberi volunt, omnes uno ore affirmant, negat vero Lucretius Poëta Epicureus, quem audi canentem lib. 1. de Rerum natura. *Omnis ut est igitur per se natura, duabus Consistit rebus, nam corpora sunt, & inane*, &c.

3 Miri.

4 *Stadium* hic significat mensuram sexcentorum pedum, sive centum viginti quinque passuum (nam interdum etiam pro curriculo & loco certaminis sumitur) dictum ἀπὸ τῆς στάσεως, id est, à statione, quod Hercules Pisis apud Jovem Olympium, eo spatio uno spiritu confecto constitisset. Ut vulgo supputatur, triginta duo stadia conficiunt unum milliare: ergo centum stadia paulo plus quam tria milliaria communia.

1 Juxta

lævam. CU. Sed quid est hoc quod reddit corpus grave aut leve? AL. Ad istuc respondeat tibi Deus, [1] cur ignem fecerit omnium levissimum, aërem proxima levitate, terram gravissimam, proxima gravitate aquam. CU. Cur igitur nubes aquæ pendent in sublimi aëre? AL. Quoniam à sole attrahente concipiunt naturam igneam, quemadmodum fumus è lignis humentibus violento calore excussus. CU. Cur igitur tanto pondere decidunt, ut interdum montes in planitiem redigant? AL. Concretio densitasque addit pondus: alioqui possunt sic videri sustineri ab aëre subjecto, quemadmodum tenuis ferri lamina sustinetur summa aqua. CU. Sic igitur putas, quod plurimum habet igneæ naturæ, esse levissimum, quod terrenæ, gravissimum. AL. [2] Haud procul abes à scopo. CU. Atqui nec quivis aër pariter levis est, nec quævis terra pariter gravis: idem de aqua fortasse sentiendum. AL. Nec mirum, cum ista quæ nominasti, non sint elementa pura, sed ex variis elementis temperata. Itaque probabile est, [3] eam terram esse levissimam, quæ plurimum habet ignis aut aëris admixtum: eam aquam esse gravissimam, quæ graviorem terram habet admixtam; qualem arbitror esse marinam,

1 Juxta veterum Philosophorum dogmata quatuor enumerantur elementa, ex quorum permixtione omnia corpora inferiora, quæ proprie mixta dicuntur, consurgunt, nempe ignis, aër, aqua & terra, ut Ovidius lib. 1. Metamorph. inquit.

Ignea convexi vis & sine pondere cœli
Emicuit, summaque locum sibi legit in arce,
Proximus est aer illi levitate locoque.
Densior his tellus, elementaque grandia traxit,
Et pressa est gravitate sui: circumfluus humor
Ultima possedit, solidumque coërcuit orbem.

2 Haut procul abesse, aut aberrare à scopo, significat rem ipsam fere conjectura assequi. Metaphora sumta à sagittariis, qui ad scopum sagittam dirigunt.

3 Quibus modis terræ qualitates explorandæ sint, discе ex Virgilii Georgic. lib. 2.

nam, & eam unde conficitur ſal: itidem aër aquæ terræve proximus, gravior eſt, aut certe minus levis eſt, eo qui procul abeſt à terra. CU. Utrum habet plus terrenæ naturæ, lapis, an plumbum? AL. Lapis. CU. Et tamen plumbum lapide gravius eſt, pro ratione portionis. AL. In cauſſa eſt denſitas: lapis enim rarior eſt, eoque plus habet aëris, quam plumbum. Hinc eſt quod videmus quoddam terræ genus deſiccatum, ſi conjiciatur in aquam, non ſubſidere, ſed natare: eadem de cauſa videmus totos agros natantes: ſuſtinentur enim cavis radicibus arundinum aliarumque paluſtrium herbarum inter ſe connexis. CU. Hinc fortaſſis & pumicum levitas. AL. Quia pleni cavernis ſunt: præterea multo igni decocti: ſubmittuntur enim è locis ardentibus. CU. Unde tanta ſuberis levitas? AL. Jam dictum eſt, raritas enim in cauſa eſt. CU. Utrum eſt gravius, plumbum, an aurum? AL. Aurum opinor. CU. Aurum tamen videtur habere plus igneæ naturæ. AL. Quia noctu velut ignis lucet, ut ait [1] Pindarus. CU. Scilicet. AL. Sed denſitas in auro major. CU. Unde id deprehenditur? AL. Reſpondebunt aurifices, nec argentum, nec plumbum, nec æs [2] Cyprium, nec ullum ſimile genus latius diducitur malleo, quam aurum. Eadem ratione philoſophi deprehenderunt nihil eſſe liquidius melle & oleo: quod ſi quis hæc inunctione dilatet, & latiſſime diffunditur humor, & ſicceſcit ſerius. CU. Sed utrum gravius eſt, oleum, an aqua? AL. Si de oleo lini loqueris, arbitror oleum eſſe gravius. CU. Cur

1 Pindarus Thebanus, Poëtarum Lyricorum apud Græcos princeps, ita inquit in Olymp. I. Ἄριστον μὲν ὕδωρ, ὁ δὲ χρυσὸς αἰθόμενον πῦρ ἅτε διαπρέπει νυκτὶ μεγάνορος ἔξοχα πλούτου, id eſt, *Optima quidem eſt aqua: & aurum velut ignis noctu ardens coruſcat eximie inter ſuperbas divitias.*

2 Quod proprie *cuprum* dicitur. *Cyprus* maris Mediterranei inſula nobiliſſima & fertiliſſima.

1 Ἄβα-

Cur igitur aquæ ſupernatat oleum? AL. Levitas non eſt in cauſa, ſed ignea olei natura, tum peculiaris omnium pinguium vis ab aqua abhorrens, quæ eſt in herba, quæ dicitur [1] ἄβαπτον. CU. Cur igitur non natat ferrum igni candens? AL. Quia non eſt calor nativus, & ideo citius penetrat aquam, quod caloris magnitudo diſpellat obſtantem liquorem. Sic cuneus ferreus citius petit ima, quam lamina. CU. Utrum intolerabilius eſt, ferrum candens, an frigidum? AL. Candens. CU. Gravius igitur. AL. Eſt, ſi commodius eſt geſtare manu [2] paleam incenſam, quam ſilicem frigidum. CU. Quid eſt in cauſa, quod lignum ligno levius aut gravius eſt? AL. Denſitas ac raritas. CU. At ipſe novi quendam è familia regis Britanniæ, qui in convivio oſtendit nobis lignum ejus, ut ajebat, arboris quæ fert aloën: adeo ſolidum erat, ut lapis videri poſſet: adeo manibus libranti leve, ut arundo videri poſſet, & ſi quid ſicca arundine levius: impoſitum vino (putabat enim, ita depelli venena) mox properabat ad fundum, ut vix plumbum celerius. AL. Nec denſitas, nec raritas ſemper in cauſa eſt, ſed peculiaris & occulta in rebus cognatio, quæ facit ut quædam ſeſe amplectantur, aut refugiant, veluti magnes attrahet chalybem, [3] vitis refugit braſſicam, & flamma etiam è longinquo ad [4] naphtham transvolat, aliquanto inferiore loco poſitam, cum naphtha ſit natura gravis, flamma levis. CU. Omne genus æris innatat argento vivo, ſolum aurum ſubſidit & circumvolvitur, cum argentum vivum ſit materia liquidiſſima. AL. Non habeo quod

1 Ἄβαπτον ſonat, quod aquæ non poteſt immergi

2 *Palea* eſt frumenti purgamentum.

3 De hiſce paulo ante notavimus.

4 Naphtha, fluminis liquidi genus, ſive bituminis lamentum, idem eſt nonnullis quod petroleum vulgo vocant.

quod respondeam, nisi peculiarem naturæ cognationem: ad hoc enim natum est argentum vivum, ut purget aurum. CU. Cur Arethusa fluvius supter mare [1] Sicanum transit, ac non potius innatat, cum antea dixeris marinam aquam fluviatili esse graviorem? AL. Naturale dissidium est in causa, sed arcanum. CU. Cur natant cygni, cum homines eandem aquam ingressi pessum eant? AL. In causa est non tantum pennarum concavitas levitasque, verum etiam siccitas, quam aqua refugit: hinc est quod in panno linove vehementer sicco, si ponas aquam aut vinum, in globum se contrahit; sin in humidum, mox spargitur. Itidem si infundas liquorem in cyathum siccum, aut marginibus pingui oblitis, & infundas aliquanto plus, quam cyathus capit, liquor circa medium citius colligit sese in rotundum, quam transeat margines. CU. Cur in fluminibus naves minus sustinent oneris, quam in mari? AL. Quia subtilior est fluviatilis aqua. Eadem de causa volucres facilius sese librant in aëre crassiore, quam vehementer subtili. CU. Cur non subsidunt [2] Flotæ? AL. Quoniam cutis sole desiccata & levior facta est, & humorem respuens. CU. Cur ferrum diductum in amplam laminam natat, cum idem contractum sidat? AL. Partim siccitas est in causa, partim aër inter aquam & laminam mixtus. CU. Utra res gravior, aqua an vinum? AL. Arbitror vinum non cedere aquæ. CU. Quam ob rem ergo qui ab œnopolis emunt vinum, aquam

1 *Sicanum*, id est, *Siculum*, nam Sicilia etiam Sicania dicitur. Ovidius naturalem causam ad fabulam transfert Metamorph. lib. 5. De Arethusa lacu Armeniæ majoris & Siciliæ fonte (de quo ultimo hic agitur) dixi mus in Amicitia pag. 798.

2 *Flota*, vel *Fluta*, Gr. πλωτὸς, ab assidua navigatione pisces ita dictus, quem alii murænam, alii mugilem esse volunt.

1 De

aquam pro vino reperiunt in imo dolio? AL. Quia vinum habet pingue quiddam, quod aquæ refugit liquorem, non aliter quam oleum. Argumentum in promptu est. Quo vinum est generosius, hoc & difficilius admiscetur aquæ, & incensum ardet vehementius. CU. Cur in [1] Asphaltite lacu nullum corpus animalis vivum mergitur? AL. Non est meum ad omnia naturæ miracula respondere. Habet illa quædam arcana, quæ nos mirari voluit, scire noluit. CU. Cur homo macilentus obeso gravior est, si cætera sint paria? AL. Quoniam ossa densiora sunt carne, & ideo graviora. CU. Cur idem homo jejunus gravior est seipso pransо, cum corpori onus accesserit? AL. Cibo potuque spiritus augentur, & ii addunt corpori levitatem. Unde & hilaris levior est mœrente, & mortuus vivo longe gravior. CU. Sed qui fit, ut idem homo, cum vult, faciat se graviorem, aut leviorem? AL. Contento spiritu reddit se leviorem, emisso graviorem. Sic natat vesica inflata, & clausa pertusa sidit. Sed quando Curio desinet nobis occinere, Cur? CU. Desinam, si mihi pauca etiam dixeris; cœlum utrum grave sit, an leve. AL. An leve sit, nescio; certe grave non potest esse, cum sit naturæ igneæ. CU. Quid igitur sibi vult vetus proverbium, [2] Quid si cœlum ruat? AL. Quia rudis antiquitas Homerum

1 De hoc lacu ita memorat (ut multos alios omittam scriptores) Justinus, lib. Hist. 36. *In ea regione* (*Judæa* scil.) *lacus est, qui propter magnitudinem & aquæ immobilitatem, mortuum mare dicitur. Nam neque ventis movetur, remissente turbinibus bitumine, quo aqua omnis stagnatur: neque navigationis patiens est, quoniam omnia vita carentia in profundum merguntur: nec materiam ullam sustinet, nisi quæ alumine illinatur. Asphaltus* vero, vel Asphaltites lacus nominatur, ἀπὸ τῆ ἀσφάλτε, id est, à *bitumine*.

2 *Quid si cœlum ruat?* Græce, τὶ ἐὰν ὁ ὐρανὸς ἐμπέσοι, Ironia proverbialis est in eos, qui rebus etiam tutissimis timent. Cœlum Atlantis humeris sustineri Poëtarum figmentum, & prisцis illis rudibus mortalibus persuasum fuit. Terent. in Heautont. Act. 4. Sc. 3. *Quid si redeo ad illos, qui ajunt: Quid si nunc cœlum ruat.* Vide Erasmi Chiliad.

rum secuta credidit cœlum esse [1]ferreum. Sed Homerus à coloris similitudine ferreum dixit, non à pondere: quemadmodum nos cinericeum dicimus, quod cineris colorem præ se fert. CU. Est igitur cœlum coloratum? AL. Non vere, sed tale nobis videtur propter aërem, & liquorem medium: quemadmodum sol nobis tunc rubet, nunc fulvet, nunc candicat, cum is nihil talium mutationum recipiat. Itidem & iridis pictura non in cœlo est, sed in aëre humido. CU. Verum, ut finiam, fateris cœlo nihil esse sublimius, quacunque tegit orbem terræ? AL. Fateor. CU. Et centro terræ nihil esse profundius? AL. Scilicet. CU. Inter omnes rerum species quid est gravissimum? AL. Aurum, opinor. CU. Hic abs te vehementer dissentio. AL. An scis aliquid auro gravius? CU. Scio, & quidem multis partibus. AL. Proinde me vicissim doce, quando scis quod me nescire profiteor. CU. Quod igneos illos spiritus è summo cœli vertice depressit in ima [2]Tartari (nam ea collocant in centro terræ) nonne oportuit omnium esse gravissimum? AL. Fateor: sed quidnam fuit illud? CU. Peccatum, quod & hominum animas, quas Maro vocat [3]aurai simplicis ignes, eodem demergit. AL. Si libet ad istud Philosophiæ genus demigrare, fateor & aurum, & plumbum esse plumeæ levitatis, si cum peccato conferatur. CU. Qui fiet igitur, ut qui hac sarcina sunt onusti, subvolent in cœlum? AL. Profecto non video. CU. At qui sese

1 Χάλκεος ἠρανὸς, Græcis Poëtis usitatum.

2 *Tartarus* in pluc. *Tartara*. locus inferorum profundissimus, ut volunt.

3 Priscis genitivus & dativus desiere in *ai*, quod interdum Poëtæ usurpant, ut hic *aurai* pro *auræ*. Virg. lib 6 Æneid. animam (quam & ab Horatio *drumæ particulam auræ* vocatam supra notavimus) appellat *Æthereum sensum, atque aurai simplicis ignem.*

sese parant ad cursum, saltumve, non solum quidquid est oneris abjiciunt, verum etiam contento spiritu sese reddunt leviusculos; & ad hunc cursum saltumque, quo ferimur in cœlum, non studemus illud abjicere, quod omni saxo, omni plumbo gravius est. AL. Faceremus, si vel micam sanæ mentis haberemus.

[1] EPICUREUS.

[2] HEDONIUS, SPUDÆUS.

HE. QUid venatur meus Spudæus, quod sic totus incumbit libro, nescio quid secum murmurans? SP. Plane venor, Hedoni, sed nihil aliud quam venor. HE. Quid voluminis est, quod habes in sinu? SP. Dialogi Ciceronis [3] de Finibus bonorum. HE. At quanto satius esset quærere bonorum initia, quam fines? SP. Sed Marcus Tullius finem boni appellat, bonum omnibus numeris absolutum, quod qui sit assequutus, præterea nihil desideret. HE. Opus cum primis eruditum & eloquens: sed num tibi videris aliquod operæ pretium feciisse, quod ad veri cognitionem attinet? SP.

1 Inscribitur hic dialogus Epicureus, quod in eo de vera felicitate hominis disseritur; eam quippe Epicurus Philosophus in voluptate constitere docuit, qui non recte à vulgo intellectus pessime audit, tanquam voluptariæ vitæ magister, quum è contrario voluptatem eam non è corpore, sed ex animo peti jusserit. Hinc *Epicurei* fere pro voluptuosis; quod sæpius supra notatum vide.

2 Nomina interlocutorum, de voluptate, cum corporis, tum animi, agentium, bene respondent argumento. *Hedonius* enim voluptuosus, ἀπὸ τῆς ἡδονῆς (à voluptate) *Spudæus* vero frugalis, probus, &c. ἀπὸ τῆς σπουδῆς (à studio, & diligentia) nomen habet.

3 Extant Ciceronis de finibus bonorum & malorum libri V. quibus præcipue probare nititur voluptatem non esse summum bonum, adversus Epicurum, deque eodem disputat contra Stoicos & Peripateticos.

1 Du-

SP. Hoc mihi videor feciſſe lucri, quod nunc magis etiam [1] ambigam de ſinibus, quam antea. NE. Agricolarum eſt [2] ambigere de finibus. SP. Nec ſatis queo mirari, de re tanta inter tantos viros tantam fuiſſe ſententiarum pugnam. NE. Nimirum, quia fœcundus eſt error, cum ſimplex ſit veritas. Quoniam totius negotii caput ac fontem ignorant, [3] divinant, ac delirant omnes. Sed quæ ſententia tibi videtur eſſe [4] ſcopo vicinior? SP. Cum audio impugnantem M. Tullium, diſplicent ſingulæ, rurſus cum audio defendentem, fio prorſus [5] ἐφεκτικός. Mihi tamen [6] Stoici videntur minus aberrare à vero, quibus proximum locum tribuo [7] Peripateticis. HE. At mihi nulla ſecta magis arridet, quam [8] Epicureorum. SP. Atqui inter omnes nulla damnatior omnium ſuffragiis. HE. [9] Miſſam faciamus nominum invidiam, fuerit Epicurus, qualem quisque velit: rem per ſe conſideremus. Ille felicitatem hominis collocat in voluptate; eamque vitam judicat beatiſſimam, quæ plurimum habeat voluptatis, triſtitiæ quam minimum. SP. Sic eſt. HE. Quid dici potuit hac ſententia

1 Dubitem.

2 Ludit in his verbis *ambigere de ſinibus*. *Sp.* dixerat ſe ambigere, hoc eſt dubitare de finibus bonorum, hoc eſt de bono vero & perfecto: *Hed.* vero captat jocum ex utraque voce, nam cum finis ſit cujusque rei extremum, limites agrorum *fines* dicuntur, & ambigere pro litem habere notum eſt ex Terentii Heaut. Act 3. Sc. 1. *Simus & Crito victimi noſtri hic ambigunt de finibus.*

3 Conjectura aſſequi ſtudent.

4 Reſpice ſuperius Coll. *Aberrare haud procul à ſcopo.*

5 Ἐφεκτικὸς proprie dicitur qui inhibendi vim habet. Philoſophi quidam Academici qui de nulla re ſententiam pronunciabant, ſemper hæſitantes, vocabantur ἐφεκτικοί, quod quaſi opinionem ſuam inhiberent.

6 *Stoici* Philoſophi dicti à στοᾷ porticu, quæ fuit Athenis, in qua Zeno Stoicorum Autor docere ſolitus.

7 *Peripatetici* Philoſophi, quorum princeps Ariſtoteles, nomen habent ἀπὸ τῦ περιπατεῖν, id eſt, ab ambulando, quod ambulantes docerent; alii aliam originem quærunt.

8 Ab Epicuro Philoſopho illo Græco, qui circa Alexandri Magni tempora vixit, dicti Epicurei, non ſemel ſupra annotati. Viri laudes lege in Lucretio.

9 Omittamus.

1 *Cynici*

tentia sanctius? SP. Imo clamitant omnes hanc esse vocem pecudis, non hominis. HE. Scio: sed isti errant in rerum vocabulis. Quod si de veris loquamur, nulli magis sunt Epicurei, quam Christiani pie viventes. SP. [1] Cynicis propiores, nam isti se macerant jejuniis, deplorant sua commissa, & aut sunt tenues, aut benignitas in egenos conciliat illis inopiam: opprimuntur à potentioribus, deridentur à plerisque. Si voluptas adfert felicitatem, hoc vitæ genus à voluptatibus quam longissime videtur abesse. HE. Admittisne auctoritatem [2] Plautinam? SP. Si quid recte dicat. HE. Accipe igitur [3] nequissimi servi dictum, omnibus Stoicorum [4] paradoxis sapientius. SP. Exspecto. HE. *Nihil est miserius quam animus sibi male conscius.* SP. Non rejicio dictum: sed quid hinc [5] colligis? HE. Si nihil miserius animo sibi male conscio, consequitur nihil esse felicius animo sibi bene conscio. SP. Recte quidem colligis: sed in qua tandem regione invenies istum animum nullius mali sibi conscium? HE. Malum appello, quod dirimit amicitiam inter Deum & hominem. SP. Et ab hoc mali genere puto perpaucos esse puros. HE. Ego vero & purgatos habeo pro puris. Qui [6] lixivio lacrimarum, ac pœnitentiæ nitro, aut caritatis igni [7] maculas absterserunt, eis non solum nihil nocent peccata, verum etiam frequenter in majoris boni materiam cedunt. SP. Equidem nitrum & lixivium novi; igni purgari

1 *Cynici* Philosophi appellantur à Diogene Cynico, id est canino, cui ob caninos mores, ἀπὸ τῆς κυνὸς, (à cane) hoc cognomen datum.

2 Plauti Comicorum Latinorum festivissimi.

3 Tranionis scil. ita loquentis in Plauti Mostell. Act. 3. Sc. 1.

4 Paradoxa dicta vocantur quæ contra omnium opiniones sunt; παράδοξον sonat admirabile, & quod præter omnium opiniones fit.

5 Concludis.

6 Metaphorica locutio.

7 Maculas peccatorum.

gari maculas nunquam audivi. HE. Atqui si adeas argentarias officinas, videbis aurum igni purgari. Quanquam & [1] ligni genus est, quod conjectum in ignem non exuritur; sed nitidius splendescit, quam ulla possit aqua; eoque vivum appellant. SP. Næ tu nobis adfers paradoxum omnibus Stoicorum paradoxis [2] ἀξιοθαυμαστότερον. Vivunt illi vitam voluptuariam, quos Christus appellavit ob id [3] beatos, quod lugeant? HE. Mundo videntur lugere, sed re vera deliciantur, ac, quod dici solet, toti melle perunncti suaviter vivunt; adeo ut cum his collati, [4] Sardanapalus, [5] Philoxenus, [6] Apitius, aut si quis alius est voluptatum studio nobilitatus, tristem, ac miseram peregerint vitam. SP. Nova narras; sed vix credenda. HE. Experire; & omnia terque quaterque dices vera fuisse mea. Efficiam tamen, ut arbitror, ne videatur usque adeo vero dissimile. SP. [7] Accingere. HE. Faciam, si mihi prius quædam concesseris. SP. Modo tu æqua postules. HE. Lucrum annumerabo, si [8] sortem dederis. SP. Age. HE. Primum illud, opinor, dabis, nonnihil

1 Legendum *lini* opinor. Designat Autor linum illud quod ἀσβέστινον vocant, id est, quod igni non comburitur. De hoc ità Plinius Natur hist. lib. 19. cap. 3. *Inventum jam est etiam, quod ignibus non absumeretur. Vivum id vocant, ardentesque in focis convivium vidimus mappas, sordibus exustis splendescentes igni magis, quam possent aquis*, &c. Quæ illic videat curiosus lector.

2 Παραδοξότερον, admirabilius.

3 Matth. 5. μακάριοι οἱ πενθοῦντες, ὅτι αὐτοὶ παρακληθήσονται, id est, *beati lugentes, quoniam illi consolationem accipient.*

4 *Sardanapalus*, postremus Assyriorum rex, vir muliere corruptior fuit. Ejus mores & exitum lege in Justini Histor. 1.

5 *Philoxenum* Philosophum, luxu perditissimum fuisse memorant Scriptores. Is sibi gruis collum exoptabat, quo diutius cibi potusque sapore oblectaretur.

6 *Apitius*, omnium helluonum princeps, Senecæ coætaneus fuit, & de gulæ irritamentis libros conscripsit. Respice notas in *Conv. prof. Conv. Poët.* & *Conv. disp.*

7 Incipe, aggredere. Metaph. à ministrantibus ad mensam, qui sese accingebant, quo facilius atque alacrius ministrarent.

8 Metaph. ab iis qui sortem, id est, pecunias mutuo dant, & cum usura recuperant.

1 *Præ-*

nihil intereſſe inter animam & corpus. SP. Quantum inter cœlum & terram, inter immortale & mortale. HE. Deinde falſa bona non eſſe ponenda in bonis. SP. Nihilo magis quam umbræ habendæ ſunt pro corporibus, aut [1] præſtigiæ [2] magorum, ſomniorumve ludibria, ducenda ſunt pro veris. HE. Hactenus commode reſpondes. [3] Dabis, opinor, & illud, veram voluptatem non cadere, niſi in animum ſanum. SP. Quid ni? Nullus enim ſole delectatur, ſi lippiant oculi; aut vino, ſi febris palatum infecerit. HE. Nec ipſe, ni fallor, Epicurus amplecteretur voluptatem, quæ longe majorem cruciatum, multoque diuturniorem ſecum adduceret. SP. Non arbitror, ſi quis modo ſapiat. HE. Nec illud negabis, Deum eſſe ſummum bonum, quo nihil pulchrius, nihil dulcius. SP. Iſtud nullus [4] iverit inficias, niſi [5] Cyclopibus immanior: quid tum poſtea? HE. Jam mihi donaſti, nullos ſuavius vivere, quam qui pie vivunt; nullos miſerius & afflictius, quam qui vivunt impie. SP. Plus igitur largitus ſum quam putabam. HE. Sed quod recte datum eſt, ut ait Plato, non oportet repoſcere. SP. Age. HE. Catella, quæ habetur in deliciis, paſcitur lautiſſime, cubat molliter, ludit ac laſcivit jugiter, an non vivit ſuaviter? SP. Vivit. HE. Optares tibi talem vitam? SP. [6] Bona verba, niſi pro homine velim eſſe canis. HE. Fateris igitur præcipuas voluptates ab animo proficiſci, velut à fonte? SP. Apparet. HE. Tanta enim animi vis eſt, ut ſæpe

1 *Præſtigiæ*, vanæ rerum ſpecies. Sæpius ſupra.

2 De Magis, & Magicis reviſe notas in *Inquiſit. de fide, & Amuſt.*

3 Concedes eſſe verum.

4 Negabit.

5 *Cyclopes* à Poëtis finguntur Neptuni & Amphitrites filii, unicum oculum in media fronte habentes, gigantes vaſti, & feroces.

6 Charientiſmus. Reſpice pag. 6. & ſæpius alibi.

sæpe doloris externi sensum adimat: nonnunquam quod per se est amarum, reddat jucundum. SP. Istuc quotidie videmus in amantibus, quibus dulce est pervigilium, & hibernis noctibus excubare ad amicæ fores. HE. Jam illud reputa, si tantam vim habet amor humanus, qui nobis cum tauris & canibus est communis, quanto plus valeat amor ille cœlestis, à Christi spiritu profectus: cujus tanta vis est, ut mortem quoque, qua nihil terribilius, reddat amabilem. SP. Quid alii sentiant intus, nescio; certe carent multis voluptatibus, qui adhærent veræ pietati. HE. Quibus? SP. Non diteſcunt, non assequuntur honores, non convivantur, non saltant, non canunt, non [1] olent unguenta, non rident, non ludunt. HE. De divitiis & honoribus nulla erat hic facienda mentio, quæ non adferunt vitam jucundam, sed solicitam potius & anxiam; de cæteris agamus, quæ cum primis venantur quibus studio est suaviter vivere. Nonne quotidie vides ebrios, fatuos & insanos, ridentes ac saltantes? SP. Video. HE. Num putas illos suaviter vivere? SP. Hostibus contingat illa suavitas. HE. Quam ob rem? SP. Quia non adest sana mens. HE. Tu igitur malles jejunus incumbere libro, quam ad eum modum delectari? SP. Plane mallem vel agrum fodere. HE. Nam inter [2] divitem ac [3] temulentum nihil interest, nisi quod heic insaniæ medetur somnus, illi vix medicorum cura [4] succurrit. Natura fatuus nihil differt ab animante bruto, præter formam corporis; sed levius miseri sunt, quos natura genuit brutos, quam qui belluinis cupiditatibus [5] obbrutuerunt. SP. Fateor. HE.

1 Quemadmodum olim solebant *mentem.* delicatuli comessantes. Ita in Terent. Adelph. Act. 1. Sc. 2. *Olet unguenta.*

2 Quid? divitem, male. Lege *de-*

3 Ebrium, nam *Temetum* vinum est.

4 Auxilium fert.

5 Bruti facti sunt. 1 Ser

HE. Jam nunc tibi sobrii videntur aut sani, qui propter præstigias umbrasque voluptatum, & veras animi voluptates negligunt, & veros sibi cruciatus accersunt? SP. Non videntur. HE. Non sunt illi quidem temulenti vino, sed amore, sed ira, sed avaritia, sed ambitione, aliisque pravis cupiditatibus; quæ longe perniciosior est ebrietas, quam quæ vino contrahitur. [1] Syrus ille in comœdia posteaquam edormiverat villum quod biberat, sobria loquitur: at animus vitiosa cupiditate ebrius, quam gravate redit ad sese! Quot annis urget mentem amor, ira, odium, libido, luxus & ambitio! Quam multos videmus ab adolescentia ad [2] decrepitam usque ætatem ab ambitionis, avaritiæ, libidinis, luxusque temulentia nunquam expergisci ac resipiscere! SP. Istiusmodi novi nimium multos. HE. [3] Largitus es, falsa bona non esse in bonis ducenda. SP. Nec reposco. HE. Nec est vera voluptas, nisi quæ ex veris nascitur. SP. Fateor. HE. Non sunt igitur vera bona, quæ vulgus hominum per fas nefasque venatur. SP. Non arbitror. HE. Si vera essent bona, non contingerent nisi bonis, & beatos redderent quibus obveniunt. Quid autem voluptas? num vera videtur quæ non ex veris bonis, sed ex falsis bonorum umbris nascitur? SP. Nequaquam. HE. At voluptas efficit ut suaviter vivamus. SP. Maxime. HE. [4] Nullus igitur vere vivit suaviter, nisi qui pie vivit, hoc est, qui veris fruitur bonis: sola autem pietas reddit hominem beatum, quæ Deum summi boni fontem

1 Servus in Terentii Adelph. Act. 3. Sc. 2. -- *Interea in angulum aliquo abeam, atque edormiscam hoc villi, sic agam.*

2 Extremam. Nam *decrepiti* dicuntur senes, qui ad extremam senectutem provecti sunt, tantummodo fractis vocibus loquentes, quasi crepitacula quædam.

3 Concessisti.

4 Respice Coll. *Abb. & Erud.* in principio.

tem homini sola conciliat. SP. Propemodum assentior. HE. Nunc mihi vide quot [1] parasangis absint à voluptate, qui vulgo videntur præter voluptates nihil sequi. Primum animus illorum impurus est, & cupiditatum [2] fermento vitiatus, ut etiamsi quid incidat dulce, protinus amarescat, quemadmodum fonte vitiato non potest non esse liquor insipidus. Deinde non est vera voluptas, nisi quæ sano percipitur animo. Nam irato nihil vindicta jucundius: sed ea voluptas vertitur in dolorem, simul atque morbus animum reliquerit. SP. Non refragor. HE. Postremo voluptates illæ sumuntur ex falsis bonis: unde consequitur, & illas esse præstigias. Quid porro diceres, si videres hominem magicis artibus delusum, vesci, bibere, saltare, ridere, plaudere, cum nihil earum rerum vere adesset, quas se videre credit? SP. Equidem & insanum dicerem, & miserum. HE. Simili spectaculo ipse nonnunquam interfui. Sacerdos erat, qui callebat artem præstigiatoriam. SP. Eam non didicerat è litteris sacris. HE. Imo è [3] sacerrimis, hoc est, execratissimis. Hunc aliquot aulicæ fœminæ frequenter appellabant, ut acciperentur ab eo convivio, [4] sordes & parsimoniam opprobrantes. Annuit, invitavit. Venerunt jejunæ, quo libentius epularentur. Accubuerunt: nihil aberat, ut videbatur, lautitiarum; explerunt sese affatim, peracto convivio, egerunt convivatori gratias, ac discesserunt suam quæque domum. Atmox cœpit [5] oblatrare stomachus: demirantur quid esset hoc monstri, statim à prandio tam splendido esurire ac sitire.

1 *Parasanges*, milliare Persicum triginta stadia continens. *Stadium* respice in *Probl mate.*

2 Contagione. Allegorica locutio. Respice *Exeg. seraph.* pag. 766.

3 *Sacer* pro *execrando.* Sic Virgilius auri famem appellavit sacram Æneid. 3.

4 Avaritiam.

5 Stomachus latrare dicitur ubi cibo indiget, & ut canis latrando escam poscit.

sitire. Res tandem erupit, & in risum abiit. SP. Et merito: præstiterat domi [1]lenticula placare stomachum, quam inanibus spectris deliciari. HE. At mihi videtur multo magis esse ridiculum, vulgus hominum pro veris bonis inanes bonorum umbras amplecti; & his præstigiis delectari, quæ non exeunt in risum, sed in luctus sempiternos. SP. Quo propius intueor, hoc mihi videre minus absurda loqui. HE. Age, largiamur, ut interim in nomen voluptatis veniant, quæ revera non sunt: appellaresne mulsum dulce, cui longe plus esset admixtum [2]aloes quam mellis? SP. Non dicerem, si vel triens aloes esset admixtus. HE. Aut optares tibi malam scabiem, quod scalpendi sit aliqua voluptas? SP. Non, si compos sim mentis. HE. Fac igitur, tecum [3]subducas rationem, quantum amaritudinis admixtum sit istis falso nomine voluptatibus, quas gignit amor impudicus, libido illicita, [4]comessatio ac temulentia. Omitto nunc, quod est omnium caput, conscientiæ cruciatus, inimicitiam cum Deo, exspectationem æterni supplicii. Quod obsecro in his voluptatibus genus est, quod non ingens externorum etiam malorum agmen secum adducat? SP. Quænam? HE. Rursum omittamus avaritiam, ambitionem, iram, superbiam, invidiam; quæ per se tristia sunt mala: conferamus illa quæ præcipue delectationis nomine commendantur. Cum largiori potationi succedit febris, capitis dolor, alvi tormina, ingenii stupor, famæ macula, memoriæ detrimentum, vomitus, & ruina stomachi, tremor corporis, num vel Epicurus existimaret

1 Vili cibo, lentibus, vel legumi-nibus.

2 *Aloë*, herba amarissimi succi, pro amaritudine, & *mel* pro dulcedine sæpius dicitur. Juvenal. Sat. 6. de forma muliebri -- *quoties animo corrupta superbo Plus aloës, quam mellis habet.*

3 Supputes.

4 Respice *Virg. pœnit.* in fine.

maret eam voluptatem expetendam? SP. Fugiendam diceret. HE. Cum adolescentes è scortatione novam lepram, quam nunc [1] ὑποκορίζοντες quidam [2] Neapolitanam scabiem appellant, sibi, ut fere fit, contrahunt, per quam toties sit illis in vita moriendum, semperque vivum cadaver circumferendum; nonne belle videntur [3] ἐπικουρίζειν? SP. Imo [4] ἐπὶ κουρεῖα θεῖν. HE. Jam finge delectationis ac doloris æquilibrium: optaresne tam diu cruciari dolore dentium, quam diu duravit potationis aut scortationis voluptas? SP. Equidem mallem utroque carere; nam voluptatem emere dolore, non est lucrum, sed pensatio: heic sane potior est [5] ἀναλγησία, quam Cicero ausus est indolentiam appellare. HE. At nunc voluptatis illicitæ titillatio, præterquam quod longe minor est cruciatu quem adducit, temporis etiam exigui est: [6] lepra vero contracta per omnem vitam misere discruciat; totiesque mori cogit, prius quam mori liceat. SP. Tales discipulos non agnosceret [7] Epicurus. HE. Luxuriæ

1 Ὑποκορίζοντες, id est, blandiori vocabulo, & levioti nomine appellantes.

2 Designat morbum Gallicum vel Hispanicum, ut vulgo appellant istud Veneris flagellum, dignamque impudicorum pœnam. Hanc fere *Scabiem* ubique appellat Autor. Revise Coll *Milit. & Carth. Diversor.* γαμ. ἄγαμ. & alia.

3 Ἐπικουρίζειν, id est, Epicurum agere, vel Epicuream vitam degere

4 Ἐπὶ κουρεῖα θεῖν, id est, *ad tonstrinas currere* Vide Aristoph. in Pluto Act 2 Sc. 3. Καίπερ λόγος γ' ἦν, νὴ τὴν Ἡρακλέα πολὺς, Ἐπὶ τοῖσι κουρείδισι τῶν καθημένων, id est, *Quamvis frequens sermo esset, mehercule, Hominum in tonstrinis desidentium* Nota bellam Paronomasiam. Nostra tempestate qui tonsores sunt, ut plurimum simul Chirurgicen exercent: posuit itaque tonstrinam pro Chirurgi domo, in qua morbus iste Gallicus, seu scabies Neapolitana, curatur. Et ἐπικουρίζειν ad verbum sonare videtur *ad puellas applicare*, cum *puellis conversari*, κόρη, puella, mulier juvencula.

5 Doloris absentia, ἄλγος, dolor.

6 Λέπρα, Græce, scabiei genus, cutem asperam reddens. Autor ita appellat fœdum istum morbum, de quo jam diximus. Respice Coll. *Milit. & Carthus* in fine *Nam ista scabies nihil aliud est, quam lepræ species, nisi quod ideo non vitatur, quia multorum est communis, præcipue nobilium*

7 Epicurus enim statuit summum bonum in tranquillitate animi sibi nullius mali conscii.

1 Terent.

xuriæ comes plerumque est [1] egestas, onus & miserum & grave: libidinis immodicæ, [2] paralysis, tremor nervorum, lippitudo ac cæcutientia, lepra: at non hæc tantum. [3] An non egregria negotiatio, nec veram, nec sinceram, ad hæc brevem delectationem, tot tanto gravioribus ac diuturnioribus commutare malis? SP. [4] Ut non accedat cruciatus, mihi stultissimus negotiator esse videatur qui gemmas vitro permutet. HE. Illud dicis, qui vera animi bona ob [5] fucatas corporis voluptates amittat. SP. Ita sentio. HE. Nunc redeamus ad [6] exactiorem supputationem. Nec febris aut egestas semper comitatur luxum, nec nova lepra aut paralysis semper comitatur [7] Veneris immodicum usum; sed conscientiæ cruciatus, quo nihil esse miserius jam inter nos convenit, semper comes est illicitæ voluptatis. SP. Imo præcurrit interdum, & in ipsa voluptate [8] fodicat animum. Sunt tamen quos dicas hoc sensu carere. HE. Jam hoc infeliciores. Quis enim non malit sentire dolorem; quam cor habere stupidum & sensus expers? Verum ut nonnullis vel cupiditatum intemperantia, velut ebrietas quædam, vel vitiorum assuetudo, ceu callus quidam, mali sensum adimat in juventa; cum ad senectutem perventum fuerit, ac, præter innumera incommoda, quorum thesaurum superioris vitæ commissa reposuerunt, de propinquo terret mors nulli mortalium evita-

1 Terent. in Phorm, Act. 1. Sc. 2. *Paupertas onus & miserum & grave.*

2 Παράλυσις resolutio, peculiariter dicitur resolutio nervorum.

3 Ironica interrogatio.

4 Quamvis

5 *Fucare* est fucum inducere. *Fucus* sæpius pro fraude, ejusque propria significatio respiciatur in multis Colloquiis, & in *Exorcismo* pag. 387. Hinc *fucatus* pro ficto, & falso.

6 Magis accuratam.

7 Venereæ libidinis.

8 Acriter pungit, id est, dolore afficit.

evitabilis, tanto gravius discruciat conscientia, quanto magis per omnem vitam stupuit: tum enim, [1] velit nolit, expergiscitur animus. Senectus autem cum per se sit tristis, quippe multis naturæ incommodis obnoxia, quanto miserior est, atque etiam turpior, si urgeat animus sibi male conscius? Convivia, comessationes, amores, choreæ, cantilenæ, cæteraque quæ juveni videbantur suavia, seni sunt amara, nec aliud habet ætas illa quo se fulciat, nisi adsit vitæ innocenter actæ recordatio, ac spes vitæ melioris. Hi sunt duo scipiones, quibus nititur senecta. Quod si pro his subductis, imponas geminam sarcinam, vitæ [2] perperam actæ memoriam, & futuræ felicitatis desperationem; obsecro quod animal fingi potest afflictius aut miserius? SP. Equidem non video, etiamsi quis [3] τὸ ἵππε γῆρας objiciat. HE. Tum denique [4] *sero sapiunt Phryges:* & illud verissimum dictum, [5] *Extrema gaudii luctus occupat:* &, [6] *Non oblectamentum super cordis gaudium;* &, [7] *Animus gaudens floridam ætatem facit: Spiritus tristis exsiccat ossa:* item illud, [8] *Omnes dies pauperis, mali,* hoc est, afflicti ac miseri: *secura mens quasi juge convivium.* SP. Sapiunt igitur qui mature [9] rem faciunt, & colligunt viaticum venturæ senectuti.

1 Sive velit, sive nolit.

2 Male, improbe.

3 Τὸ ἵππε γῆρας, id est, *equi senectum.* Proverbium dici solet in eos, qui præclaris rebus in juventa gestis, posteaquam consenuerint, ad sordida curas semet abjiciunt. Allegoria sumta ab equis generosis, qui senio segnes facti in nullo pretio sunt.

4 *Phryges* pro Trojanis. *Sero sapiunt Phryges,* proverbium in eos convenit, quos stulte sero factorum pœnitet. Siquidem Trojani, tot jam accepis cladibus, vix decimo demum anno de restituenda Helena cogitare cœperunt.

5 Proverb. Salom. 14. v. 13.

6 Ecclesiast. 30. v. 16.

7 Proverb. Salom. 17. v. 22.

8 Proverb. Salom. 15. v. 15. Hæc omnia sunt ex versione vulgata.

9 *Res* pro censu, & lucro, sæpius supra occurrit. Ita *rem facere,* pro rem domesticam locupletare. Vide Terent. Adelph. Act. 2. Sc. 2. *Nunquam rem facies.*

ctuti. HE. Scriptura [1] mystica non tam [2] humi repit, ut fortunæ bonis metiatur hominis felicitatem: is demum eximie pauper est, qui nudus est omni virtute, & animam simul cum corpore debet [3] orco. SP. Is quidem exactor est [4] implacabilis. HE. Is vere dives est, qui Deum habet propitium. Quid autem metuat, qui talem habeat protectorem? num homines? minus potest universorum hominum potestas adversus Deum, quam culex adversus elephantem Indicum. Num mortem? ea piis transitus est ad æternam beatitudinem. Num inferos? Sed confidenter Deo loquitur vir pius: [5] *Etsi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala; quoniam tu mecum es.* Cur metuat dæmones, in pectore gerens eum quem tremunt [6] dæmones? nam hominis pii mentem templum esse Dei, non uno in loco prædicat scriptura, vere [7] ἀναντίῤῥητος. SP. Equidem non video, quibus rationibus ista queant refelli, quanquam videntur plurimum abesse à sensu communi. HE. Qui sic? SP. Nam ad tuam ratiocinationem quivis Franciscanus vitam ageret magis voluptuariam, [8] quam alius, opibus, honoribus, breviter omni genere deliciarum affluens. HE. Adde [9] monarchæ sceptrum, si libet; adde pontificiam coronam,

1 Quæ mysteria, id est, arcana complectitur.

2 *Humi repere* dicitur quod humile, & abjectum est.

3 Orcum revisse in fine *Charontis.*

4 Horat. lib. 2. Od. *Orcus nil miserans.*

5 Extat locus Psalm. 23.

6 Δαίμονες, quis, sæpius supra. Hoc loco Dæmones malos intelligit Diabolos, ut vocant.

7 Ἀναντίῤῥητος, id est, cui contradici nequit.

8 Non quivis Franciscanus, sed quivis pius, sive sit Franciscanus, sive quispiam alius. Franciscanorum vitam respice in Coll. *Franciscan.* cultum, superstitionem, & nequitias in *Ichthyoph.* & *Exeq. Seraph.*

9 Μόναρχος, vel ας, qui solus dominatur. Sceptrum pro regno Metonadj. Sic & corona.

nam, eamque è triplici fac centuplicem, modo detrahas animum sibi bene conscium, audacter dicam, hunc Franciscanum, nudipedem, nodoso fune cinctum, tenuiter ac viliter amictum, jejuniis, vigiliis, ac laboribus attenuatum, qui [1] teruncium non habet in orbe, modo adsit bona mens, deliciosius vivere, quam si in unum hominem sexcentos confles [2] Sardanapalos. SP. Unde igitur est, quod pauperes fere conspicimus tristiores divitibus? HE. Quia bis pauperes sunt plerique. Alioqui morbus, inedia, vigilia, labores, nuditas, extenuant quidem corporis habitum, sed tamen non in his tantum, sed etiam in ipsa morte sese exerit mentis alacritas. Animus enim quanquam illigatus est mortali corpori, tamen quoniam naturæ potentioris est, corpus ipsum quodammodo transformat in sese, præsertim si ad vehementem naturæ impetum accedat [3] ἐνέργεια spiritus. Hoc est quod sæpenumero videmus homines vere pios majore cum alacritate morientes, quam alios convivantes. SP. Istuc profecto non raro sum admiratus. HE. Atqui non est admirandum, illic esse invincibile gaudium ubi adest omnis lætitiæ fons Deus. Quid autem novi est, animum vere pii hominis gaudere [4] jugiter in mortali corpore, cum idem, si ad intima [5] tartari demergatur, nullum felicitatis detrimentum facturus sit? Ubicunque pura mens est, ibi Deus est: ubicunque Deus est, [6] ibi paradisus

1 *Teruncius*, nummus perexiguus.
2 Homines voluptarios, quali fuit ultimus Assyriorum rex Sardanapalus, lascivia & libidine infamis.
3 Ἐνέργεια, efficacia.
4 Semper.
5 Respice *Problema* in fine.
6 *Paradisus*, vox sæpius annotata, in genere pro horto amœnissimo, in specie pro horto Hedenis, quem describit Moses; κατ' ἐξοχὴν, aliquando pro ipso cœlo ponitur.

sus est: ubi cœlum est, ibi felicitas est: ubi felicitas est, ibi gaudium est verum, & alacritas sincera. SP. Attamen suavius viverent, si absint incommoda quædam, & adessent oblectamenta, quæ vel negligunt, vel non assequuntur. HE. Quæ vero mihi narras incommoda? quæ lege communi comitantur conditionem humanam? famem, sitim, morbum, lassitudinem, senectutem, mortem, fulmina, terræ motus, inundationes, bella? SP. Et ista quoque. HE. At nos de mortalibus interim agimus, non de immortalibus. Et tamen in his quoque malis longe tolerabilior est piorum conditio, quam voluptates corporis per fas nefasque venantium. SP. Qui sic? HE. In primis, quoniam animos habent ad temperantiam ac tolerantiam exercitatos, cæteris moderatius[1] ferunt ea, quæ vitari non possunt. Dein quoniam intelligunt illa omnia à Deo immitti, vel ad purgationem criminum, vel ad exercitationem virtutis, non modo patienter, verum etiam gaudenter, tanquam obedientes filii, illa de manu propitii patris accipiunt, atque etiam gratias agunt vel pro clementi correctione, vel pro inæstimabili lucro. SP. Sed multi sibi accersunt corporis molestias. HE. Sed plures adhibent medicorum remedia, quo corporis sanitatem vel tueantur, vel recuperent. Cæterum accersere molestias, hoc est, inopiam, adversam valetudinem, persequutionem, infamiam, nisi cum huc impellit Christiana caritas, non est pietatis, sed stultitiæ. Cæterum quoties infliguntur ob Christum & ob justitiam; quis ausit eos vocare miseros, cum ipse Dominus appellet eos beatos, & horum gratia[2] gaudere jubeat? SP. Habent tamen interim & ista sen-

1 Tolerant.
2 Vide Matth. 5. paulo ante nota[tum.]

sensum cruciabilem. HE. Habent, sed quem facile absorbet hinc metus [1] gehennæ, illinc spes æternæ beatitudinis. Age, si tibi persuasum esset, te nunquam ægrotaturum, aut ullam corporis molestiam sensurum in omni vita, si semel patiaris cuspide aciculæ tibi summam pungi cutem; nonne lubens & gaudens acciperes tantillum dolorem? SP. Maxime. Imo si certo etiam mihi nunquam in vita dolituros dentes, æquo animo patiar vel altius infigi acum, atque etiam ambas aures subula perforari. HE. Atqui quidquid in hac vita accidit afflictionis, levius ac brevius est ad æternos cruciatus, quam momentaneum acus vulnusculum ad hominis vitam, quamvis longam: nulla enim [2] analogia rei finitæ ad infinitam. SP. Verissima prædicas. HE. Jam si quis tibi persuadeat, te per omnem vitam omni molestia carituram, si semel manu flammam dividas, quod fieri vetuit [3] Pythagoras, nonne lubens id faceres? SP. Ego sane vel centies, modo ne me fallat promissor. HE. Deus ne potest quidem fallere: sed ille flammæ sensus diuturnior est ad totam hominis vitam collatus, quam tota vita collata ad cœlestem beatitudinem, etiamsi quis trium [4] Nestorum excedat annos. Siquidem illa quantumlibet brevis manus injectio, nonnulla hujus vitæ portio est: sed tota hominis vita, nulla portio est æternitatis. SP. Non habeo quod contradicam. HE. Ad hanc igitur qui toto pectore, certaque spe properant, cum tam brevis sit transcursus, an credis, eos hujus vitæ mole-

1 Fusius in hanc vocem notata respice in *Conv. relig.* pag. 178.

2 Ἀναλογία, proportio, ut quidam volunt, inquit A. Gellius.

3 *Pythagoras*, Samius ille Philosophus à multis scriptoribus memoratus. Respice pag. 91. & *Conv. fab.*

4 *Nestor*, Græcorum eloquentissimus & prudentissimus tria sæcula vixisse fertur, vide Homer. Ovid & notas in superiora Coll.

molestiis discruciari? SP. Non arbitror, modo adsit certa persuasio, firmaque spes assequendi. HE. Venio nunc ad oblectamenta, quæ objiciebas. Abstinent à choreis, à comessationibus, à spectaculis: hæc nimirum ita contemnunt, ut fruantur multo jucundioribus, nec minus oblectentur, sed aliter. [1] *Oculus non vidit, auris non audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ solatia Deus paraverit diligentibus ipsum.* Beatus Paulus agnovit, quæ sint cantica, quæ choreæ, quæ tripudia, quæ comessationes piarum mentium, etiam in hac vita. SP. At sunt quædam voluptates licitæ, quas isti sibi ipsis interdicunt. HE. Etiam licitarum voluptatum immodicus usus est illicitus: hunc si excipias, in cæteris omnibus superant, qui videntur asperam vitam degere. Quod potest esse magnificentius spectaculum, quam hujus mundi contemplatio? Ex eo longe plus capiunt voluptatis homines Deo cari, quam cæteri. Siquidem hi dum curiosis oculis contemplantur admirandum hoc opus, anguntur animo, quod multarum rerum causas non assequantur. In quibusdam etiam ceu [2] Momi quidam obmurmurant opifici, neque raro naturam pro matre novercam appellant: quod convicium verbo tenus quidem naturam ferit, sed re vera in eum redundat, qui naturam condidit, si qua est omnino natura. At homo pius religiosis ac simplicibus oculis magna cum animi voluptate spectat opera Domini, patrisque sui: demirans singula, nihil reprehendens, sed pro cunctis gratias agens, cum reputat, hæc omnia propter hominem esse

1 Paulus ad Corinth. Epist. 1. cap 2. v. 9.

2 *Momum* Nocte matre, & Somno patre genitum, fingunt Poëtæ Deum, qui ipse quidem nihil operis edit, sed aliorum facta carpere, ipsosque adeo Deos cæteros, si quid commiserint, adunco naso suspendere solet. Μῶμος Græce *reprehensio.*

esse condita: atque adeo in singulis rebus adorat [1] sapientiam, ac bonitatem conditoris, quarum vestigia perspicit in rebus conditis. Jam finge mihi, esse aliquod palatium re vera tale, quale [2] Psychæ fingit Apulejus, aut si quod potes magnificentius elegantiusque: huc adhibe duos spectatores, alterum peregrinum, qui tantum visendi causa venerit, alterum, servum aut filium ejus, qui construxit hoc ædificium; uter [3] impensius delectabitur? [4] hospes ille, ad quem illa domus nihil attinet, an filius, qui carissimi patris ingenium, opes ac magnificentiam in ædificio magna cum voluptate speculatur; præsertim cum cogitat totum hoc opus ipsius gratia factum esse? SP. Percunctatio tua non eget responso: sed plerique non piis moribus, sciunt cœlum, quæque cœlo clauduntur, hominis causa esse condita. HE. Sciunt plerique omnes: sed non omnibus hoc venit in mentem; & si venit in mentem, plus tamen capit voluptatis, qui magis amat opificem: quemadmodum alacrius intuetur cœlum, qui ad vitam cœlestem adspirat. SP. Veri simillima dicis. HE. Jam conviviorum suavitas non est sita in lautitiis palati, aut coquorum condituris, sed in prospera valetudine, & stomachi appetentia. Cave igitur putes ullum [5] Lucullum cœnare jucundius appo-

1 Revise hisce similia in principio *Conv. relg.*

2 Ψυχὴ, Græce *anima*, vita, seu spiritus. Eam fingit Apulejus puellam formosissimam, in scopulo seu monte sedentem, ubi amœnissimum videre spectaculum. Metamorph. lib. 5 *Prope fontu ad lapsum domus regia est ædificata non humanis manibus, sed divinis artibus. Jam scires ab introitu Dei cujuspiam luculentum & amœnum videre te diversorium*, cæteraque lectu jucundissima, quæ vide loco citato. Quis fuerit Apulejus diximus supra in Coll. *Inquis. de fide.* Vide & *Merdard.*

3 Magis, vehementius.

4 Advena.

5 Lucullus Imperator, Quæstor, Prætor, Pompeji & Ciceronis æqualis fuit. Ejus luxum à claris scriptoribus memoratum quære in notis superioribus.

1 Aves

appositis perdicibus, [1] phasianis, turturibus, leporinis, [2] scaris, siluris, aut [3] murænis, quam vir pius cibario pane, holeribus aut leguminibus, potu vel aquæ, vel cerevisiæ tenuis, vel vini probe diluti: propterea quod hæc accipit tanquam missus à benigno patre datos: omnia condit oratio, omnia sanctificat precatio præcedens, sacra lectio comes, magis animum reficiens, quam esca corpus, & gratiarum actio succedens: postremo surgit à mensa non [4] distentus, sed recreatus; non onustus, sed refectus; & refectus mente pariter & corpore. An tu putas, ullum istarum vulgarium cupediarum [5] architectum convivari jucundius? SP. Sed in Venere summa est delectatio, si quid Aristoteli credimus. HE. Et hac in parte vincit homo pius: non minus quam in convivio: rem sic accipe. Quo vehementior est erga uxorem caritas, hoc congressus ille connubialis est jucundior. Nulli porro vehementius amant uxores suas, quam qui eas sic diligunt, sicut Christus dilexit ecclesiam: nam qui eas voluptatis gratia diligunt, ne diligunt quidem. Adde, quod quo rarius est cum uxore congressus, hoc est suavior; quæ res nec [1] im-

1 Aves Phasides, à Phasi Colchorum fluvio, inter aves delicationis notæ habentur. Petron. *Avis Phasiacis petita Colchis.*

2 Scari, siluri, murænæ, pisces, quorum nomina non adeo cognita, antiquis in magno precio fuere.

3 De *Murænis*, non satisfaciunt mihi nomenclatores. Maximas olim fuisse in mari Siculo constat ex Juvenale, Sat. 5. *Virroni murænæ datur, quæ maxima venit Gurgite de Siculo* - Et Martial. lib. 13. Epigr. 8. *Quæ natat Siculo grandis muræna profundo.* De Romanorum insania in hoc pisce æstimando lege doctissimum Lud. Nonnii libellum de piscium esu, cap. 17.

4 Fartis visceribus onustus.

5 Architectum dixit pro structore, proprie enim ἀρχιτέκτων, fabrorum operses, vel ædificii structor. Sed *structor* peculiariter quoque dicitur, qui mensam cibis instruit, & ferculorum apponendorum curam habet.

[1] impium poëtam latuit, qui scripsit, [2] Voluptates commendat rarior usus. Quanquam minima voluptatis pars in coitu sita est. Longe major est in perpetuo convictu, qui inter nullos potest esse jucundior, quam inter eos, qui se Christiana caritate sinceriter amant, & amant pariter mutuo. In aliis frequenter cum senescente voluptate senescit amor. Christiana caritas hoc magis virescit, quo magis delectatio carnis decrescit. An nondum tibi persuasi nullos vivere jucundius, quam qui cum pietate degunt? SP. Utinam itidem sit persuasum omnibus! HE. Quod si Epicurei sunt, qui suaviter vivunt, nulli verius sunt Epicurei quam qui sancte pieque vivunt. Et si nos tangit cura nominum, nemo magis promeretur cognomen Epicurei, quam [3] adorandus ille Christianæ philosophiæ princeps. Græcis enim [4] ἐπίκυρος auxiliatorem declarat. Cum naturæ lex esset vitiis tantum non obliterata, cum Mosis lex magis irritaret cupiditates, quam sanaret, cum impune regnaret in mundo tyrannus [5] Satanas, solus ille pereunti humano generi

1 Juvenalem designat, qui Satyram 11. claudit hisce verbis - - *Voluptates commendat rarior usus.* Quod equidem verissimum est. Ideoque non video cur in hac parte Poëtam eximium Erasmus impium dicat. Sed in Juvenale leguntur quædam nimis aperte, nimis obscœne dicta. Quasi vero eadem, & forte pejora non in venias apud Horatium, cujus versibus in admirationem raptus Autor noster, sæpenumero se sibi non temperare profitetur, quin bene ominetur sanctæ animæ Flacci. Vide *Conv relig.* Non desunt magis Juvenali præclare & pie dicta quam aliis poëtis.

2 Qui scis, Erasme? didicistin' ex Scriptoribus? nugæ: num ipse expertus es? Hoc facile quis crediderit; vix enim aliter fieri possit ut quis rei Venereæ prorsus rudis, tam belle, tam venuste de hisce gaudiis differuerit. Relegat lector quædam in Colloq. *Uxore μεμψίμ. Proci & puel. Puerp. & Conjug. imp.*

3 Jesum Christum intelligit.

4 Ἐπίκυρος, Græcis *auxiliator.* Ita Homerus Iliad. β. - - - Ἀλλ' ἐπίκυροι Πολλέων ἐκ πολίων ἐγχέσπαλοι ἀνδρες ἔασιν, id est, - - - *Sed auxiliatores. Viri qui hastas vibrant ex multis oppidis adsint.*

5 *Satan*, seu *Satanas*, sonat adversarium: κατ' ἐξοχὴν vero in S. litteris hoc nomine designatur Diabolus, seu malorum angelorum princeps.

1 Μιλαγ-

generi præsentaneam attulit opem. Proinde vehementer falluntur quidam, qui blaterant, Christum natura fuisse tristem quempiam ac [1] melancholicum, nosque ad inamœnum vitæ genus invitasse. Imo is unus ostendit vitam omnium suavissimam, veræque voluptatis plenissimam: tantum absit [2] lapis ille Tantaleus. SP. Quid istuc ænigmatis est? HE. Ridebis fabulam: sed hic jocus seria ducit. SP. Exspecto jocum serium. HE. Narrant ii, quibus olim studio fuit philosophiæ præcepta fabularum involucris tegere, Tantalum quendam adhibitum fuisse Deorum mensæ, quam volunt esse lautissimam. Cum hospes esset dimittendus, Jupiter, hoc suæ dapsilitatis esse ratus, ne conviva discederet absque [3] xenio, permittit ut quod vellet peteret, accepturus quidquid petiisset. Tantalus autem stolidus, ut qui beatitudinem hominis, ventris & gulæ delectatione metiretur, optavit ut sibi per omnem vitam liceret tali mensæ accumbere. Annuit Jupiter; & ratum erat votum. Tantalus assidet mensæ omni genere deliciarum instructæ: appositum est [4] nectar; nec desunt rosæ, nec odores; qualibus Deorum nares possint oblectari; adstat pocillator [5] Ganymedes aut Ganymedi similis, circumstant [6] Musæ suaviter canentes, saltat ridi-

1 Μελαγχολικὸς, qui laborat melancholia, quæ est mentis alienatio ex atræ bilis redundantia, cum mœrore conjuncta.

2 *Tantali lapidem* vocat Autor assidue imminens periculum, quo omnis lætitia in mœrorem convertitur. Ænigmatis nodum sequens fabula solvet.

3 Ξένιον, munusculum, quod datur hospitibus amicis. Respice *Conv. Relig.* fere sub finem.

4 Deorum potus.

5 Ganymedes Trois filius, puer formosissimus, ab Jove adamatus, & cujus jussu ab aquila raptus in cœlum nectari miscendo præest, repudiata Hebe Junonis filia, cui id muneris primum delegatum erat.

6 Numero novem, quas revise in *Conv. Relig.* & alibi supra.

ridiculus [1] Silenus, nec absunt [2] moriones: breviter quidquid ullum hominis sensum possit oblectare, sed inter hæc omnia ille sedet tristis, suspirans & anxius, nec hilarescens risu, nec attingens apposita. SP. Quid in causa? HE. Quoniam supra caput accumbentis de [3] pilo pendet ingens saxum jam jam casuro simile. SP. Ego me à tali mensa subducerem. HE. Sed illi votum transiit in necessitatem: neque enim Jupiter tam placabilis est, quam noster Deus, qui pernicioſa vota mortalium rescindit, si modo pœniteat. Quanquam & alioqui, ne se Tantalus subducat, vetat idem lapis, qui prohibet vesci. Metuit enim, ne si se commoverit, illico saxi ruina conteratur. SP. [4] Ridiculam fabulam. HE. At nunc audi quod non rideas. Vulgus à rebus externis petit vitam jucundam, cum eam non præstet nisi mens secura: nam sibi male conscii saxum multo gravius impendet, quam impendit [5] Tantalo

1 *Silenus* senex ebrius, Bacchi Pædagogus, in quem fusius annotatum respice in *Ichthyoph.* pag. 552.

2 Ficti stulti, qui gesticulationibus & facetiis risum excitant, respice *Conv. Relig. Diversor. & Conv. Disp*

3 De crine, nisi legas *de pila*, id est, de columna.

4 Qualem hic fabulam Tantali ex Pindari Od. I. & Athenæi Deipnosoph. lib. 7. memoravit Autor, alii similem ferè pro certo affirmant de Damocle Parasito, qui cum in sermone Dionysii Tyranni Siculi opes miraretur, negaretque unquam quemquam beatiorem fuisse, visne, inquit Dionysius, ô Damocle, & fortunam meam experiri? Cum is annuisset, jussit hominem collocari in aureo lecto, tum ad mensam eximia forma delectos pueros consistere, eosque ad nutum illius intuentes diligenter ministrare. Adstant unguenta, &c. mensæ conquisitissimis epulis exstruebantur. Fortunatus sibi Damocles videbatur. Sed in hoc medio apparatu fulgentem gladium è lacunari seta equina appensum demitti jussit, ut impenderet illius beati collo, qui tandem Tyrannum exoravit ut abire liceret.

5 De Tantalo Jovis filio, quam cæteri Poëtæ fingunt fabulam, hæc est. Ajunt eum, cum Jovis arcana hominibus prodidisset, Diisque hospitio exceptis, quo tentaret eos, filium Pelopem comedendum apposuisset, alias esse carnes mentitum, ad inferos detrusum, ea pœna plecti, ut neque bibere, aquis etiam labia tangentibus, neque quicquam comedere possit, quamvis capiti illius immineat arbor pomis onusta. Ovid. Metamorph. lib. 4. - - - *Tibi, Tantale, nullæ Deprehenduntur aquæ, quæque imminet effugit arbor.* Sed aliter hanc narrare vult, uti dictum est, Pindarus, Od. 1.

1 Tanta-

talo. Imo non impendet, sed urget premitque mentem: nec inani metu discruciatur animus; sed in singulas horas expectat, ut conjiciatur in [1] gehennam. Obsecro quid est tam suave in rebus humanis, quod mentem tali saxo pressam possit vere exhilarare? SP. Nulla profecto res, nisi vel dementia, vel incredulitas. HE. Hæc si perpenderent adolescentes, qui voluptatibus ceu [2] poculo Circeo dementati, pro vere jucundis amplectuntur mellita venena, quanto studio caverent, ne quid per incogitantiam admitterent, quod in omnem vitam [3] mordeat animum? Quid non facerent, ut hoc viaticum pararent senectuti venturæ, mentem sibi bene conscíam, & famam nulla labe contaminatam? Quid autem illa senectute miserius, quæ cum respicit in tergum, magno cum horrore videt, quam [4] speciosa sunt quæ neglexit, quam fœda quæ amplexa est? Rursus cum à fronte prospicit, cernit imminere diem supremum, & ab hoc protinus æterna gehennæ supplicia. SP. Felicissimos arbitror, qui primam ætatem servarunt incontaminatam; & in pietatis studio semper proficientes, pervenerunt usque ad senectutis metam. HE. Proximus locus debetur iis, qui à juvenili [5] temulentia mature resipuerint. SP. Sed quid consilii das illi misero seni? HE. Nulli desperandum, quam diu [6] spirat: jubeo ad Domini clementiam confugere. SP. Sed quo fuit vita longior, hoc magis accrevit scelerum cumulus, jam

1 Tartarum, *Gehennam* respice in *Conv. Relig.* pag. 178. & *Ichthyoph.* pag. 525.

2 *Circe* filia Solis & nymphæ Perses, insignis venefica, ut Poëtis visum est, homines in bestias mutabat. Ideoque recte quis voluptatum illecebras *Pocula Circea* appellet. Horat. Epist. 2. lib. 1. *Sirenum voces, & Circes pocula nosti.*

3 Angat, cruciet.

4 Pulcra.

5 Temeritate, quæ tanquam ebrietas juvenilem mentem occupat.

6 Vivit, spiritum ducit, juxta illud Latium; *Dum spiro spero.*

jam arenam exsuperans quæ est in littore maris. HE. Sed eas arenas longe superant misericordiæ Domini. Arena tametsi non est homini numerabilis, finito tamen est numero: at Domini clementia nec modum, nec finem novit. SP. Sed non est spatium brevi morituro. HE. Quo minus est spatii, hoc clamet ardentius. Apud Deum satis longum est quod à terris ad cœlum valeat pertingere. Penetrat autem & brevis precatio cœlum, modo vehementi spiritus impetu [1] ejaculetur. [2] Evangelica peccatrix fertur per omnem vitam egisse pœnitentiam; sed [3] latro in ipsa morte [4] quam paucis verbis impetravit à Christo [5] paradisum? Si toto pectore clamaverit, [6] *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam;* Dominus tollet [7] saxum Tantaleum, dabit auditui illius gaudium, & lætitiam; & [8] exultabunt de condonatis peccatis ossa per contritionem humiliata.

1 Emittatur.

2 Intelligit mulierem illam, quæ Jesum, in ædibus Pharisæi Simonis accumbentem, unxit. Historiam lege Luc. 7. Dicitur hæc Græce ἁμαρτωλὸς, id est, peccatrix, quæ vox non solum significat eam, ut omnes homines, peccatis obnoxiam, sed impudicam, & moribus meretriciis fuisse.

3 Κακοῦργος, Luc. 23.

4 Hisce enim verbis rogavit Christum. Μνήσθητί μου, κύριε, ὅταν ἔλθῃς ἐν τῇ βασιλείᾳ σου. Id est, *Memento mei, Domine, cum veneris in regnum tuum.* Et dixit illi Jesus Ἀμὴν λέγω σοι, σήμερον μετ' ἐμοῦ ἔσῃ ἐν τῷ Παραδείσῳ, i. e. *Certe dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso.*

5 De Paradiso, vide quæ supra annotavimus. Hoc loco, κατ' ἐξοχὴν, ipsum cœlum significatur.

6 Secundum vulgatam versionem Psalm. 50. Hebr. 51.

7 Respice jam nunc annotata.

8 Psalmo supra citato versu 10. ita vertunt Junius & Tremellius, & quidem bene *Facito ut audiam gaudium & lætitiam: exsultent ossa, quæ contriveris*, unde cætera fere juxta vulgatam versionem desumsit Autor.

CON-

CONFLICTUS THALIÆ ET BARBARIEI

Authore

D. ERASMO.

AD LECTOREM.

NE quis dubitet an revera Magnus ille Erasmus, *sequentis Colloquii sit Auctor, non tantum inscriptio (quæ Erasmi nomen ostentat) & stylus ipse satis evidenter evincunt; sed & ejusdem Epistola ad Cornelium Gaudanum, quæ in editis à Paulo Merula est decima septima libri secundi; & in editis Londini, M DC XLII. libri trigesimi primi decima septima. Ubi hæc legere est:* Tum cœpere illiteratissimi quique, qui nunquam didicere, docere quod nesciebant; docere inquam, magna mercede, nil scire; stultiores reddentes discipulos, quam acceperant, imo & eo redigentes, ut se ipsos quoque nescirent. Tum, tergo rejectis veterum præceptionibus, itum est ad recentia quædam imperitiæ præcepta, puta modos significandi, verbosa commenta, & ad ridiculas Grammaticæ doctrinæ regulas, deliramentaque innumera. Et cum jam omnia summo sudore perdidicerant, in id literarum eloquentiæque conscenderant fastigium, ut ne unam quidem orationem Latine proferre noverint. Et sane, quantum mihi videre videor, si id Barbarum hominum genus, eo quo cœperat cursu, perrexisset, nescio in quam novam sermonis speciem nostram *Thaliam* vertissent. *Ubi in MS. quod suis Petri Opmeri, in margine adscriptum invent*, Thalia Erasmi opusculum. *Cæterum ex ipsis, quæ adduximus, epistolæ verbis, cuivis clare dilucet, genuinum hunc esse Erasmi fœtum, ac proinde ejusdem lineamenta, atque ipsissima, quæ Epistolæ inserta sunt, verba præ se ferre.*

Hujus rei volebam, Lector, ne esses nescius.

PRÆFATIO.

NEmo putet latuisse Poëtam, quantum Comœdia Tragœdiaque discrepent; quid hanc, quid illam deceat.

Hæc enim gaudet gravitate: illa est levitatis amica. Nam quum ad scribendum animum applicuisset, quoniam nec personas comicas satis, nec rem tragicam satis esse perspexit, ipse pro suo digessit arbitrio: tantum hæc cogitans, auditor ut rideat. Æquis adeste animis: favete: aures arrigite: strepitum compescite.

ARGUMENTUM.

Thalia, sacris sororum comitata choris, Castaliam petit: Barbaries, æque barbaris stipata cohortibus occurrit. Fit contentio

PRIMUS ACTUS.

Thalia, Calliope, Melpomene.

TH. Dii boni, quid hoc monstri est; quod eminus surgere video? contemplamini quæso. CA. Papæ! quanta corporis moles! prope est ut vertice sidera pulset; quid sit mehercle nescio. TH. Appropinquat. En nova commixtio. Viden! Frons virginea: quod vero sub pectore est, asino simillimum. CA. Ita est: sic Dii me ament. Sed & fronte, videsne hera, quanta sese attollant cornua? TH. Ingentia. Præterea colligisne & vicinas cornibus auriculas? CA. Colligo. Asininas scilicet, albentes mobilesque, & jam magis magisque propinquare conspicio, quid paret nescia. Ah! Vereor ne siniſtrum quid attulerit. TH. Avertat parens Jupiter. ME. Ego hanc (si recte audita recordor) belluam novi. TH. Obsecro. ME. Nihil est periculi. TH. At at, inimicam audio. Itane, quæso? ME. Ita. Æmula hæc est nostra unica atque sæviſſima. TH. Dii illam perdant.

dant. ME. Nunquam invidere nobis, nunquam lacerare desinit. Hanc in occiduis ferunt habitare plagis, ibi subjicere sibi omnia, ibi coli, amari, honorari. Quid plura? denique ut Deam supplicibus placari muneribus. TH. Audieram, ni fallor. Urbi, cui praest, quod est nomen? ME. Zwollis, si recte teneo. TH. Recte. Ipsius vere? ME. Barbariem dicunt. TH. Ipsa est: probe novi. Sed en, accelerat huc. Operiamur eam.

SECUNDUS ACTUS.

Barbaries, Thalia.

BA. ILlane est Thalia, comites mei, quam è vicino conspicio, quamque extinctam jam pridem existimaram? Ipsa certe est: laurum cerno. Revixit. Audet insuper sese conspectibus impudenter nostris ingerere, nihil me verita. Adibo, quæ sim ut sentiat factura. Dii te perdaat, impudentissima. TH. Haud molle salutas. In te resiliat quam in me torques salutem, hera. BA. Nonne te pudet dudum victam, Thalia, rursum meis submittere oculis? TH. Rogas? Tu indigna quæ me videas: ego dignior quam quæ te videam belluam obscœnam. BA. Hem, misella, & contumelias insuper? Nec dum quæ sim nosti? cave me provoces. TH. Bona verba quæso. Surdo ista canis; nemo audit. Ego te timeo scilicet, monstrum informe spurcissimum. BA. Vide in quam has torseris calumnias. TH. Gratias habe iis qui tecum sunt. BA. His? TH. His solis. BA. His quid debeo? dic mihi. TH. Illorum te scilicet æstimatio, vel error potius, Deam effecit, non tua generatio. BA. Quin possem tibi (si tempus sinat) me-

am demonstrare propaginem, divino semine derivatam. TH. Egregiam vero. Sed narra obsecro. Tempus enim patitur: & sol tibi stabit tam mira memoranti. BA. Tu parente gaudes Jove, duce triumphas Apolline; mihi pater erat qui nec illi virtute, nec huic aut arcu, aut cythara cesserit. Si quando canens ludere solebat ore, Orphei in morem, sylvas post se montesque trahebat, denique & cursu valens, Euro pernicior. TH. Millies hæc audita sunt. Desine. BA. Quid? Tenes quem velim? TH. Statim, ubi cœpisti, Chirona significas semivirum. BA. Potesne tacere, dum, quod cœpi, expleam verbum? TH. Possum; tantum vera si dixeris. Sin componis, aurem non commodo. BA. Quid? mendacem dicis? TH. Minime; sed, si voles, nihil verius. BA. Te autem veridicam, ubi me Chirone dicis parente natam? TH. Testes adsunt. BA. Ubi quæso? TH. Hæc ingens, quæ in calces pendet, cauda. Hæc hirsuta terga. Hæ circum tempora albicantes auriculæ Chironis te prolem clamant omnia. Ille ex Asella te miscuit; pulcrum, quo glorieris, genus, pulcra, quæ Deam deceat forma. BA. Ut video calumniis certas; de figura contendis. Ad virtutem veniamus. De hac contende. De fama, de gloria, de clientela. Quid de corpore? TH. Nihil; nisi quod hujus deformitatem deformis animus comitari solet. Sed age, ad ipsa veniamus. BA. Id omnium primum accipe. Qui te colit rarus est; me totus celebrat orbis. Tu ignota lates; ego jam in omnem mundi regionem nomen extendi. Ubique sum celebris, ubique notissima. TH. Fateor. BA. Non faceres, si tibi quod responderes esset. TH. Imo quod respondeam habeo. Cacum nosti. BA. Cacum quis nesciat? TH. Quem narrat Virgilius. BA. Novi. TH.

Credo

Credo equidem, famosus enim est. Haud secus ac ille tu quoque cognita es. Dein tu tibi laudi tribuis, quod totus comitetur orbis. Non recte sapis. Ego id vituperio do magis. Rarum est omne enim quod carum est. Nihil arduum quod vulgo ignobili commune est. Me qui colit, rarus sit licet, spectabilis tamen est, & gravis. Te autem, quod plebeja & rustica comitetur turba, quid obsecro pulcri est? BA. Nescis insana. Longe alia res est. Neque enim quos plebejos invenio, plebejos relinquo; quin proveho magis, & erudio; honestos denique reddo & graves. TH. Ha, ha, he. Imo chartis gravatos, non arte; neque tam literis honestos, quam libris onustos. BA. Hem. Misera, an ego meos non graves reddere potis sum, æque ac tu tuos? TH. Admodum tui similes. Nam cum barbara sis, barbaros efficis. Quid aliud posses? BA. Nunc verum experior, quod jam olim de te audivi; garrulam esse & loquacem. Define, insana. Nihil omnium nosti. Nam id certum habeo. Si vel mediam scires partem, non tanta obstreperes impudentia. In meo quod Zwollis est gymnasio, quæ sit gloria, quis rigor, quis vigor, si tibi memorare incipiam, continuo rumperis invidia. TH. Nimirum. Et postes columnasque tuo rumpas grandiloquio. Verum incipe. Rumpe si potes. BA. Longum est. TH. Fac breve, ut nosti. BA. Summam complector. Ad illud itaque, quod paulo ante memoravi, gymnasium nobilissimum, ex omnibus mundi latissimi regionibus, quanto confluant agmine, nemo tibi facile explicuerit. TH. Hui! stupendum asinum illum Zwollorum (gymnasii campanam loquor) tam sonora voce rudere, cunctosque turmatim allicere. BA. Inepta. Abstine convitiis, & audi. TH. Audio. BA. Illic confestim instituuntur, erudiuntur. TH. Mirum in modum. BA. Optimis glosulis, vocabu-

lariis, argumentis, notabilibus innumeris. TH. Quam rectissime. BA. Quid nares contrahis? Imo eo perduco, ut nihil nesciant. TH. Novum. BA. Crescunt illis interea cum corpore tempora, ut exacte docti jam præsint aliis. Tum tales remitto ut beati vivant, beati moriantur? TH. Ha, ha, he. Parum abfuit quin cachinno rumperer; tam iis invideo scilicet. BA. Quid rides fatua? an ego risu digna fari videor? TH. Ego ista tibi rectius memorare potero. BA. Tun'? TH. Ego. Si placet, nunc audies. BA. Incipe. TH. Quin ita se res habet. Confluunt ad te innumeri, fateor. Qui, si quid recte in scholis prius didicerant, id continuo dediscant necessum est. Deinde his (quæ plurima enumerasti) dispendiis non tam imbuuntur, quam obruuntur, tandem ut sciant nihil. Immo eo perducis, ut & se ipsos nesciant. Crescunt interea circum tempora cornua, sibique videntur scioli, ac qui præsint magis quam subsint idonei. Tum tales remittis, ut beati vivant, beati moriantur. BA. Tu, ut video, linguam à probris non cohibes. At cave mihi bilem moveas. Si non parcis hujusmodi in me dicta jaculari, ego ea in te retorquebo: sunt & mihi quas referam contumelias. TH. Et solas quidem. BA. Tales, inquam, remitto (si nescis miserrima) qui vatibus tuis, ne carminibus quidem (quibus apprime triumphas) cesserint. TH. Numero fateor. Nos vero non tam versuum cumulum quàm virtutem spectamus. Tibi contra quot sint, non quales, curæ est. Paginas numeras, barbarismos dissimulas. Tantum ex omni sibi consonent parte, id unum quæritur: virtus negligitur. BA. De virtute garris insana? Ego virtute nil tam inane puto quam tua poëmata. Quid enim aliud quam fucata sunt mendacia, fabulis plena anilibus? TH. Satis laudas. BA. Egone tam ridicula? TH. Laudas

das neſcia. BA. Tam mendoſa? Quin ludo potius, quam laudo. TH. Laudas invita. BA. Qui ſic? TH. Dum laceras invida. Malis enim diſplicere, laudari eſt. BA. Magna vero, quibus invideat, quisquam, laborata mendacia. TH. Luce clarius tuam manifeſtas inſcitiam. Neſcis infelix, quam probes iis ſtultiloquiis poëtarum induſtriam; qui indignum cenſentes porcis, cæno & luto amicis, roſas objici, ita veritatem ipſam, peregrina fabularum ſpecie, & quodam verborum ænigmate obtexerunt diſſimularuntque: ut omnibus quidem legere liceat, intelligere autem non ita. Legunt, & tam abeunt neſcii, quaſi viderint nunquam. Legit peritus, & ipſas verborum penetrat imagines, (diaphanum enim ſunt) deprehenditque latere ingentem ſaniſſimæ veritatis theſaurum, quem illi præterierant. BA. Euge, euge, quam lepidum facinus, veris falſa miſcere! confictis veritatem fabellis corrumpere! Hoccine eſt quod tanta laude prædicas? TH. Vis tibi ad hæc paucis reſpondeam? Mihi reſponde prior. Quid, obſecro, pulchrius duxeris, gemmasne è ſtercore legere, an auro intextas mirari? BA. Poſtremum præſtantius. TH. Reſpondes tibi. Ita eſt. Tu ſi quid in poëmate veritatis eſt, ita ſermonis offuſcas ineptiis, ut ſordeat potius, quam ſplendeat. Nos ex adverſo verborum elegantiâ non (quomodo tu calumniaris) veritatem corrumpimus, ſed quaſi gemmam, auro intextam, venuſtamus. Speciem non tollimus, ſed augemus; non ut lateat, ſed pulcrior eluceat, efficimus. Denique & hoc agimus, ut, quæ ſuapte naturâ utilis eſt veritas, fiat & induſtriâ gratior. Hæc tui quum neſciant, lacerant, mordent, invident. Si ſaperent, quanto me laudarent, ſublimius. --- Elinguem

reddidi. Rumpam silentium hoc. BA. Id ego rectius de tuis dixerim. TH. Rupi. BA. Qui cum nostra nesciant poëmata, nil aliud norunt, quam ridere & illudere. TH. Talia sunt, quæ nec scita scium, nec inscium reddant nescita. BA. Nihil verbis opus est, ipsa res probet. TH. Res scilicet. Audire velim. BA. Hos dico, quos ea scita celeberrimos reddidere. TH. Estne quisquam? BA. Innumerabiles. TH. Hui! rectissime; quasi vero numerare eos nemo queat. Quod enim aut unum est, aut nihil, nemo numeret. Verumtamen vel numerare incipias si enumerare non sufficias. BA. Præcipuum omnium *Floristam*, qui à Floribus sortitus est nomen. TH. Sed non bene olentibus. BA. Deinde *Papiam*. TH. Doctissimum; & quem primum diceres. BA. Deinde *Huguitonem*. TH. Eximium. BA. Deinde *Michaëlem Modistam*. TH. Præclarum. BA. Deinde *Jacobum Glosarium*. TH. Mirabilem. BA. Et quem omnibus merito prætulerim *Johannem de Garlandia*, qui tanta verborum elegantia, tanta sententiarum pollet majestate, ut pauci admodum sint qui eum capiant. TH. Imo nulli, nisi forte barbari sint & ipsi: quis enim illum facile capiat, qui ne se ipse quidem intelligat satis. BA. Infinita est hæc contentio: garrulitate vincis, sed ego non in ea consistere palmam puto. Si placet experiri, quid utraque possit, mecum vicissim contende versiculis. Ne trepida, ne cesseris: ego parata maneo. Quæ nostrum vicerit, tum patebit. TH. Perplacet. Age experiamur. Sed tu prior incipe vates. BA. Hæc sunt quæ sæpe præsentibus viris eruditissimis cantare solebam, non sine omnium admiratione. TH. Credo. Sed incipe tandem. BA.

Zwollen-

Zwollenſes tales, quod eorum Theutonicales
Nomen per partes ubicunque probantur & artes,
Et quaſi per mundum totum ſunt nota rotundum.
Zwollenſique ſolo proferre latinica ſolo
Diſcunt Clericuli nimium bene verba novelli.

En, ii verſiculi in poëmatibus quam ſim diſerta declarant. TH. Ha, ha, he. Tot Barbariſmos numero quot voces. Patria certe hæc vox eſt, Chironis videlicet. Quam digeſta poëmata! non differam iis laudes referre ſuas.

Tale ſonant inſulſa mihi tua carmina, vates,
Quale ſonat ſylvis vox irrudentis onagri;
Quale boat torvus pecora inter agreſtia taurus,
Qualeque teſticulis gallus genitalibus orbus,
Concinit. Haud vocem humanam, ſed dico ferinam,
Hanc celebres laudate viri, & doctiſſime Florum
Autor, ades; gratos in ſerta nitentia Flores
Colligito, meritæque coronam nectito Divæ.
Urticæ viridi graveolentem junge cicutam,
Talia nam tali debentur præmia vati.
Annue Barbaries, tuque hanc ſine cornua circum
Inter candidulas laurum tibi nectier aures.

BA. Jam mihi nauſeat animus, nec audire ineptias iſtas volo: ceſſo hinc Zwollis quid mei agant inviſere. TH. Perge ocius, & viſe indocta indoctas. Perquam gratus erit illis tuus adventus. Fruſtra,

ut

ut video, tecum mihi sermo est. Tu mutaberis nunquam. Recte virgilianum illud de te dixerim,

Non illam nostri possunt mutare labores.

ME. Ab exordio hujus altercationis, dum monstrum hoc aspicimus, grandi interim omnes fastidio laboramus. TH. Credo equidem. CA. Abeamus, hera, & hanc linquentes bestiam, aprica Parnassi juga petamus, fontemque Heliconium. TH. Faciamus.

FINIS.



CO-

CORONIS APOLOGETICA
PRO
COLLOQUIIS
ERASMI.

Accedit ejusdem
DE COLLOQUIORUM
UTILITATE
DISSERTATIO,

Collecta à
P. SCRIVERIO.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-448389-p0861-4

CORONIS APOLOGETICA.

De Sycophantiis & impostoris cujusdam Dominicani, qui in Gallia

COLLOQUIA ERASMI,

à se ridiculè interpolata, edi curaverat,

ERASMI ADMONITIUNCULA.

PRodierat Colloquiorum libellus, partim è confabulationibus domesticis, partim è schedis meis consarcinatus; sed admixtis næniis quibusdam, non tantum ineptis, verum etiam male Latinis, planeque solœcis: & hoc nugamentum miro applausu exceptum est, ut in his rebus quoque ludit fortuna. Coactus sum igitur hisce næniis manum admoliri. Tandem adhibita paulo majore curâ, non pauca adjecimus, ut esset justa libelli magnitudo, jamque vel hoc honore dignus videri posset, ut Joanni Erasmio, Joannis Frobenii filio, puero tum sex annos nato, sed indole incredibili, dicaretur: id factum est anno 1522. Quamquam hujus operis natura est, ut quoties visum fuerit recipiat accessionem. Itaque in gratiam studiosorum & Joannis Frobenii, frequenter jam auctarium adjecimus; sed ita temperatis argumentis, ut præter lectionis voluptatem, ac sermonis expoliendi fructum, inesset quod ad mores quoque formandos conduceret. Porro donec præter meras ineptias nihil haberet ille libellus, mire omnium favore legebatur. Ubi accesserat uberior utilitas, non potuit effugere τῶν συκοφαντῶν δήγματα. Theologus quidam Lovanienſis mire lippiens oculis, sed multo magis ingenio, vidit illic quatuor locos hæreticos. Accidit & aliud quiddam huic operi memorabile. Excusum est nuper Lutetiæ correctis, hoc est depravatis, aliquot locis, quæ videbantur attingere Monachos, Vota, Peregrinationes, Indulgentias, aliaque hujus generis, quæ si plurimum valerent apud populum, uberior esset istis quæstus. Verum hoc fecit adeo stulte, adeo indocte, ut scurram quempiam è trivio fuisse jures: quum auctor tam insulsæ fabulæ feratur Theologus quidam ordinis Dominicani, natione Saxo. Quorsum attinet addere nomen & cognomen, quod nec ipse cupit supprimi? nescit tale portentum pudescere; citius laudem etiam petat ex scelere. Addidit Impostor novam Præfationem meo nomine, in qua fecit tres viros in uno puero insti-

instituendo sudantes; Capitonem, qui tradidit litteras Hebraicas: Beatum, qui Græcas: me, qui Latinas. Horum utroque facit me tum literatura, tum pietate inferiorem; significans in colloquiis inspersa quædam quæ Lutheri resipiant dogmata. Atque hic scio quosdam sublaturos cacchinum, quum legent Capitonem ab isto, qui sic odit Lutherum, optimi doctissimique viri elogio prædicatum. Hæc atque hujusmodi multa me loquentem facit, hujus audaciæ exemplo sumpto ex epistola Hieronymi, qui queritur æmulos suos ipsius nomine confictam epistolam sparsisse apud Afros in conventu Episcoporum, in qua fateretur se deceptum à Judæis quibusdam falso vertisse Vetus Testamentum ex Hebræis. Et omnino persuasissent eam epistolam esse Hieronymi, si stilum Hieronymi aliqua ex parte potuissent assequi. Hoc facinus quum Hieronymus referat velut extremæ deploratæque malitiæ, tamen unum hoc arrisit isti Phormioni, quod est quovis libello famoso sceleratius. Sed defuit malitiosæ voluntati facultas perficiendi quod destinarat: stilum Erasmi quamvis incultum assequi non potuit: sic enim claudit florulentam suam Præfationem: *Ita monuit ætas, ita jussit pietas, ut dum vivere datur prægravi senecta, scripta mea repurgem, ne functos manes tristibus transscribant sequaces inferis.* Quum talis sit totus hominis sermo, tamen non veritus est suos floscules nostris coronis intexere; aut insanissime sibi placens, aut pessime sentiens de judiciis Theologorum, nam his ista cudit; quos omnes tam stupidos esse putat, ut non statim deprehensuri sint infeliciter assutos hujus pannos. Tam abjecte ubique adulatur Galliæ, Lutetiæ, Theologis, Sorbonæ, Collegiis, ut nemo mendicus possit abjectius. Itaque si quid parum magnifice dictum videtur in Gallos, transfert in Britannos; si quid in Lutetiam, vertit in Londinum. Addidit quædam odiosa, velut à me dicta, quo mihi conflet invidiam apud eos quibus dolet me esse charum. Quid multis? passim suo commodo resecat, addit, mutat, veluti sus oblita cœno volutans sese in horto alieno, nihilque non conspurcans, perturbans, evellens; nec interim sentit perire captatam à nobis argutiam. Etenim quum illic cuidam dicenti, *ex Hollando versus es in Gallum*, respondetur, *Quid? an capus eram, quum hinc abirem?* ille mutavit, *ex Hollando versus es in Britannum. Quid an Saxo eram, quum hinc abirem?* Rursum, quum idem dixisset, *Vestis indicat te mutatum ex Batavo in Gallum;* ille ex *Gallo* facit *Britannum:* quumque ille respondisset, *hanc metamorphosin malim, quam in Gallinam,* alludens

ad

ad *Gallum;* ille mutavit *Gallinam* in *Bohemum*. Mox, quum jocatur *se Latinum sermonem sonare Gallice*, ille pro *Gallice* vertit *Britannice;* & tamen reliquit quod sequitur, *Nunquam igitur bona carmina facies, quia periit tibi syllabarum quantitas*, quod in Britannos non congruit. Item, quum illic dicatur, *Quid accidit Gallis, ut bellum suscipiant cum Aquila?* ille sic corrumpit jocum, *Quid accidit pardis, ut bellum suscipiant cum liliis?* quasi lilia soleant prodire in bellum. Interdum non sentit, ea quæ sequuntur cum his quæ mutavit non cohærere. Velut hoc ipso in loco. Ego scripseram, *Estne Lutetia immunis à pestilentia?* ille mutat, *Estne Londinum immunis à pestilentia?* Rursus alio loco, quod à quodam dicitur, *Quid trepidamus hunc gallum lacerare?* ille *gallum* vertit in *leporem;* nec tamen mutavit quod sequitur, *utrum mavis de ala, an de poplitibus.* Porro quum Dominicalibus adeo tenere faveat, ut voluerit apud illos sedere Commissarios; tamen Scotum atrociter attactum æquo fert animo. Nec enim mutavit quod illic dicit quidam, *citius patiar perire totum Scotum, quam libros unius Ciceronis.* Verum ut hæc stultitiæ plena sunt, ita insunt permulta quæ parem habent stultitiæ junctam malitiam. Quidam illic irridet sodalem, qui quum esset perditæ vitæ, tamen fideret bullis Indulgentiariis: hic Corrector facit illum fatentem se cum Luthero suo sentire Indulgentias Pontificias nihil valere, ac mox fingit eundem resipiscentem, profiteri erroris sui pœnitentiam. Atque hæc videri vult à me correcta. O miros fidei Atlantes! Hoc perinde ac si quis ossis sanguine imbutis vulnus mentiatur in humano corpore, ac mox idem sublatis quæ admoverat, vulneri medeatur. Dicit illic puer quispiam, *confessionem, quæ fit Deo, præcipuam esse;* ille correxit, asseverans *confessionem quæ fit Sacerdoti præcipuam esse:* ita prospexit periclitanti Confessioni. Unum hoc exempli causa retuli, quum in hujus generis sycophantiis creber sit. Atque hæc respondent palinodiæ, quam ille sub meo nomine pollicetur in falsaria Præfatione, quasi cujusquam sit canere palinodiam erroris alieni: aut quasi quicquid illic sub quacunque persona dicitur, meum sit dogma. Nihil enim me movet, quod hominem nondum sexagenarium facit prægravi senecta. Olim capitale erat edere quicquam alieno nomine, nunc tales sycophantias in vulgus spargere, ficto ipsius nomine qui traducitur, ludus est Theologorum: nam vult Theologus videri, quum res illum clamitet ne pilum quidem tenere rei Theologicæ. Nec dubito, quin furcifer ille mendaciis suis imposuerit famelico

melico typographo: non enim arbitror quemquam esse tam insanum, qui sciens tam indoctas nænias velit excudere. Deploratam hominis audaciam mirari desii, posteaquam intellexi illum esse pullum è nido Bernensi quondam elapsum, plane ἐκ κακίστης κόρακος κάκιστον ὠόν. Illud demiror, si verum est quod adfertur, apud Parisios esse Theologos qui sibi plaudant, quod tandem nacti sunt hominem qui eloquentiæ suæ fulmine disjiciat universam Lutheri factionem, & Ecclesiam pristinæ restituat tranquillitati. Nam scripsit & adversus Lutherum, ut audio. Et postea Theologi queruntur se à nobis traduci, qui studia ipsorum tantis vigiliis adjuvamus; quum ipsi volentes amplectantur talia monstra, quæ plus dedecoris adferunt ordini Theologorum, atque etiam Monachorum, quam quivis quamlibet maledicus hostis posset. Qui tale facinus audet, idem non dubitabit incendium, aut veneficium admittere. Atque hæc excuduntur Lutetiæ, ubi nefas est vel Evangelium excudi, nisi Theologorum censura comprobatum. Hoc Colloquiorum opus postremum exiit auctum coronide, anno 1524. mense Septembri.

ERASMUS ROTERODAMUS THEOLOGIS LOVANIENSIBUS, fratribus in Domino charissimis, S. D.

RES ad me delata est, non solum rumore, sed ex amicorum haud futilium literis, & illa nominatim exprimentium, quibus verbis, quo loco, apud quos mihi intentata sit calumnia per illum perpetuo sui similem; cujus etiam mores ac priora gesta faciunt, ut quod alioqui probabile futurum erat, pro comperto possit haberi. Proinde non arbitratus sum mihi dissimulandum esse: præsertim apud Vos, quorum partes erant tam effrenem hominis petulantiam, si non mea causa, certe ordinis vestri gratia coërcere.

Jactat ac vociferatur, in libello Colloquiorum quatuor esse loca, plusquam hæretica: *De esu carnium*, & *jejunio*: *De Indulgentiis*, ac de *Votis*. Hoc quum ille fortiter & impotenter asseveret, tamen secus habere comperiet, quisquis libellum legerit integre. Quod si cui non vacat ejusmodi nugas legere, rem paucis aperiam. Id vero priusquam aggrediar, tria quædam præfari visum est.

Primum, hac in re non posse mihi objici contemptum Edicti Cæsarei, quod audio publicatum 6. Maji, anno 1522. quum hic

hic libellus multo ante fuerit excusus: idque Basileæ, ubi tamen nullum adhæc Cæsaris Edictum vel publice vel privatim fuit exhibitum.

Deinde, quod in eo libello non trado dogmata Fidei, sed formulas loquendi Latine: tametsi quædam admixta sunt obiter, quæ faciunt ad bonos mores. Quod si Grammaticus præscripto themate Germanico, Gallicove, sic doceret pueros hunc sensum Latine reddere: *Utinam nihil edant præter allia, qui nobis hos dies piſculentos invexerunt.* Aut hoc: *Utinam inedia pereant, qui liberos homines adigunt ad jejunandi necessitatem.* Aut hoc: *Digni sunt ut fumo pereant, qui nobis Dispensationum ac Indulgentiarum fumos tam care vendunt.* Aut hoc: *Utinam vere castrentur, qui nolentes arcent à matrimonio.* Quæso, num is causam dicere cogeretur, qui sententiam, licet improbam, doceret verbis bene Latinis efferre? Neminem arbitror esse tam iniquum, quin hoc censeat æquum.

Tertio, cum primis illud videndum erat, qualis sit persona cui sermonem in dialogo tribuo. Non enim illic facio Theologum concionantem, sed bellos homunculos inter se nugantes. Quod si quis tam iniquus sit, ut nolit mihi suffragari personæ qualitatem, is eadem opera debet imputare, quod illic Augustinus (opinor) quidam contemnit honestum Stoicorum, & præfert sectam Epicureorum, qui summam boni posuerunt in voluptate. Idem imputet, quod illic miles quidam inter multa, quæ sane militariter loquitur, ait se velle quærere sacerdotem confessurus, cui quam minimum sit bonæ mentis. Idem imputaret, opinor, si in Dialogo tribuerem Ario sermonem ab Ecclesiastico dogmate dissonantem. Hæc si mihi absurde imputarentur: cur in cæteris non debet respici personæ qualitas? Nisi forte, si Turcam loquentem facerem, mihi censeant imputandum quidquid ille diceret.

Hæc præfatus, in genere de locis ab isto taxatis pauca dicam. In primo loco puer quidam, sedecim annos natus, ait, se confiteri peccata duntaxat certo capitalia, aut vehementer suspecta: quum Lutherani, sicut audio, doceant non esse necesse confiteri omnia capitalia. Proinde res ipsa declarat, hunc pueri sermonem multum dissonare à dogmate quod vos damnatis. Mox puer idem rogatus, an ipsi sufficiant confiteri Christo; respondet, satis futurum animo suo, si idem visum fuisset Ecclesiæ proceribus. Ex hoc ratiocinatur, non per artem Dialecticam, sed per malitiam sycophanticam: Me videlicet autorem esse, hanc *Confessionem*, qua nunc utimur, non esse insti-

tutam à Christo, sed ab Ecclesiæ præsulibus. Ista collectio posset videri probabilis, si Christus non esset unus è primatibus Ecclesiæ, quum juxta Petri dictum sit Princeps pastorum, ac juxta vocem Evangelicam, Pastor bonus. Ergo qui proceres Ecclesiæ dicit, non excludit Christum, sed complectitur & illum cum Apostolis, & Apostolorum successoribus, quemadmodum qui præcipua corporis membra nominat, non excludit caput. Quod si cui videbitur hæc responsio non carere strophâ, age, demus puerum illum sensisse de puris hominibus, Ecclesiæ proceribus. An puero non est satis quod in confitendo sequitur autoritatem illorum, etiamsi non habeat certum, an Pontifices potuerint hoc instituere de suo, an tradiderint nobis ex institutione Christi? quum illi sit animus parere, quocunque modo tradiderint. Ne mihi quidem ipsi satis adhuc plene constat, quod Ecclesia definierit hanc Confessionem, ut nunc sit, esse ex institutione Christi. Sunt enim permulta argumenta, mihi quidem insolubilia, quæ suadent contrarium. Et tamen hunc animi mei sensum ubique submitto judicio Ecclesiæ, libenter sequuturus, simul atque certum vigilans claram illius vocem audiero. Jam, si maxime hoc expressisset Bulla Leonis, & aliquis vel nesciret, vel non meminisset, sufficeret interim (opinor) hac in re obsequi autoritati Ecclesiæ, cum animo parendi, si & illud constaret. Neque vero recte colligi potest, *Hæc Confessio est ex institutione hominum, ergo non habet autorem Christum.* Apostoli instituebant Ecclesiarum disciplinam, haud dubie, quin ex institutione Christi: instituebant Baptismum, instituebant Episcopos, sed autoritate Christi. Et tamen negari non potest, multa hujus Confessionis pendere ex constitutione Pontificum: videlicet, quod confitemur semel in anno, quod ad Pascha, quod huic aut huic sacerdoti; quod nos quivis sacerdos absolvit à quibuslibet admissis. Ex his arbitror liquere, quam sit manifesta calumnia, quod ad *Confessionem* attinet.

Porro non sit illic mentio de *jejunio*, ad quod nos hortatur Evangelium, & Apostolicæ literæ, sed *de delectu ciborum*, quem palam contemnit in Evangelio Christus, nec raro damnant Paulinæ literæ: præsertim Judaïcum, & superstitiosum. Dicet aliquis, hoc est accusare Pontificem Romanum, qui hoc præcipiat quod damnat Apostolus. Quid doceat Evangelium, in propatulo est. Pontifex ipse declaret, quo animo jubeat quod non exigit Evangelium. Quamquam nullus illic dicit, quod nescio an doceat Lutherus, constitutiones Pontificum non

non reddere nos obnoxios crimini, nisi contemptus accesserit. Imo qui loquitur illic, concedit Pontificem posse constituere: tantum quærit, an hic fuerit animus Pontificis, obligare ex æquo omnes ad carnium abstinentiam; sic, ut qui comederit, obnoxius sit gehennæ, etiamsi non accedat perversus contemptus. Et qui hoc dicit in Colloquiis, addit se non aliter odisse pisces, quam anguem. Sunt autem quidam sic affecti, ut piscis sit illis venenum, quemadmodum inveniuntur, qui similiter abhorreant à vino. Qui sic affectus est erga pisces, si prohibeatur vesci carnibus & lactariis, nonne dure tractabitur? An hunc quisquam homo velit obnoxium fieri pœnæ Gehennæ, si pro corpusculi necessitate vescatur carnibus? Si quævis constitutio Pontificum & Episcoporum obligat ad pœnam Gehennæ, dura nimirum est conditio Christianorum. Si quædam obligant, quædam non obligant, nemo melius declarabit animum suum quam ipse Pontifex. Atque id sane declaratum esse, faceret ad tranquillitatem conscientiarum. Quid si Pontifex aliquis statueret, ut sacerdotes incederent cincti: an probabile erit eum hoc animo statuisse, ut si quis ob dolorem renum deponeret cingulum, redderetur obnoxius gehennæ? non opinor. Divus Gregorius constituerat, Ut si quis noctu cognovisset uxorem, abstineret postridie ab ingressu templi: hic, si quis dissimulato coitu, templum fuisset ingressus, non ob aliud, nisi ut audiret Evangelicam concionem, an is obnoxius fieret gehennæ? Non arbitror virum sanctissimum fuisse tam immitem. Si quis cum ægrotante uxore vesceretur carnibus, quod aliter ad edendum non posset provocari, & valetudo posceret cibum, num Pontifex vellet illum ob id factum esse obnoxium gehennæ? Hoc tantum ibi quæritur, nec quicquã asseveratur. Et certe ante Cæsaris Edictum hisce de rebus licebat quærere.

Jam vero nec illic, nec alibi simpliciter damno Pontificum *Indulgentias*, quanquam hactenus plus satis indultum est illis. Tantum quidam ridet congerronem suum, qui quum alias esset nugacissimus nugator, (nam talis fingitur) tamen præsidio Bullæ credebat se perventurum in cœlum. Hoc adeo non arbitror hæreticum esse, ut existimem nihil esse sanctius, quam admonere populum, ne Bullis confidant, nisi studeant mutare vitam, & pravos affectus corrigant.

Sed ridentur illic *Vota*. Imo ridentur & admonentur isti, quorum plurima turba est, qui domi relictis liberis & uxore, voto temere inter pocula concepto, cum aliquot combibonibus Romam, Compostellam, aut Hierosolymam procurrunt.

Quanquam, ut nunc sunt mores, arbitror sanctius in totum homines à talibus Votis dehortari, quam adhortari.

Hæ videlicet sunt execrabiles Hæreses, quæs ille Lynceus vidit in libello puerili. Mirum autem cur non excutiat & Catunculum meum, & Mimos Publianos. Quis non intelligit ista proficisci à privato quodam odio? Quanquam à me quidem in nulla re læsus est, nisi quod favi bonis literis, quas ille plus quam capitaliter odit, nec scit quam ob rem. Et interim gloriatur, sibi quoque telum esse, quo se ulciscatur. Si quis illum in convivio dixerit Coræbum aut ebrium, ille vicissim in concione clamabit eum hæreticum, aut falsarium, aut schismaticum. Credo, si coqua in cœna poneret carnes adustas, postridie in concione clamaret illam de hæresi suspectam. Nec pudescit, aut resipiscit, toties ipsa re deprehensus in manifesto mendacio.

Primum, quam stulta, quam insana blateravit in Novum Testamentum à me recognitum? Deinde quid insanius illa voce, quam jecit in Jacobum Fabrum & me, quum ipsa res loqueretur illum non intelligere quid mihi cum Fabro conveniret, aut quid esset in controversia? Quid impudentius, quam quod in publica lectione falsi crimen & hæresim impegit, quod juxta Græcos verterim: *Omnes quidem non resurgemus, sed omnes immutabimur.* Quid furiosius, quam quod Mechliniæ in publica concione monuit populum, ut caveret ab hæresi Lutheri & Erasmi? Quid enim nunc commemorem, quas voces evomat verius quam eloquatur in lautis conviviis, quoties è poculis accrescit Zelus domus Dei? Nuper apud Hollandos dixit, me apud Theologos Lovanienses haberi pro falsario: (scripsit ad me, qui præsens audivit.) Rogatus, quam ob rem? Quare, inquit, toties castigat Novum Testamentum? O stolidam linguam! Hieronymus toties castigavit Psalterium, an ideo falsarius est? Denique si falsarius est, qui vel imprudens, vel ob insciti am vertit aliud secus quam oportet, falsarius fuit hic, cujus hodie Translatione utitur Ecclesia. Quantum autem proficit istiusmodi moribus? Omnes rident ut Morychum, horrent ut ceritum, fugitant ut morosum & intractabilem. Nec possunt non bene sentire de eo, de quo ille tam odiose prædicat. Et quum omnibus displiceat, uni sibi displicere non potest.

Hoc scilicet habet Edictum Cæsaris, ut furiosa linguæ petulantia in quemcunque vellet debaccharetur. Sic sustinet negotium Orthodoxæ Fidei vir sapiens & gravis. Non est iste zelus Dei, lædere innoxios, sed furor est diaboli. Semel collaudatus

datus est Judaicus zelus Phinees, sed ita ut exemplum non transeat ad Christianos. Et tamen ille palam impias occidit. Isti, quidquid odit, Lutheranum est & Hæreticum. Sic opinor tenue zuthum, vapidum vinum, & jus insipidum, isti Lutheranum vocabitur: & lingua Græca, quam unice odit, opinor ob id quod hanc Apostoli tanto honore dignati sint, ut non alia scripserint, Lutherana vocabitur. Poëtica, nam & hanc odit magis amans potaticam, erit Lutherica.

Clamat, per nos minui suam autoritatem, seque meis scriptis ludicrum fieri: imo ipse sese propinat doctis & cordatis omnibus deridendum: nec ullum facit finem. Ego calumniam à me depello. Quod si docti bonique male sentiunt de eo, qui immerenti calumniam intendit, utri par est imputate, jure depellenti, quod agnoscere non debet, an per injuriam intendenti? Si quis affirmans asinis esse alas in Brabantia, rideretur, nonne ipse faciat ridiculum? Clamat, TOTUM LUTHERUM ESSE IN LIBRIS MEIS, omnia undique scatere hæreticis erroribus. Cæterum ubi qui mea legunt, nihil tale reperiunt, etiamsi Dialecticam nesciant, tamen facile colligunt quod consequitur. Habet autoritatem à Cæsare: rem igitur gerat ex animo Cæsaris, qui nocentes sanari mavult quam puniri: certe innoxios lædi non vult. Concredidit hoc muneris ignoto: ubi rescierit qualis sit homo, dubium non est quin quod credidit sit repetiturus. Nec Cæsaris mitissimi, nec Pontificis integerrimi mens est, ut qui suis vigiliis & ornare student & juvare Rempublicam, dedantur odiis talium: etiamsi quid humani lapsus esset. Tantum abest, ut bonos & integros velint alienari, & in diversam partem protrudi.

Hæc magis ad Vos pertinent, quam ad me. Nam hujus mores multum dedecoris conciliant ordini vestro, dum vulgus ex hoc uno vos omnes æstimat: injuria quidem, fateor; sed sic sunt hominum mores, neque paucos à Theologiæ studio alienat istius asperitas. Scio totum hominem vobis displicere, præter duos aut tres combibones, & unum veteratorem, qui stultitia hominis ad suas cupiditates abutitur. Sed ita demum intelligerent omnes, eum vobis non probari; si, posteaquam coërceri non potest, ejeceritis è vestro contubernio. Difficillimum quidem istud erit, sat scio. Nam ægre tales avelluntur à nidore conviviorum, solemnium, opiparorum, & gratuitorum. Sed tamen hoc pertinet ad honorem ordinis vestri: cui merito faveo. Bene valete.

Scripta anno (opinor) 1531.

EX EPISTOLA ERASMI AD JOANNEM OECOLAMPADIM.

Anno 1529. Id. Jul.

HOdie mihi narravit Hieronymus Frobenius, esse, qui nescio quid siniſtri ſuſpicentur de animo in te meo, quaſi te ſcriptis meis perſtrinxerim; deinde, quaſi nuper deflexerim abitinere, ne te ſalutarem. Scito, utrumque esse vaniſſimum ſomnium. Nullam litteram ſcripſi qua te perſtrictum volui, aut quam ſcribens de te cogitavi. Quum excuderetur Colloquium *Cylops*, quidam ex operis Frobenianis ſuſpicati ſunt, quod dicitur de *ove in capite, vulpe in pectore*, deque *longo naſo*, ad te pertinere; quum conſtet, hoc luſum in *Nicolaum Cannium* famulum meum, qui ambiebat in Colloquiis celebrari. Is talem geſtat pileum, & naſum habet longum, & colore eſt fuſco, capillitio nigro. Te ſimili uti pileo, nunquam audieram, niſi hac occaſione. Non ſum tam ineptus, ut talibus nugis utar in viros eruditos. Ambiebat & *Polyphemus* celebrari, qui circumferebat Codicem Evangelicum belle ornatum, quum ipſius vita nihil eſſet inquinatius. Sic res habet de ſcriptis. Jam ea via ſoleo fere ſemper adire hortum Frobenii, quum cœlum eſt commodius, quod altera ſit anguſtior, & fœteat. Itaque ſi nullus adfuiſſet, illac tamen eram iturus. Nec te tum novi adverſum, ſed famulus admonuit. Itaque reflexiſſem iter ad te, niſi plures adfuiſſent mihi ignoti, quorum cœtum turbare nolui. Idque tum dixi famulo. Sic habet de ſuſpicione, &c. *Adde ejuſdem Epiſtolam* Bilibaldo ſuo *inſcriptam eodem tempore*, Editionis Scriverianæ, *pag.* 212.

EX ERASMI EPISTOLA AD JOANNEM CHOLERUM, Præpoſitum Curienſem.

Anno 1532. 5. Octobris.

LAmpertus Campeſter, qui olim Lutetiæ edidit Colloquia mea velut à me emendata, perſuaſo typographo rem eſſe vendi-

vendibilem, & sub nomine meo præfatus, & admixtis per totum opus miris emblematibus, quibus meipsum acculabam, omnia plena scurrilis cujusdam stoliditatis: quo peracto fugit Lugdunum; &, simulans se summum Erasmi amicum, reperit patronum; cui mox suffuratus trecentos coronatos fugit, & in fuga deprehensus est inter aliquot puellas, suffigendus in crucem, nisi sacra cuculla Dominici servasset eum: Is, inquam, multis aliis flagitiis ac sceleribus designatis, tandem in civitate quadam Germaniæ, Zorst opinor dicitur, ditionis Juliacensis, excussa cuculla docet Evangelium, hoc est, meras seditiones. Dux petiit, ut hominem ejicerent. Responderunt, se non posse carere suo ecclesiasta. Et ista pestis serpit indies.

Anno 1536. 10. *Kal. Majas.*

ATqui non omnia in hoc scribuntur, ut evulgentur. Lusimus quædam adolescentes, styli exercendi gratia: quædam aliis dictavimus sic inambulantes, nihil minus cogitantes quam de evulgando: nonnulla scripsimus discipulis tardis. Hujus generis erant Colloquia, quæ Helenius quidam haud scio unde nactus, nam apud me nullum unquam fuit exemplar, care vendidit Joanni Frobenio, simulans alios esse typographos, qui empta cuperent. Hæc emendi orexis.

Erasmus in Epistola scripta Basileæ, anno 1536. 17. *Maji.*

DEmiror Dolæ tantum posse duos Franciscanos. Colloquia & venduntur & excuduntur Lutetiæ, & Dolæ exulant. Qui dicunt in illis aliquid esse hæreticum, sive docti sive indocti, mentiuntur. Id liquido perspiciet qui legerit meas Declarationes.

DES. ERASMUS ROTERODAMUS, DE UTILITATE COLLOQUIORUM, AD LECTOREM.

ADeo nunc in omnes & in omnia per universum orbem grassatur comitata Furiis * ἡ διαβολὴ, ut tutum non sit ullum emittere librum, nisi satellitio munitum. Quamquam quid satis esse tutum possit adversus sycophantæ morsum, qui velut aspis ad vocem incantantis, ita ad omnem purgationem quamvis justissimam obturat aures? Prima pars hujus operis, quæ mea fuit & non mea, temeritate cujusdam erat edita. Quam cum ingenti applausu viderem exceptam à studiosis, abusus sum affectu vulgari ad profectum studiorum. Quandoquidem nec medici semper ægrotis ministrant saluberrima, sed illis nonnihil concedunt ob hoc ipsum, quod vehementer appetant. Itidem mihi visum est, hoc genus illecebris inescare teneram ætatem, quæ jucundis facilius ducitur, quam seriis aut exactis. Itaque quod editum erat repurgavi; deinde adjeci quæ moribus etiam formandis conducerent, velut irrepens in animos adolescentium, quos recte scripsit Aristoteles inidoneos auditores Ethicæ Philosophiæ, dumtaxat ejus quæ seriis præceptis tradi ur. Quod si quis clamet, indecorum homini seni sic pueriliter ludere, nihil moror quam pueriliter, modo utiliter. Et, si laudantur literatores ætate provecti, qui puritiæ crustulis blandiuntur, elementa velint ut discere prima; mihi non arbitror vitio verti debere, quod simili studio juventutem illecto, vel ad elegantiam Latini sermonis, vel ad pietatem. Adde quod bonæ prudentiæ pars est, nosse stultas vulgi cupiditates & absurdas opiniones. Eas arbitror satius ex hoc libello discere, quam experientia stultorum magistra. Multis amara sunt Grammatices præcepta. Aristotelis Ethice non est apta pueris: Theologia Scoti minus; ne viris quidem admodum utilis ad parandam bonam mentem: & plurimum habet momenti, gustum optimarum rerum

* *Id est, calumnia.*

rerum protinus inteviſſe teneris animis. Et haud ſcio an quidquam diſcitur felicius, quam quod ludendo diſcitur. Eſt hoc nimirum ſanctiſſimum fallendi genus, per impoſturam dare beneficium. Laudantur enim medici, qui ſic fallunt ægrotos. Et tamen ſi nihil heic aliud quam nugatus fuiſſem, videbantur laturi; nunc quoniam præter linguæ politiem inſperſi quædam, quæ mentem inſtruant ad Religionem, calumniantur, ac perinde quaſi dogmata Chriſtianæ profeſſionis heic ſerio pronuntientur, ita ſyllabas etiam ad vivum excutiunt. Id quam faciant inique, magis erit perſpicuum, ubi declararo *Colloquiorum aliquot non vulgarem utilitatem.* Ut enim omittam tot ſerias ſententias mediis jocis admixtas, tot fabulas, tot hiſtorias, tot rerum naturas dignas cognitu: In Colloquio *de viſendo loca ſacra*, cohibetur ſuperſtitioſus & immodicus quorundam affectus, qui ſummam pietatem eſſe ducunt vidiſſe *Hieroſolymam:* & huc per tanta terrarum marisque ſpatia currunt ſenes Epiſcopi, relicto grege, qui curandus erat: huc viri principes relicta familia ac ditione: huc mariti relictis domi liberis & uxore, quorum moribus ac pudicitiæ neceſſarius erat cuſtos; huc adoleſcentes ac fœminæ, non ſine gravi diſcrimine morum & integritatis. Quidam etiam iterum atque iterum recurrunt, nec aliud faciunt per omnem vitam; & interim ſuperſtitioni, inconſtantiæ, ſultitiæ, temeritati prætexitur Religionis titulus, ac deſertor ſuorum, contra doctrinam Pauli, ſanctimoniæ laudem aufert, ac ſibi quoque pietatis omnes numeros expleſſe videtur. Paulus 1. Timoth. 2. intrepide pronuntiat: *Si quis autem ſuorum, & maxime domeſticorum, curam non habet, fidem abnegavit, & eſt infideli deterior.* Atqui heic Paulus loqui videtur de viduis, quæ liberos atque nepotes negligunt, idque prætextu Religionis, dum ſeſe mancipent obſequiis Eccleſiæ. Quid dicturus de maritis, qui deſtitutis teneris liberis, uxore juvencula, idque in re tenui, proficiſcuntur Hieroſolymam? Ex multis unicum exemplum proferam, nec tam recens, ut metuenda ſit invidia; nec tam vetus, quin nepotes ſuperſint, quos damni magnitudo non ſinit obliviſci rei geſtæ. Vir quidam præpotens decreverat ante mortem inviſere Hieroſolymam pio quidem animo, ſed parum felici conſilio. Rebus igitur ordinatis, facultatum omnium, uxoris, quam gravidam reliquit, oppidorum & arcium curam tutelamque commiſit Archiepiſcopo, ceu parenti. Ubi rumor allatus eſt, hominem in ea peregrinatione periſſe, Archiepiſcopus pro parente geſſit prædonem: occupavit poſſeſſiones omnes defuncti: denique & arcem munitiorem, in quam gravida confugerat,

rat, vi expugnavit: & ne supereſſet ultor atrociſſimi facti, gravida confoſſa ſimul cum fœtu periit. Nonne pium erat, tali viro diſſuadere periculoſam & non neceſſariam profectionem? Hujus generis quam multa comperiantur exempla, cæteris æſtimandum relinquo. Ne quid interim dicam de ſumtibus, quos, ut fateamur non omnino perire, tamen nemo prudens non fatebitur, in uſus longe meliores expendi potuiſſe. Quod autem ad Religionem attinet, divus Hieronymus laudat Hilarionem, quod cum eſſet Palæſtinus, & in Palæſtina viveret, tamen ſemel duntaxat viſerit Hieroſolymam, ob loci viciniam, ne videretur contemnere loca ſacra. Si merito laudatus eſt Hilarion, quod abſtinuit ab Hieroſolyma, tam vicinus, ne Deum anguſto loco claudere videretur; ſemel tantum adierit, ob loci propinquitatem, ne quos offenderet; quid dicendum de his, qui ex Anglia & Scotia tantis impendiis per tot diſcrimina petunt Hieroſolymam; præſertim domi relictis cariſſimis, quibus juxta doctrinam Apoſtoli debent perpetuam curam? Clamat ſanctus Hieronymus: *Non magnum eſt Hieroſolymis fuiſſe; ſed bene viciſſe magnum eſt.* Et tamen ætate Hieronymi probabile eſt, evidentiora veſtigia veterum monumentorum extitiſſe, quam nunc extant. *De votis* diſputationem aliis relinquo; tantum hoc agit Colloquium, ne quis temere talia vota ſuſcipiat. Id eſſe verum declarant hæc mea verba: *Præſertim cum domi haberem uxorem, integra adhuc ætate, liberos, & familiam, quæ pendebat ex me, & opera mea quotidiana alebatur:* & cætera quæ ſequuntur. De votis igitur ſuſceptis nihil dicam, niſi quod ſi ſummus eſſem Pontifex, non admodum gravate relaxarem obſtrictos. In ſuſcipiendis, quemadmodum fateor fieri poſſe, ut aliquis cum fructu pietatis eat Hieroſolymam, ita non dubitarem, multis, ex rerum circumſtantiis, dare conſilium ut eas impenſas, tempus, & operam inſumerent in alia, quæ propius conducunt ad veram pietatem. Hæc arbitror eſſe pia: eoque conſiderata multorum vel levitate, vel ignorantia, vel ſuperſtitione, viſum eſt ſuper ea re monere juventutem: neque video quos offendere debeat hæc admonitio, niſi forte quosdam iſtos, quibus carior eſt quæſtus quam pietas. Nec illic damno *Pontificias Indulgentias*, aut diplomata; ſed taxo nugaciſſimum nugatorem, qui ne cogitans quidem de corrigenda vita, totam ſpem collocarit in condonationibus humanis. Heic ſi quis mihi conſideret, quanta jactura pietatis nata ſit inter mortales, partim ex eorum vitio qui proſtituunt Pontificias Indulgentias, partim eorum culpa, qui illas ſecus quam oportet accipiunt, fatebitur operæ pretium, juventutem ſuper hac re commo-

commonitam esse. Verum hoc modo parum consultum est commissionariis*. Audio, ô bone: si viri boni sunt, gaudebunt esse monitos simplices: sin potior est illis quæstus quam pietas, valeant.

In Colloquio *de captandis sacerdotiis*, taxo eos, qui Romam cursitant, venanturque sacerdotia crebro gravi jactura tum morum, tum pecuniæ: eoque deduco sermonem, ut sacerdos, pro concubina, lectione bonorum auctorum semet oblectet.

In *Militis confessione*, taxo facinora militum, & impiam militum confessionem; ut adolescentes ab ejusmodi moribus abhorreant.

In *Monitis pædagogicis*, doceo puerum verecundiam ac mores ætati decoros.

In *Pietate puerili*, nonne piis præceptis imbuo puerilem animum ad studium pietatis? Nam quod quidam arrodebant de confessione, mera fuit calumnia, cui jam pridem respondi. Doceo confessionem esse suscipiendam perinde quasi nobis esset instituta à Christo. Cæterum an id sit factum, nec refellere est animus, nec asseverare, quod nec mihi satis persuasum est, nec aliis probare possim. Quod autem admoneo de genere vitæ serio deligendo, deque seligendo Sacerdote cui committas arcana tua, judicabam adolescentibus esse necessarium, nec video cur me debeat pœnitere. At sic erunt pauciores monachi & sacerdotes. Fortassis erunt, sed meliores. Idem probabit quisquis vere monachus est. Porro qui venantur proselytos vel ad prædam, vel ob superstitionem, dignissimi sunt, qui omnibus omnium scriptis traducantur, quo resipiscant.

In *Convivio profano*, non damno constitutiones Ecclesiæ de jejuniis, ac delectum ciborum; sed indico superstitionem quorundam, qui his plus tribuunt quam oportet, negligentes eorum quæ magis faciunt ad pietatem: damnoque eorum crudelitatem, qui hæc exigunt ab his, à quibus Ecclesiæ mens non exigit: item eorum præposteram sanctimoniam, qui ex hujusmodi rebus condemnant proximum. Heic si quis reputet quanta veræ pietatis lues hinc nata sit inter mortales, fatebitur vix aliam admonitionem esse magis necessariam. Sed hac de re copiosius alias respondebimus.

In *Convivio religioso*, cum omnes faciam alienos à sacris, omnes conjugatos, satis doceo quale debeat esse convivium omnium Christianorum. Ad quam formam si sacerdotes quidam

&

* *Quibus à Pontifice concessum erat, multos Indulgentiarum redemptores aut con-*
Indulgentiis cauponam exercere. Hos re- *cionatores appellamus.*

& monachi conferant sua convivia, intelligent quantum absint ab ea perfectione, qua conveniebat illos laicis antecellere.

In *Apotheosi* doceo, quantum honoris debeatur egregiis viris, qui suis vigiliis bene meriti sunt de liberalibus studiis.

Sunt inepti, quibus *Colloquium proci & puellæ* videatur lascivum, cum nihil fingi possit castius. Si res honesta est matrimonium, & procum agere honestum est. Atque utinam omnes proci tales essent, qualem heic fingo, nec aliis colloquiis coirent matrimonia! Quid facias istis ingeniis tetricis, & ab omnibus Gratiis alienis, quibus impudicum videtur quidquid amicum est ac festivum? Hæc puella negat proco discessuro oculum, quo totam virginitatem illi servet illibatam. Quid autem nunc vulgo non dant puellæ procis? Deinde non vident quam multa Philosophica sint inspersa jocis, de non præcipitando conjugio, de delectu non solum corporum, sed multo magis animorum, de firmitate conjugii, de non contrahendo matrimonio sine consensu parentum, de caste colendo matrimonio, de sancte educandis liberis: postremo puella comprecatur Christum, ut illius auspiciis sit felix connubium. An hæc non convenit scire juvenes? Et qui hanc lectionem ob lasciviam putant esse noxiam pueris, patiuntur illis prælegi Plautum & facetias Poggii. Præclara judicia!

In *Virgine Misogamo* detestor eos, qui adolescentes & puellas invitis parentibus pelliciunt in monasterium, abutentes illorum vel simplicitate, vel superstitione; persuadentes eis non esse spem salutis extra monasteria. Nisi talibus piscatoribus plenus esset mundus; nisi innumera felicissima ingenia per istos infelicissime sepelirentur, ac defoderentur viva, quæ fuissent electa vasa Domini, si judicio sum sissent institutum naturæ congruens; non recte admonui. At si quando cogar in hoc argumento proferre quod sentio, sic depingam & plagiarios illos, & ipsius mali magnitudinem, ut nullus non fassurus sit me non sine causa hæc monuisse: quamquam civiliter id quidem à me factum est, ne malis daretur ansa delinquendi.

In proximo Colloquio *Virginis pœnitentis*, non induco virginem, quæ professa mutarit institutum, sed quæ ante peractam professionem redierit ad parentes, quos habebat optimos.

In *Mempsigamo* quam multa sunt Philosophica, de celandis maritorum vitiis, de non interrumpenda conjugum benevolentia, de sarciendis offensis, de corrigendis maritorum moribus, de obsequiis erga maritos? Quid aliud docet Plutarchus, Aristoteles, & Xenophon, nisi quod heic personæ vitam quandam addunt orationi?

In

In Colloquio *Militis & Carthusiani*, simul depingo & insaniam juvenum, qui procurrunt ad bellum, & pii Carthusiani vitam, quæ sine studiorum amore non potest non esse tristis & inamœna.

In *Pseudocheo* depingo quorundam ingenia, qui nati sunt ad mentiendum, quo quidem hominum genere nihil est execrabilius; utinam esset rarius!

In Colloquio *Adolescentis & Scorti*, nonne & lupanaria facio casta? Quid autem dici potuit efficacius, vel ad inferendam adolescentum animis pudicitiæ curam, vel ad revocandas ab instituto non minus ærumnoso quam turpi puellas ad quæstum expositas? Unica vox commovit quosdam, quod impudica puella blandiens adolescenti vocat illam suam mentulam, cum hoc apud nos vulgatissimum sit etiam honestis matronis. Hoc qui ferre non potest, pro *mea mentula*, scribat *mea voluptas*, aut si quid aliud mavult.

In *Convivio Poëtico* doceo, cujusmodi debeat esse convivium inter studiosos, parcum, sed festivum & hilare, conditum litteratis fabulis, sed sine rixis, sine obtrectatione, sine turpiloquio.

In *Inquisitione* doceo summam Catholicæ professionis, idque aliquanto vividius ac liquidius quam docent Theologi quidam magni nominis, inter quos pono & Gersonem, quem interim honoris causa nomino. Ideo porro fingo personam Lutherani, quo facilius redeant in concordiam, inter quos de præcipuis articulis Orthodoxæ professionis convenit; etiamsi reliquam Inquisitionis partem non addidi, propter hæc exulceratissima tempora.

In *Senili Colloquio* quam multa velut in speculo exhibentur, quæ vel fugienda sunt in vita, vel illam reddunt tranquillam? Hæc præstat adolescentes ex festivis colloquiis quam experimentis discere. Socrates Philosophiam è cœlo deduxit in terras: ego Philosophiam etiam in lusus, confabulationes & compotationes deduxi. Oportet enim & ludicra Christianorum sapere Philosophiam.

In *Ptochoplusiis* quam multa sunt, ad quæ pastores rustici, rudes & indocti, nihilque minus quam pastores, possint suam vitam corrigere? Prætereaque ad tollendam stultam gloriam vestium: rursus ad coërcendam illorum insaniam, qui monachorum cultum exsecrantur, quasi per se mala sit vestis. Et obiter describitur forma, quales debeant esse Monachi, qui per vicos obambulant. Neque enim admodum multi tales sunt, quales heic describo.

In

In *Erudita Puella*, simul & Paullæ, Eustochii, Marcellæ, vetus exemplum renovo, quæ cum integritate morum conjunxerunt studium litterarum; & monachos Abbatesque sacrorum studiorum osores, luxui, otio, venationibus, aleæque deditos, puellæ conjugatæ exemplo exstimulo ad aliud studiorum genus ipsis magis congruens.

In *Spectro* detego technas impostorum, qui credulis simplicium animis solent illudere, fingentes apparitiones dæmonum & animarum, vocesque divinas. Quantam vero pestem hæ præstigiæ invexerunt pietati Christianæ! Quoniam autem rudis ac simplex ætas hujusmodi fraudibus potissimum est obnoxia, visum est exemplo non inamœno depingere modum impostura. Sic impositum fuit Cœlestino Pont. Romano. Sic Bernæ delusus juvenis à monachis. Sic commenticiis oraculis & hodie plurimi deluduntur.

Nec minima pars humanarum calamitatum est *Alcumistica:* quæ doctis etiam & cordatis viris imponit: adeo morbus hic adlubescit, si quem corripuerit. Huic affinis est *Magia*, eodem nomine, sed cognomine blandiens, *naturalis*. Similes impostura taxo in *Hippoplano*, & *Ptochologia;* rursus in *Convivio fabuloso*. Ex his si nihil aliud discerent pueri, quam Latinè loqui, quanto plus laudis mea mereretur industria, qui per lusum ac voluptatem id facio; quam illorum, qui miseræ juventuti Mammetrectos, Brachilogos, Catholicontas, & significandi modos obtrudebant?

In *Puerpera*, præter naturalium rerum cognitionem, quam multa sunt moralia de cura matrum erga liberos, primum infantes, mox grandiores.

In *Peregrinatione religionis ergo*, taxo istos, qui per tumultum ejecerunt omnes imagines è templis: rursus eos qui insaniunt in peregrinationes, quæ suscipiuntur prætextu religionis; unde jam & sodalitates inventæ sunt. Qui Hierosolymæ fuerunt, Equites aurati vocantur, seque Fratres vocant, & in die Palmarum serio rem agunt ridiculam, funе trahentes asinum, ipsi non multum differentes ab asino ligneo quem trahunt. Id imitati sunt qui Compostellam adierunt. Dentur hæc sane, dentur affectibus hominum; at non ferendum, quod hinc sibi vindicant pietatem. Notantur & ii, qui reliquias incertas pro certis ostendunt, qui his plus tribuunt quam oportet, qui quæstum ex his sordide faciunt.

In *Ichthyophagia* tracto quæstionem de constitutionibus humanis, quas quidam prorsus rejiciunt, multum aberrantes à recta ratione: quidam propemodum anteponunt divinis legibus:

gibus: rursus alii abutuntur & divinis & humanis constitutionibus ad quæstum ac tyrannidem. Conor itaque partem utramque ad moderationem temperare; inquirens unde natæ sint, & quibus gradibus huc usque progressæ constitutiones humanæ; quos & quatenus obligent, ad quid conducant, quantum distent à divinis; obiter indicans præpostera mortalium judicia, quibus jam olim mundus plenus est, & unde totus hic orbis tumultus natus est. Hæc ideo quoque tractavi copiosius, quo doctis suppeditarem occasionem accuratius hisce de rebus scribendi. Nam quæ adhuc prodierunt, non satisfaciunt curiosis. Traducere scortationem, temulentiam, adulterium, non perinde ad rem pertinebat; quandoquidem hæc mala nullum fallunt: sed ex his est periculum veræ pietatis, quæ vel non sentiuntur, vel sanctimoniæ fallaci specie blandiuntur. Quod si quis calumnietur, personis sordidis affingi Theologicam disputationem; ab his * talia nunc in omnibus conviviis disputantur, & hujusmodi personis opus erat familiarius crassiusque rem tractaturo.

In *Funere*, quoniam mors arguere solet Christianam fiduciam, in duobus idiotis depinxi diversum mortis genus, velut imagine viva ponens ob oculos dissimilem excessum eorum, qui fidunt rebus commenticiis, & qui spem salutis fixerunt in misericordia Domini: obiter taxans divitum stultissimam ambitionem, qui luxum ac superbiam suam & ultra mortem proferunt, quam mors saltem debebat auferre: simul eorum perstringens vitium, qui sui compendii gratia stultitia locupletum abutuntur, quam ipsi potissimum debebant corrigere. Quis enim audebit libere monere potentes ac divites, si monachi, qui se profitentur mundo mortuos, palpantur illorum vitiis? Si nulli tales sunt, quales descripsi, tamen ostensum est exemplum, quod oportet vitari: sin vulgo referuntur longe his quæ proposuimus execrabiliora; qui sunt æqui, meam agnoscant civilitatem, suumque vitium corrigant: & si vitio vacant ipsi, alios peccantes vel emendent, vel coërceant. Nullum ordinem perstrinximus; nisi forte totum Christianismum infamat, qui quidquam monendi gratia dixerit in corruptos Christianorum mores. Quos tantopere movet honos ordinis, eos in primis compescere debebant, qui palam factis suis dehonestant ordinem. Nunc cum illos ut germanos sodales agnoscant, foveant ac tueantur, qua fronte causantur à bene monente lædi existimationem ordinis? Quanquam quæ

* *Hodie in Belgica & Germania superiori.* ratio

ratio dictat, sic habendam hujus aut illius humanæ sodalitatis rationem, ut publicam Christianorum utilitatem negligas?

In *Differentia verborum ac rerum*, taxo præpostera quorundam judicia.

In *Convivio vario*, commonstro rem civilitati congruam.

In *Charonte* detestor bellum inter Christianos.

In *Synodo Grammaticorum* rideo studium cujusdam Carthusiani, suo judicio doctissimi, qui cum in Græcas literas soleat stolidissime debacchari, nunc libro suo indiderit Græcum titulum, sed ridicule, *Anticomaritas* dicens, quos appellare poterat *Antimarianos*, vel *Antidicomarianos*.

In *Cyclope* taxo quosdam, qui Evangelium semper habent in ore cum in vita nihil sit Evangelicum.

In *Conjugio impari* pono ob oculos vulgi stultitiam, qui in sponsalibus supputant dotis modum, nec ad rationem vocant sponsi scabiem lepra deteriorem. Atque id hodie fit tam passim, ut nemo miretur, cum nihil fit in liberos crudelius.

In *Ementita nobilitate* depingo genus hominum, qui sub umbra nobilitatis existimant sibi nihil non licere, quæ præcipua pestis est Germaniæ.

In *Senatulo* traducturus eram vitia quædam mulierum, sed civiliter, ne quis expectet tale quippiam quale habet Juvenalis: verum hoc agenti, obortus est quidam ἱππεὺς ἀνίππος, lupus, ut ajunt, in fabula. Reliqua fere comparata sunt ad voluptatem, sed non illiberalem. Non hoc est dehonestare ordines, sed erudire. Quapropter omnibus ordinibus, & privatim, & publice rectius consultum fuerit, si deposita quidvis calumniandi rabie, candidis animis amplectamur omnes quidquid pio studio in publicam utilitatem adfertur. Aliis aliæ sunt dotes, & alios alia capiunt, milleque modis homines trahuntur ad pietatem. Laudatum est Juvenci studium, qui sacram Evangeliorum historiam carmine prodidit. Nec sua laude fraudatus est Arator, qui idem fecit in Acta Apostolorum. Adversus hæreticos tubam intendit Hilarius, argutatur Augustinus, Hieronymus dialogis pugnat, Prudentius vario metri genere dimicat, Thomas & Scotus dialectices ac philosophiæ præsidiis pugnant. Simile studium omnium; sed dissimilis singulorum ratio. Non reprehenditur diversitas, quæ scopum eundem petit. Prælegitur pueris Petrus Hispanus, quo dociliores veniant ad Aristotelem. Multum enim promovit,

qui

qui gestum dedit. Atqui hic libellus, si teneræ pubi prælegatur, tradet illos ad multas disciplinas magis habiles, ad poëticen, ad rhetoricen, ad physicen, ad ethicen: demum ad ea, quæ sunt pietatis Christianæ. Stulti personam suscepi, factus ipse mearum rerum encomiastes: sed me compulit partim quorundam improbitas nihil non calumniantium, partim Christianæ juventutis utilitas, in quam oportet omnes omnibus studiis incumbere.

Hæc ita cum habeant, omnibusque qui literas didicerunt perspicua sint, est tamen quoddam hominum genus mire bliteon *, Deputatos appellant Galli; opinor quod male putati sint, aut certe plus satis putati, qui sic pronunciant de meis Colloquiis, opus esse fugiendum, præsertim monachis, quos illi Religiosos appellant, & adolescentibus; eo quod jejunia & abstinentiæ ecclesiæ parvi penderentur: beatæ Virginis & Sanctorum pro ludibrio haberentur suffragia: virginitas si conjugio conferatur, nullius esset aut parvi momenti: religionis etiam dissuaderetur omnibus ingressus: quodque in eo arduæ difficilesque Theologiæ quæstiones Grammaticulis proponantur, contra statuta per Magistros in artibus jurata. Agnoscis, mi lector, Atticam eloquentiam. Ut ad postremum primo loco respondeam, quid artium Magistri proponant Grammaticulis, nescio: quæ tractantur in Colloquiis, de symbolo, de missa, de jejuniis, de votis, de confessione, nihil habent Theologicæ difficultatis, sed ejus generis sunt, ut non oporteat ea quemquam nescire. Et si pueris præleguntur epistolæ Pauli, quid periculi est, si gustus quidam illis præbeatur Theologicæ disputationis? Ad hæc cum non ignorent, pueris Sophistices candidatis perplexas de personis divinis statim quæstiones summæ difficultatis proponi, ne dicam otiosæ subtilitatis; cur nolunt pueros hoc discere, quod ad communem vitam pertinet? Jam si putant nihil referre, quid sub qua persona dicatur; intelligunt, opinor, quam multa comperiantur in Evangelicis & Apostolicis literis, quæ, secundum hanc legem, manifestam habent blasphemiam. Multis locis approbo jejunium, nusquam, damno. Qui secus asseverat, eum declarabo impudentissime mentiri. Sed in pietate puerili, inquiunt, leguntur hæc verba: Cum jejunio mihi nihil est negotii. Finge hæc verba dici sub persona militis aut temulenti, num protinus Eras-

* *Bliteon, nihil sapiens, inconditum.*

mus damnat jejunia? Non opinor. Nunc dicuntur ab adolescente nondum adulto; quam ætatem lex non obstringit ad jejunandum: & tamen is adolescens præparat se ad justa jejunia. Sic enim subjicit; Sed tamen si senfero opus, prandeo cœnoque parcius, quo me præbeam alacriorem studiis pietatis per diem festum.

Abstinentias vero quam damnem, declarant hæc verba, quæ sunt in *Convivio profano*: In plerisque non res, sed animus discernit nos à judæis. Illi manus abstinebant à certis cibis, velut ab immundis & animum inquinaturis: Nos cum intelligamus omnia munda esse mundis, tamen carni lascivienti, velut equo ferocienti, pabulum subducimus, quo magis sit audiens dicto spiritui. Nonnunquam immoderatum suavium rerum usum abstinentiæ molestia castigamus. Paulo post reddit rationem, quare Ecclesia interdixerit esum quorundam ciborum. Omnibus, inquit, conducet. Nam tenuibus cochleis, aut ranis licebit vesci, aut cæpas, porrumve arrodere; mediocres detrahent nonnihil quotidianis obsoniis; quod si quid divites deliciantur hac occasione, suæ gulæ imputent, non incusent Ecclesiæ constitutionem. Mox loquor his similia. Rursus aliquanto post; Scio, medicis magnopere damnatum esse piscium esum: sed secus visum est majoribus nostris, quibus obtemperare religiosum est. Inibi protinus doceo heic vitandum etiam offendiculum infirmiorum.

Æque falsum est, in colloquiis irrideri suffragia beatæ Virginis, & aliorum Sanctorum; sed illos irrideo, qui petunt à sanctis, quæ non auderent à bono viro petere; aut hoc animo petunt à certis divis, quasi hoc aut illud, hic aut ille citius velit aut possit præstare quam alius, aut quam ipse Christus. Imo in puerili pietate sic loquitur puer: Salutem dixi nonnullis. Quibus? Christo ac divis aliquot. Et aliquanto post: Rursus tribus verbis saluto Jesum, ac divos divasque omnes; sed nominatim Virginem matrem; tum eos quos habeo mihi peculiares. Et infra commemorat nominatim quos divos salutet quotidie.

Mirum vero si procus amans laudat nuptias, dicitque, castum conjugium non multum abesse à laude virginitatis, cum Augustinus patriarcharum polygamiam * anteponat nostro cælibatui.

Quod

* *Polygamus, qui multas duxit uxores, aut qui multas habet.*

Quod objiciunt de ingressu religionis, quam sit manifestæ vanitatis, declarant mea verba in virgine misogamo. Sic enim loquitur virgo: Damnas igitur hoc totum vitæ institutum? Respondet juvenis; Nequaquam: verum quemadmodum nemini suaderi velim, ut quæ se in hoc vitæ genus conjecerit, luctetur emergere, ita non dubitem hortari puellas omneis, præsertim indolis generosæ, ne se temere eò præcipitent, unde post sese non possint explicare. Hæc est illius colloquii conclusio, utcunque certatum est argumentis. Obsecro, an hoc est omnibus dissuadere ingressum religionis. Non damnatur ingressus, sed præceps temeritas damnatur. Hæc igitur malitiose detorquent ad calumniam. At non perpendunt quam multa illic discunt grammaticuli, quæ pugnant cum decretis Lutheranorum.

In *Puerili pietate* traditur ratio bene & utiliter audiendi missam. Docetur ratio bene & efficaciter confitendi. Admonetur puer ut antequam sumat eucharistiam, confessione purget animum. Ibidem docentur grammaticuli, quæ recepta sunt usu populi Christiani, cum tamen in sacris literis non habeantur, hactenus esse servanda, ne cui simus offendiculo.

In *Profano Convivio* docentur, magis obtemperandum pontificum constitutionibus, quam medicorum consiliis: tantum admonentur, in necessitate cessare vigorem constitutionis humanæ, & mentem legislatoris. Ibidem probat quispiam benignitatem in monachorum collegia, modo detur ad usum, non ad luxum, & potissimum detur religionis disciplinam observantibus.

De constitutionibus humanis hæc pronuntiantur in colloquio ἐγκυκλοπαιδεία. Pugnent qui volent, ego censeo, leges majorum reverenter suscipiendas & observandas religiose, velut à Deo profectas; nec esse tutum, nec esse pium, de potestate publica sinistram concipere aut ferere suspicionem. Et si quid est tyrannidis, quod tamen non cogat ad impietatem, satius est ferre quam seditiose reluctari. Hujusmodi permulta grammaticuli discunt ex meis colloquiis, quibus sic obmurmurant isti. Sed indecorum est, Theologum jocari: saltem hoc mihi concedant apud pueros, quod ipsi permittunt sibi viri apud viros in vesperiis, ut vocant rem insulsam insulso vocabulo.

Insulsas calumnias, quas in Hispaniis objecere quidam, ostendi mera esse somnia hominum nec sobriorum, nec Latine scientium. Nec minus indoctum est, quod quidam

pronuntiavit hæretice dictum, quod in Symbolo pater dicitur simpliciter Auctor omnium. Verum is deceptus inscitia Latini sermonis, existimat *auctorem* nihil aliud quam creatorem aut fabricatorem significare. Atqui si consulat eos, qui callent elegantiam Romani sermonis, si evolvat Hilarium, aliosque vetustos auctores, comperiet auctoritatem accipi pro eo quod Scholastici vocant rationem perfectissimam principii, eoque patri peculiariter tribuunt, & auctoris nomine sæpe designant patrem, cum personas inter se conferunt. An pater recte dicatur causa filii, nihil mea refert, cum nunquam eo verbo sim abusus; nisi quod illud est verissimum, nos de Deo non posse loqui nisi verbis impropriis; nec magis proprium verbum est fons aut principium, aut origo, quam causa.

Jam hinc mihi perpende lector, quales sint interdum qui suis sententiis homines pertrahunt ad incendium. Nihil turpius, quam reprehendere quod non intelligas. At ista quidvis calumniandi febris quid aliud gignit quam amarulentiam ac dissidia? Quin potius aliena candide interpretemur, nec statim nostra pro oraculis haberi velimus; nec eorum judicia pro oraculis ducamus qui quod legunt non intelligunt. Ubi in consilio est odium, ibi cæcum est judicium. Pacificator universorum Spiritus, qui suis organis variis utitur modis, faciat nos omnes concordes, & unanimes in sana doctrina, sanctisque moribus: quo contingat pariter ad cœlestis Hierosolymæ, quæ nescit ulla dissidia, consortium pervenire. Amen. Anno 1526.

12. Calend. Junias, Basileæ.

FINIS.



COL-

COLLOQUIORUM INDEX.

Abbatis & eruditæ. 363
Absurda. 656
Ἀγαμογάμος. 631
Adolescentis & scorti. 1279
Alchymistica. 390
Amicitia. 783
Ἀπροσδιόνυσα. 656
Ars notoria. 706
Apotheosis Capnionis. 186
Ἀσχαγαλισμὸς. 669
Charon. 616
Colloquium senile. 325
Concio, seu Merdardus. 710
Confabulatio pia. 58
Conflictus Thaliæ & Barbariei. 835
Conjugium. 227
Convivium dispar. 603
Convivium fabulosum. 412
Convivium poëticum. 286
Convivium profanum. 92
Convivium religiosum. 139
Convivium sobrium. 700
Copiæ compendium. 123
Cyclops, sive Evangeliophorus. 647
Diluculum. 692
Diversoria. 270
Domestica confabulatio. 18
Echo. 599
Ementita nobilitas. 658
Epicureus. 811
Epithalamium Petri Ægidii. 369
Evangeliophorus, sive Cyclops. 646
Euntes in ludum literarium. 74
Exsequiæ Seraphicæ. 762
Exorcismus, seu spectrum. 378
Formulæ variæ. 76. usque ad 91
Franciscani πλωχοπλάσιοι. 344
Funus. 573
Γεροντολογία. 325
Gratiarum actio. 27. & 76
Γυναικοσυνέδριον. 682
Herilia jussa. 42
Hippoplanus. 401
Impostura. 644
Inquisitio de fide. 309
Ἱππεὺς ἄνιππος. 658
de Itinere formulæ. 9
Ἰχθυοφαγία. 502

Ludus globorum missilium. 53. *& Sphæræ per annulum ferreum.* 55
Lusus pueriles. 48
Mandandi forma. 26
Merdardus, sive *concio.* 710
Militaria. 38
Militis & Carthusiani. 245
Monitoria pædagogica. 46
Naufragium. 258
Νηφάλιον συμπόσιον. 700
Opulentia sordida. 748
Ὄχημα. 325
Percontandi variæ formulæ. 9
Peregrinatio religionis ergo. 459
Philodoxus. 732
Pietas puerilis. 58
Πολυδαιτία. 603
Primi congressus variæ formæ. 1. & 29
Problema. 801
Proci & puellæ. 196
Pseudochei & Philetymi. 253
Πτωχολογία. 406
Πτωχοπλέσιοι *Franciscani.* 344
Puerpera. 433
de Rebus ac vocabulis. 610
de Sacerdotiis captandis. 33
Saltus. 56
Salutandi formulæ. 7
Scorti & adolescentis. 279
Senatulus. 682
Spectrum, seu *Exorcismus.* 378
Synodus Grammaticorum. 634
Talorum lusus. 669
Valetudinis formulæ. 10
Venatio. 72
Virgo Μισόγαμος. 212
Virgo pœnitens. 223
Votum temere susceptum. 29
Uxor μεμψίγαμος. 227

INDEX
RERUM ET VERBORUM.

A.

Ἄβαττος, herba qualis. 807
Ab asino delapsi. 525
Abbatia, quid. 341
Ab equo ad asinos *Adag.* 114. 335. 429
Aberrare à scopo. 30. 61
Ablegare, *alio mittere.* 22
Abstemii. 207. 415
Abstine sus. *Adag.* 136
A calce ad carceres. 162
Acanthis cur oderit asinum. 791
Accipiter horret tinnunculum. 794
Acco, mulier ob stultitiam nobilis. 375
Accusandi formulæ. 120
Acetum habet in pectore. 562
Ἀχείρως & ἀχειΐως, quos intelligat. 662
Achelous amnis. 148
Achillea argumenta. 196
A cœlo usque ad terram. 312
Actæon ut viderit Dianam. 371
Actum agere. 603
Actus, Gr. ἐντελέχεια. 449
Adamante durior. *Adag.* 198
Ad laqueum, seu ad restim res rediit. 503
Admove aurem. 483
Ad ravim clamare. 754
Ad sacram anchoram confugere. 166
Ad stivam idonei. 567
Adulterii pœna mira. 358
Ægidio missa syngrapha. 462
Ægophthalmus. 483
Æsopi & Apitii, qui. 108
Æstimandi formulæ. 119
Æstuarium, *pro* hypocausto. 272
Ætites lapis. 214
Affinitatum nomina. 82
Afflictio facit religiosos. 264
Africa semper quid novi adfert. 273
Ἀγαμος γάμος. 631
Agendi gratias, & responsionis formulæ. 76
Agere tecum. 603
Agoranomi, qui. 507
Ἀγχι χὼν κεφαλήν. 644
Αἰρῶν αἰρεμαι. 142
Ἄκαπνα, quæ. 737

Alastor, *malus genius.* 616
Alcedonia, *dies sereni.* 657
Alcinoi horti. 143
Alcumistica. 390
Alea, *pro* fortuna & periculo. 35. 37. 204
Alexandri Pontificis vox. 782
Allii odor serpentes fugat. 786
Alopecia. 203
Altilis felis. 507
Amaracus herba. 136
Ambigere de finibus. 812
Ambrosia, cibus deorum. 128
Amicitiæ descriptio. 783
Amicitiæ & inimicitiæ arcana. 783
Amicus aulicus, quis. 28
Amoris magna vis. 816
Ἀμφ' ἀστραγάλοισι χολωθεὶς. 673
Amphibia. 172. 466
Amphictyones Dialectici. 199
Ἀναλγησία, indolentia. 820
Analogia, proportio. 826
Ἀναπίμπτω, quid. 823
Anarchia. 435
Ἀναρχῶ ἢ ἀνομῶ. 412
Anathema. 447
Anima in corpore velut in præsidio posita. 164
Anima hominis illic est ubi amat. 199
Anima, quid sit. 449
Anima, *pro* vita. 176
Animam debet. 203
Ansa ansam trahit. 424
Ansæ duæ sunt unicuique rei. 241
Anseres vigilantissimi. 106
Anserinum jecur veteribus in deliciis. *ibid.*
Anteactorum laborum jucunda recordatio. 606
Ante victoriam triumphum canere. 52
Anticomarita. 625
Antipodes. 34. 802. 803
Antiquare, *pro* abrogare. 525
Antonius habet sacrum ignem. 465
Antronius asinus. 363
Antrum Patricii. 500
Antverpiæ templum. 466
Ἀοίδιμῶ, quid. 734
Ἄοινῶ, *sine vino.* 701
Ἀοινῶ μέθυ, *ebrietas sine vino.* 607
Aparemphaton, *pro* infinito. 297
Ἀπαθὴς, Stoicus. 737
Ἀπέβλεψεν & ἐπέβλεψεν. 717
Apelle dignum opus. 183
Apitius, Nepotum princeps. 298. 706
Apitius, insignis helluo. 603
Apodes, qui dicantur. 670
Apodixis mathematica. 466
Apolline nullo. 306
Apologus, *seu* fabula. 202
Apophoreta, quæ. 349
Apophthegma, quid. 416
Apoplexia, morbus qualis. 620
Apostema, quid. 577
Appetit vespera. 52
Ἀπραξία, quid. 329
Ἀπροσδιόνυσα. 656
Ἀπροσωπως, quid. 295
Apud inferos dies. 477
Apulejus inversus, *pro* asino. 315
Apum regnum. 143

Aqua & terra, quæ gravior. 805
Aquila Imperatorum insignia. 18
Araneæ obsident crumenam. 655
Aranearum telas texere. 600
Araneus piscis, qualis. 794
Araneus serpenti exitialis. 790
Arbores, an sentiant. 452
Arcadia regio, qualis. 714
Archimorita, stultus stultorum. 631
Architriclinus, quis. 414
Ardebat animus. 339
Areopagitæ Grammatici, qui. 199
Arethusa fluvius. 808
Argento vivo innatant omnia, præter aurum. 797
Argilla, quid. 752
Argutator, quis dicatur. 197
Arionis fabula. 787
Aristippus Diogene sapientior. 101
Aristotelis locus discutitur. 301
Arrodere ungues. 56
Ars notoria. 706
Artem quævis terra alit. 407
Articulus rerum, quid. 267
Artocreas, quid. 507
A Scylla in Charybdim. 546
Asinus lyram. 371
Asoti, populus luxu perditus. 95
Asphaltites lacus 809
Aspicere & respicere, an differant. 717
Aspis, serpens parvus. 788
Ἀσποιδῷ πόλεμῳ. 666
Assertor, quis dicatur. 314
Ἀσφαλισμός, quid. 669
& unde. 671
Ἀσφάλιον, quid, & unde. *ibid.*
Astrapias, gemma. 484
Astyanactes, Hectoris filius. 642
Asymbolos, quis dicatur. 703
Ate, quid sit. 601
Ate, Dea qualis. 521
A teneris unguiculis. 205
Ἀθέους, impias. 632
Athletice valere, quid. 7
Ἄτομα, quæ dicantur. 192
Attagen, avis qualis. 287
Attagenæ aves. 198
Attica Attice. 139
Attica bellaria. 198
Avere, *pro* cupere. 4
Averni fauces, quæ. 500
Aves novæ, quæ dicantur. 325
Augiæ stabulum. 284
Aurata, *seu* Orata, piscis species. 756
Aurea Venus, quare. 632
Aurelia, urbs Galliæ. 201
Aurea hamo piscari. 35
Aures arrige. 105
Auris memoriæ dicata. 87
Auro nil gravius. 806
Aurum, sapientiæ symbolum. 179
Aurum an plumbum gravius. 806
Auspicium quid, & unde dictum. 6
Auster homini pestilens, Boreas salubris. 798
Αὐτόγραφον, quid. 462
Αὐτὸ δείξει. 433

Αὐτόχθονες, qui. 279
Azymus, *seu* fermenti expers. 65

B.

BAccalaureus, quis. 149
Bacchus cum Bito. *Adag.* 55
Bacchum in exuviis leonis. 647
Bacchus, cur Poëtarum Deus. 98
Bagathinum, quid. 755
Baliſta, quid. 251
Baſilica valetudo, & baſilice, quid. 10
Batavi craſſi. 263
Battologia, quid. 651
Baucis anus. 288
Bellaria, quæ dicantur. 151
Belna, qualis urbs. 651
Belnenſe villum. 96
Belnenſe vinum. 651
Bene precandi formulæ. 4
Bene valere formulæ. 10
Benedictinus Ordo. 368
Benignitas, quo ſenſu dicatur. 44
Beta natatilis. 625
Beta ſapit. 9
Betæ ſine pipere. 146
Bilis ſplendida. 288
Blennus, quis dicatur. 633
Blitea & blitei, qui. 287
Bliteus, quis. 544
Bombus, *ſonus tubarum.* 288
Bonis avibus, quid ſit. 5
Bonis avibus quid auſpicari. 325
Bos Cyprius. 626
Bovem ad ceroma adducere. 713
Βελεμία, quid. 109
Brabeum, victoriæ præmium. 417
Braſſicæ hoſtis cyclaminus. 797
Bravium, *pro* præmio. 53
Bromius, *Bacchus* dictus. 414
Bruta fulmina, quæ. 310
Budæi aſſis. 37
Buſo ictus, plantagine ſibi medetur. 790
Bubalus, bos ſilveſtris. 756
Bulbus, genus ceparum. 538
Bullæ, quæ dicantur. 33

C.

C, Q, K, litteræ cognatæ. 628
Cadere in conſtantem. 536
Caduceus, *ſeu* Caduceum Mercurii. 326
Calami Memphitici. 179
Calceum ſi induiſſes, ſentires. 204
Calculis ſupputabant veteres. 624
Calculum fruſtra terere. 113
Calculus, *pro* ſuffragio. 207
Calvæ emiſſis colubris. 617
Camelus concionans. 186
Camelus ſaltat. *Adag.* 140
Cancellarii hiſtoria. 426
Cancri cum ſerpente ſocietas. 786
Canis maxime infeſtatur à pulicibus. 425
Canis natura abhorret à vino. 415
Canis in talis, quid. 677
Canonicorum collegium. 466
Canonizare, quid. 193
Cantherius equus. 551

Cantharias, lapis. 484
Caperata frons. 16
Capero, *pro* galero. 727
Capitale crimen, quod. 74
Capite contrito. 785
Capitis rasura ubi instituta. 517
Captator captus. 424
Carcinas, gemma. 484
Carmeliticum prandium. 155
Carnis resurrectio, quid. 322
Cartilagines, quid sint. 442
Castor & Pollux. 259
Cataphractus eques. 465
Catapotia, *pro* pillulis. 333
Catastrophe fabulæ, quæ pars. 151
Catechismus, *seu* catechesis, quid. 167
Catena argentea Homeri. 421
Catonem exhilarare. 271
Catulla peperit. 14
Caudæ equinæ pili ut revellendi. 360
Cavi folles, qui. 104
Celtithrace regio. 628
Cenotaphium, quid. 581
Censeri, quid sit. 411
Cephalus, vir trium linguarum. 544
Cerastis, herba noxia scorpio. 797
Ceraunia, qualis lapis. 483
Ceremoniæ, quid. 166
Cerussa, quid. 691
Cestum habet Veneris. 240
Χάιρετε περισσότεροι θεαί. 371
Chalazias, gemma qualis. 483
Chalcites, lapis. 484
Chamæleon, quid. 139
Charitas Christiana, quæ sit. 702
Charites tres. 112
Charites, *seu* gratiæ. 632
Charon, nauta inferorum. 279
Chelidonia herba. 139
Chelidonia, gemma. 484
Chilias & henas, quid. 630
Chiromantica ars. 340
Chius ad Coum. 676
Chlorio, qualis avis. 792
Choragus, quis dicatur. 385
Choraules, quid. 140
Christophorus carbonarius. 41
Christus, cur revixerit. 317
Christus, an fuerit melancholicus. 831
Chrysertium, quid. 216
Chrysoglottus, unde dictus. 130
Cicadam ala corripuisti. 579
Cicer leguminis genus. 93
Cicuta homini, quod cicutæ vinum. 797
Cicuta, publica Atheniensium pœna. 702
Cilicina vestis. 489
Cimelium, quid. 424
Cinædus, quid. 140
Cyclopes, qui. 815
Circes artes, quales. 241
Cissites, gemma. 483
Clavam è manu Herculis extorquere. 48
Clavus pellitur clavo. *Adag.* 130
Cleopatra, & ejus vita. 182
Clitellæ non conveniunt bovi. 368
Coccygis & Lusciniæ certamen. 306
Coccyssare, quid. 54
Cochleæ vitam agere. 19

Codrus

Codrus Athenienſium rex. 738
Cœlum ferreum, cur dixit Homerus. 810
Cœnatica Philoſophia. 96
Cœnationes Luculliannæ. 170
Cœnobium, quid. 273
Colophon, quid. 444
Coloſſeum & coloſſus quid. 482
Colurni carbones, qui. 395
Comus, quis. 604
Compoſtella, urbs qualis. 32
Concio, *ſeu Merdardus.* 710
Concubia nox, quæ. 43
Congerro, quis. 3
Congri & murænæ odium. 793
Conon ruſticus, & de eo hiſtoria. 422
Conſtat modo cum ablat. modo cum genit. 116
Contus, quid. 266
Convivator & conviva, ut diff. 132
Convivarum numerus, quantus eſſe debeat. 112
Copiæ cornu. 169
Copri ſex unciæ. 630
Corbona, quid. 527
Cornicum & ardeolarum affectus. 793
Coræbo ſtultior. 612
Coronis, quid ſit. 420
Corpus domicilium animi. 445
Cors, quid. 9
Cortinæ, quæ dicantur. 43
Corycæi, qui dicantur. 33
Cous & ſenio, idem. 677
Coxendis, *ſeu* coxa. 671
Crabrones irritare. *Adag.* 593
Craſſiore Minerva. *Adag.* 651
Craſſus, dives. 290
Crates & Metrodorus, qui. 331
Cretenſem agere cum Cretenſi. 403
Crocias lapis. 484
Crocodilus fauces porrigit trochilo 793. inimicus hominis. 787
Crœſus ſibi videtur. 476
Cruciferorum quot genera. 581
Crura vara, quæ. 203
Cryptoporticus, quid. 488
Cubito naſum emungere. 504
Cucullus, veſtis genus. 41
Culculus è nido tepefacto ægre divellitur. 42
Culeo inſuti qui dicantur. 636
Culi periculo ſponſor. 50
Cuneus. 35
Cupa cereviſiæ. 417
Cyamea gemma. 483
Cyaneus, quid. 484
Cybele, unde dicta. 79
Cyclaminus, quid. 797
Cymindis, avis qualis. 789
Cynorrhodium, quid. 712

D.

DAduchi pullati, qui. 587
Dama fugacior. 38
Damaſcena veſtis. 189
Danaidum dolium. 478
Dapſilitas, quid. 831
David propoſitionis panes comedit. 529

De plaustro loqui. *Adag.* 326
Decimationes, quæ dicantur. 517
Decreta, Decretalia. 364
Decussatim, quid. 63
Δεῖ πὰς χέλωνας ἢ φαγεῖν, ἢ μὴ φαγεῖν. 338
Delia, *pro* Diana. 14
Delia annuente venari. 185
Delphinus, φιλάνθρωπος. 788
Democriticæ fabulæ. 796
Dentifricium, quid. 179
Deperire aliquam & in aliquam. 237
Deus, quid. 312
Deus summum bonum. 815
Δῖα, sacra. 599
Diameter, quid. 567
Diarium, quid. 28
Diatriba, quid. 542
Dicteria, quæ. 92
Diem festum facere. *Adag.* 120
Dignum patella operculum. 99
Diis Manibus devovere animam. 505
Diœcesis, quid. 535
Diogenes, quis: *pro* sordido. 91
Diploma Pontificis, quid. 168
Dipsas, viperæ genus. 141
Discernere ovum ab ovo. *Adag.* 54
Discus, vasis genus. 276
Distringi, quid. 26
Dives, quis vere dicatur. 824
Dracones Indici. 789
Dryites, lapis. 483
Ducere bellum, quid. 584
Dysenteria, quid. 12

E.

E columbis non nascuntur milvii. 209
E stipulis fabarum quid nectere. 579
Ἐαν ἦς φιλομαθὴς, &c. 708
Ecclesia ex quibus constet. 331
Echinus, piscis. 100
Echites, gemma. 483
Effundere in urticetum. 343
Elephanti quo efferantur. 231
Elephantiasis, quid. 634
Elysii campi, qui. 623
Elleborus, ubi nascatur. 444
Ἐμμετέον, quid. 603
Empusæ ludus. 57
Ἐν οἴνῳ ἀλήθεια. 156
Ennius, Poëta antiquissimus. 290
Ephorinus, unde dictus. 783
Ἐπὶ κεφαλὴν θεῖν. 820
Epialus, febris species. 111
Ἐπικερίζειν, quid. 820
Epicurus, quis fuerit. 812
Epicurea vita, qualis. 36
Epiglottis, quid sit. 442
Epilepsia, quid. 445
Epimenides, quis sit. 80
Ἐπινίκια, quæ. 185
Epiphonema quid. 205
Ἠπίει ἢ ἀπιθι. 115
Epomites, quid. 355
Erostratus, templum Dianæ incendit. 734
Eruca, herba quæ. 538
Erucæ transfigurantur in papiliones. 796

Ἐς κόρακας. 521
Ἐυθυμία, quid. 332
Eulalia. 243
Evirato corpuſculo. 763
Euripideus nummerus, quis. 679
Euripus, maris ſpecies. 12
Ex antro Trophonii. *Adag.* 574
Ex malis corvis mala ova. 641
Ex quovis ligno non fit Mercurius. 395
Excetra, quid. 735
Exorciſmus, quid. 167
Extrema ancora, quæ. 148

F.

FAbula de ficubus. 419
Fannia lex, qualis. 94
Faſcinum, veneficii genus. 200
Feciales, qui dicantur. 666
Felicitas hominis, unde petenda. 800
Feudum, quid. 636
Fiber, *ſeu* caſtor. 466
Fibula, quid. 641
Filix, herba qualis. 482
Flammea nigra byſſo. 690
Flotæ, piſces quales. 808
Folia Sibyllæ, quid. 81
Folitatum, quid. 190
Fori navis, qui. 260
Formicoſa arbor. 793
Fornicarii, qui. 158
Fraxini umbram ferre ſerpentes non poſſunt. 795
Fructuaria, quæ dicatur. 419
Fungi, boleti. 107
Fungi & papavera. 250
Fungus, *pro* homine ſtupido. 9
Furfures, vitium capitis. 202
Fuſtuario digna res. 354

G.

GAlatea, Euterpe, &c. quæ. 287
Galea, navis. 259
Γαλῆ κρεκάτον. 647
Gallina, *pro* concubina. 344
Gallinæ zelotypæ. 106
Ganymedes pocillator. 831
Γαστὴρ κάκιστον θηρίον. 729
Gaudentes monachi, quales. 712
Gavia, *ſeu* larus. 793
Gemma bibere. 99
Genius, quis dicatur. 33
Geranites, lapis. 483
Γεροντικῶς ludere. 678
Gerræ Siculæ, quid. 31
Gerſon, Theologus eximius. 265
Gilvæ plumæ, quales. 190
Glirium ſagina. 694
Gorgonei oculi, qui. 492
Gratiarum actio poſt prandium. 177
Gryllis inſidiari. 72
Guil. Waramus epiſcopus. 491
Guttus, *ſeu* gutturnium, quid. 94

H.

HÆmorrhoiſſa quæ dicatur. 783
Hæreſeos dica. 451

Hama-

Hamadryades nymphæ, quales. 647
Hamixiæum, quid. 482
Harpæ, avis ſpecies. 793
Harpago, quid ſit. 35
Harpyæ, quæ. 190
Hectici & phthiſici, qui dicantur. 509
Hedonius, unde dictus. 811
Helias, quis. 582
Heliogabalus mulierum Senatum inſtituit. 684. ejus ſortes. 179
Helleborus albus & niger. 140
Helluo librorum, quis. 180
Hemina, menſuræ genus. 558
Heptatechnus, quis dicatur. 335
Ἡρέμλεις, admirandi adverbium. 648
Herculem ſe præſtare. 95
Hercule dextro. 336
Hieracites, gemma. 483
Hieronymus, qualis. 191
Hierophanta, quis. 474
Hippoplanus, quis. 401
Hiſtrix, quale animal. 371
Holoſericati, qui dicti. 601
Homerus, pater fabularum. 34
Homo homini Deus. *Adag.* 733
Horæ canonicæ, quæ. 368
Hornum muſtum. 67
Hujus farinæ, quid. 81
Hyæna, quid. 790. ejus & Pantheræ antipathia. *ibid.*
Hybridæ, qui dicantur. 638
Hydrops, quid. 12
Hydrus, *ſerpens aquatilis.* 508
Hymenæus, *nuptiarum deus.* 632
Hymnus, quid. 144
Hyperbole, quæ figura. 700
Hypocriſis, quid. 600

I.

Jacobus Caſtrutius, Medicus. 594
Jacobus Compoſtellanus. 460
Jacturam facere, quid. 260
Ichneumon, quid. 792
Ichthyophagus, quis. 111
Icta ſapiam. 227
Jejunus an pranſo gravior. 809
Jeſus, an creatura. 314
Ignis Græcus, quis. 748
Ilia, quæ. 670
Illudis mihi & me. 37
Imbricadæ conchæ. 459
Immori chartis. 20
Impendium, quid. 102
Impingere in peccatum. 60
Impoſtura, quid. 644
In cachinnos ſolvitur. 390
In culpa, in cauſa &c. 88
In ipſo portu impingere. 300
In lente unguentum. 535
In mari quærere aquam. 305
In multam lucem ſtertere. 42
In planitiem equum provocare. 53
In ſolidum, quid. *ibid.*
In utramque aurem dormire. 26
Inauſpicatum pomum. 784
Incrudeſcit tempeſtas. 260
Incruſtamentum, quid. 137
Indicatura, *pro* æſtimatione. 403

Indulgere genio, quid. 92
Inficialis ſtatus, quis. 549
Initiari, quid. 22
Inſubres, qui. 108
Inſulæ fortunatæ. 34
Intendere legem. 418
Intendare, quid. 418
Invidiæ remedium, quod. 747
Invita Minerva. 739
Involare, *pro* furari. 420
Ἵππε γῆρας, equi ſenectus. 822
Ipſa ſui pretium eſt virtus. 705
Irregularitatis periculum. 780
Irritare crabrones. 593
Irus, quis. 611
Ἰσχίον, quid. 671
Iſtæc in te cudetur faba. 629
Ἴσως, ſcilicet. 600
Italica vox. 261
Judaiſmus, qualis. 153
Juglans, ei c. umquercu non bene convenit. 797
Julius adverſus Gallos belligeratur. 340
Juno pronuba. 632
Juſta cœna, quæ. 554

K.

Καὶ βαλὼν μὲν ἐπὶ σκοπὲ, &c. 679
Κάκιστόν ἐστι θηρίον. 736
Καμπαὶ, quæ dicantur. 675
Κλύζει θάλασσα πάντα. 667
Κύκνειον ἆσμα. 162

L.

LAbefactare, quo ſenſu. 795
Labor omnia vincit improbus. 105
Labrum, quid. 177
Λαβυρινθώδες, quid. 671
Lac virginis Mariæ. 471
Lacertæ homini amicæ. 784
Lacinia, de veſte. 370
Lactare aliquem vana ſpe. 27
Lactuca ſeſſilis, quæ. 286
Læva mens, quæ. 189
Lalus, *pro* loquace. 390
Lama quid. 343
Lamia, quæ dicatur. 34
Lampadem tradere alteri. 134
Lapidi dixeris. *Adag.* 283
Lapis Tantaleus. 831
Lapithæ qui. 182. Eorum convivium. 632
Lappa, qualis herba. 57
Lararium, quid. 193
Λάροι, ſtupidi. 601
Larus hians. 408
Laterem lavare. 623
Laterones, qui. 690
Λάϑε βιώσας. 736
Lazarus, quis. 182
Leberide nudior. 30
Lectus conſecratus diluendis offenſis. 239
Leges ſumptuariæ, quæ. 93
Lemantius, qualis. 544
Lemmata, quid. 554
Lens, quid. 202
Leo expaveſcit galli cantum. 794
Lepus marinus venenum homini 790
Lesbia regula. 724
Lethæus amnis. 129
Lethargici, qui. 575
Liardum, quid. 120

Liberare fidem. 333
Libidinem immodicam, quæ comitentur. 821
Liburnicæ naves, quales. 142
Lichen quid. 634
Lilii & alii commercium. 797
Linum in igne conjectum non exuritur. 814
Litare Rhamnusiæ. 27
Literas duobus anibus cassequimur. 105
Liturgia, quid. 711
Lixivium, quid. 296
Locustæ & Polypi odium. 793
Locutuleii. 711
Longatio & curtatio. 392
Longobardiæ unde nomen. 297
Lorica corporis tegmen. 263
Lovanium, qualis urbs. 186
Luculli diviriæ. 97
Luditur opera. 398
Ludovici Gall. Regis hist. 422
Lupinus, leguminis genus. 197
Lupa, *pro* scorto. 344
Lupus in fabula. 432. 23
Lupus vocem homini adimit. 790
Luto, *pro* luteo. 389
Lycophthalmus. 488
Lydius lapis. 409
Lynceus, quis dicatur. 133

M.

Maccus, ejusque hist. 417
Macilentus obeso gravior. 809
Mecænas, quis. 3. 373
Magno mihi constat. *Form.* 116
Magnum vectigal parsimonia. 697
Magus, quis. 796
Malea periculosior. *Adag.* 336
Mali corvi malum ovum. 641
Mali ominis cautio. 205
Malva, herba qualis. 197
Malva, porrum, inferorum victus. 619
Mammetrectus, *pro* mammothrephtos. 626
Mammona, *pro* Satanana. 177
Mandatarius, quis. 778
Manes suos anticipare. 39
Manibus temperare. 236
Μανδάνειν, quid. 301
Mantica, quæ. 46
Manzares, qui. 579
Mare fabularum. 431
Marte suo vincere. 55
Massiliæ similis. 667
Matutini temporis commendatio. 698. 699
Μὴ πρὸ τῆς νίκης ἐγκώμιον. 681
Medicinæ utilitas 71
Mediocritas tuta est. 329
Μηδὲν ἄγαν. 609
Medusa, quale monstrum. 288
Melancholicus, quis dicatur. 331
Membrana, quid. 179
Memoria Dea. 87
Mendaces Achilli odiosi. 800
Mendicorum felicitas cum regno comparatus. 410
Mens pura, ubi, ibi Deus. 824

Mentagra, quid. 634
Mercurialis urbs. 750
Mercurii caduceum. 288
Mercurius, eloquentiæ Deus. 86
Merdosæ purulentiæ. 714
Merularum & turdorum concordia. 793
Messores cur gaudent allio. 786
Meta distillatoria. 444
Metamorphosis, quid. 17
Μήτηρ, unde dicta. 456
Mezentio dignum. 635
Micare digitis, quid. 73
Midas, in ludo. 679
Milesia lintea, quæ. 275
Milo Crotoniates. 559
Mingere in patrios cineres. 634
Minos rex Cretensium. 414
Misoponus, quis. 406
Missus, *pro* ferculo. 239
Mitra, quid. 494
Modestus quis dicatur. 718
Modus servandus in omnibus. 23
Momo satisfacere. 827
Μονοχομαχεῖν, quid. 21
Μονομαχεῖν, quid. 53
Monogrammus, quis. 103
Monopolium, quid. 568
Monotechnus, quis. 335
Morbi, *pro* erroribus. 320
Morbus regius, quis. 110
Moretum, quid. 627
Moria, *pro* stultitia. 32
Mors quid, & cur formidabilis. 575
Mortuus vivo gravior. 809
Motus animalis, quis. 802
Movere omnem lapidem. 667
Mugilis & lupi odium. 793
Mulso & placentis saginare. 715
Multitium, vestis genus. 357
Mundus, *pro* ornatu muliebri. 226
Muræna, quid. 793
Murænæ, scari, & accipenseres in deliciis habiti. 108
Muria, quid. 506
Mus, servi nomen. 295
Musæ novem. 120
Musculus piscis balænis monstrat viam. 793
Museion, quid. 183
Mussare, quid. 583
Mustulæ cum cornice dissidium. 792
Myriades, quid. 37
Myrothecium, quid. 375
Myrthus in conviviis. 605
Mystagogus, quis. 468

N.

Nænia, quid. 587
Naphtha, bituminis genus. 807
Nasi nihil illi est. 398
Nasicæ jocus. 692
Naso adunco suspendere. 25
Natalis beta. 625
Naves loquuntur. 671
Navis galeata, quæ. 749
Nautica oratio. 260

Ne musca quidem. 632
Ne quid nimis. 609. 736
Nec omnia, nec passim &c. 68
Necessitas dutum telum. 260
Nectar deorum potus. 831
Nemesin provocare, quæ dicantur. 414
Nemo potest duobus dominis servire. 174
Νεόπλουτος, quis. 742
Nestor, *pro* eloquente. 372
Quamdiu vixerit. *ibid.*
Nigrum in candida vertere. 119
Nihil agere, quid. 300
Nihil dentis habent. 608
Noctua volavit. *Adag.* 104
Noctuæ cum avibus dissidium. 792
Nodum secare, *seu* solvere. 716
Nomen *pro* titulo, & debitore. 257
Nomina multorum habet. 633
Νομοθέτει γὲν ὦ βασιλεῦ. 413
Nomotheta, quid. 111
Non agitur de capite. 75
Non magis parcemus quam lupis. *Adag.* 790
Non omnibus dormio. 19
Notariæ, quæ. 692
Noverca natura. 12
Noverca Furii. 106
Noxia capitalis, quæ. 74
Nubes aqueæ pendent in aëre. 805
Nudior Leberide. 30
Nugamentum hominis. 49
Numero dicere. *pro* compendio. 485
Nympha, *pro* aqua. 99

O.

OBærati, qui dicantur. 614
Obblactiunt cameli. 372
Obgarriunt picæ. 372
Obgrunniunt porci. 372
Objicere ursis. 634
Obrudunt onagri. 719
Observantes monachi, qui. 712
Obstrepunt graculi. 372
Ocioſi interpretantur à Paulo. 175
Oculi refugi, qui. 203
Oculi vitrei, quo sensu. 325
Oeconomicus vir, quis. 583
Oedipus esto. 107
Oenopolium, quid. 58
Oestrum, quid. 148
Oleum addere camino. *Adag.* 729
Oleum an aqua gravius. 807
Oleum & operam perdere. 31
Oleum soli calci misceatur. 797
Oleum tranquillat mare. 262
Oletum, *pro* stercore humano. 190
Olorum & aquilarum odium. 792
Omnium horarum homo. 73
Omen, quid. 22

Ὅμοιον πρὸς ὅμοιον. 640
Onager, quid. 718
Ὄνος, asine. 602
Oniropoli, qui. 175
Onocrotalus, avis, qualis. 588
Ὀνὰς, mens. 601
Operæ, *pro* operariis. 752
Opobalsamum, quid. 179
Oporapolis, quid. 419
Oppido, *pro* valde. 10
Orbilio plagosior. 74
Organum quid. 34
Origanum, quid. 797
Orthodoxus, quis dicatur. 224
Os oblinere alicui. 461
Ossa, *pro* Dea. 617
Ostracismus, quid. 702
Ostrea, Veneris deliciæ. 100
Οὐ χρὴ παννύχιον &c. 698
Ovatio, quid. 150
Οὐρανόθεν, cœlitus. 749

P.

PÆdagogus dæmon. 385
Paganismus, quid. 223. 518
Palatum non stupidum. 96. obsurduit. *ibid.*
Pallas, sapientiæ dea. 31
Palma arbor sentire videtur. 452
Palmaria, ac triumpho digna res. 728
Palpum, quid. 232
Palæstrites, qui dicatur. 211
Pamphagus, quis. 36
Pampirus. 336
Panace, herba qualis. 200
Pancratice valere, quid. 10
Pandocheum, quid. 270
Pandocheus, quis. 277
Panthera ab hyæna terretur. 790
Πανολεθρία, quid. 666
Papilio, quid. 72
Paradisus, loco saluberrimo constitutus. 36. 510
Paradoxum, quid. 813
Parœmia, quid. 486
Paralysis, quid. 75
Paraphronesis, quid. 557
Parasanga, quid. 818
Parasceves dies. 549
Parcæ, quæ. 743
Parentalia, quæ. 168
Παροιμία ἀδελφική, quid. 715
Pastillus, quid. 211
Pater noster inversum. 43
Patricii antrum. 500
Pavonum & columbarum consensus mutuus. 793
Paxillus, quid. 35
Peccatum, onus gravissimum. 38
Pedibus in sententiam ire. 32. 192
Pedunculus, quid. 290
Pelinorum gens. 626
Penelopes telam texere. 600
Penia, Dea quæ. 407
Pensare, *pro* supplere. 19
Per transennam videre. 140
Perfricanda est frons. 345
Periodus seculorum. 372
Peripatetici, quales. 812

Persarum gazæ. 696
Persona, *pro* facie appositia. 236
Pestis, an vitari debeat. 184
Petasatus, quis. 186
Phalangium, quid. 792
Phalaridem agis. 641
Pharisæorum interrogatio. 153
Phasides, aves. 168
Phasma Menandri. 381
Phœnix, quænam avis. 187
Φέυγετε καυθαριδες. 288
Phiala, quid. 753
Philecous & Lalus, unde dicti. 390
Φιλέλλην. 180
Philosophus, quis dicatur. 611
Philoxenus, Apitius, qui. 814
Philtrum, quid. 666
Philypnus, quis. 700
Phlegontites, gemma. 484
Phthisis, quid. 549
Pigmentum, quid. 407
Pilea suffulta pellibus. 355
Pilentum, quid. 689
Pinacium ligneum. 276
Pisci dixeris. 534
Πιθανόν, ἡ πρέπον. 413
Pix attrahit oleum. 797
Plagiarii, qui dicantur. 21
Planities argentea. 588
Plastes, *seu* formator. 674
Platonica civitas, quæ. 278
Platonica cœna, quæ. 91
Plenis tibiis res agitur. 583
Podagra, quid. 110
Poëtæ, ut & qui legendi. 70
Pollinctores, qui. 764
Polonus, quid viderit in templo Franciscanorum. 780
Πολυγράφω. 180
Polygamia, quid. 335
Polymachœroplacidæ. 621
Polymytus, unde dictus. 412
Polyphagia & polypotia, quid. 761
Polyphemus, quis. 647
Polypi mentem obtine. 742
Pomœria excedere. 540
Poppysma, quid. 232
Poppysmum imitari. 496
Post festum venire. 43
Post principia. 438
Posticum. 142
Præbenda. 342
Præpostere quid facere. 98
Præsentaneum venenum. 140
Præstare vitam, quo sensu. 324
Præstigia, quæ. 135. 177
Præsul, qui saltat primus. 308
Πρανές, quid. 674
Priapus, hortorum deus. 135
Princeps est supra leges. 422
Prior & Abbas, quid. 55
Pro aris & focis pugnare. 250
Pro thesauro carbones. 214
Problema, quid. 801
Profanari, quid. 240
Progymnasmata quæ dicantur. 664
Promuscis, quid. 35
Pronum & supinum, quid. 674
Procœmium, quid. 420. 754
Prora ac puppis, quid. 167
Prosa oratio, quæ. 306

Proselyta, quæ dicatur. 216
Prospicere, & respicere, ut diff. 716
Protelare sævis verbis. 229
Protopiro venia datur. 336
Provinciam suscipere, *pro* negotio. 298
Pruna Damascena. 114
Πρῶτον ψεῦδος. 479
Pseudocheus & Phyletimus, unde dicti. 255
Pseudolalia, quæ. 243
Psora, *pro* scabie. 640
Pudoris impendium facere. 501
Pueri angelici in satanam vertuntur. 59
Puerpera. 433
Pulsare omnes status. 397
Pumex, quid. 106
Pumicum & suberis levitas. 806
Puncta, *pro* suffragiis. 413
Purpurissa, quid. 691
Putidulæ, quæ dicantur. 607
Pyralis, species columbæ. 792
Pyropon, lapis. 191. & unde dictus. 483
Pyrrhi disciplina. 605
Pythagorica cœna. 91
Pythius, *seu* vates. 503

Q.

Quadrulæ, quid. 276. 374
Qualis populus, talis sacerdos. 352
Quercus concionatur. 9
Quercus & oleæ dissidium. 796
Quid si cœlum ruat. 809
Quo semel est imbuta &c. 441
Quod felix faustumque sit. 413
Quot homines, tot sententiæ. 103. 629

R.

Rabbini, qui dicantur. 40
Rabulæ, qui dicantur. 730
Radix tritici loco. 358
Rastrum, quid. 785
Rapa Ludovico regi domo data. 422
Recrudescere, quid. 17
Recutitus Judæus. 532
Reflavit fortuna. 16
Refragari, *pro* resistere. 261
Regulares, qui dicti. 380
Regulus basiliscum significat. 788
Religio quid. 59. & in quibus sita. 104
Religio est, *pro* non fas est. 104
Rem acu tangere. 39. 729
Repanda tabula, quæ. 266
Repetundarum postulari. 120
Repressalia, quæ. 642
Reptare poëtis, quid. 122
Res extrariæ, quæ. 364
Resina, quid. 407
Resumpta, quæ dicatur. 627
Reticulum, quid. 350
Rex, quis dicatur. 611
Rhamnusiæ litare. 27
Rhemia lex, qualis. 418
Rhodites, lapis. 488

Risus Sardonius, quid. 289
Romanæ deliciæ, quæ. 107
Romulus, quid biberit. 415
Rore vixit. *Adag.* 93
Rumino, quid. 65

S.

SAburra, quid. 56
Sacellum, quid. 183
Sacra execranda. 711
Sacrum nihil. *Adag.* 40
Sagum, militare indumentum. 648
Saguntina fames. 503
Salarium, quid. 249
Sales, sine dentibus. 608
Salitur, *pro* sale conspergitur. 167
Salutare per alium. 7
Samius litteratus. 246
Samsucinum oleum. 190
Sanniones, qui. 348
Sanctum, *pro* glorioso. 725
Sapere, quid. 9
Sapientia, quid. 365
Sardanapalus, luxu perditus. 814
Satrapa, quis dicatur. 122
Satyricum agere. 25
Saxa viva, quæ. 317
Scabies, *pro* desiderio. 38
Scalmus, quid. 496
Scarabeus aquilam. *Adag.* 18. 793
Scarites, gemma. 483
Scarus, piscis qualis. 108
Scatebræ fontium. 20
Schismatici, qui dicantur. 519
Scombri, quales pisces. 79
Scomma, quid. 25
Scopum attigisti. 97
Scorpites, gemma. 484
Scropha, quid. 375
Scutatum numismatis nomen. 118
Scythicum convivium. 433
Scythica concio. 260
Secessus, quid. 151
Seculum, quid. 11
Σεμνοπροσωπεῖ, quid. 401
Senecta, quibus scipionibus niti debeat. 822
Senio per se felix. 677
Sepeliri ante tempus, quid. 246
Sequana insula. 476
Sera in fundo parsimonia. 62. 696
Sero sapiunt Phryges. 822
Serpentes lacte capiuntur. 786
Servare vitrum, ut perdas gemmas. 693
Servire Mammonæ. 567
Sextarius vini, quid. 113
Si non contingat id quod velis, velis quod possis. 215
Sibyllæ folium. 81
Sicambria & Sicambri. 616
Sigma litera, quid sibi velit. 604
Silenum agere. 552
Siliquæ, fructus prædulcis. 128
Silurus piscis. 829
Simia semper simia. 498
Similes habent labra lactucas. 41. 752

Simius horret testudinem. 791. metum indicat projectis excrementis. *ibid.*
Simonia, quid. 547
Simul sorbore & flare. *Adag.* 43
Singultire & singultus, quid. 1
Sirenes, monstra marina. 71
Situla, quid. 266
Situm contrahere, quid. 19
Smaragdinus viror. 20
Smaragdus, gemma. 483
Snaphanus, prædonis genus. 356
Socratis pium dictum. 164
Solidum, quid. 53. 585
Solœcismus, quid. 124
Solstitium, quid. 58
Σῶμα, quasi σῆμα. 447
Somnium hominis. 42. 229
Somnus mortis imago. 647
Sophisma, quid. 167
Sophistria, quæ. 365
Σωφρόνει, quid. 139
Sorbona, Gymnasium Parisiense. 111
Sorbum, quid. *ibid.*
Soricum & ardeolarum dissidium. 792
Sors & usura periit. 36. 336
Sotadicum metrum, quod. 646
Spartam, quæ contigit, orna. 342
Specimen proferre. 255
Spes revixit. 37
Sphæristerii plebiscita. 55
Sphinx, monstrum quale. 107
Σφυρόν, quid. 671
Spiculator publicus, quis. 568
Spiritus Sanctus, an verus Deus. 320
St! interjectio innuens silentium. 228
Stadium, quid. 57. 804
Stationes obire Romanas. 502
Stesichorius numerus, quis. 679
Stibium, quid. 691
Stipulari & paciscì, ut differant. 15
Stoa, porticus Athenis. 101
Stoici philosophi, quales. 94
Stomachus, *pro* ira. 235
Stratagema, quid. 752
Strigosi equi. 46
Struthiocamtelus qualis avis. 141
Stygia palus, quæ. 500
Subducere rationem. 60
Suber, quid. 267
Subluctris nox, quæ. 259
Subolebat fucus. 388
Subula, quid. 826
Succinum, quid. 689
Suffrago cruris. 676
Suffurari se ab aliquo. 70
Suggillare, quid. 653
Suillas carnes Galli amant. 102
Sulpitia Paterculana. 377
Supplicatio, quid. 150
Surdo canere. *Adag.* 348
Sus Minervæ odiosa. 801
Susceptores. 167
Sybaritæ, & Sybaritica mensa. 85
Symbolum, quid. 312. 325

Symbolum Apostolorum enucleatur. 312
Sympathia & antipathia, quid. 795
Sympostarchus, quis dicatur. 414
Synanche, *seu* angina. 620
Synaxis sacra, quæ. 67
Syncretismus, quid. 582
Syphar hominis. 748

T.

TAbernaculum, *pro* corpore nostro. 165
Tabes, quid. 548
Tabulæ sponsales, quæ. 640
Tagi aurum. 481
Talentum, quid. 64
Tali, qui. 671
Talitro certare. 50
Tantaleus lapis, 831. & ejusdem fabula. *ibid.*
Taos lapis, unde dictus. 484
Ταπεινοφροσύνη, quid. 721
Ταπείνωσις. 721
Tauri, quo efferantur. 232
Taurice, quid. 10
Telos exigere. 473
Tempus res pretiosissima. 693
Τὴν κατ' ἐμαυτὸν, quid. 328
Tenedia bipennis. 545
Tergiversationem omnem consumere. 753
Terræ centrum, ubi. 803
Teruncius, quid. 257
Tessellæ, quid sint. 138
Testudine tardior. *Adag.* 43
Tetras, quid. 605
Thales, unus è sapientibus septem. 71
Theca mali, quæ. 261
Θεομαχεῖν, quid. 21
Theophrastus, Aristotelis discipulus. 104
Theophylactus probatissimus Græcus. 724
Θεόφιλος, Theophilus. 152
Thermæ publicæ. 275
Thersites, *pro* deformi. 203
Thoibus cum leonibus dissidium. 793
Thomas Linacer, quis. 291
Thomæ templum & ejus tumba. 170
Thrasonica stultitia. 354
Thymiama, quid. 190
Thyrsi, quid sint. 552
Tigres ut efferantur. 232
Tinnunculus defendit columbas. 794
Tipula, quid. 620
Tisiphone, Megæra, Alecto. 287
Τιθωνῆ γῆρας. *Adag.* 327
Titillat me animus. 501
Τὸ μὲν πρανὲς ἔξω, &c. 676
Τὸ τέλειον πᾶσα γῆ τρέφει. 340
Tolerantiæ exempla. 702
Torpedo piscis lethalis. 508
Torpor, quid. 142
Totum orbem obire. 332
Toxicum *pro* veneno. 281
Tractant fabrilia fabri. 542
Traducere, quid significet. 696
Tragica periodus, quæ. 627
Trahit sua quemque voluptas. 72

Tribuli,

Tribuli, herbæ ſpecies. 738
Trilinguis chorus. 8
Triorchis, avis qualis. 793
Τριταγίας ἀποκαλύψεις, quid. 771
Trochylus, avicula. 139
Trophonii antrum. 574. 500
Tuber reddidi. 653
Tubera, quid. 107
Tuberculum, quid. 34
Tumba, quid. 170
Turricula, *ſeu* pyrgus. 679
Turture loquacior. 17
Turturis cum pyrali diſſidium. 792
Tympus, quid. 587
Tympanites, qualis morbus. 577
Tyria maria concitare. 548

V.

VAdimonium deſerere. 384
Valebo, ſed non coquus. 195
Vana ſpe lactari. 424
Vapeſcere ſenio, quid. 97
Vaporarium, quid. 345
Varietas hominum obſervanda. 744
Vectigal à mortuis colligere. 751
Vejoves, *ſeu* Joves noxii. 310
Velum, *ſeu* flammea, quid. 217
Veneo, id eſt, vendor. 116
Veneres duræ. 375
Venus in talis, & veneris jactus. 676. 677
Verba dare, *pro* fallere. 91
Ver mundi adoleſcentia. 212
Veredarius, quis. 44
Vergenti ætate, quis dicatur. 238
Verrucæ, *pro* tuberculis. 260
Verſaris in tua harena. 55
Vertebrum, quid. 671
Vetere ſolum. 334
Vertiginoſi, & vertigo, quid. 509
Veſparum nidus. 730
Veſpillones, qui dicantur. 764
Veſtis holoſerica. 490
in Veſte tria ſpectanda. 353
Veterator, quis. 99
Vicarius, qui dicatur. 8
Vicievita, quis. 489
Victoria amat curam. 51
Vietus, exſuccus, &c. 573
Villum, quid. 96
Vinolentia regibus damnoſa. 415
Vinum quale probandum. 96
Vinum gravius aqua. 808
Vir bonus, quis dicatur. 348
Vir caput mulieris. 437
Virginitas gaudet rapi. 210
Virgo Maria invocatur. 463
Virgo nubilis, quæ. 21
Virgo Parathalaſſia. 480
Viſcum, quid. 407
Vita æterna, quid. 323
Vitæ genus quod deligendum. 328
Vitæ maxima pars ut elabatur. 300
Vitæ ſcena. 342
Vitioſa nuce non emam. 250

Vitis brassicam fugit. 797
Vivamus, *pro* gaudeamus. 281
Ulmus, arbor qualis. 207
Ulysse ac Mercurio dextro. 623. 258
Ulysses agnitus à cane. 34
Umbra, *pro* comite. 85. 132
Uncia, quid. 394
Uncto pejus. 639
Undulatus thorax. 44
Ungues arrodere. 56
Voluptas vera, quæ. 816
Vomica, quid. 375
Votum obstringit ad pœnam gehennæ. 553
Ὑποκείζοντες, qui. 820
Ὕπνιον, supium. 674
Urbes an agri præferendi. 130
Uranius, *i. e.* cœlestis. 130
Urceus lactis. 786
Urere, *pro* cruciare. 545
Ursus, somno saginatur. 104
Urtica, qualis herba. 238
Utenhoviorum genus nobilissimum. 669
Utile nihil quod non honestum. 156
Utricines, qui. 632
Vulcanus claudus fingitur. 38
Vulgus, autor pessimus rei gerendæ. 366
Vulpem laqueo capere difficile. 199
Vulpis & milvii simultas. 792
Vultum habet in manu. 382
Vultures, testamentorum captatores. 578

X.

XAntippe rixosa mulier. 227
Xenia, qualia munuscula fuerint. 178
Xenocrates, philosophus qualis. 741

Z.

ZOilus, quis. 734
Zona, quid. 14
Zona inanis. 38

FINIS.

Desiderii Erasmi
Roterodami

ΜΩΡΙΑΣ ΕΓΚΩΜΙΟΝ,

Sive

DECLAMATIO

in

LAUDEM STULTITIÆ,

Quæ ob
Sermonis elegantiam,
Argumenti amœnitatem
&
Exemplarium inopiam,
Rursus
In lucem publicam prodire voluit æque ac debuit.

ULMÆ,
Sumptibus Danielis Bartholomæi, & Filii,
M DCC XLVII.



PRÆFATIO.

ERASMUS ROTERODAMUS THOMÆ MORO SUO S. D.

SUperioribus diebus cum me ex Italia in Angliam reciperem, ne totum hoc tempus, quo equo fuit insidendum, (1) ἀμούσοις & illiteratis fabulis tereretur, malui mecum aliquoties vel de communibus studiis nostris aliquid agitare, vel amicorum (quos hic ut doctissimos, ita suavissimos reliqueram) recordatione frui. Inter hos tu, mi More, vel in primis occurrebas. Cujus equidem absentis absens memoria, non aliter frui solebam, quam præsentis præsens consuetudine consueveram: qua, dispeream, si quid unquam in vita contigit mellitius. Ergo quoniam omnino aliquid agendum duxi, & id tempus ad seriam commentationem parum videbatur accommodatum, visum est Moriæ encomium ludere. (2) Quæ Pallas istuc tibi misit in mentem inquies? Primum admonuit me Mori cognomen tibi gentile, quod tam ad Moriæ vocabulum accedit, quam es ipse à re alienus. Es autem vel omnium suffragiis alieniissimus. Deinde suspicabar, hunc ingenii nostri lusum, tibi præcipuè probatum iri, propter ea quod soleas hujus generis jocis, hoc est, nec indoctis, ni fallor, nec usque quaque insulsis, impendio delectari: & omnino in communi mortalium vita, (3) Democritum quendam agere. Quanquam tu quidem, ut pro singulari quadam ingenii tui perspicacitate, longe lateque à vulgo dissentire soles, ita pro incredibili morum suavitate facilitate-

1 Indoctis.

2 Alludit ad Homeri consuetudinem, qui subinde inducit Palladem Heroas suos monentem. Vid. II. A.

3 Philosophum qui quicquid esset in vita mortalium ridebat.

litateque, cum omnibus (1) omnium horarum hominem agere & potes, & gaudes. Hanc igitur declamatiunculam non solum lubens accipies, ceu (2) μνημόσυνον tui sodalis, verum etiam tuendam suscipies, utpote tibi dicatam, jamque tuam non meam. Etenim non deerunt fortasse vitilitigatores, qui calumnientur, partim leviores esse nugas, quam ut Theologum deceant, partim mordaciores, quam ut Christianæ conveniant modestiæ: nosque clamitabunt, veterem Comœdiam, aut Lucianum quempiam referre, atque omnia mordicus arripere. Verum quos argumenti levitas, & ludicrum offendit, cogitent velim, non meum hoc exemplum esse, sed idem jam olim à magnis auctoribus factitatum; cum ante tot secula (3) βατραχομυομαχίαν luserit Homerus, Maro culicem, & Moretum, nucem Ovidius. Cum Busiridem laudarit Policrates, & hujus castigator Isocrates, Injustitiam Glauco, Thersiten, & quartanam Febrim Phavorinus, Calvitium Synesius, Muscam & Parasiticam Lucianus. Cum Seneca Claudii luserit (4) ἀποθέωσιν, Plutarchus Grylli cum Ulysse dialogum, Lucianus & Apulejus asinum, & nescio quis Grunnii Corocottæ porcelli testamentum, cujus & divus meminit Hieronymus. Proinde si videbitur, fingant isti me latrunculis interim, animi causa lusisse, aut si malint, equitasse in arundine longa. Nam quæ tandem est iniquitas, cum omni vitæ instituto suos lusus concedamus, studiis nullum omnino lusum permittere, maxime si nugæ seria ducant, atque ita tractentur ludicra, ut ex his aliquanto plus frugis referat lector, non omnino naris obesæ, quam ex quorundam tetricis ac splendidis argumentis? Veluti cum alius diu consarcinata oratione rhetoricem, aut philosophiam laudat, alius principis alicujus laudes describit, alius ad bellum adversus Turcas movendum adhortatur, alius futura prædicit, alius novas de lana caprina comminiscitur quæstiunculas. Ut enim nihil nugacius, quam seria nugatorie tractare, ita nihil festivius, quam ita tractare nugas, ut nihil minus, quàm nugatus fuisse videaris. De me quidem aliorum erit judicium. Tametsi, nisi plane me fallit (5) φιλαυτία, Stul-

1 Id est, qui nunquam morosо est animo. Vid. Chiliades.
2 Pignus memoriæ causa relictum.
3 Pugnam Ranarum & Murum.
4 Relationem in Deorum numerum.
5 Amor mei ipsius.

Stultitiam laudavimus, sed non omnino stultè. Jam vero ut de mordacitatis cavillatione respondeam, semper hæc ingeniis libertas permissa fuit, ut in communem hominum vitam salibus luderent impune, modò ne licentia exiret in rabiem. Quo magis admiror his temporibus aurium delicias, quæ nihil jam fere nisi solennes titulos ferre possunt. Porro nonnullos adeo præposterè religiosos videas, ut vel gravissima in Christum convitia ferant citius, quàm pontificem, aut principem levissimo joco aspergi: Præsertim si quid (1) πρὸς τὰ ἄλφιτα *attinet. At enim qui vitas hominum ita taxat, ut neminem omnino perstringat nominatim, quæso, utrum is mordere videtur, an docere potius, ac monere? Alioqui quot obsecro nominibus ipse me taxo? Præterea qui nullum hominum genus prætermittit, is nulli homini, vitiis omnibus iratus videtur. Ergo si quis extiterit, qui sese læsum clamabit, is aut conscientiam prodet suam, aut certe metum. Lusit hoc in genere multò liberius ac mordacius Divus Hieronymus, ne nominibus quidem aliquoties parcens. Nos præterquam quod à nominibus in totum abstinemus, ita præterea stylum temperavimus, ut cordatus lector facilè sit intellecturus, nos voluptatem magis, quam morsum quæsisse. Neque enim ad Juvenalis exemplum, occultam illam scelerum sentinam usquam movimus, & vidēda magis quàm fœda recensere studuimus. Tum si quis est, quem nec ista placare possunt, is saltem illud meminerit, pulchrum esse à stultitia vituperari: quàm cum loquentem fecerimus, decoro personæ serviendum fuit. Sed quid ego hæc tibi, parono tam singulari, ut causas etiam non optimas, optimè tamen tueri possis? Vale disertissime More, & Moriam tuam suaviter defende. Ex rure. V. Idus Junias.*

1 *Ad farinas*, i. e. ad reditus.



MOPIAΣ ΕΓΚΩΜΙΟΝ, Id est STULTITIÆ LAUS,

Erasmi Roterodami Declamatio.

STULTITIA LOQUITUR.

Stultorum risus.

UTcunque de me vulgo mortales loquuntur, neque enim sum nescia, quam malè audiat stultitia etiam apud stultissimos, tamen hanc esse, hanc inquam esse unam, quæ meo numine Deos atque homines exhilaro, vel illud abundè magnum est argumentum, quod, simul atque in hunc cœtum frequentissimum dictura prodii, sic repentè omnium vultus nova quadam atque insolita hilaritate enituerunt, sic subito frontem exporrexistis, sic læto quodam & amabili applausistis risu, ut mihi profecto, quotquot undique præsentes intueor, pariter Deorum Homericorum nectare, non sine (1) Nepenthe, temulenti esse videamini, cum antehac tristes ac solliciti sederitis, perinde quasi nuper è Trophonii specu reversi. Cæterum quemadmodum fieri consuevit, ut cum sol primum formosum illud & aureum os terris ostenderit, aut ubi post asperam hyemem, novum ver blandis aspirarit Favoniis, protinus nova rebus omnibus facies, novus color ac plane juventa quædam redeat, ita vobis me conspecta, mox alius accessit vultus. Itaque quod magni alioqui Rhetores, vix longa diuque meditata oratione possunt efficere, nempe ut molestas animi curas discutiant, id ego solo statim aspectu præstiti. Quam

1 Herba quæ vino infusa lætitiam parit.

1 Ipse

Quam ob rem autem hoc insolito cultu prodierim hodie, jam audietis, si modò non gravabimini dicenti præbere aures, non eas sane, quas sacris concionatoribus, sed quas fori circulatoribus, scurris ac morionibus consueviſtis arrigere, quasque olim Midas ille noster exhibuit Pani. Lubitum est enim paulisper apud vos Sophistam agere, non quidem hujus generis, quod hodie nugas quasdam anxias inculcat pueris, ac plus quam muliebrem rixandi pertinaciam tradit, sed veteres illos imitabor, qui quò infamem Sophorum appellationem vitarent, sophistæ vocari maluerunt. Horum studium erat, deorum ac fortium virorum laudes encomiis celebrare. Encomium igitur audietis non Herculis, neque Solonis, sed meum ipsius, hoc est, Stultitiæ. *Narrationis argumentum.*

Jam verò non hujus facio sapientes istos, qui stultissimum & insolentissimum esse prædicant, si quis ipse laudibus se ferat. Sit sanè, quàm volent stultum, modò decorum esse fateantur. Quid enim magis quadrat, quam ut ipsa Moria suarum laudum sit buccinatrix, & (1) αὐτὴ ἑαυτὴν αὐλῇ; Quis enim me melius exprimat quam ipsa me? Nisi si cui forte notior sim, quam egomet sum mihi. Quanquam ego hoc alioqui, non paulò etiam modestius arbitror, quàm id quod optimatum ac sapientum vulgus factitat, qui perverso quodam pudore, vel Rhetorem quempiam palponem, vel poëtam vaniloquum, subornare solent, eumque mercede conductum, à quo suas laudes audiant, hoc est, mera mendacia, & tamen verecundus interim ille, pavonis in morem pennas tollit, crista erigit, cùm impudens assentator nihili hominem diis æquiparat, eum absolutum omnium virtutum exemplar proponit, à quo sciat ille se plus quam (2) δὶς διὰ πασῶν abesse, cum corniculam alienis convestit plumis: cùm (3) τὸ Αἰθίοπα λευκαίνει, denique cùm (4) ἐκ μύας τὸν ἐλέφαντα ποιεῖ. Laus ipsius. Laudatores conducti.

Postremò sequor tritum illud vulgi proverbium, quo dici-

1 *Ipsa sui ipsius Tibicina sit.* Proverbium.

2 *Bis per omnia.* Proverbialis locutio, i. multum V. Chiliades.

3 *Æthiopem dealbat.* Proverbium de eo qui frustra laborat.

4 *Ex musca Elephantum facit.* Proverbium.

dicitur is rectè laudare ſeſe, cui nemo alius contigit laudator. Quamquam hic interim demiror mortalium ingratitudinem dicam, an ſegnitiem, quorum cum omnes me ſtudioſè colant, meamque libenter ſentiant beneficentiam, nemo tamen tot jam ſeculis extitit, qui grata oratione Stultitiæ laudes celebrarit, cum non defuerint, qui Buſirides, Phalarides, febres quartanas, muſcas, calvitia, atque id genus peſtes, accuratis magnaque & olei & ſomni jactura elucubratis laudibus evexerint. A me extemporariam quidem illam, & illaboratam, ſed tantò veriorem audietis orationem.

Irrisio oratorum.

Id quod nolim exiſtimetis ad ingenii oſtentationem eſſe confictum, quemadmodum vulgus oratorum facit. Nam ii, ſicuti noſtis, cum orationem totis triginta annis elaboratam, nonnunquam & alienam proferunt, tamen triduo ſibi quaſi per luſum ſcriptam, aut etiam dictatam eſſe deierant. Mihi porro ſemper gratiſſimum fuit, (1) ὅττικεν ἐπ' ἀκαιρίμαν γλῶτταν ἔλθῃ dicere. At ne quis jam à nobis expectet, ut juxta vulgarium iſtorum Rhetorum conſuetudinem, me ipſam finitione explicem, porro ut dividam, multò minus. Nam utrumque ominis eſt inauſpicati, vel fine circumſcribere eam, cujus numen tam latè pateat, vel ſecare, in cujus cultum omne rerum genus ita conſentiat. Tametſi quorſum tandem attinet mei velut umbram atque imaginem finitione repræſentare, cum ipſam me coram præſentes præſentem oculis intueamini? Sum etenim uti videtis, vera illa largitrix (2) ἐάων, quam Latini ſtultitiam, Græci μωρίαν appellant.

Stultitia latere nequit.

Quamquam quid vel hoc opus erat dicere, quaſi non ipſo ex vultu fronteque, quod ajunt, ſatis quæ ſim præ me feram, aut quaſi ſi quis me Minervam, aut Sophiam eſſe contendat, non ſtatim ſolo poſſit obtutu coargui, etiamſi nulla accedat oratio, minimè mendax animi ſpeculum. Nullus apud me fucis locus, nec aliud fronte ſimulo aliud in pectore premo. Sumque mei undique ſimillima, adeo ut nec

1 *Quicquid in linguam intempeſtivam venerit.*

2 *Bonorum.*

1 *In*

nec ii me dissimulare possint, qui maxime Sapientiæ personam ac titulum sibi vendicant (1) ἐν πορφύρᾳ πίθηκοι ἐν τῇ λεοντῇ ὄνοι obambulant. Quamvis autem sedulo fingant, tamen aliunde prominentes auriculæ Midam produnt. Ingratum mehercle & hoc hominum genus; qui, cùm maximè sint nostræ factionis, tamen apud vulgum cognominis nostri sic pudet, ut id passim aliis magni probri vice objiciant. Proinde istos cum sint (2) μωρότατοι re, cæterum Sophi ac Thaletes videri velint, nonne jure optimo (3) μωροσόφους appellabimus?

Visum est enim hac quoque parte nostri temporis Rhetores imitari, qui plane Deos esse sese credunt, si hirudinum ritu bilingues appareant, ac præclarum facinus esse ducunt, latinis orationibus subinde græculas aliquot voculas, velut emblemata intertexere, etiamsi nunc non erat his locus. Porro si desunt exotica, è putribus chartis quatuor aut quique prisca verba eruunt, quibus tenebras offundant lectori, videlicet, ut qui intelligunt, magis ac magis sibi placeant: qui non intelligunt, hoc ipso magis admirentur, quò minus intelligunt. Quandoquidem est sanè & hoc nostratium voluptatum genus non inelegans; quàm maximè peregrina maxime suspicere. Quod si qui paulo sunt ambitiosiores, arrideant tamen & applaudant, atque asini exemplo (4) τὰ ὦτα κινοῦσι, quo cæteris probè intelligere videantur, (5) ἃ ταῦτα δὴ μέν ταῦτα. Nunc ad institutum recurro. *Oratorum affectatio.*

Nomen igitur habetis viri. Quid addam epitheti? Quid nisi stultissimi? Nam quo alio honestiore cognomine Mystas suos compellet Dea Stultitia? Sed quoniam non perinde multis notum est, quo genere prognata sim, id jam Musis bene juvantibus exponere conabor. Mihi vero neque Chaos, neque Orcus, neque Saturnus, neque Japetus, aut alius id genus obsoletorum, ac putrium deorum quispiam pater fuit. Sed (6) πλῆτος, ipse unus, vel invitis Hesiodo & Homero, atque ipso adeo Jove, (7) πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε. *Stultitiæ nomen & genus.* *Pluti laus.* *Stultitiæ.*

Cujus

1 *In purpura Simia, in Leonina pelle asini.* Proverb.
2 *Stultissimi.*
3 *Stulto Sapientes.*
4 *Aures movent.*
5 *Atque hæc sunt hæc.* Ex Aristophanis Pluto.
6 Deus divitiarum.
7 *Pater hominum & Deorum.*

Cujus unius nutu, ut olim, ita nunc quoque sacra profanaque omnia sursum ac deorsum miscentur. Cujus arbitrio bella, paces, imperia, consilia, judicia, comitia, connubia, pacta, fœdera, leges, artes, ludicra, seria, (jam spiritus me deficit) breviter, publica privataque omnia mortalium negotia administrantur. Citra cujus opem, totus ille poëticorum Numinum populus, dicam audacius, ipsi quoque dii selecti, aut omnino non essent, aut certè (1) οἰκόσιτοι sanè quàm frigidè vicitarent. Quem quisquis iratum habuerit, huic ne Pallas quidem satis auxilii tulerit. Contra; quisquis propitium, is vel summo Jovi, cum suo fulmine mandare laqueum possit, (2) τοῦτε πατρὸς εὔχομαι εἶναι. Atque hic quidem me progenuit non è cerebro suo, quemadmodum tetricam illam ac torvam Palladem Jupiter, verùm ex (3) Neotete nympha multò omnium vetustissima, pariter ac festivissima. Neque rursum id tristi illi alligatus conjugio, quomodo faber ille claudus natus est, verùm quod non paulo suavius (4) ἐν φιλότητι μιχθείς, quemadmodum noster ait Homerus. Genuit autem, ne quid erretis, non Aristophanicus ille Plutus, jam capularis, jam oculis captus, sed quondam integer adhuc calidusque juventa, neque juventa solùm, verùm multo magis nectare, quod tum fortè in deorum convivio largius ac meracius hauserat.

Stultitiæ Patria.

Quod si locum quoque natalem requiritis, (quandoquidem id hodie vel inprimis ad nobilitatem interesse putant, quo loco primos ederis vagitus) ego nec in erratica Delò, nec in undoso mari, nec (5) ἐν σπίσσι γλαφυροῖσι sum edita, sed in ipsis insulis fortunatis, ubi (6) ἄσπαρτα ἠδ' ἀνήροτα omnia proveniunt. In quibus neque labor, neque senium, neque morbus est ullus, nec usquam in agris asphodelus, malva, squilla, lupinumve, aut faba, aut aliud hoc genus nugarum conspicitur. Sed passim oculis, simulque naribus adblandiuntur moly, panace, nepenthes, amaracus, ambrosia,

1 *Domi cœnarent* i.e. Sacrificiis carerent. Ex Luciani libro de sacrificiis.

2 *Hujus patris esse glorior.* Ex Homero.

3 *Juventute.*

4 *In amore mixtus.*

5 *In speculis cavis.* Ex Homero.

6 *Inseminata & inarata.* Ex Homero.

Summo

brosia, lotus, rosa, viola, hyacinthus, Adonidis hortuli. Atque in his quidem nata deliciis, nequaquam à fletu sum auspicata vitam, sed protinus blandè arrisi matri. Jam verò non invideo (1) τῷ ὑπάτῳ μερσίωνι, capram altricem, cùm me duæ lepidissimæ nymphæ suis aluerint mammis, (2) Methe Baccho progenita, & (3) Apædia Panos filia.

Quas hic quoque in cæterarum comitum ac pedisequarum mearum consortio videtis. Quarum mehercle nomina, si voletis cognoscere, ex me quidem non nisi Græcè audietis. Hæc nimirum quam sublatis superciliis conspicamini, (4) φιλαυτία est. Huic, quam velut arridentibus oculis, ac plaudentem manibus videtis (5) κολακία nomen. Hæc semisomnis ac dormitanti similis (6) λήθη vocatur. Hæc cubito utroque innitens, consertisque manibus, (7) μισοπονία dicitur. Hæc, roseo revincta serto, & undique delibuta unguentis, (8) ἡδονὴ. Hæc lubricis & huc atque illuc errantibus luminibus, (9) ἄνοια dicitur, hæc nitida cute, probeque saginato corpore (10) τρυφὴ nomen habet. Videtis & Deos duos, puellis admixtos, quorum alterum (11) κῶμον vocant, alterum (12) νηγρέτον ὕπνον. Hujus, inquam, famulitii fidelibus auxiliis genus omne rerum meæ subjicio ditioni, ipsis etiam imperans imperatoribus. *Stultitiæ comites.*

Genus, educationem, & comites audistis. Nunc ne cui fine causa videar mihi Deæ nomen usurpare, quantis commoditatibus Deos simul & homines adficiam, quamque latè meum pateat numen, arrectis auribus accipite. Etenim si non inscitè scripsit quidam, hoc demum esse Deum, juvare mortales, & si merito in deorum senatum asciti sunt, qui vinum, aut frumentum, aut unam aliquam hujusmodi commoditatem mortalibus ostenderunt, cur non ego jure deorum omnium ἄλφα dicar, habearque, quæ una omnibus largior omnia? *Stultitia Dea.*

Prin-

1 *Summo Jovi.*
2 *Temulentia.*
3 *Imperitia.*
4 *Amor sui ipsius.*
5 *Adulatio.*
6 *Oblivio.*
7 *Odium laboris*, i. e. pigritia.
8 *Voluptas.*
9 *Amentia.*
10 *Deliciæ.*
11 *Deum conviviorum.*
12 *Altissimum somnum.*

1 *Potens*

Stultitia causa propagationis generis humani.

Principio quid esse potest vita ipsa vel dulcius vel preciosius? At hujus exordium cui tandem acceptum ferri convenit, nisi mihi? Neque enim aut (1) ὁξυμοπάτρης hasta Palladis, aut (2) νεφεληγερέτα Jovis ægis hominum genus vel progignit, vel propagat. Verum ipse Deûm pater atque hominum rex, qui totum nutu tremefactat olympum, fulmen illud triſculum ponat oportet, & vultum illum Titanicum, quo, cum lubet, Deos omneis territat, planeque hiſtrionum more, aliena ſumenda miſero perſona, ſi quando velit id facere, quod nunquam non facit, hoc eſt, (3) παιδοποιεῖν. Jam vero Stoici ſe diis proximos autumant. At date mihi terque quaterque, aut ſi libet, ſexcenties Stoicum, tamen huic quoque, ſi non barba inſigne ſapientiæ, etiamſi cum hircis commune, certè ſupercilium erit ponendum, explicanda frons, abjicienda dogmata illa adamantina, ineptiendum ac delirandum aliquantiſper. In ſumma, me, me, inquam, ſapiens ille accerſat oportet, ſi modò pater eſſe velit. Et cur non apertius meo more vobiſcum fabuler? Quæſo num caput, num facies, num pectus, num manus, num auris, quæ partes honeſtæ putantur, progenerant Deos aut homines? Non opinor, imo ea pars adeo ſtulta, adeoque ridicula, ut nec nominari citra riſum poſſit, humani generis eſt propagatrix. Is demum eſt ſacer ille fons unde vitam hauriunt omnia verius, quam ille Pythagoricus (4) quaternio. Age vero, qui vir obſecro matrimonii capiſtro velit præbere os, ſi quemadmodum iſti ſapientes facere conſueverunt, prius ejus vitæ incommoda ſecum perpenderit: aut quæ tandem mulier virum admiſſura ſit, ſi partûs periculoſos labores, ſi educationis moleſtiam, vel norit, vel cogitarit? Porro ſi conjugiis debetis vitam, conjugium autem debetis (5) ἀνοίᾳ pediſequæ, mihi nimirum quid debeatis intelligitis. Tum quæ ſemel hæc experta, denuo repetere velit, niſi (6) λήθης præſens numen adfuerit? Neque verò id Venus ipſa, vel reclamante Lucretio unquam inficias iverit, ſine noſtri numinis

1 *Potente patre prognatæ.*
2 *Nubes cogentis.*
3 *Liberorum procreationi operam dare.*
4 Pythagoras ex quatuor principiis omnia eſſe putabat.
5 *Amentiæ.*
6 *Oblivionis.*

1 *In*

minis acceſſione, ſuam vim mancam atque irritam eſſe. Itaque ex noſtro illo temulento ridiculoque luſu, proveniunt & ſupercilioſi philoſophi, in quorum locum nunc ſucceſſere, quos vulgus Monachos appellat, & purpurei reges, & pii ſacerdotes, & ter ſanctiſſimi pontifices. Poſtremo totus etiam ille deorum poëticorum cœtus, adeo frequens, ut turbam vix jam ipſe capiat olympus, tametſi ſpacioſiſſimus.

Stultitiæ debentur vitæ commoda.

At ſane parum ſit mihi vitæ ſeminarium, ac fontem deberi, niſi quicquid in omni vita commodi eſt, id quoque totum oſtendero mei muneris eſſe. Quid autem hæc, num omnino vita videtur appellanda, ſi voluptatem detraxeris? Applauſiſtis. Equidem ſciebam neminem veſtrum ita ſapere, vel deſipere magis, imo ſapere potius, ut in hac eſſet ſententia. Quanquam ne Stoici quidem iſti voluptatem aſpernantur, tametſi ſedulo diſſimulant milleque conviciis eam apud vulgus dilacerant, nimirum ut deterritis aliis, ipſi prolixius fruantur. Sed dicant mihi per Jovem, quæ tandem vitæ pars eſt, non triſtis, non infeſtiva, non invenuſta, non inſipida, non moleſta, niſi voluptatem, id eſt, ſtultitiæ condimentum adjunxeris? Cujus rei cùm ſatis idoneus teſtis eſſe poſſit, ille nunquam ſatis laudatus Sophocles, cujus extat pulcherrimum illud de nobis elogium (1) ἐν τῷ φρονεῖν γὰρ μηδὲν, ἥδιστος βίος, tamen age, rem omnem ſingulatim aperiamus.

Infantia ſtulta.

Principio quis neſcit primam hominis ætatem multo lætiſſimam multoque omnibus gratiſſimam eſſe? quid eſt enim illud in infantibus, quod ſic exoſculamur, ſic amplectimur, ſic fovemus, ut hoſtis etiam huic ætati ferat opem, niſi ſtultitiæ lenocinium, quod data opera prudens natura recens natis adjunxit, ut aliquo voluptatis velut auctoramento, & educantium labores delinire queant, & tuentium favores eblandiantur? Deinde quæ ſuccedit huic adoleſcentia, quàm eſt apud omnes gratioſa, quam illi candidè favent omnes, quam ſtudioſè provehunt, quam officioſè porrigunt auxiliares manus? At unde quæſo iſta juventæ gratia? unde niſi ex me? cujus beneficio

Adoleſcentia.

quam

1 *In nihil ſapiendo vita jucundiſſima.*

quam mininum sapit, atque ob id quam minimè rin-
Virilis ætas. gitur. Mentior, nisi mox ubi grandiores facti per re-
rum usum, ac disciplinas virile quiddam sapere cœ-
perint, continuo defloresçit formæ nitor, languescit
Senectus. alacritas, frigescit lepos, labascit vigor. Quoque lon-
gius à me subducitur, hoc minus minusque vivit, do-
nec succedat τὸ χαλεπὸν γῆρας, id est, molesta senectus,
non jam aliis modò, verùm etiam sibimet invisa. Quæ
quidem prorsus nulli mortalium foret tolerabilis, nisi
rursum tantorum miserta laborum dextra adessem, &
quemadmodum Dii poëtarum solent pereuntibus a-
liqua metamorphosi succurrere, itidem ego quoque
jam capulo proximos denuo, quoad licet, ad pueri-
tiam revocarem. Unde non abs re vulgus eos (1)
παλίμπαιδας appellare consuevit. Porro, si quis trans-
formandi rationem requirat, ne id quidem celarim.
Ad Lethes nostræ fontem, nam in insulis fortunatis o-
ritur (siquidem apud inferos tenuis modo rivulus la-
bitur,) eos produco, ut simul atque illic longa pota-
rint oblivia, paulatim dilutis animi curis repube-
scant. At isti jam delirant, inquiunt, jam desipiunt.
Esto sane. Sed istuc ipsum est repuerascere. An verò
aliud est puerum esse, quàm delirare, quàm desipere?
An non hoc vel maximè in ea delectat ætate, quod ni-
hil sapit? Quis enim non ceu portentum aderit, atque
execretur puerum virili sapientia? astipulatur & vul-
go jactatum proverbium, Odi puerulum præcoci sa-
pientia. Quis autem sustineret habere commercium
aut consuetudinem cum eo sene, qui ad tantam rerum
experientiam, parem animi vigorem, judiciique acri-
moniam adjunxisset: Itaque delirat senex meo mune-
re. Sed tamen delirus iste meus interim miseris illis
curis vacat, quibus sapiens ille distorquetur. Interim
non illepidus est compotor. Non sentit vitæ tædium,
quod robustior ætas vix tolerat. Nonnunquam cum
sene Plautino ad tres illas literas revertitur, infelicis-
simus si sapiat. At interim meo beneficio felix, inte-
rim amicis gratus, ne congerro quidem infestivus.
Quandoquidem & apud Homerum è Nestoris ore
fluit oratio melle dulcior, cùm Achillis sit amarulen-
ta,

1 *Iterum pueros.*

1 *Graci.*

ta, & apud eundem senes in mœnibus considentes, (1) τὴν λειριόεσσαν vocem edunt. Quo quidem calculo ipsam etiam superant pueritiam, suavem quidem illam, sed infantem, ac præcipuo vitæ oblectamento, pura garrulitate carentem. Addite huc, quòd pueris quoque gaudeant impensius senes, ac pueri vicissim senibus delectantur. (2) ὡς αἰεὶ τὸ ὅμοιον ἄγει θεὸς ὡς τὸ ὅμοιον. Quid enim inter illos non convenit, nisi quod hic rugosior & plures numerat natales? Alioqui capillorum albor, os edentulum, corporis modus minor, lactis appetentia, balbuties, garrulitas, ineptia, oblivio, incogitantia, breviter omnia cætera congruunt. Quoque magis accedunt ad senectam, hoc propiùs ad pueritiæ similitudinem redeunt, donec puerorum ritu, citra vitæ tædium, citra mortis sensum emigrant è vita.

Stultitia potentissima Dearum juventam perpetuam facit

Eat nunc, qui volet, & hoc meum beneficium reliquorum deorum metamorphosi comparet. Qui quid irati faciant, non libet commemorare, sed quibus quàm maximè propitii sunt, eos solent in arborem, in avem, in cicadam aut etiam in serpentem transformare: quasi vero non illud ipsum sit perire, aliud fieri. Ego verò hominem eundem optimæ ac felicissimæ vitæ parti restituo. Quod si mortales prorsus ab omni sapientiæ commercio temperarent, ac perpetuò mecum ætatem agerent, ne esset quidem nullum senium, verum perpetuâ juventa fruerentur felices. An non videtis tetricos istos & vel Philosophiæ studiis, vel seriis & arduis addictos negotiis, plerumque priusquam plane juvenes sint, jam consenuisse, videlicet curis, & assidua acrique cogitationum agitatione sensim spiritus & succum illum vitalem exhauriente? Cum contra Moriones mei pinguiculi sint, & nitidi, & bene curata cute, plane (3) χοῖροι quod ajunt, ἀκαρνάνιοι, nunquam profecto senectutis incommodum ullum sensuri, nisi nonnihil, ut fit, sapientum contagio inficerentur. Adeo nihil patitur hominum vita, omni ex parte beatum esse. Accedit ad hæc vulgati proverbii non leve testimonium, quo dictitant, Stultitiam unam esse rem, quæ & juventam alioqui fugaciſſimam remore-

1 *Gracilem.*
2 *Ut semper similem ducit Deus ad similem.*
3 *Porci Acarnanii.* Proverb.

1 *Me-*

moretur, & improbam senectam procul arceat. Ut non temere de Brabantis populari sermone jactatum sit. Cum cæteris hominibus ætas prudentiam adferre soleat, hos quo propius ad senectam accedunt, hoc magis atque magis stulteſcere. Atqui hac gente non est alia, vel ad communem vitæ consuetudinem festivior, vel quæ minus sentiat senectutis tristitiam. His quidem ut loco, ita & vitæ instituto confines sunt Hollandi mei, cur enim non meos appellem, usque adeo studioſos mei cultores, ut inde vulgo cognomen emeruerint? cujus illos adeo non pudet, ut hinc vel præcipue seſe jactitent. Eant nunc stultissimi mortales, & Medeas, Circes, Veneres, Auroras, & fontem nescio quem requirant, quo sibi juventam restituant, cum id sola præstare & possim & soleam. Apud me succus est ille mirificus, quo Memnonis filia Tithoni avi sui juventam prorogavit. Ego sum Venus illa cujus favore Phaon ille repubuit, ita ut à Sapphone tantopere deamaretur. Meæ sunt herbæ si quæ sunt, mea precamina, meus ille fons, qui non solùm revocat elapsam adoleſcentiam, sed, quod est optabililius, perpetuam servat. Quod si omnes huic sententiæ subscribitis, adoleſcentia nihil esse melius, senectute deteſtabilius, quantum mihi debeatis videtis opinor, quæ tantum bonum retineam, tanto excluſo malo.

Dii stultitiâ commendabiles.

Sed quid adhuc de mortalibus loquor? Cœlum omne lustrate, & mihi meum nomen opprobret licebit, quicunque volet, si quem omnino deorum reperit non insuavem & aspernabilem, nisi meo numine commendetur. Etenim cur semper ephebus & comatus Bacchus? Nempe quia vecors ac temulentus, conviviis, salutationibus, choreis, lusibus vitam omnem transigens, ne tantulum quidem habet cum Pallade commercii. Denique tantum ab est, ut sapiens haberi postulet, ut ludibriis ac jocis coli gaudeat. Neque proverbio offenditur, quod illi fatui cognomentum attribuit, id est hujusmodi, (1) μωρύχε μωρότερος. Porro Morycho nomen verterunt, quod illum pro templi foribus sedentem, musto ficisque recentibus, agricolarum lascivia consueverit oblinere. Tum autem quid non scommatum in hunc vetus jacit comœdia?

1 *Morycho stultior.* Vid. Chiliad. 1 *Pro-*

mœdia? O insulsum, inquiunt, Deum, & dignum qui ex inguine nasceretur. At quis non malit hic fatuus & insulsus esse, semper festivus, semper pubescens, semper omnibus lusus ac voluptatem adferens, quam vel (1) ἀγκυλομήτης ille Jupiter omnibus formidabilis, vel Pan suis tumultibus omnia senio vitians, vel favillis oppletus Vulcanus ac semper officinæ laboribus squalidus, aut Pallas etiam ipsa sua Gorgone & hasta terribilis, (2) κἀεὶ ἐνορῶσα δριμύ. Cur semper puer Cupido? Cur? nisi quia nugator est, (3) κ' μηδὲν ὑγιὲς neque facit, neque cogitat? Cur aureæ Veneri semper vernat sua forma? Nimirum, quia mecum habet affinitatem, unde & patris mei colorem vultu refert, atque hac de causa est apud Homerum, (4) χρυσὴ ἀφροδίτη. Deinde perpetuo ridet, si quid modo poëtis credimus, aut horum æmulis statuariis. Quod numen unquam religiosius coluere Romani, quam Floræ omnium voluptatum parentis? Quanquam si quis etiam tetricorum deorum vitam diligentius requirat ab Homero, reliquisque poëtis, reperiet, stultitiæ plena omnia. Quid enim attinet reliquorum facta commemorare, cum Jovis ipsius fulminatoris amores ac lusus probè noritis? cum severa illa Diana oblita sexus, nihil aliud quam venetur. Endymionem interim deperiens. Verum illi sua facinora à Momo audiant malim, a quo sæpius quondam audire solebant. Sed hunc nuper irati una cum (5) Ate in terras præcipitem dederunt, quod sapientia sua felicitati deorum importunus obstreperet, neque mortalium ullus exulem dignatur hospitio, tantum abest ut illi in principum aulis sit locus, in quibus tamen mea (6) κολακία primas tenet cui cum Momo non magis convenit, quam cum agno lupis. Itaque sublato illa jam multo licentius ac suavius nugantur dii, vere (7) ῥᾷον ἀῤῥοντες, ut inquit Homerus, nullo videlicet censore. Quos enim non præbet jocos ficulnus ille Priapus? Quos non ludos exhibet furtis ac præstigiis

1 *Profundi consilii.*
2 *Et semper aspiciens torve.*
3 *Nihil sanum.*
4 *Aurea Venus.*
5 *Noxa.* Hanc Homerus finxit à Jove in terram deturbatam & hujus opera inter mortales dissidia nasci.
6 *Adulatio.*
7 *Beatè viventes.*

giis suis Mercurius? Quin & Vulcanus ipse in deorum conviviis (1) γελωποιον agere consuevit, ac modo claudicatione, modo cavillis, modo ridiculis dictis exhilarare compotationem. Tum & Silenus ille senex amator (2) τὸν κόρδακα saltare solitus, cum una Polyphemo (3) τὴν τρεταγελὼ, Nymphis (4) τὴν γυμνοπαιδιαν saltantibus. Satyri semicapri (5) Atellanas agitant. Pan insulsa quapiam cantiuncula risum omnibus movet, quem ita malunt, quam ipsas audire Musas, præcipuè cum jam nectare cœperint madere. Porro quid ego nunc commemorem, quæ probe poti dii post convivium agitent? adeo me hercle stulta, ut ipsa nonnunquam à risu temperare nequeam. At satius est in his Harpocratis meminisse, ne forte nos quoque (6) Corycæus Deus auscultet, ea narrantes, quæ ne Momus quidem impunè proloquutus est.

Stultitia innata hominibus.

Sed jam tempus est, ut ad Homericum exemplar relictis cœlitibus vicissim in terram demigremus, quamquam ibi nihil lætum, aut felix, nisi meo munere dispiciamus. In primis videtis quanta providentia natura parens, & humani generis opifex, illud caverit, ne usquam deesset stultitiæ condimentum? Etenim cum Stoicis definitoribus nihil aliud sit sapientia, quam duci ratione: contra stultitia, affectuum arbitrio moveri, ne plane tristis ac tetrica esset hominum vita, Jupiter quanto plus indidit affectuum quàm rationis? quasi semiunciam compares ad assem. Præterea rationem in angustum capitis angulum relegavit, reliquum omne corpus perturbationibus reliquit. Deinde duos quasi tyrannos violentissimos uni opposuit: iram, quæ præcordiorum arcem obtinet, atque adeo ipsum vitæ fontem, cor, & concupiscentiam, quæ ad imam usque pubem latissimè imperium occupat. Adversus has geminas copias quantum valeat ratio, communis hominum vita satis declarat, cum illa, quod unum licet, vel

1 *Morionem.*
2 Genus saltationis.
3 Vox ficta, qua representatur saltatio Polyphemi.
4 Saltationis genus nudus pedibus.
5 Choreas ab Atella urbe.
6 Id est, explorator. Proverbialis loquutio de qua Vid. Chiliad.

A. Un-

vel usque ad ravim reclamat, & honesti dictat formulas, verum hi laqueum regi suo remittunt, multoque odiosius obstrepunt, donec jam his quoque fessus ultro cedit, ac manus dat.

Cæterum quoniam viro administrandis rebus natо, pluſculum de rationis unciola erat aſpergendum, ut huic quoque pro virili conſuleret, me hic ſicut in cæteris in conſilium adhibuit, moxque conſilium dedi me dignum, nempe uti mulierem adjungeret: animal videlicet ſtultum quidem illud atque ineptum, verùm ridiculum & ſuave, quo convictu domeſtico, virilis ingenii triſtitiam, ſua ſtultitia condiret atque edulcaret? Nam quod Plato dubitare videtur, utro in genere ponat mulierem, rationalium animantium, an brutotum, nihil aliud voluit, quam inſignem ejus ſexus ſtultitiam indicare. Quod ſi qua forte mulier ſapiens haberi voluerit, ea nihil aliud egerit quam ut bis ſtulta ſit, perinde quaſi bovem aliquis ducat ad (1) ceroma, invita reluctanteque, ut ajunt, Minerva. Conduplicat enim vitium, quisquis contra naturam virtutis fucum inducit, atque aliò deflectit ingenium. Quemadmodum, juxta Græcorum proverbium, ſimia ſemper eſt ſimia, etiam ſi purpura veſtiatur; Ita mulier ſemper mulier eſt, hoc eſt ſtulta, quamcunque perſonam induerit. Neque verò mulierem genus usque adeò ſtultum arbitror, ut eam ob rem mihi ſuccenſeant, quod illis & ipſa mulier, & ſtultitia ſtultitiam attribuam. Etenim ſi rem rectâ reputent viâ, hoc ipſum ſtultitiæ debent acceptum ferre, quod ſint viris multis calculis fortunatiores. Primùm formæ gratiam, quam illæ merito rebus omnibus anteponunt, cujusque præſidio in tyrannos etiam ipſos tyrannidem exercent. Alioqui unde nam horror ille formæ, hiſpida cutis, & barbæ ſylva, planè ſenile quiddam in viro, niſi à prudentiæ vitio, cum fœminarum ſemper læves malæ, vox ſemper exilis, cutis mollicula, quaſi perpetuam quandam adoleſcentiam imitentur? Deinde quid aliud optant in hac vita, quam ut viris quam maxime placeant? Nonne huc ſpectant tot cultus, tot fuci, tot balnea, tot compturæ, tot unguenta, tot odores,

Mulieres ſtultæ.

1 Unguentum quo ungebantur athletæ.

res totcomponendi, pingendi fingendi vultus oculos, & cutem, artes? Jam, num alio nomine viris magis commendatæ sunt, quam stultitiæ? Quid enim est, quod illi mulieribus non permittunt? At quo tandem auctoramento, nisi voluptatis? Delectant autem feminæ non alia re, quàm stultitia. Id esse verum non ibit inficias, quisquis secum reputarit, quas vir cum muliere dicat ineptias, quas agat nugas, quoties fœminea voluptate decreverit uti.

Convivia jucunda facit Moria.

Habetis igitur primum & præcipuum vitæ oblectamentum, quo fonte proficiscatur. Sed sunt nonnulli, cum primis autem senes, bibaces quidem illi magis quam mulierosi, qui summam voluptatem in compotationibus constituunt. Equidem an sit ullum lautum convivium ubi mulier non adsit, viderint alii. Illud certè constat, citra stultitiæ condimentum nullum omninò suave esse. Adeo ut si desit, qui seu vera, seu simulata stultitia risum moveat, γελωτοποιὸν quempiam vel mercede conductum accersant, aut ridiculum aliquem parasitum adhibeant, qui ridendis, hoc est, stultis dicteriis, silentium ac tristitiam compotationis discutiat. Quorsum enim attinebat tot bellariis, tot lauticiis, tot cupediis onerare ventrem, nisi & oculi pariter & aures, nisi totus animus, risu, jocis, leporibus pasceretur? At istiusmodi tragematum ego sum architectrix unica. Quanquam illa ipsa jam in conviviis solennia, regem sortiri talis, lusitare tesseris, (1) Philotesiis invitare, certare (2) συμπεριφοραῖς, ad (3) Myrtum canere, saltare, gesticulari, non à septem Græcis sophis verùm à nobis ad humani generis salutem reperta sunt. Atqui omnium hujusmodi rerum ea natura est, ut quo plus habeant stultitiæ, hoc plus conferant vitæ mortalium, quæ si tristis sit, ne vita quidem appellanda videatur. Tristis autem evadat oportet, nisi cognatum tædium hoc genus oblectamentis absterseris.

Amicitia sine Stultia non est.

Sed erunt fortassis, qui hoc quoque voluptatis genus negligant, & in amicorum charitate & consuetudine acquiescant, amicitiam dictitantes unam rebus omnibus anteponendam, quippe rem usque adeo necessa-

1 Est quod vocamus *bibere ad sanitatem.*

2 *Circumlationibus* poculorum in orbem.

3 Cantaturus ferrum ab eo, qui prior cecinerat accipiebat. Vid. Chiliad.

1 Genus

cessariam, ut nec aër, nec ignis, nec aqua magis. Rursum adeo jucundam, ut qui hanc de medio sustulerit, solem sustulerit, adeo denique honestam, si quid tamen hoc ad rem pertinet, ut nec ipsi Philosophi vereantur eam inter præcipua bona commemorare. Sed quid si doceo me hujus quoque tanti boni & puppim esse & proram? Docebo autem non (1) Crocodilitis, aut Soritis, Ceratinis, aut aliis id genus dialecticorum argutiis, sed pingui, quod ajunt, Minerva, rem digito propemodum ostendam. Age, connivere, labi, cæcutire, hallucinari in amicorum vitiis, quædam etiam insignia vitia pro virtutibus amare, mirarique, an non stultitiæ videtur affine? Quid cum alius exosculatur nævum in amica, alium delectat polypus Agnæ, cum filium Strabonem appellat petum pater, quid, inquam, hoc est, nisi mera stultitia? Clament terque quaterque stultitiam esse: atque hæc una *stultitia, & jungit, junctos & servat amicos.* De mortalibus loquor, quorum *nemo sine vitiis nascitur, optimus ille est, qui minimis urgetur.* Cum interim inter sapientes istos Deos, aut omnino non coalescit amicitia, aut tetrica quædam & insuavis intercedit, nec ea nisi cum paucissimis, nam cum nullis dicere religio est, propterea quod maxima pars hominum desipit, imo nullus est, qui non multis modis deliret, & non nisi inter similes cohæret necessitudo. Quod si quando inter severos istos coierit mutua benevolentia, ea certe haud quaquam stabilis est, nec admodum duratura, nimirum inter morosos & plus satis oculatos, ut qui in amicorum vitiis tam cernunt acutum, quam aut aquila, aut serpens Epidaurius. At ipsi in propriis vitiis quam lippiunt, & quam non vident manticam in tergo pendentem? Itaque cum ea sit hominum natura, ut nullum ingenium reperiatur non magnis obnoxium vitiis: adde tantum animorum ac studiorum dissimilitudinem, tot lapsus, tot errata, tot casus vitæ mortalis, quo pacto vel horam constabit inter Agros istos ami-

1 Genus; est quod Dialectici fingunt Crocodilum proposuisse mulieri cujus filium rapuerat; Si dixeris, inquit, quod sum facturus reddam tibi filium. Illa respondit, non reddes; & petebat sibi reddi quia verum dixerat. Imò, inquit Crocodilus, si reddidero non dixeris verum. De Sorite & Cornuto argumento seu Dilemmate Vid. Logicos.

amicitiæ jucunditas, nisi accesserit ea, quam mire Græci (1) εὐηθειαν appellant, hanc seu stultitiam, seu morum facilitatem vertas licebit. Quid autem? an non Cupido ille omnis necessitudinis auctor & parens, prorsum oculis captus est, cui quemadmodum τὰ μὴ καλὰ καλὰ πέφανται, itidem inter vos quoque efficit, ut suum cuique pulchrum videatur, ut cascus cascam, perinde ut pupus pupam, deamet. Hæc passim & fiunt & ridentur, sed tamen hæc ridicula jucundam vitæ glutinant copulantque societatem.

Conjugium infelix absque stultitia.

Porro quod de amicitia dictum est, id multo magis de conjugio sentiendum, quod quidem nihil est aliud, quam individua vitæ conjunctio. Deum immortalem, quæ non divortia, aut etiam divortiis deteriora passim acciderent, nisi viri fœminæque domestica consuetudo, per adulationem, per jocum, per facilitatem, errorem, dissimulationem, meum utique satellitium, fulciretur, alereturque? Papæ, quam pauca coirent matrimonia, si sponsus prudenter exquireret, quos lusus delicata illa, sicuti videtur, ac pudens virguncula jam multo ante nuptias luserit? Tum quanto pauciora cohærerent inita, nisi plurima uxorum facta per viri negligentiam, vel stuporem laterent? Atque hæc quidem merito stultitiæ tribuuntur: verùm ea interim præstat, ut marito jucunda sit uxor, uxori jucundus maritus, ut tranquilla domus, ut maneat affinitas. Ridetur, cuculus, curruca, & quid non vocatur, cum mœchæ lachrymas labellis exorbet. At quando felicius, sic errare, quam zelotypiæ diligentia cum sese conficere, tum omnia miscere tragœdiis?

Nulla societas sine stultitia.

In summa usque adeo nulla vitæ conjunctio sine me vel jucunda, vel stabilis esse potest, ut nec populus principem, nec servum herus, nec heram pedisequa, nec discipulum præceptor, nec amicus amicum, nec maritum uxor, nec locator conductorem, nec contubernalis contubernalem, nec victor victorem diutius ferat, nisi vicissim inter sese nunc errent, nunc adulentur, nunc prudentes conniveant, nunc aliquo stultitiæ melle sese deliniant. Jam hæc scio videri maxima, sed audietis majora.

1 *Fatuitatem.*

Quæso

1. Niteus

Quæso num quemquam amabit, qui ipse semet oderit? Num cum alio concordabit, qui secum ipse dissidet? Num ulli voluptatem adferet, qui sibimet ipsi sit gravis ac molestus? Illud opinor nemo dixerit, nisi qui sit ipsa stultior stultitia. Atqui si me excluseris, adeo nemo poterit alterum ferre, ut ipse etiam sibi quisque puteat, sua cuique sordeant, sibi quisque sit invisus. Quandoquidem id mali natura, non paucis in rebus noverca magis quam parens, mortalium ingeniis insevit, præcipue paulo cordatiorum, ut sui quemque pœniteat, admiretur aliena. Quo fit ut omnes dotes, omnis elegantia, decorque vitæ vitietur pereatque. Quid enim proderit forma, præcipuum deorum immortalium munus, si putiditatis vitio contaminetur? Quid juventa, si senilis tristitiæ fermento corrumpatur? Denique quid in omni vitæ munere vel tecum, vel apud alios acturus es cum decoro (est enim non artis modo, verùm etiam omnis actionis caput decere quod agas) nisi adsit dextra hæc philautia, quæ mihi merito germanæ est vice? Adeo strenue meas ubique partes agit. Quid autem æque stultum, atque tibi ipsi placere? teipsum admirari? At rursum quid venustum, quid gratiosum, quid non indecorum erit, quod agas, ipse tibi displicens? Tolle hoc vitæ condimentum, & protinus frigebit cum sua actione orator, nulli placebit cum suis numeris musicus, explodetur cum sua gesticulatione histrio, ridebitur, una suis cum musis poëta, sordebit cum arte pictor, esuriet cum pharmacis medicus. Postremo pro (1) Nireo Therstites, pro (2) Phaone Nestor, pro Minerva sus, pro facundo infans, pro urbano rusticus videberis. In tantum necesse est, ut sibi quoque quisque blandiatur, & assentatiuncula quapiam sibi prius commendetur, quam aliis possit esse commendatus. Denique cum præcipua felicitatis pars sit, ut quod sis, esse velis, nimirum totum hoc præstat compendio mea philautia, ut neminem suæ formæ, neminem sui ingenii, neminem generis, neminem loci, neminem instituti, neminem patriæ pœniteat, adeo ut nec Hirlandus cum Italo, nec Thrax cum Athenienſi, nec Scytha

Nemo absque eadem sibi ipsi carut.

1 Nireus pulcherrimus; Therstites turpissimus omnium qui ad Trojam venerunt.

2 Phaon beneficio Veneris è sene juvenis factus; Nestor senex trium sæculorum.

Scytha cum insulis fortunatis cupiat permutari. Et ô singularem naturæ solicitudinem, ut in tanta rerum varietate paria fecit omnia! Ubi dotibus suis nonnihil detraxit, ibi plusculum philautiæ solet addere, quanquam hoc ipsum stulte profecto dixi, cum hæc ipsa dos sit vel maxima. Ut ne dicam interim, nullum egregium facinus adiri, nisi meo impulsu, nullas egregias artes, nisi me auctore fuisse repertas. An non omnium laudatorum facinorum seges ac fons est bellum?

Bellum ex stultitia natum.

Porro quid stultius, quam ob causas, nescio quas, certamen ejusmodi suscipere, unde pars utraque semper plus aufert incommodi, quam boni? Nam eorum qui cadunt, veluti Megarensium, (1) ἀδὲις λόγος. Dein cum jam utrimque constitere ferratæ acies, & *rauco crepuerunt cornua cantu*, quis oro sapientum istorum usus, qui studiis exhausti, vix tenui frigidoque sanguine spiritum ducunt: crassis ac pinguibus opus est, quibus quam plurimum adsit audaciæ, mentis quam minimum. Nisi si quis Demosthenem militem malit, qui Archilochi sequutus consilium, vix conspectis hostibus, abjecto clypeo fugit tam ignavus miles, quam orator sapiens. Sed consilium, inquiunt, in bellis plurimum habet momenti. Equidem fateor in duce, verùm id quidem militare, non philosophicum, alioqui parasitis, lenonibus, latronibus, sicariis, agricolis stupidis, obæratis, & hujusmodi mortalium fece res tam præclara geritur, non philosophis lucernariis.

Philosophos inutiles & pernicioſos esse Reip.

Qui quidem quam sint ad omnem vitæ usum inutiles, vel ocrates ipse unus Apollinis oraculo sapiens, sed minime sapienter judicatus, documento esse potest, nescio quid publice conatus agere, summo cum omnium risu discessit. Quanquam vir is in hoc non usquequaque desipit, quod sapientis cognomen non agnoscit, atque ipsi DEO rescribit, quodque censet sapienti à Rep. tractanda abstinendum esse, nisi quod potius monere debuerat, à sapientia temperandum ei, qui velit in hominum haberi numero. Deinde quid eundem accusatum ad cicutam bibendam adegit, nisi sapientia? Nam dum nubes & ideas philosophatur, dum pulicis pedes metitur, dum culicum vocem

1 *Nulla ratio* habetur. Proverbium. Vid. Chiliad.

1 *Asini*

cem miratur, quæ ad vitam communem attinent, non didicit. Sed adest præceptori de capite periclitanti discipulus Plato, egregius scilicet patronus, qui turbæ strepitu offensus, vix dimidiatam illam periodum pronunciare potuit. Jam quid dicam de Theophrasto? Qui progressus in concionem protinus obmutuit, perinde quasi repente lupo conspecto. Qui militem animasset in bello? Isocrates ob ingenii timiditatem nec hiscere unquam est ausus. M. Tullius eloquentiæ Romanæ parens, semper indecora trepidatione, perinde quasi puer singultiens exordiri consuevit. IdqueFabius interpretatur exordii oratoris & periculum intelligentis argumentum Verum cum hoc dicit, an non palam fatetur sapientiam obstare ad rem probe gerendam? Quid isti facient, cum res ferro geritur, qui tum metu exanimantur, cum nudis verbis est decertandum? Et post hæc celebratur, si diis placet, præclara illa Platonis sententia, beatas fore respublicas, si aut imperent philosophi aut philosophentur imperatores. Imo si consules historicos, reperis nimirum nullos reipublicæ pestilentiores fuisse principes, quam si quando in philosophastrum aliquem aut literis addictum inciderit imperium. Cujus rei satis, opinor, faciunt fidem Catones: quorum alter insanis delationibus Reipublicæ tranquillitatem vexavit, alter libertatem Populi Romani dum nimium sapienter vindicat funditus subvertit. Adde his Brutos, Cassios, Gracchos, ac Ciceronem etiam ipsum, qui non minus pestilens fuit Romanorum Reipub. quam Demosthenes Athenienſium. Porro M. Antonius, ut donemus bonum imperatorem fuisse (nam id ipsum extorquere possim) fuit enim hoc ipso nomine gravis, atque invisus civibus, quod tam Philosophus esset. Sed tamen ut donemus fuisse bonum, at certe pestilentior fuit Reipublicæ tali relicto filio, quam fuerat sua administratione salutaris. Quandoquidem solet hoc hominum genus, qui se sapientiæ studio dederunt, cum cæteris in rebus, tum præcipue in liberis propagandis infelicissimum esse, providente opinor natura, ne malum hoc sapientiæ inter mortales latius serpat. Itaque Ciceroni degenerem fuisse filium constat, & sapiens ille Socrates liberos habuit matri similiores quam patri, ut non omnino pessime scripsit quidam, id est, stultos.

Sapientes plerumque habent liberos stultos.

Ad omnia inepti sapientes.

Sed utcunque ferendum, si tantum ad publica munia forent (1) ὄνοι πρὸς λύραν, nisi ad omnem prorsus vitæ fuctionem nihilo essent dexteriores. Ad convivium adhibe sapientem, aut tristi silentio, aut molestis quæstiunculis obturbabit. Ad choream advoca, camelum saltare dices. Ad publicos ludos trahe, ipso vultu populi voluptatibus obstabit, & cogetur è theatro migrare sapiens Cato, quandoquidem supercilium non potest ponere. In colloquium inciderit, repente lupus in fabula. Si quid emendum si contrahendum, breviter si quid eorum agendum, sine quibus hæc quotidiana vita transigi non potest, stipitem dicas sapientem istum, non hominem. Usque adeo neque sibi neque patriæ, neque suis usquam usui esse potest, propterea quod communium rerum sit imperitus & à populari opinione, vulgaribusque institutis longe lateque discrepet. Qua quidem ex re odium quoque consequatur necessum est, nimirum ob tantam vitæ atque animorum dissimilitudinem. Quid enim omnino geritur inter mortales non stultitiæ plenum, idque à stultis, & apud stultos? Quod si quis unus universis velit obstrepere, huic ego suaserim, ut Timonem imitatus, in solitudinem aliquam demigret, atque ibi solus sua fruatur sapientia.

Stultitia Respublicas constituit.

Verùm ut ad id, quod institueram, revertar, quæ vis saxeos, quernos, & agrestes illos homines in civitatem coëgit, nisi adulatio? Nihil enim aliud significat illa Amphionis & Orphei cithara. Quæ res plebem Romanam jam extrema molientem, in corcordiam civitatis revocavit? Num oratio philosophica? Minime. Imo ridiculus ac puerilis apologus de ventre, reliquisque corporis membris confictus. Idem valuit Themistoclis apologus consimilis de vulpe & erinacio. Quæ sapientis oratio tantundem potuisset, quantum commentitia illa cerva Sertorii potuit, quantum Laconis illius de duobus canibus, deque vellendis equinæ caudæ pilis ridendum modo dicti Sertorii commentum? Ut ne quid dicam de Minoë, deque Numa, quorum uterque fabulosis inventis stultam multitudinem rexit. Hujusmodi nugis commovetur ingens ac potens illa bellua, populus.

At

2 *Asini ad lyram.* Proverb. Hoc est, inepti, inidonei.

1. *Factum*

At rursum, quæ civitas unquam Platonis, aut Aristotelis leges, aut Socratis dogmata recepit? Tum autem quæ res Deciis persuasit, ut ultro sese diis manibus devoverent? Quid Q. Curtium in specum traxit, nisi inanis gloria, dulcissima quædam Siren, sed mirum quam à sapientibus istis damnata? Quid enim stultius, inquiunt, quam supplicem candidatum blandiri populo, congiariis favorem emere, venari tot stultorum applausus acclamationibus sibi placere, in triumpho veluti signum aliquod populo spectandum circumferri, æneum in foro stare? Adde his nominum & cognominum adoptiones. Adde divinos honores homuncioni exhibitos. Adde publicis ceremoniis in Deo relatos etiam sceleratissimos tyrannos. Stultissima sunt hæc, & ad quæ ridenda non unus sufficiat Democritus. Quis neget? Atqui hoc fonte nata sunt fortium Heroum facinora, quæ tot eloquentium virorum literis in cœlum tolluntur. Hæc stultitia parit civitates, hac constant imperia, magistratus, religio, consilia, judicia, nec aliud omnino est vita humana, quam stultitiæ lusus quidam. *Stultitia Respublica conservatur.*

Jam verò ut de artibus dicam, quid tandem mortalium ingenia ad excogitandas prodendasque posteris, tot egregias, ut putant, disciplinas excitavit nisi gloriæ sitis? Tantis vigiliis, tantis sudoribus, famam nescio quam, qua nihil esse potest inanius, redimendam putarunt homines vere stultissimi, sed interim stultitiæ tot tam egregia vitæ commoda debetis, quodque est longe dulcissimum, aliena fruimini insania. *Artium inventrix stultitia.*

Ergo posteaquam mihi fortitudinis & industriæ laudem vindicavi, quid si prudentiæ quoque vindicem? Sed dixerit aliquis eadem opera ignem aquæ misceas, licebit. Verum hoc quoque successurum arbitror, si vos modo quod ante hæc fecistis, auribus atque animis favebitis. Principio si rerum usu constat prudentia, in utrum magis competet ejus cognominis honos, in sapientem, qui partim ob pudorem, partim ob animi timiditatem nihil aggreditur, an in stultum, quem neque pudor, quo vacat, neque periculum, quod non perpendit, ab ulla re deterret? Sapiens ad libros veterum confugit, atque hinc meras vocum argutias edidicit. Stultus adeundis cominusque periclitandis rebus, veram (ni fallor) prudentiam colligit. Id quod *Stulti omnium prudentissimi.*

vidisse

vidisse videtur Homerus, etiamsi cæcus, cum ait (1) ῥεχθὲν δέ τε νήπιος ἔγνω. Sunt enim duo præcipua ad cognitionem rerum parandam obstacula, pudor qui fumum offundit animo, & metus, qui ostenso periculo dehortatur ab adeundis facinoribus. At his magnifice liberat stultitia. Pauci mortales intelligunt ad quam multas alias quoque commoditates conducat, nunquam pudescere & nihil non audere. Quod si prudentiam accipere malunt eam, quæ rerum judicio constat, audite obsecro quam procul absint ab hac, qui hoc nomine sese venditant. Principio constat res omnes humanas, velut Alcibiadis Silenos, binas habere facies nimium inter sese dissimiles. Adeo ut quod prima, ut ajunt, fronte mors est, si interius inspicias, vita sit: contra quod vita, mors: quod formosum, deforme: quod opulentum, id pauperrimum: quod insame, gloriosum: quod doctum, indoctum: quod robustum, imbecille: quod generosum, ignobile: quod lætum, triste: quod prosperum, adversum: quod amicum, inimicum: quod salutare, noxium: breviter omnia repentè versa reperies, si Silenum aperueris. Id si cui forte nimis philosophice dictum videtur, age pinguiore, quemadmodum dici solet, Minerva planius faciam. Quis regem non & opulentum, & dominum fatetur? Atqui nullis animi bonis instructus est, atqui nihil illi satis est, jam videlicet pauperrimus est. Tum animum habet plurimis addictum vitiis, jam turpiter servus est. Ad eundem modum in cæteris quoque philosophari liceret. Sed hoc exempli vice posuisse satis sit. At quorsum hæc? inquiet aliquis; audite quo rem deducamus. Si quis histrionibus in scena fabulam agentibus personas detrahere conetur, ac spectatoribus veras nativasque facies ostendere, nonne is fabulam omnem perverterit, dignusque habeatur, quem omnes è theatro velut lymphatum saxis ejiciant? Exorietur autem repente nova rerum species, ut qui modo mulier, nunc vir; qui modo juvenis, mox senex: qui paulo ante Rex, subito Dama: qui modo Deus, repente homunculus appareat. Verùm eum errorem tollere, est fabulam omnem perturbare. Illud ipsum figmentum & fucus est, quod spectatorum

1 *Factum etiam stultus cognovit.*

1 *Aut*

torum oculos detinet. Porro mortalium vita omnis quid aliud est, quàm fabula quæpiam, in qua alii aliis obtecti personis procedunt aguntque suas quisque partes, donec choragus educat è proscenio? Qui sæpe tamen eundem diverso cultu prodire jubet, ut qui modo regem purpuratum egerat, nunc servulum pannosum gerat. Adumbrata quidem omnia, sed hæc fabula non aliter agitur. Hic si mihi sapiens aliquis cœlo delapsus, subito exoriatur, clamitetque hunc quem omnes ut Deum ac dominum suspiciunt, nec hominem esse quod pecudum ritu ducatur affectibus, servum esse infimæ sortis, quod tam multis, tamque fædis dominis sponte serviat. Rursum alium, qui parentem extinctum luget, ridere jubeat, quod jam demum ille vivere cœperit, cum alioqui vita hæc nihil aliud sit quam mors quædam. Porro alium stemmatis gloriantem, ignobilem ac nothum appellet, quod à virtute longè absit, quæ sola nobilitatis sit fons, atque ad eundem modum de cæteris omnibus loquatur. quæso quid is aliud egerit, nisi ut demens ac furiosus omnibus esse videatur? Ut nihil est stultius præpostera sapientia, ita perversa prudentia nihil imprudentius. Siquidem perverse facit, qui sese non accommodat rebus præsentibus, foroque nolituti, nec saltem legis illius convivalis meminerit, (1) ἢ πίε, ἢ ἄπιθι, postuletque ut fabula jam non sit fabula. Contra, verè prudentis est, cùm sis mortalis, nihil ultra sortem sapere velle, cumque universa hominum multitudine vel connivere libenter, vel comiter errare. At istud ipsum, inquiunt, stultitiæ est. Haud equidem inficias iverim modo fateantur illi vicissim hoc esse, vitæ fabulam agere.

Cæterum illud ô Dii immortales, eloquar ne, an sileam? Cur autem sileam, cum sit vero verius? Sed præstiterit fortassis in re tanta Musas ex Helicone accersere, quas poëtæ sæpius ob meras nugas advocare solent. Adeste igitur paulisper Jovis filiæ, dum ostendo nec ad egregiam illam sapientiam ac felicitatis, ut ipsi vocant, arcem, aditum esse cuiquam; nisi stultitia duce. Jam primum illud in confesso est, affectus omnes ad stultitiam pertinere: quandoquidem hac nota

Ad summam sapientiam non pervenire nisi per stultitiam.

1 *Aut bibe, aut abi.*

nota à stulto sapientem discernunt, quod illum affectus, hunc ratio temperat: eoque Stoici perturbationes omnes ceu morbos à sapiente semovent: verùm affectus isti non solũ pædagogorũ vice funguntur ad sapientiæ portũ properantibus, verùm etiam in omni virtutis functione, ceu calcaria stimulique quidam adesse solent, velut ad benè agendum exhortatores. Quamquam hic fortiter reclamat bis Stoicus Seneca, qui prorsum omnem affectum adimit sapienti. Verùm cùm id facit, jam ne hominem quidem relinquit, sed novum potius Deum quendam (1) δημιουργὸν, qui nusquam nec extitit unquam, nec extabit: imo ut apertius dicam, marmoreum hominis simulacrum constituit, stupidum & ab omni prorsus humano sensu alienum. Proinde si libet, ipsi suo sapiente fruantur, citraque rivalem ament licet, cumque eo vel in civitate Platonis, vel si malint, in idearum regione, vel in Tantaliis inhabitent hortis. Quis enim non istiusmodi hominem ceu portentum ac spectrum fugitet horreatque, qui ad omnes naturæ sensus obsurduerit, qui nullis sit affectibus, nec amore, nec misericordia magis commoveatur, *quam si dura silex, aut stet Marpesia cautes*, quem nihil fugiat, qui nihil erret, sed ceu Lynceus quispiam nihil non perspiciat, nihil non ad amussim perpendat, nihil ignoscat, qui solus seipso sit contentus, solus dives, solus sanus, solus Rex, solus liber, breviter omnia solus, sed suo solius judicio, qui nullum moretur amicum, ipse amicus nemini, qui diis quoque ipsis non dubitet mandare laqueum, qui quicquid in omni vita geritur, velut insanum damnet, rideatque? Atqui hujusmodi animal est absolutus ille sapiens. Quæso, si res agatur suffragiis, quæ civitas istiusmodi magistratum sibi velit, aut quis exercitus talem optet ducem? imo quæ mulier id genus maritum, quis convivator ejusmodi convivam, quis servus talibus moribus dominum vel optet, vel ferat? Quis autem non malit vel unum quemvis de media stultissimorum hominum plebe, qui stultus stultis vel imperare possit, vel parere, qui sui similibus placeat, sed quam plurimis, qui comis sit in uxorem, jucundus amicis, bellus conviva, convictor facilis, postremo

1 *Creat.*

1 *Are-*

mo qui nihil humani a se alienum putet? Sed me quidem jam dudum istius sapientis piget. Quare ad reliqua commoda sese recipiat oratio.

Agedum, si quis velut é sublimi specula circumspiciat, ita ut Jovem interdum poëtæ facere prædicant, quot calamitatibus hominum vita sit obnoxia, quam misera, quam sordida nativitas, quam laboriosa educatio, quot injuriis exposita pueritia, quot sudoribus adacta juventus, quam gravis senectus, quam dura mortis necessitas, deinde in omni vita, quot morborum agmina infestent, quot immineant casus, quot ingruant incommoda, quam nihil usquam non plurimo felle tinctum, ut ne commemorem ista, quæ homini ab homine inferuntur mala; quod genus sunt, paupertas, carcer, infamia, pudor, tormenta, insidiæ, proditio, convicia, lites, fraudes? Sed ego jam plane (1) τὸν ἄμμον ἀναμετρεῖν aggredior. Porrò quibus admissis ista commeruerint homines, aut quis Deus iratus eos in has miserias nasci coegerit, non est mihi fas in præsentia proloqui. Verùm ista qui secum perpendat, nonne Milesiarum virginum probabit exemplum, etiamsi miserandum? At quinam potissimum sibi vitæ tædio fatum accersivere? Nonne sapientiæ confines? Inter quos, ut interim Diogenes, Xenocrates, Catones, cassios, ac Brutos sileam, Chiron ille cùm immortalem esse liceret, ultro mortem præoptavit. Videtis opinor, quid futurum sit, si passim sapiant homines: nempe altero luto, altero figulo Prometheo opus fore. Verum ego partim per ignorantiam, partim per incogitantiam, nonnunquam per oblivionem malorum, aliquando spem bonorum, aliquoties nonnihil mellis voluptatibus aspergens, ita tantis in malis succurro, ut ne tum quidem libeat vitam relinquere, cum exacto Parcarum stamine, ipsa jam dudum eos relinquit vita, quoque minus sit causæ, cur in vita manere debeant, hoc magis juvet vivere, tantum abest, ut ullo vitæ tædio tangantur. Mei nimirum muneris est, quod passim Nestorea senecta senes videtis, quibus jam ne species quidem hominis supersit, balbos, deliros, edentulos, canos, calvos, vel ut magis Aristophanicis eos describam verbis,

Sola stultitia salutur homines in vitæ miseriis.

(1) ψυπῶν-

1 *Arenam numerare.*

1 *Squa-*

(1) ῥυπῶντας, κυφὰς, ἀβλίτας, ῥυσὰς, μαδῶντας, νωδὰς, καὶ ψωλὰς, tamen usque adeo vita delectari, adeoque (2) νεανίζειν, ut alius tingat canos, alius apposititia coma calvitium dissimulet, alius dentibus utatur mutuo fortassis à sue quopiam sumptis. hic in puellam aliquam misere depereat, & amatoriis ineptiis quemvis etiam superet adolescentulum. Nam ut capulares jam, meraque silicernia, teneram aliquam juvenculam ducant uxorem, eamque & indotatam, & aliis usui futuram, id adeo frequens, ut propemodum & laudi detur.~Sed multo etiam suavius, si quis animadvertat, anus, longo jam senio mortuas, adeoque cadaverosas, ut ab inferis rediisse videri possint, tamen illud semper in ore habere (3) φῶς ἀγαθὸν: adhuc catulire, atque, ut Græci dicere solent, (4) κατρεῦν. & magna mercede conductum aliquem Phaonem inducere, fucis assidue vultum oblinere, nusquam à speculo discedere, infimæ pubis sylvam vellere, vietas ac putres ostentare mammas, tremuloque gannitu languentem solicitare cupidinem, potitare, misceri puellarum choris, literulas amatorias scribere.~Ridentur hæc ab omnibus tanquam, uti sunt, stultissima: at ipsæ sibi placent, & in summis interim versantur deliciis, totasque sese melle perungunt, meo videlicet beneficio felices. Porro quibus hæc deridicula videntur illud secum expendant velim, utrum satius ducant hujusmodi stultitiâ vitam plane mellitam exigere, an trabem, ut ajunt, suspendio quærere. Porro quod hæc vulgo putantur infamiæ obnoxia, istud nihil ad stultos meos, qui malum hoc aut non sentiunt, aut si quid sentiunt; facile negligunt. Si saxum in caput incidat, id verè malum sit. Cæterum pudor, infamia, probrum, maledicta, tantum adferunt noxæ, quantum sentiuntur. Si sensus absit, ne mala quidem sunt. Quid lædit, si totus populus in te sibilet, modo tute tibi plaudas? Atque ut id liceat, sola stultitia præstat.

Disciplinas inutiles esse & noxias.

Sed mihi videor audire reclamantes philosophos. Atqui hoc ipsum est, inquiunt, miserum stultitia teneri, errare, falli, ignorare. Imo hoc est hominem esse. Porro

1 *Squalidos, incurvos, miseros, rugosos, calvos, edentulos, verpos.*
2 *Juvenes agere.*
3 *Lumen bonum.* i. vita bona est.
4 *Hircorum more libidinari.*

1 Deus

Porro miserum cur vocent, non video, quandoquidem sic nati estis, sic instituti, sic conditi, ea est cõmunis omnium sors. Nihil autem miserum, quod in suo genere constat nisi forte quis hominem deplorandum existimet, qui neque volare possit cum avibus, neque quaternis ingredi pedibus cum reliquo pecudum genere, neque cornibus sit armatus quemadmodum tauri. Verum is eadem opera equum etiam bellissimum infelicem vocabit, quod neque grammaticam didicerit, neque placentis vescatur, taurum miserum, quod ad palæstricam sit inutilis. Igitur ut equus imperitus grammaticæ, miser non est, ita nec homo stultus infelix, propterea quod hæc cum illius natura cohærent. Verum rursus urgent Logodædali. Est, inquiunt, homini peculiariter addita disciplinarum cognitio, quarum adminiculis id, quod natura diminutum est, ingenio pensetur. Quasi verò ullam veri faciem habeat, naturam, quæ in culicibus, atque adeo in herbis ac floscu-lis tam sollicite vigilaverit, in uno homine dormitasse, ut disciplinis opus esset, quas (1) Theutus ille humano generi infensus genius, in summam perniciem excogitavit adeo non utiles ad felicitatem, ut illi quoque ipsi officiant, ad quod proprie repertæ dicuntur, ut eleganter arguit apud Platonem, rex ille prudentissimus de literarum invento. Igitur disciplinæ cum reliquis humanæ vitæ pestibus irrepserunt, iisdem auctoribus, à quibus omnia flagitia proficiscuntur, puta dæmonibus, quibus hinc nomen etiam inventum quasi δαήμονας, hoc est, scientes appelles. Siquidem simplex illa aurei seculi gens, nullis armata disciplinis, solo naturæ ductu, instinctuque vivebat. Quorsum enim opus erat grammatica, cum eadem esset omnibus lingua, nec aliud sermone petebatur, nisi ut alius alium intelligeret? Quis usus dialectices, ubi nulla erat pugnantium inter se sententiarum dimicatio? Quis Rhetoricæ locus, cum nullus alteri negocium faceſſeret? Quorsum requireretur legum prudentia, cum abessent mali mores, ex quibus haud dubie bonæ leges prognatæ sunt? Porro religiosiores erant quam ut impia curiositate, arcana naturæ, siderum

1 Deus Ægyptiorum.

derum, mensuras, motus, effectus, abditas rerum causas scrutarentur, nefas esse rati, si homo mortalis, ultra sortem suam sapere conaretur. Jam quid extra cœlum esset, inquirendi dementia ne in mentem quidem veniebat. At labente paulatim ætatis aureæ puritate, primum à malis, ut dixi, geniis inventæ sunt artes, sed paucæ, atque hæ quidem à paucis receptæ. Postea sexcentas addidit Chaldeorum superstitio, & Græcorum otiosa levitas, meras ingeniorum cruces adeo ut vel una grammatica abunde satis sit ad perpetuam vitæ carnificinam.

Maxime in precio artes sunt minimè sapientes.

Quanquam inter has ipsas disciplinas, hæ potissimum in precio sunt, quæ ad sensum communem, hoc est, ad stultitiam, quam proxime accedunt. Esuriunt Theologi, frigent Physici, ridentur Astrologi, negliguntur Dialectici. Solus (1) ἰατρὸς γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀνταξιος ἄλλων. Atque in hoc ipso genere, quo quis indoctior, audacior, incogitantiorque, hoc piuris fit etiam apud torquatos istos principes. Atqui medicina, præsertim ut nunc à compluribus exercetur, nihil aliud est quam assentationis particula, non minus profecto quam Rhetorica. Secundum hos proximus datur locus Legulejis, & haud scio an primus, quorum professionem, ne quid ipsa pronunciem, velut asininam philosophi magno consensu ridere solent. Sed tamen horum asinorum arbitrio maxima minimaque negocia transiguntur. His latifundia crescunt, cum Theologus interim excussis totius divinitatis scriniis, lupinum arrodit, cum cimicibus ac pediculis assiduè bellum gerens. Ut igitur feliciores sunt artes, quæ majorem habent cum stultitia affinitatem, ita longe felicissimi sunt hi, quibus prorsus licuit ab omnium disciplinarum commercio abstinere, solamque naturam ducem sequi, quæ nulla sui parte manca est, nisi forte mortalis sortis pomæria transilire velimus. Odit natura fucos, multoque felicius provenit, quod nulla sit arte violatum.

Animalia ea felicissima

Agedum, an non videtis ex unoquoque reliquorum animantium genere ea felicissime degere, quæ sunt

1 *Medicus enim multis æquivalet aliis.*

1 *Multi*

sunt à disciplinis alienissima, nec ullius Magisterio nisi naturæ ducuntur? Quid apibus aut felicius, aut mirabilius? At his ne corporis quidem omnes sensus adsunt. Quid simile in extruendis ædificiis reperiat architectura? Quis unquam philosophus similem instituit rempublicam? Rursum equus quoniam humanis sensibus affinis est, & in hominum contubernium demigravit, humanarum item calamitatum est particeps. Quippe qui non raro dum vinci pudet in certaminibus, ducit ilia, & in bellis dum ambit triumphum, confoditur, simulque cum sessore terram ore momordit. Ut ne commemorem interim lupata frena, aculeata calcaria, stabuli carcerem, scuticas, fustes, vincula, sessorem, breviter omnem illam servitutis tragœdiam, cui se ultro addixit, dum fortes viros imitatus impensius hostem ulcisci studet. Quanto optabilior muscarum & avicularum vita, ex tempore soloque naturæ sensu degentium, modo per hominum insidias liceat? Quæ si quando caveis inclusæ assuescant humanas sonare linguas, mirum quam à nativo illo nitore degenerent. Adeo modis omnibus lætius est, quod natura condidit, quam quod fucavit ars. Proinde nunquam satis laudarim Gallum illum Pythagoram, qui cum unus omnia fuisset, philosophus, vir, mulier, Rex, privatus, piscis, equus, rana, opinor etiam spongia, tamen nullum animal judicavit calamitosius homine, propterea quod cætera omnia naturæ finibus essent contenta, solus homo sortis suæ limites egredi conaretur.

quæ sunt à disciplinis alienissima.

Rursum inter homines, idiotas multis partibus anteponit doctis ac magnis. Et Gryllus ille non paulo plus sapuit, quam (1) πολυμήτις ὀδυσσεὺς: qui maluerit in hara grunnire, quam cum illo tot miseris objici casibus. Ab his mihi non dissentire videtur Homerus, nugarum pater, qui cum mortales omnes subinde (2) δειλοὺς καὶ μοχθηροὺς appellat, tum Ulyssem illum suum sapientis exemplar sæpenumero (3) δύσμορον vocat, Paridem nusquam, nec Ajacem,

Stulti omnium felicissimi.

1 *Multi consilii Ulysses.*
2 *Miseros & calamitosos.*
3 *Graviter suspirantem.*

cem, nec Achillem. Quamobrem id tandem? Nisi quod ille vafer & artifex nihil non Palladis consilio agebat, nimiumque sapiebat, a naturæ ductu quam longissime recedens. Ut igitur inter mortales, ii longissimè absunt à felicitate, qui sapientiæ student, nimirum hoc ipso bis stulti, quod homines nati cum sint, tamen obliti conditionis suæ, deorum immortalium vitam affectant, & gigantum exemplo, disciplinarum machinis, naturæ bellum inferunt, ita quam minime miseri videntur ii, qui ad brutorum ingenium stultitiamque quam proxime accedunt, neque quicquam ultra hominem moliuntur. Age experiamur, num hoc quoque non Stoicis enthymematis, sed crasso quòpiam exemplo queamus ostendere. Ac per deos immortales, estne quicquam felicius isto hominum genere, quos vulgo moriones, stultos, fatuos, ac bliteos appellant, pulcherrimis, ut equidem opinor, cognominibus? Rem dicam prima fronte stultam fortassis atque absurdam, sed tamen unam multo verissimam. Principio vacant mortis metu, non mediocri per Jovem malo. Vacant conscientiæ carnificina. Non territantur manium fabulamentis. Non expavescunt spectris ac lemuribus, non torquentur metu impendentium malorum, non spe futurorum bonorum distenduntur. In summa non dilacerantur millibus curarum: quibus hæc vita obnoxia est. Non pudescunt, non verentur, non ambiunt, non invident, non amant. Denique si propius etiam ad brutorum animantium insipientiam accesserint, ne peccant quidem auctoribus Theologis. Hic mihi jam expendas velim stultissimè sapiens, quot undique solicitudinibus noctes diesque discrucietur animus tuus, congeras in unum acervum universa vitæ tuæ incommoda, atque ita demum intelliges, quantis malis meos fatuos subduxerim. Adde huc, quod non solum ipsi perpetuo gaudent, ludunt, cantillant, rident, verùm etiam cæteris omnibus quocunque sese verterint, voluptatem, jocum, lusum, risumque adferunt, velut in hoc ipsum à deorum indulgentia dati, ut humanæ vitæ tristitiam exhilararent. Unde fit, ut cum

aliis

aliis in alios varius sit affectus, hos omnes ex æquo tanquam suos agnoscant, expetant, pascant, foveant, complectantur, succurrant, si quid acciderit: impune permittant, quicquid vel dixerint, vel fecerint. Adeoque nemo illis nocere cupit, ut feræ quoque belluæ ab illorum injuria temperent, sensu quodam innocentiæ naturali. Sunt enim vere sacri diis, præcipue mihi, ideoque non injuria hunc honorem omnes illis habent.

Principibus gratiores moriones sapientibus.

Quid, quod summis etiam regibus adeo sunt in deliciis, ut nonnulli sine his neque prandere, nec ingredi, nec omnino vel horam durare possint. Neque vero paulo intervallo hos bliteos suis illis tetricis sophis anteponunt: quos tamen ipsos aliquot honoris gratia solent alere. Cur autem anteponant, nec obscurum arbitror, nec mirum videri debet, cum sapientes illi nil nisi triste soleant adferre principibus, suaque doctrina freti, non vereantur aliquoties auriculas teneras mordaci radere vero; Moriones autem id præstent, quod unum undecunque principes modis omnibus aucupantur, jocos, risus, cachinnos, delicias. Jam accipite & hanc non aspernandam stultorum dotem, quod soli simplices ac veridici sunt. Quid autem veritate laudatius? Quanquam enim Alcibiadeum apud Platonem proverbium, veritatem vino pueritiæque tribuit, tamen omnis ea laus mihi peculiariter debetur, vel Euripide teste, cujus extat illud celebre de nobis dictum (1) μωρὰ γὰρ μωρὸς λέγει. Fatuus quicquid habet in pectore id & vultu præ se fert, & oratione promit. At sapientum sunt duæ illæ linguæ, ut idem meminit Euripides, quarum alterâ verum dicunt, alterâ, quæ pro tempore judicarent oportuna. Horum est nigrum in candida vertere, & eodem ex ore frigidum pariter & calidum efflare, longeque aliud conditum habere in pectore, aliud sermone fingere. Porro in tanta felicitate, tamen hoc nomine principes mihi videntur infelicissimi, quod deest, à quo verum audiant, &

1 *Stulta enim stultus dicit.*

& assentatores pro amicis habere coguntur. Sed abhorrent à vero principum aures, dixerit aliquis, & hac ipsa de causa sapientes istos fugitant, quod vereantur, ne quis forte liberior existat, qui vera magis quam jucunda loqui audeat. Ita quidem res habet, invisa regibus veritas. Sed tamen hoc ipsum mire in fatuis meis usu venit, ut non vera modo, verùm etiam aperta convitia cum voluptate audiantur, adeo ut idem dictum, quod si à sapientis ore proficiscatur, capitale fuerat futurum: à morione profectum, incredibilem voluptatem pariat. Habet enim genuinam quandam delectandi vim veritas, si nihil accedat quod offendat; verum id quidem solis fatuis dii dederunt. Iisdem ferme de causis hoc hominum genere mulieres gaudere solent impensius, utpote ad voluptatem & nugas natura propensiores. Proinde quicquid cum hujusmodi factitarint, etiamsi nonnunquam serium nimis, illæ tamen jocum ac lusum interpretantur, ut est ingeniosus, præsertim ad prætexenda commissa sua, sexus ille.

Dum fatui felices, miserrimi sapientes.

Igitur ut ad fatuorum felicitatem redeam, multa cum jucunditate peracta vita, nullo mortis vel metu, vel sensu, recta in campos Elysios demigrant, & illic pias atque ociosas animas lusibus suis delectaturi. Eamus nunc, & quemvis etiam sapientem cum hujus morionis sorte conferamus. Finge jam mihi quod huic opponas exemplar sapientiæ, hominem qui totam pueritiam atque adolescentiam in perdiscendis disciplinis contriverit, & suavissimam vitæ partem, perpetuis vigiliis, curis, sudoribus perdiderit, ne in reliqua quidem omni vita vel tantillum voluptatis degustarit, semper parcus, pauper, tristis, tetricus, sibi ipsi iniquus ac durus, aliis gravis & invisus, pallore, macie, valetudine, lippitudine confectus, senio canicieque multo ante diem contracta, ante diem fugiens è vita. Quanquam quid refert quando moriatur istiusmodi, qui nunquam vixerit? Habetis egregiam illam sapientis imaginem.

At

At hic rursus obganniunt mihi (1) οἱ ἐκ τῆς στοᾶς βάτραχοι Nihil, inquiunt, miserius insania. Sed insignis stultitia, vel insaniæ proxima est, vel ipsa potius insania. Quid enim aliud insanire, quam errare animo? Sed isti tota errant via. Age hunc quoque syllogismum dissipemus, Musis bene fortunantibus. Argute quidem isti, verum quemadmodum apud Platonem docet Socrates, ex una Venere secta duas, & ex uno Cupidine dissecto duos faciens: itidem & istos dialecticos decebat insaniam ab insania distinguere, si modo ipsi sani videri vellent. Neque enim protinus omnis insania calamitosa est. Alioqui non dixisset Horatius:

Refelluntur Stoici, & distinguitur duplex insania.

An me ludit amabilis insania?

Neque Plato poëtarum, vatum & amantium furorem inter præcipua vitæ bona collocasset: Nec vates illæ laborem Æneæ vocasset insanum. Verum est duplex insaniæ genus: alterum quod ab inferis diræ ultrices submittunt, quoties immissis anguibus, vel ardorem belli, vel inexplebilem auri sitim, vel dedecorosum ac nefarium amorem, vel parricidium, incestum, sacrilegium, aut aliam id genus pestem aliquam in pectora mortalium invehunt, sive cum nocentem & conscium animum, furiis ac terriculorum facibus agunt. Est alterum huic longe dissimile, quod videlicet à me proficiscitur, omnium maxime exoptandum. Id accidit quoties jucundus quidam mentis error, simul & anxiis illis curis animum liberat, & multijuga voluptate deliburum reddit. Atqui hunc mentis errorem ceu magnum quoddam deorum munus, ad Atticum scribens, optat Cicero, nimirum quo tantorum malorum sensu carere posset. Neque perperam sensit Argivus ille, qui hactenus insaniebat, ut totos dies solus desideret in theatro, ridens, plaudens, gaudens, quod crederet illic miras agi tragœdias, cum nihil omnino ageretur, cum in cæteris vitæ officiis probe sese gereret, jucundus amicis, comis in uxorem, *posset qui ignoscere servis, & signo læsæ non insanire lagenæ.* Hunc ubi cognatorum opera datis pharmacis morbo levasset, sibique jam totus esset

1 *Ranæ ex Patria*, i. Stoici.

esset redditus, hunc in modum cum amicis expostulans: *Pol, me occidistis amici, Non servastis, ait, cui sic extorta voluptas, Et demptus per vim mentis gratissimus error.* Et merito quidem: errabant enim ipsi atque ellebero magis opus habebant, qui tam felicem ac jucundam insaniam, ceu malum aliquod, existimarent potionibus expellendam. Quanquam illud equidem nondum statui, num quivis sensus, aut mentis error, insaniæ nomine sit appellandus. Neque enim si cui lippienti mulus asinus esse videatur: aut si quis indoctum carmen veluti doctissimum admiretur, is continuo videbitur insanire: Verum si quis non sensu tantum, sed animi judicio fallatur, idque præter usitatum morem ac perpetuo, is demum insaniæ censebitur affinis esse, veluti si quis quoties asinum audierit rudentem, arbitretur sese miros symphonisos audire, aut si quis pauperculus infimo loco natus Crœsum Lydorum regem esse se credat. Sed hoc insaniæ genus, si, quemadmodum fere fit, vergat ad voluptatem, non mediocrem delectationem adfert, tum iis qui eo tenentur, tum illis, quibus est hoc animadversum, nec tamen eodem insaniunt. Nam hæc insaniæ species multo latius patet, quam vulgus hominum intelligit. Sed vicissim insanus insanum ridet, ac mutuam sibi voluptatem invicem ministrant. Neque raro fieri videbitis, ut major insanus, vehementius rideat minorem.

Amabile insaniæ genus.

Verum hoc quisque felicior, quo pluribus desipit modis, Stultitia judice, modo in eo genere insaniæ maneat, quod nobis est peculiare, quod quidem usque adeo latè patet, ut haud sciam, an ex universa mortalium summa quempiam liceat reperire qui omnibus horis sapiat, quique non aliquo insaniæ genere teneatur. Quamquam hoc tantum interest, qui cucurbitam cum videt, mulierem esse credit, huic insano nomen ponunt, propterea quia perpaucis id usu veniat. Verùm ubi quis uxorem suam, quam cum multis habet communem, plusquam Penelopem esse dejerat, sibique majorem in modum plaudit, feliciter errans, hunc nullus insanum appellant, propterea quod passim in maritis, hoc accidere videant. Ad hunc ordinem pertinent & isti, qui præ venatu ferarum

rum omnia contemnunt, atque incredibilem animi voluptatem percipere se prædicant, quoties fœdum illum cornuum cantum audierint, quoties canum ejulatus. Opinor etiam cum excrementa canum odorantur, illis cinnamomum videri. Deinde quæ suavitas, quoties fera lanianda est? Tauros & verveces humili plebi laniare licet, feram nisi à generoso secari nefas. Is nudo capite, inflexis genibus, gladio ad id destinato, neque enim quovis idem facere fas est, certis gestibus, certa membra, certo ordine religiose secat, Miratur interim perinde ut in re nova sacraque, circumstans tacita turba, quamvis spectaculum hoc plus millies viderit. Porro cui contigerit è bellua nonnihil gustare, is vero existimat sibi non parum nobilitatis accedere. Itaque cum isti assidua ferarum insectatione atque esu, nihil aliud assequantur, nisi ut ipsi propemodum in feras degenerent, tamen interea regiam vitam agere se putant. Et his simillimum genus eorum, qui insatiabili ædificandi studio flagrant, nunc rotunda quadratis, nunc quadrata rotundis permutantes. Neque vero finis ullus, neque modus, donec ad extremam redactis inopiam, nec ubi habitent, nec quid edant, supersit. Quid tum postea? Interim annos aliquot summa cum voluptate peregerunt. Ad quos mihi quidem proxime videntur accedere, qui novis & arcanis artibus, rerum species vertere moliuntur, ac terra marique quintam quandam essentiam venantur. Hos adeo lactat mellita spes, ut neque laborum, neque impensarum unquam pigeat, miroque ingenio semper aliquid excogitant, quo sese denuo fallant, sibique ipsi gratam faciant impostura, donec absumptis omnibus, non sit quo jam fornaculam instruant. Non desinunt tamen jucunda somniare somnia, cæteros pro viribus ad eandem felicitatem animantes. Cumque jam prorsus omni spe destituuntur, superest tamen una sententia, abunde magnum solatium, in magnis & voluisse sat est. Ac tum vitæ brevitatem incusant, ut quæ magnitudini negocii non suffecerit. Porro aleatores nonnihil addubito, num in nostrum collegium sint admittendi. Sed tamen stultum omnino ridiculumque spectaculum est, quoties videmus

nonnullos usque adeo addictos, ut simul atque strepitum tesserarum audierint, protinus illis cor saliat, palpitetque. Deinde cum semper illiciente vincendi spe omnium facultatum naufragium fecerint, in aleæ scopulum illisa nave, non paulo formidabiliorem (1) Malea vixque nudi emerserint, quosvis potius fraudant quam victorem, ne scilicet viri parum graves habeantur. Quid cum senes jam & cæcutientes, vitreis etiam oculis lusitant? Postremo cum jam justa chiragra contudit articulos, vicarium etiam mercede conducunt, qui pro se talos in pyrgum mittat? Suavis quidem res, nisi quod hic ludus plerumque solet in rabiem evadere, jamque ad furias, non ad me pertinere.

Stulta superstitio.

Cæterum illud hominum genus haud dubie totum est nostræ farinæ, qui miraculis ac prodigiosis gaudent mendaciis, vel audiendis vel narrandis, nec ulla satietas talium fabularum, cum portentosa quædam; de spectris, de lemuribus, de larvis, de inferis, de id genus millibus miraculorum commemorantur: quæ quo longius absunt à vero, hoc & creduntur lubentius, & jucundiore pruritu titillant aures. Atque hæc quidem non modo ad levandum horarum tædium mire conducunt, verum etiam ad quæstum pertinent, præcipue sacrificis & concionatoribus. His rursum adsines sunt ii, qui sibi stultam quidem, sed tamen jucundam persuasionem induerunt, futurum, ut si ligneum, aut pictum aliquem Polyphemum Christophorum aspexerint, eo die non sint perituri, aut qui sculptam Barbaram præscriptis verbis salutarit, sit incolumis è prælio rediturus, aut si quis Erasmum certis diebus, certis cereolis, certisque preculis convenerit, brevi sit dives evasurus. Jam verò Georgium etiam Herculem invenerunt, quemadmodum & Hyppolitum alterum. Hujus equum phaleris ac bullis religiosissime adornatum tantum non adorant, ac subinde novo quopiam munusculo demerentur, per hujus æream galeam dejerare, plane regium habetur. Nam quid dicam de iis, qui sibi fictis scelerum

1 Proverbialis loquutio Malea fuit promontorium Laconiæ præternavigantibus periculosissimum.

1 Vid.

rum condonationibus, suavissime blandiuntur, ac purgatorii spacia veluti clepsydris metiuntur, secula, annos, menses, dies, horas, tanquam è tabula Mathematica, citra ullum errores dimetientes. Aut de iis, qui magis quibusdam notulis ac preculis, quas pius aliquis impostor, vel animi causa, vel ad quæstum excogitavit, freti nihil sibi non pollicentur, opes, honores, voluptates, saturitates, valetudinem perpetuo prosperam, vitam longævam, senectam viridem, denique proximum Christo apud superos consessum, quem tamen nolint, nisi admodum sero contingere, hoc est, cum hujus vitæ voluptates invitos eos ac mordicus retinentes, tamen deseruerint, tum succedant illæ cœlitum deliciæ. Hic mihi puta negociator aliquis, aut miles, aut judex, objecto ex tot rapinis unico nummulo, universam vitæ Lernam semel expurgatam putat, totque perjuria, tot libidines, tot ebrietates, ac rixas, tót cædes, tot imposturas, tot perfidias, tot proditiones existimat velut ex pacto redimi, & ita redimi, ut jam liceat ad novum scelerum orbem de integro reverti. Quid autem stultius iis, imo quid felicius, qui septem illis sacrorum psalmorum versiculis quotidie recitatis, plusquam summam felicitatem sibi promittunt? Atque hos magicos versiculos dæmon quispiam, facetus quidem ille, sed futilis magis quàm callidus, Divo Bernardo creditur indicasse, sed arte circumventus miser. Et hæc tam stulta, ut me ipsam propemodum pudeat, tamen approbantur, idque non à vulgo modo, verum etiam à religionis professoribus. Quid jam? nonne eodem fere pertinet, cum singulæ regiones suum aliquem peculiarem vindicant divum: cumque in singulos singula quædam partiuntur, singulis suos quosdam culturæ ritus attribuunt, ut hic in dentium cruciatu succurrat, ille parturientibus dexter adsit, alius rem furto sublatam restituat: hic in naufragio prosper affulgeat, ille gregem tueatur: atque item de cæteris. Nam omnia percensere longissimum fuerit. Sunt qui singuli pluribus in rebus valeant, præcipuè Deipara virpo, cui vulgus hominum plus prope tribuit, quam filio.

Verum

Templorum donaria stultitiæ argumenta.

Verum ab his divis quid tandem petunt homines, nisi quod ad stultitiam attinet? Agedum inter tot anathemata, quibus templorum quorundam parietes omnes, ac testudinem ipsam refertam conspicitis, vidistisne unquam qui stultitiam effugerit, qui vel pilo sit factus sapientior? Alius enatavit incolumis. Alius ab hoste perfossus vixit. Alius è prælio, pugnantibus cæteris, non minus feliciter quam fortiter aufugit. Alius in crucem subactus, favore divi cujuspiam, furibus amicis, decidit ut nonnullos etiam male divitiis onustos pergeret exonerare. Alius perfracto carcere fugit. Alius irato medico à febre revaluit. Alii potum venenum alvo soluta, remedio non exitio fuit, idque non admodum læta uxore, quæ operam & impensam luserit. Alius everso plaustro, equos incolumes domum abegit. Alius oppressus ruina vixit. Alius à marito deprehensus elusit. Nullus pro depulsa stultitia gratias agit. Adeo suavis quædam res est nihil sapere, ut omnia potius deprecentur mortales, quam Moriam. Sed quid ego hoc superstitionum pelagus ingredior?

Non mihi si linguæ centum sint, oraque centum,
Ferrea vox, omneis fatuorum evolvere formas,
Omnia stultitiæ percurrere nomina possim,

Usque adeo omnis omnium Christianorum vita istiusmodi delirationibus undique scatet: quas ipsas tamen sacrificii non gravatim & admittunt & alunt, non ignari quantum hinc lucelli soleat accrescere. Inter hæc si quis odiosus sapiens exoriatur, succinatque id, quod res est, non male peribis, si bene vixeris: peccata redimis, si nummulo addideris odium malefactorum, tum lachrimas, vigilias, precationes, jejunia, at totam vitæ rationem commutaris. Divus hic tibi favebit, si vitam illius æmulaberis. Hæc, inquam, atque id genus alia: si sapiens ille obganniat, vide à quanta felicitate repente mortalium animos in quem tumultum retraxerit? Ad hoc collegium pertinent, qui vivi qua funeris pompa velint efferri, tam diligenter statuunt, ut nominatim etiam præscribant, quot tædas, quot pullatos, quot cantores, quot luctus histriones velint adesse, perinde quasi futurum sit, ut

aliquis

aliquis hujus spectaculi sensus ad ipsos sit rediturus, aut ut pudescant defuncti, nisi cadaver magnificè defodiatur: haud alio studio, quam si ædiles creati, ludos aut epulum edere studeant.

Equidem tametsi propero, tamen haud possum istos silentio prætercurrere, qui cum nihil ab infimo cerdone differant, tamen inani nobilitatis titulo mirum quam sibi blandiuntur. Alius ad Æneam, alius ad Brutum, alius ad Arcturum genus suum refert. Ostendunt undique sculptas & pictas majorum imagines. Numerant proavos atque atavos, & antiqua cognomina commemorant, cum ipsi non multum absint à muta statua, pene iis ipsis, quæ ostentant signis, deteriores. Et tamen hac tam suavi Philautia felicem prorsus vitam agunt. Neque desunt æque stulti, qui hoc beluarum genus, perinde ut deos suspiciunt. Sed quid ego de uno aut altero genere loquor, quasi vero non passim hæc Philautia plurimos ubique miris modis felicissimos efficiat? cum hic quavis simia deformior, sibi planè Nireus videtur. Alius simul atque treis lineas circino duxerit, prorsum Euclidem sese putat. Hic ὁῖος πρὸς λύρην, & quo deterius nec ille sonat, quo mordetur gallina marito, tamen alterum Hermogenem esse se credit. Est autem illud longe suavissimum insaniæ genus, quo nonnulli quicquid ulli suorum dotis adest, eo non aliter atque suo gloriantur. Qualis erat ille bis beatus apud Senecam dives, qui narraturus historiolam quampiam, servos ad manum habebat, qui nomina suggererent, non dubitaturus vel in pugilum certamen descendere, homo alioqui adeo imbecillus, ut vix viveret, hac re fretus, quod multos haberet domi servos egregie robustos. Porro de artium professoribus, quid attinet commemorare? quando peculiaris est horum omnium Philautia: adeo ut reperias citius, qui velit agello paterno, quam ingenio cedere, verum præcipue histrionum, cantorum, oratorum, ac poëtarum, quorum quo quisque est indoctior, hoc sibi placet insolentius, hoc sese magis jactat, ac dilatat. Et inveniunt similes labra lactucas, imo quo quicquam est ineptius, hoc plures admiratores nanciscitur, ut pessima quæque semper plurimis arrident, propterea quod

Alterius generis stultitia. Nobilium, Doctorum, &c.

quod maxima pars hominum, ut diximus, Stultitiæ obnoxia est. Proinde si quis est imperitior, & sibi ipsi multo jucundior est, & pluribus admirationi, quid est quod is veram eruditionem malit, primum magno constaturam, deinde redditurum & putridiorem & timidiorem, postremo multo paucioribus placiturum?

Singulis Gentibus sua Philautia ac stultitia.

Jam vero video naturam, ut singulis mortalibus suam, ita singulis nationibus ac pene civitatibus communem quandam inseviſſe Philautiam: Atque hinc fieri, ut Britanni præter alia, formam, musicam, & lautas mensas proprie sibi vindicent: Scoti, nobilitate & regiæ affinitatis titulo, neque non dialecticis argutiis sibi blandiantur: Galli morum civilitatem sibi sumant: Parisienses, Theologicæ scientiæ laudem, omnibus prope submotis, sibi peculiariter arrogent: Itali bonas literas & eloquentiam asserant, atque hoc nomine sibi suaviſſime blandiantur omnes, quod soli mortalium Barbari non sint. Quo quidem in genere felicitatis, Romani primas tenent, ac veterem illam Romam adhuc jucundiſſime somniant. Veneti nobilitatis opinione sunt felices. Græci tanquam disciplinarum auctores, veteribus illis laudatorum heroum titulis sese venditant, Turcæ, totaque illa verè Barbarorum colluvies etiam religionis laudem sibi vindicat, Christianos perinde uti superstitioſos irridens. Ac multo etiam suavius Judæi etiam dum Messiam suum constanter expectant, ac Moſen suum hodieque mordicus tenent. Hiſpani bellicam gloriam nulli concedunt: Germani corporum proceritate, & magiæ cognitione sibi placent.

Adulatio res saluberrima.

Ac ne singula persequar, videtis opinor, quantum ubique voluptatis pariat singulis & universis mortalibus Philautia, cui prope par est Assentatio soror. Nihil enim aliud Philautia, quam cum quis ipse sibi palpatur. Idem si alteri facias: κολακία fuerit. At hodie res quædam infamis est adulatio, sed apud eos, qui rerum vocabulis magis, quam rebus ipsis commoventur. Existimant cum adulatione fidem male cohærere: quod multo secus sese habere, vel brutorum animantium exemplis poterant admoneri. Quid enim

enim cane adulantius? at rursum quid fidelius? Quid sciuro blandius? at hoc quid est homini magis amicum? Nisi forte vel asperi leones, vel immites tigres, vel irritabiles pardi magis ad vitam hominum conducere videntur. Quanquam est omnino pernicioſa quædam adulatio, quam nonnulli perfidioſi & irriſores, miſeros in perniciem adigunt. Verum hæc mea ab ingenii benignitate candoreque quodam proficiscitur, multoque virtuti vicinior est quam ea quæ huic opponitur, asperitas, ac morositas inconcinna, ut ait Horatius, gravisque. Hæc dejectiores animos erigit, demulcet tristes, extimulat languentes, expergefacit stupidos, ægrotos levat, feroces mollit, amores conciliat, conciliatos retinet. Pueritiam ad capescenda studia litterarum allicit, senes exhilarat, principes citra offensam sub imagine laudis, & admonet & docet. In summa, facit ut quisque sibi ipse sit jucundior & charior, quæ quidem felicitatis pars est vel præcipua. Quid autem officioſius, quam cum mutuum muli scabunt; Ut ne dicam interim hanc esse magnam illius laudatæ eloquentiæ partem, majorem medicinæ maximam poëticæ. Denique esse totius humanæ consuetudinis mel & condimentum.

Sed falli, inquiunt, miserum est, imo non falli miserrimum. Nimium enim desipiunt, qui in rebus ipsis felicitatem hominis sitam esse existimant. Ex opinionibus ea pendet. Nam rerum humanarum tanta est obscuritas, varietasque, ut nihil dilucide sciri possit, quemadmodum rectè dictum est ab Academicis meis, inter philosophos quam minimum insolentibus. Aut si quid sciri potest, id non raro officit etiam vitæ jucunditati. Postremo sic sculptus est hominis animus, ut longe magis fucis, quam veris capiatur, cujus rei si quis experimentum expositum & obvium quærat, conciones ac templa petat, in quibus si quid serium narratur, dormitant, oscitant, nauseant omnes. Quod si clamator ille, (lapsa sum, declamator dicere volebam,) ita ut sæpe faciunt anilem aliquam fabellam exordiatur, expergiscuntur, eriguntur: inhiant omnes. Item si quis sit divus fabuloſior & poëticus, quod si exemplum requiris, finge hujus generis Georgium aut Christophorum, aut Barbaram,

Opinione pæsuntur homines præsertim in sacris.

baram, videbitis hunc longè religiosus coli, quàm Petrum, aut Paulum, aut ipsum etiam Christum. Verum hæc non hujus sunt loci. Jam quanto minoris constat hæc felicitatis accessio? Quandoquidem res ipsas aliquoties magno negocio pares oportet, vel leviſſimas, uti grammaticen. At opinio facillime sumitur, quæ tamen tantundem aut amplius etiam ad felicitatem conducat. Age si quis putribus vescatur salsamentis, quorum alius nec odorem ferre possit, & tamen huic ambrosiam sapiant, quæso quid interest ad felicitatem? Contra si acipenser alicui nauseam sapiat, quid referet ad vitæ beatitudinem? Si cui sit uxor egregie deformis, quæ tamen marito, vel cum ipsa Venere certare posse videatur, nonne perinde fuerit, ac si vere formosa foret? Si quis tabulam minio lutoque male oblitam suspectet, ac demiretur, persuasum habens, Apellis aut Zeusidis esse picturam, nonne felicior etiam fuerit eo, qui eorum artificum manum magno emerit, fortassis minus ex eo spectaculo voluptatis percepturus? Novi ego quendam mei nominis, qui novæ nuptæ gemmas aliquot adulterinas dono dedit, persuadens ut erat facundus nugator, eas non modo veras ac nativas esse, verùm etiam singulari atque inæstimabili precio. Quæso, quid intererat puellæ: cum vitro non minus jucunde pasceret & oculos, & animum nugas perinde ut eximium aliquem thesaurum conditas apud sese servaret? Maritus interim & sumptum effugiebat, & uxoris errore fruebatur, nec eam tamen sibi minus habebat devinctam, quam si magno empta donasset. Num quid interesse censetis inter eos, qui in (1) specu illo Platonico variarum rerum umbras & simulacra demirantur: modo nihil desiderent, neque minus sibi placeant: & sapientem illum, qui specum egressus, veras res aspicit. Quod si Mycillo Lucianico dives illud & aureum somnium perpetuo somniare licuisset, nihil erat cur aliam optaret felicitatem. Aut nihil igitur interest, aut si quid interest, potior etiam stultorum conditio. Primum quod iis sua felicitas minimo constat,

1 Vid. Platon. Reip. Lib. VII.

1 Solis

constat, id est, sola persuasiuncula. Deinde, quod ea fruuntur cum plurimis communiter.

Porro nullius boni jucunda sine socio possessio. Quis enim nescit quanta sapientum paucitas, si modo quisquam inveniatur? quanquam ex tot seculis Græci septem omnino numerant, quos me hercle, si quis accuratius excutiat, dispeream si vel semisapientem inveniet, imo si vel trientem viri sapientis. Proinde cum inter multas Bacchi laudes, illud habeatur, ut est primarium, quod animi curas eluat, idque ad exiguum modo tempus: nam simul atque villum edormieris, protinus albis, ut ajunt, quadrigis recurrunt animi molestiæ: quanto meum beneficium cum plenius, tum præsentius, quæ perpetua quadam ebrietate, mentem gaudiis, deliciis, tripudiis, expleo, idque nullo negocio? Neque quemquam omnino mortalem mei muneris expertem esse sino, cum reliquæ numinum dotes aliæ ad alios perveniant: Non ubivis pascitur generosum & lene merum, quod curas abigat, quod cum spe divite manet. Paucis contigit formæ gratia, Veneris munus, paucioribus eloquentia, Mercurii donum. Non ita multis obtigerunt opes, dextro Hercule. Imperium non cuivis concedit Jupiter Homericus. Sæpenumero Mavors neutris favet copiis. Complures ab Apollinis tripode tristes discedunt. Sæpe fulminat Saturnus. Phœbus aliquando jaculis pestem immittit. Neptunus plures extinguit quam servat. Ut interim Væjoves istos, Plutones, Atas, Pœnas, Febres, atque id genus, non Deos, sed carnifices non commemorem. Ego sum una illa stultitia, quæ omnes ex æquo tam parata beneficentia complector.

Stultitia omnes homines curis liberat, & felices facit.

Nec vota moror, nec irascor, exposcens piamina, si quid cæremoniarum fuerit prætermissum. Nec cœlum terræ misceo, si quis reliquis invitatis diis, me domi relinquat, nec admittat ad nidorem illum victimarum. Nam cæterorum deorum tanta in his est morositas, ut prope majus sit operæ pretium, atque adeo tutius, illos negligere quam colere. Quemadmodum sunt & homines nonnulli, tam difficiles, & ad lædendum irritabiles, ut præstiterit eos prorsum alienissimos habere, quam familiares. At nemo, inquiunt, stultitiæ sacrificat, neque templum statuit. Equidem demiror, ut dixi, nonnihil hanc ingratitudinem. Verum

Benignissima Deorum Stultitia ab omnibus verè culta.

rum hoc quoque pro mea facilitate boni consulo, quanquam ne hæc quidem desiderare possim. Quid enim est cur tusculum aut molam, aut hircum, aut suem requiram, cum mihi mortales omnes ubique gentium eum cultum persolvant, qui vel à Theologis maxime probari solet? Nisi forte Dianæ debeam invidere, quod illi humano sanguine litatur. Ego me tum religiosissime coli puto, cum passim, ut faciunt omnes, animo complectuntur, moribus exprimunt, vita repræsentant. Qui quidem divorum cultus, nec apud Christianos admodum frequens est. Quanta turba eorum, qui Deiparæ virgini cereolum affigunt, idque in meridie, cum nihil est opus? Rursum quam pauci qui eandem vitæ castimonia, modestia, cœlestium rerum amore studeant æmulari? Nam is demum verus est cultus, longeque cœlitibus gratissimus. Præterea cur templum desiderem, cum orbis hic universus templum mihi sit, ni fallor, pulcherrimum? Neque vero desunt mystæ, nisi ubi desunt homines. Nec jam usque adeo stulta sum, ut saxeas ac coloribus fucatas imagines requiram, quæ cultui nostro nonnunquam officiunt, cum à stupidis & pinguibus istis signa pro divis ipsis adorantur. Nobis interim usu venit, quod solet iis, qui à vicariis suis extruduntur. Mihi tot statuas erectas puto, quot sunt mortales, vivam mei imaginem præ se ferentes, etiam si nolint. Itaque nihil est quod reliquis diis invideam, si aliis in angulis terrarum alii colantur, idque statis diebus: quemadmodum Rhodi Phæbus, in Cypro Venus, Argis Juno, Athenis Minerva, in Olympo Jupiter, Tarenti Neptunus, Lampsaci Priapus, modo mihi communiter orbis omnis longe potiores victimas assidue præbeat.

Communis hominum vita plena Stultitiæ.

Atqui si cui videor hæc audacius quam verius dicere, agedum paulisper ipsas hominum vitas inspiciamus, quo palam fiat, & quantum mihi debeant, & quanti me faciant maxime pariter ac minimi. At non quorumlibet vitam recensebimus, nam id quidem perlongum, verum insignium tantum, unde reliquos facile sit æstimare. Quid enim attinet de vulgo, plebeculaque commemorare, quæ citra controversiam tota mea est? tot enim undique stultitiæ formis abundat, tot indies novas comminiscitur, ut nec mille Democriti ad tantos risus sufficerint: quanquam illis

ipsis

ipsis Democritis rursum alio Democrito foret opus. Quin etiam incredibile est dictu, quos risus, quos ludos, quas delitias, homunculi quotidie præbeant superis. Nam hi quidem horas illas sobrias,& antemeridianas jurgiosis consultationibus, ac votis audiendis impertiunt. Cæterum ubi jam nectare madent,neque lubet quicquam serium agere, tum qua parte cœlum quam maxime prominet,ibi considunt ac pronis frontibus,quid agitent homines, speculantur. Nec est aliud spectaculum illis suavius. Deum immortalem, quod theatrum est illud! Nam ipsa nonnunquam in deorum poëticorum ordinibus considere soleo. Hic deperit in mulierculam, & quominus adamatur, hoc amat impotentius. Ille dotem ducit,non uxorem. Ille sponsam suam prostituit. Alius zelotypus velut Argus observat. Hic in luctu,papæ! quam stulta dicit facitque! conductis etiam velut histrionibus,qui luctus fabulam peragant. Ille flet ad novercæ tumulum. Hic quidquid undecunque potest corradere, id totum ventriculo donat,paulo post fortiter esuriturus. Hic somno & ocio nihil putat felicius. Sunt qui alienis obeundis negociis sedulo tumultuantur, sua negligunt.Est qui versuris,atque ære alieno divitem se esse putat,mox decocturus. Alius nihil arbitratur felicius, quam si ipse pauper hæredem locupletet. Hic ob exiguum, idque incertum lucellum, per omnia maria volitat, undis ac ventis vitam committens, nulla pecunia reparabilem. Ille mavult bello divitias quærere, quam tutum ocium exigere domi. Sunt qui captandis orbis senibus, putant quam commodissime ad opes perveniri. Neque desunt, qui idem malint deamandis beatis aniculis aucupare. Quorum utrique tum demum egregiam de se voluptatem diis spectatoribus præbent, cum ab ipsis, quos captant, arte deluduntur. Est omnium stultissimum ac sordidissimum negotiatorum genus, quippe qui rem omnium sordidissimam tractent, idque sordidissimis rationibus, qui cum passim mentiantur, pejerent, furentur, fraudent, imponant, tamen omnium primos sese faciunt, propterea quod digitos habeant auro revinctos. Nec desunt adulatores fraterculi,qui mirentur istos,ac venerabiles palam appellent, nimirum, ut ad ipsos aliqua male partorum portiuncula redeat. Alibi

videas Pythagoricos quosdam, quibus usque adeo omnia videntur esse communia, ut quicquid usquam incustoditum nacti fuerint, id velut hæreditate obvenerit, æquo animo tollant. Sunt qui votis tantum divites sunt, & jucunda quædam sibi fingunt somnia, idque ad felicitatem satis esse putant. Nonnulli foris divites haberi gaudent, domi gnaviter esuriunt. Hic festinat quicquid habet profundere, ille per fas nefasq; congerit. Hic candidatus ambit populares honores, ille ad focum semet oblectat. Bona pars lites nunquam finiendas agitat, & hinc atque hinc certatim contendunt, ut prorogatorem judicem & colluſorem ditent advocatum. Hic rebus novandis studet, ille magnum quiddam molitur. Est qui Hierosolymam, Romam, aut divum Jacobum adeat, ubi nihil est illi negocii, domi relictis cum uxore liberis. In summa, si mortalium innumerabiles tumultus è luna, quemadmodum Menippus olim, despicias, putes te muscarum, aut culicum videre turbam inter se rixantium, bellantium, insidiantium, rapientium, ludentium, lascivientium, nascentium, cadentium, morientium. Neque satis credi potest, quos motos, quas tragœdias cieat tantulum animalculum, tamque mox periturum. Nam aliquoties vel levis belli, seu pestilentiæ procella multa simul millia rapit ac dissipat.

Docti quàm Stulti & præsertim Grammatici.

Sed ipsa stultissima sim, planeque digna, quam multis cachinnis rideat Democritus, si pergam populariorum stultitiarum, & insaniarum formas numerare. Ad eos accingar, qui sapientiæ speciem inter mortales tenent, & aureum illum ramum, ut ajunt, aucupantur, inter quos Grammatici primas tenent, genus hominum profecto, quo nihil calamitosius, nihil afflictius, nihil æque diis invisum foret, nisi ego miserrimæ professionis incommoda dulci quodam insaniæ genere mitigarem. Neque enim πέντε καταδρομὰς, id est, quinque tantum diris obnoxii sunt isti, quemadmodum indicat epigramma Græcum, verum sexcentis, ut qui semper famelici, sordidique in ludis illis suis, in ludis dixi, imo in (1) φροντιστηρίοις vel pistrinis potius, ac carnificinis inter puerorum greges, consenescant laboribus, obsurdescant clamoribus, fœtore pædoreque contabescant, tamen meo beneficio fit, ut sibi primi mortalium

1 *Solertudinis loco.*

lium esse videantur. Adeo sibi placent, dum pavidam turbam minaci vultu voceque territant, dum ferulis, virgis, lorisque conscindunt miseros, dumque modis omnibus suo arbitratu sæviunt, asinum illum Cumanum imitantes. Interim sordes illæ, meræ mundiciæ videntur, pædor amaricinum olet, miserrima illa servitus regnum esse putatur, adeo ut tyrannidem suam nolint cum Phalaridis aut Dionysii imperio commutare. Sed longe etiam feliciores sunt, nova quadam doctrinæ persuasione. Siquidem cum plerique mera deliramenta pueris inculcent, tamen dii boni! quem non illi Palæmonem, quem non Donatum pro se contemnunt? idque nescio quibus præstigiis mirè efficiunt, ut stultis materculis & idiotis patribus tales videantur, quales ipsi se faciunt. Jam adde & hoc voluptatis genus, quoties istorum aliquis Anchisæ matrem, aut voculam vulgo incognitam, in putri quapiam charta deprehenderit, puta bubsequam, bovinatorem, aut manticulatorem, aut si quis vetusti saxi fragmentum, mutilis notatum literis, alicubi effoderit, ô Jupiter! quæ tum exultatio, qui triumphi, quæ encomia, perinde quasi vel Africam devicerint, vel Babylona ceperint. Quid autem cum frigidissimos & insulsissimos versiculos suos passim ostentant, neque desunt qui mirentur, jam plane Maronis animam in suum pectus demigrasse credunt. At nihil omnium suavius quam cùm ipsi inter se mutua talione laudant ac mirantur, vicissimque scabunt. Quod si quis alius verbulo lapsus sit, idque forte fortuna hic oculatior deprehenderit, (1) Ἡράκλεις! quæ protinus tragœdiæ, quæ digladiationes, quæ convicia, quæ invectivæ! Malè propitios habeam omnes Grammaticos, si quid mentior. Novi quendam πολυτεχνότατον, Græcum, Latinum, Mathematicum, Philosophum, Medicum, (2) ἢ τἆυτα βασιλικὸν, jam sexagenarium, qui cæteris rebus omissis, annis plus viginti se torquet ac discrutiat in Grammatica, prorsus felicem se fore ratus, si tam diu liceat vivere, donec certo statuat, quomodo distinguendæ sint octo partes orationis, quod hactenus nemo Græcorum aut Latinorum ad plenum præstare voluit. Perinde quasi res sit bello quoque vindicanda, si quis conjunctionem faciat dictionem ad adverbiorum

1 O Hercles. 2 Et regis felicitatem æquantem.

biorum jus pertinentem. Et hac gratia, cum totidem sint grammaticæ quot grammatici, imo plures: quandoquidem Aldus meus unus, plus quinquies grammaticam dedit, hic nullam omnino quantumvis barbare aut molestè scriptam prætermittit, quam non evolvat, excutiatque, nemini non invidens, si quid quantumlibet ineptè moliatur in hoc genere, miserè timens, ne quis forte gloriam hanc præripiat, & pereant tot annorum labores. Utrum insaniam hanc vocare mavultis, an stultitia? Nam mea quidem haud magni refert, modo fateamini meo beneficio fieri, ut animal omnium alioqui longe miserrimum, eo felicitatis evehatur, ut sortem suam neque cum Persarum regibus cupiat permutare.

Poëtæ, Rhetores, scriptores omnes stulti, ideoque felices.

Minus mihi debent Poëtæ, tametsi vel ex professo meæ sunt factionis, quippe liberum genus, ut habet proverbium, quorum omne studium non alio pertinet, quàm ad demulcendas stultorum aures, idque meris nugamentis, ac ridiculis fabulis. Et tamen his freti dictu mirum, ut cum sibi polliceantur immortalitatem, & diis parem vitam; tum aliis eandem promittant. Huic ordini præ cæteris familiares (1) φιλαυτια ἡ κολακεια, nec ab ullo mortalium genere color neque simplicius, neque constantius. Porrò Rhetores, quamquam nonnihil illi quidem prævaricantur, colluduntque cum Philosophis, tamen hos quoque nostræ factionis esse, cum alia multa, tum illud in primis arguit, quod præter alias nugas, tam accuratè, tam multa de jocandi ratione conscripserunt. Atque adeo stultitiam ipsam inter facetiarum species numerat, quisquis is fuit, qui ad Herennium dicendi artem conscripsit: Quodque apud Quintilianum, hujus ordinis longe principem, caput est de risu vel Iliade prolixius: tantum denique stultitiæ tribuunt, ut sæpenumero quod nullis argumentis dilui possit, risu tamen eludatur. Nisi si qui hoc arbitretur ad stultitiam non pertinere, ridiculis dictis excitare cachinnos, idque arte. Hujus farinæ sunt & isti, qui libris edendis famam immortalem aucupantur. Hìc cum omnes mihi plurimum debent, tum præcipuè qui meras nugas chartis illinunt. Nam qui eruditè ad paucorum doctorum judicium scribunt, quique nec Persium, nec

Læ-

1 *Amor sui ipsius & adulatio.*

Lælium judicem recusant, mihi quidem miserandi magis, quam beati videntur, ut qui sese perpetuo torqueant. Addunt, mutant, adimunt, reponunt, repetunt, recondunt, ostendunt, nonum in annum premunt, nec unquam sibi satisfaciunt, ac futile præmium, nempe laudem, eamque perpaucorum, tanti emunt, tot vigiliis, somnique rerum omnium dulcissimi tanta jactura, tot sudoribus, tot crucibus. Adde nunc valetudinis dispendium, formæ perniciem, lippitudinem, aut etiam cæcitatem, paupertatem, invidiam, voluptatum abstinentiam, senectutem præproperam, mortem præmaturam, & si qua sunt alia ejusmodi. Tantis malis sapiens ille redimendum existimat, ut ab uno aut altero lippo probetur. At meus ille scriptor, quanto delirat felicius, dum nulla lucubratione, verum uteunque visum est animo, quicquid in calamum incidit, levi duntaxat chartarum jactura, non ignarus futurum, ut quo nugaciores nugas scripserit, hoc à pluribus, id est, stultis & indoctis omnibus probetur. Quid enim est negocii, tres illos doctos, si tamen ea legerint, contemnere? Aut quid valebit, tam paucorum sapientium calculus in tam immensa reclamantium turba? Sed magis etiam sapiunt, qui aliena pro suis edunt, & alieno magnoque partam labore gloriam, verbis in se transmovent, hoc videlicet freti, quod arbitrentur futurum, ut etiam si maximè coarguantur plagii, tamen aliquanti temporis usuram sint interim lucrifacturi. Videre est operæ precium, quam hi sibi placeant, cum vulgo laudantur, cum, digito ostenduntur in turba, (1) Ἅτος ἐστιν ὁ δεινὸς ἐκεῖνος, cùm apud bibliopolas prostant, cùm in omnium paginarum frontibus leguntur tria nomina, præsertim peregrina, ac magicis illis similia. Quæ, per Deum immortalem! quid aliud sunt quam nomina? Deinde quam à paucis cognoscenda, si mundi vastitatem respicias: tum à quanto paucioribus laudanda, ut sunt etiam indoctorum diversa palata. Quid? quod ea ipsa nomina non raro confinguntur, aut è priscorum libris adoptantur. Cum alius sese Telemachum, alius Stelenum aut Laërtem: hic Polycratem, ille Trasymachum sese nominari gaudet, ut nihil jam referat, etiam si chamæleonti aut cucurbitæ, sive, quemadmodum

1 *Hic est admirandus ille.*

dum solent philosophi loqui, alpha aut beta librum inscribas. Illud autem lepidissimum, cum mutuis epistolis, carminibus, encomiis sese vicissim laudant, stulti stultos, indoctos indocti. Hic illius suffragio discedit Alcæus, ille hujus Callimachus, ille huic est M. Tullio superior, hic illi Platone doctior. Nonnunquam etiam antagonistam quærunt, cujus æmulatione famam augeant. Hinc *scinditur incertum studia in contraria vulgus*, donec uterque dux re bene gesta victor discedit, uterque triumphum agit. Rident hæc sapientes, ut, veluti sunt, stultissima. Quis enim negat? Sed interim meo beneficio suavem vitam agunt, ne cum Scipionibus quidem suos triumphos commutaturi. Quamquam docti quoque interim dum hæc magna cum animi voluptate rident, & aliena fruuntur insania, non paulum mihi debent, & ipsi, quod inficiari non possunt, nisi sint omnium ingratissimi.

Jurisconsulti & Dialectici stulti.

Inter eruditos Jurisconsulti sibi vel primum vindicant locum, neque quisquam alius æque sibi placet, dum Sisyphi saxum assidue volvunt, ac sexcentas leges eodem spiritu contexunt, nihil refert quam ad rem pertinentes, dumque glossematis glossemata, opiniones opinionibus cumulantes, efficiunt ut stultum illud omnium difficillimum esse videatur. Quicquid enim laboriosum, idem protinus & præclarum existimant. Adjungamus his dialecticos ac sophistas, hominum genus quovis ære Dodonæo loquacius, ut quorum unusquivis cum vicenis delectis mulieribus garrulitate decertare possit, feliciores tamen futuri, si tantum linguaces essent non etiam rixosi, adeo ut de lana caprina pertinacissimè digladientur, & nimium altercando plerumque veritatem amittant. Hos tamen sua philautia beatos reddit, dum tribus instructi syllogismis, incunctanter audent quavis de re cum quovis manum conserere. Cæterum pertinacia reddit invictos, etiamsi Stentorem opponas.

Philosophi, Mathematici stulti.

Sub hos prodeunt philosophi, barba pallioque verendi, qui se solos sapere prædicant, reliquos omnes mortales, umbras volitare. Quâm verò suaviter delirant, cùm innumerabiles ædificant mundos, dum solem, dum lunam, stellas, orbes, tanquam pollice filove metiuntur, dum fulminum, ventorum, eclipsium ac

cæte-

cæterarum inexplicabilium rerum causas reddunt, nihil usquam hæsitantes, perinde quasi naturæ rerum architectrici fuerint à secretis, quasive è deorum consilio nobis advenerint: quos interim natura cum suis conjecturis magnifice ridet. Nam nihil apud illos esse comperti, vel illud satis magnum est argumentum, quod singulis de rebus inexplicabilis inter ipsos est digladiatio. Ii cum nihil omnino sciant, tamen omnia se scire profitentur: cumque seipsos ignorent, neque fossam aliquoties, aut saxum obvium videant, vel quia lippiunt plerique, vel quia peregrinantur animi, tamen ideas, universalia, formas separatas, primas materias, quidditates, ecceitates, formalitates, instantia videre se prædicant, res adeo tenues, ut neque Lynceus, opinor, possit perspicere. Tum vero præcipuè prophanum vulgus aspernantur, quoties triquetris, & tetragonis circulis, atque hujusmodi picturis mathematicis, aliis super alias inductis, & in labyrinthi speciem confusis, præterea literis velut in acie dispositis, ac subinde alio atque alio repetitis ordine, tenebras offundunt imperitioribus. Neque desunt ex hoc genere qui futura quoque prædicant consultis astris, ac miracula plus quam magica pollicentur, & inveniuntur homines, fortunati, quibus hæc quoque credant.

Porrò Theologos silentio transire fortasse præstiterit, (1) ἢ ταύτην καμαρίναν μὴ κινεῖν, nec hanc (2) Anagyrim tangere, utpote genus hominum mire supercilio-sum atque irritabile, ne forte turmatim sexcentis conclusionibus adoriantur, & ad palinodiam adigant, quod si recusem, protinus hæreticam clamitent. Nam illico solent hoc terrere fulmine; si cui sunt parum propitii. Sane quanquam non alii sunt, qui minus libenter agnoscant meam in se beneficentiam, tamen hi quoque non mediocribus nominibus obstricti sunt, dum felices sua Philautia perinde quasi ipsi tertium incolant cœlum, ita reliquos mortales omnes, ut humi reptantes pecudes, è sublimi despiciunt, ac prope comiserantur, dum tanto magistralium definitionum, *Theologi stulti.*

1 *Hanc Camarinam non movere.* Proverbium de iis quæ non sine periculo tractari possunt | Vid. Chiliad.

2 Est frutex odore admodum gravi. Proverb-

num, conclusionum, corollariorum, propositionum explicitarum & implicitarum agmine septi sunt, tot exuberant (1) κρησφυγέτοις, ut nec Vulcaniis vinculis sic possint irretiri, quin elabantur distinctionibus, quibus nodos omneis adeo facile secant, ut non Tenedia bipennis melius? tot nuper excogitatis vocabulis, ac prodigiosis vocibus scatent. Præterea dum arcana mysteria suo explicant arbitratu, qua ratione conditus ac digestus sit mundus. Per quos canales labes illa peccati in posteritatem derivata sit: quibus modis, qua mensura, quantulo tempore in virginis utero sit absolutus Christus: quemadmodum in synaxi accidentia subsistant sine domicilio. Sed hæc protrita. Illa demum magnis, & illuminatis, ut vocant, Theologis digna putant, ad hæc si quando incidunt, expergiscuntur. Num quod instans in generatione divina? Num plures in Christo filiationes? Num possibilis propositio: Pater Deus odit filium? Num Deus potuerit suppositare mulierem, num diabolum, num asinum, num cucurbitam, num silicem? Tum quemadmodum cucurbita fuerit concionatura, editura miracula, figenda cruci? Et quid consecrasset Petrus, si consecrasset eo tempore, quo corpus Christi pendebat in cruce? Et num eodem tempore Christus homo dici potuerit: & num post resurrectionem edere aut bibere fas sit futurum, jam nunc famem sitimque præcaventes? Sunt innumerabiles (2) λεπτολεσχίαι, his quoque multo subtiliores, de notionibus, relationibus, instantibus: de formalitatibus, de quidditatibus, ecceitatibus, quas nemo possit oculis assequi nisi tam Lynceus, ut ea quoque per altissimas tenebras videat, quæ nusquam sunt. Adde nunc his (3) γνώμας illas adeo παραδόξους, ut illa Stoicorum oracula, quæ paradoxa vocant, crassissima præ his videantur, & circumforanea, velut levius esse crimen, homines mille jugulare, quam semel in die dominico calceum pauperi consuere. Et potius esse com̃ittendum, ut universus orbis pereat una cum victu & vestitu, quod ajunt, suo, quam unicum quantumlibet leve mendaciolum dicere. Jam has subtilissimas subtilitates subtiliores etiam reddunt tot scholasticorum viæ, ut citius è Labyrinthis temet explices,

1 *Subterfugiis.*
2 *Subtiles nugæ.*
3 *Sententias.*

1 *Disce-*

explices, quam ex involucris Realium, Nominalium, Thomistarum, Albertistarum, Occanistarum, Scotistarum, & nondum omnes dixi sectas, sed præcipuas duntaxat. In quibus omnibus tantum est eruditionis, tantum difficultatis, ut existimem ipsis Apostolis alio spiritu opus fore, si cogantur hisce de rebus cum hoc novo Theologorum genere conferere manus. Paulus fidem præstare potuit, at idem cum ait: *Fides est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium:* parum magistraliter definivit. Idem ut charitatem optime præstitit, ita parum dialectice vel dividit, vel finit, in priore ad Corinthios epistola, cap. decimo tertio. Ac piè quidem illi consecrabant synaxim, & tamen rogati de termino à quo, & termino ad quem, de transsubstantiatione, de modo quo corpus idem sit in diversis locis, de differentia, qua corpus Christi est in cœlo, qua fuit in cruce, qua in sacramento synaxeos, quo puncto fiat transsubstantiatio, cum oratio per quam ea fit, ut quantitas discreta sit in fluxu, non pari, sicut opinor, respondisset acumine, quo Scotidæ differunt hæc, ac definiunt. Noverant illi Jesu matrem, sed quis eorum tam philosophicè demonstravit, quo modo fuerit ab Adæ macula præservata, quam nostri Theologi? Petrus accepit claves, & accepit ab eo, qui non committat indigno, & tamen an intellexerit, nescio, certe nusquam attigit subtilitatem, quomodo scientiæ clavem habeat is quoque, qui scientiam non habeat. Baptizabant illi passim, & tamen nusquam docuerunt, quæ sit causa formalis, materialis, efficiens, & finalis baptismi, nec characteris delebilis, & indelebilis apud hos ulla mentio. Adorabant quidem illi, sed in spiritu, nihil aliud sequentes, quam illud Evangelicum, *spiritus est Deus, & eos qui adorant eum in spiritu & veritate oportet adorare.* Verùm haud apparet eis tum fuisse revelatum, una eademque adoratione adorandam imagunculam carbone delineatam in pariete, & Christum ipsum, si modo duobus sit porrectis digitis, intonsa coma, & in umbone qui adhæret occipitio, tres habeat notas. Quis enim hæc percipiat nisi xxxvi. annos totos in physicis, & ultra mundanis Aristotelis & Scoticis contriverit? Identidem inculcant Apostoli gratiam, at iidem nusquam distinguunt, quid interfit inter gratiam gratis datam,

& gra-

& gratiam gratificantem. Hortantur ad bona opera, nec discernunt opus operans & opus operatum. Passim inculcant charitatem, nec secernunt infusam ab acquisita, nec explicant, accidens ne sit, an substantia, creata res an increata. Detestantur peccatum, at emoriar, si potuerunt scientificè definire, quid sit illud, quod peccatum vocamus, nisi forte Scotistarum spiritu fuerunt edocti. Nec enim adduci possum, ut credam Paulum, è cujus unius eruditione licet omnes æstimare, toties damnaturum fuisse quæstiones, disceptationes, genealogias, & ut ipse vocat (1) λογομαχίας, si eas percalluisset argutias, præsertim cum omnes illius temporis contentiones, pugnæque rusticanæ fuerint & crassæ, si cum magistrorum nostrorum plusquam Chrysippeis subtilitatibus conferantur. Quamquam homines modestissimi, si quid forte scriptum sit ab Apostolis indolatius parumque magistraliter, non damnant quidem, sed commode interpretantur: hoc videlicet honoris, partim antiquitati, partim Apostolico nomini deferentes. Et hercle parum æquum erat, res tantas ab illis requirere, de quibus ex præceptore suo, ne verbum quidem unquam audissent. Idem si eveniat in Chrysostomo, Basilio, Hieronymo, tum sat habent adscribere, non tenetur. Et illi quidem confutarunt Ethnicos Philosophos ac Judæos, suapte natura pertinacissimos, sed vita magis ac miraculis quam syllogismis, tum eos quorum nemo fuerit idoneus, vel unicum Scoti Quodlibetum ingenio consequi. Nunc quis Ethnicus, quis hæreticus non continuo se dat tot tenuissimis subtilitatibus, nisi tam crassus, ut non assequatur, aut tam impudens, ut exsibilet, aut iisdem instructus laqueis, ut jam par sit pugna, perinde quasi magnum cum magno committas, aut si gladio fortunato pugnet aliquis cum eo, cui gladius sit fortunatus: tum enim nihil aliud quam tela Penelopes retexeretur. Ac meo quidem judicio superent Christiani, si pro pinguibus istis militum cohortibus, per quas jam olim ancipite Marte pelligerantur, clamosissimos Scotistas, & pertinacissimos Occanistas, & invictos Albertistas una cum tota sophistarum manu mitterent in Turcas & Saracenos: spectarent, opinor, & conflictum omnium lepidissimum, & victo-

1 *Disceptationes de verbis.*

victoriam non ante visam. Quis enim utique adeo frigidus, quem illorum non inflamment acumina? Quis tam stupidus, ut tales non excitent aculei? Quis tam oculatus, ut hæc illi non maximas offundant tenebras? Verùm hæc omnia videor vobis propemodum joco dicere. Nec mirum sane, cum sint & inter ipsos Theologos melioribus instituti literis, qui ad has frivolas, ut putant, Theologorum argutias nauseent. Sunt qui velut sacrilegii genus execrentur, summamque ducant impietatem, de rebus tam arcanis, & adorandis magis, quam explicandis, tam illoto ore loqui, tam prophanis Ethnicorum argutiis disputare, tam arroganter definire, ac divinæ Theologiæ majestatem tam frigidis, imo sordidis verbis simul & sententiis conspurcare. At interim ipsi felicissimè sibi placent, imo plaudunt, adeò ut his suavissimis næniis, nocte dieque occupatis, ne tantulum quidem ocii supersit, ut Evangelium, aut Paulinas epistolas vel semel liceat evolvere. Atque interim dum hæc nugantur in scholis, existimant sese universam Ecclesiam, alioqui ruituram, non aliter syllogismorum fulcire tibicinibus, quam Atlas cœlum humeris sustinet apud Poëtas. Jam illud quantæ felicitatis esse putatis, dum arcanas literas, perinde quasi cereæ sint, pro libidine formant, ac reformant, dum conclusiones suas, quibus jam aliquot scholastici subscripserunt, plusquam Solonis leges videri postulant, & vel pontificiis decretis anteponendas, dumque veluti censores orbis ad palinodiam trahunt, si quid usquam cum explicitis & implicitis illorum conclusionibus, non ad amussim quadrarit, ac non secus atque ex oraculo pronunciant, hæc propositio scandalosa est, hæc parum reverentialis, hæc hæresin olet, hæc male tinnit, ut jam nec baptismus, nec Evangelium, nec Paulus aut Petrus, nec sanctus Hieronymus aut Augustinus, imo nec ipse Thomas (1) ἀριστοτελικώτατος, Christianum efficiat, nisi baccalauriorum calculus accesserit, tanta est in judicando subtilitas. Quis enim sensurus erat, eum Christianum non esse, qui diceret has duas orationes, matula putes, & matula putet, item ollam fervere, & ollam fervêre, pariter esse congruas, nisi sapientes illi docuissent? Quis tantis errorum tenebris liberasset Ecclesiam,

1 *Aristoteli addictissimus.*

cleſiam, quos ne lecturus quidem unquam quisquam fuerat, niſi magnis ſigillis iſti prodidiſſent? Verum an non feliciſſimi dum hæc agunt? Præterea dum inferorum res omneis ſic examuſſim depingunt, tanquam in ea Republica complureis annos ſint verſati? Præterea dum pro arbitrio novos orbes fabricantur, addito denique latiſſimo illo pulcherrimoque, ne ſcilicet deeſſet ubi felices animæ commode vel ſpatiari, vel convivium agitare, vel etiam pila ludere poſſent. His atque id genus bis mille nugis, horum capita adeo diſtenta differtaque ſunt, ut arbitrer nec Jovis cerebrum æque gravidum fuiſſe, cum ille Palladem parturiens Vulcani ſecurim imploraret. Quare nolite mirari, ſi videtis caput illorum tot faſciis tam diligenter obvinctum in publicis diſputationibus, alioquin enim plane diſſilirent. Illud ipſa quoque nonnunquam ridere ſoleo, cum ita demum maxime ſibi videntur Theologi, ſi quam maxime barbarè ſpurcequè loquantur, cumque adeo balbutiunt, ut à nemine niſi balbo poſſint intelligi, acumen appellant, quod vulgus non aſſequatur. Negant enim è dignitate ſacrarum literarum eſſe, ſi grammaticorum legibus parere cogantur. Mira vero majeſtas Theologorum, ſi ſolis illis fas eſt mendoſe loqui, quanquam hoc ipſum habent cum multis cerdonibus commune. Poſtremo jam diis proximos ſeſe ducunt, quoties quaſi religioſe magiſtri noſtri ſalutantur, in quo quidem nomine tale quiddam ſubeſſe putant, quale eſt apud Judæos (1) τετραγράμματον. Itaque nefas ajunt eſſe MAGISTER NOSTER ſecus quam majuſculis ſcribere literis. Quod ſi quis præpoſterè Noſter magiſter dixerit, is ſemel omnem Theologici nominis perverterit majeſtatem.

Monachorum ſtultitia ac felicitas.

Ad horum felicitatem proximè accedunt ii, qui ſe vulgo religioſos ac monachos appellant utroque falſiſſimo cognomine, cum & bona pars iſtorum longiſſime abſit à religione, & nulli magis omnibus locis ſint obvii. Iis non video quid poſſit eſſe miſerius, niſi ego multis modis ſuccurrerem. Etenim cum hoc hominum genus omne ſic execrentur, ut fortuitum etiam occurſum ominoſum eſſe perſuaſum ſit, tamen ipſi

1 *Quadriliterum.* Jehovah apud Hebræos, quod quatuor literis ſcribitur

ipsi sibi magnificè blandiuntur. Primùm summam existimant pietatem, si usque adeo nihil attigerint literarum, ut ne legére quidem possint. Deinde cum Psalmos suos, numeratos quidem illos, at non intellectos, asininis vocibus in templis derudunt, tum verò se putant divorum aures multa voluptate demulcere. Et sunt ex his nonnulli, qui sordes ac mendicitatem magno vendunt, proque foribus magno mugitu panem efflagitant, imo in nullis diversoriis, vehiculis navibus non obturbant, non mediocri profecto reliquorum mendicorum jactura. Atque ad eum modum homines suavissimi, sordibus, insciția, rusticitate, impudentia, Apostolos (ut ajunt) nobis referunt. Quid autem jucundius, quam quod omnia faciunt ex præscriptio, quasi mathematicis utentes rationibus, quas præterire piaculum sit. Quot nodos habet calceus, quo colore cingula; vestis quot discriminibus variegánda, qua materia, quotque culmis latum cingulum, qua specie & quot modiorum capax cucullus: quot digitis latum capillitium, quot dormiendum horas. Atque hæc quidem æqualitas in tanta corporum & ingeniorum varietate, quam sit inæqualis, quis non perspicit? Et tamen his nugis non alios modo præ se nauci faciunt, verùm invicem alii alios contemnunt, atque homines Apostolicam charitatem professi, ob aliter cinctam vestem, ob colorem paulo fusciorem, omnia miris tragœdiis miscent. Ex his videas quosdam adeo rigide religiosos, aut summa veste, non nisi Cilicina utantur, intima Milesia? alios contra, qui superne linei sint, intime lanei. Rursum alios qui pecuniæ contactum ceu aconitum horreant, nec à vino interim, nec à mulierum contactu temperantes. Denique mirum omnibus studium, ne quid in ratione vitæ conveniat. Nec illud studio est, ut Christo similes sint, sed ut inter se dissimiles. Porro magna felicitatis pars est in cognomentis, dum hi funigeros appellari se gaudent, & inter hos alii Coletas, alii Minores, alii Minimos: alii Bullistas. Rursum hi Benedictinos, illi Bernardinos, hi Brigidenses, illi Augustinenses: hi Guilhelmitas, illi Jacobitas, quasi vero parum sit, dici Christianos. Horum magna pars in tantum suis nititur ceremoniis, & hominum traditiunculis, ut putet unum cælum parum dignum esse tantis meritis

meritis præmium, haud cogitantes futurum, ut Christus contemptis his omnibus, suum illud sit exacturus præceptum, nempe charitatis. Alius ostentabit aqualiculum, omni piscium genere distentum. Alius psalmorum centum effundet modios. Alius jejuniorum myriadas annumerabit, & toties unico prandio pene disruptam imputavit alvum. Alius tantum ceremoniarum acervum proferet, quantus vix septem onerariis navibus vehi possit. Alius gloriabitur sexaginta annos nunquam attactam pecuniam, nisi digitis duplici chirotheca munitis. Alius cucullam ingeret, adeo sordidam & crassam, ut nullus nauta suo dignetur corpore. Commemorabit alius se plusquam undecim lustris spongiæ vitam egisse, semper eidem affixum loco. Alius raucam assiduo cantu vocem adducet. Alius lethargum solitudine contractum, alius linguam jugi silentio torpentem. At Christus interpellatis, nunquam alioqui finiendis gloriis, undenam hoc, inquiet, novum Judæorum genus? Unicam ego legem vere meam agnosco, de qua sola, nihil audio. Et olim palam nulloque parabolarum utens involucro, paternam hæreditatem pollicitus sum, non cucullis; preculis, aut inediis, sed fidei & charitatis officiis. Nec eos agnosco, qui sua facta nimis agnoscunt: isti qui me quoque sanctiores videri volunt,(1) Abraxasiorum cælos, si libet, occupent, aut ab his sibi novum extrui cœlum jubeant, quorum traditiunculas meis præceptis antepositurunt. Cum hæc audient, & videbunt nautas & aurigas sibi præferri, quibus putatis vultibus sese mutuo contuebuntur? Sed interim spe sua felices sunt non absque meo beneficio. Atque hos quidem quanquam à republica semotos, nemo tamen audet contemnere, præcipue mendicantes, propterea quod omnia omnium arcana teneant, ex confessionibus quas vocant. Quæ tamen prodere nefas habent, nisi si quando poti, fabulis amœnioribus delectare se volunt, sed conjecturis modo rem indicant, tacitis interim nominibus. Quod si quis hos crabrones irritarit, tum in popularibus concionibus probè ulciscuntur sese, & obliquis dictis hostem notant, adeo tectè, ut nemo non intelligat, nisi qui nihil intelligit. Nec prius oblatrandi finem faciunt, quam in os

1 Basilidianorum Hæreticorum

os offam objeceris. Age vero quem tu mihi comœdum, quem circulatorem spectare malis, quam illos in concionibus suis Rhetoricantes omnino ridicule, sed tamen suavissime imitantes ea quæ Rhetores de dicendi ratione tradiderunt; Deum immortalem, ut gesticulantur, ut apte commutant vocem, ut cantillant, ut jactant sese, ut subinde alios atque alios vultus induunt, ut omnia clamoribus miscent. Atque hanc orandi artem cui rem arcanam fraterculus fraterculo per manus tradit. Eam tametsi mihi non est fas scire, tamen utcunque conjecturis sequar. Primo loco invocant, id quod à poëtis mutuo sumpserunt: deinde dicturi de charitate, à Nilo Ægypti fluvio sumunt exordium, aut crucis mysterium enarraturi, à Babylonio dracone Bel feliciter auspicantur: aut de jejunio disputaturi, à duodecim zodiaci signis principium faciunt: aut de fide verba facturi, diu de quadratura circuli proloquuntur. Audivi ipsa quendam eximie stultum, erravi, doctum volebam dicere, qui in concione celeberrima divinæ Triadis mysterium explicaturus, quo & doctrinam suam non vulgarem ostentaret, & Theologicis satisfaceret auribus, nova prorsus ingressus est via, nimirum à literis, syllabis, & oratione, tum à concordia nominis & verbi, adjectivi nominis & substantivi, mirantibus jam plerisque, ac nonnullis Horatianum illud apud se mussitantibus: Quorsum hæc tam putida tendunt? Tandem huc rem deduxit, ut in grammaticorum rudimentis sic expressum ostenderet totius Triadis simulacrum, ut nemo mathematicorum in pulvere posset evidentius depingere. Atque in hac oratione θεολογώτατος ille totos octo menses ita desudarat, ut hodie quoque magis cæcutiat quam talpæ, nimirum tota luminum acie ad ingenii cuspidem avocata. Verum haud pœnitet hominem cæcitatis, ac parvo quoque putat emptam eam gloriam. Auditus est à nobis alius quidam octogenarius, adeo Theologus, ut in hoc Scotum ipsum renatum putes. Is explicaturus mysterium nominis Jesu, mira subtilitate demonstravit in ipsis literis latere, quicquid de illo dici possit. Etenim quod tribus duntaxat inflectitur casibus, id manifestum esse simulacrum divini ternionis. Deinde quod prima vox Jesus, desinat in s, secunda Jesum in m, tertia Jesu in u,

in hoc ἄῤῥητον subesse mysterium: nempe tribus literulis indicantibus eum esse summum, medium, & ultimum. Restabat mysterium his quoque retrusius, mathematica ratione. Jesus sic in duas æquales diffidit portiones, ut scilicet penthemimeres in medio resideret. Deinde docuit eam literam apud Hebræos esse ש quam illi Syn appellent, porro syn, Scotorum opinor linguæ, peccatum sonat: atque hinc palam declarari, Jesum esse qui peccata tolleret mundi. Hoc tam novum exordium sic inhiantes admirati sunt omnes præcipue, Theologi, ut parum abfuerit, quin illis acciderit, quod olim Niobæ, cum mihi propemodum evenerit, quod siculno illi (1) Priapo, qui magno suo malo, Canidiæ Saganæque nocturna sacra spectavit. Nec injuria profecto: nam quando similem ἔφοδον commentus est Demosthenes ille Grajus, aut Cicero Latinus? Illis vitiosum habebatur procemium, quod à re foret alienius: quasi vero non ad istum modum exordiantur & subulci, natura videlicet magistra. At hi docti præambulum suum, sic enim vocant, ita demum eximie Rhetoricum fore ducunt, si nusquam quicquam habeat cum reliquo argumento confine, ut auditor interim admirans, illud secum murmuret *quo nunc se proripit ille?* Tertio loco ceu narrationis vice nonnihil ex Evangelio, sed cursim ac veluti obiter interpretantur, cum id solum fuerit agendum. Quarto loco jam nova sumpta persona, quæstionem movent Theologalem aliquoties (2) ὔτε γῆς, ὔτε θαλάσσης ἀπτομένου. Atque id quoque ad artem arbitrantur pertinere. Hic demum Theologicum attollunt supercilium, doctores solennes, doctores subtilissimos, doctores seraphicos, doctores cherubicos, doctores sanctos, doctores irrefragabiles, magnifica nomina auribus inculcantes. Tum syllogismos, majores, minores, conclusiones, corollaria, suppositiones, frigidissimas ac plusquam scholasticas nugas apud imperitum vulgus jactitant. Superest jam quintus actus, in quo summum artificem præstare convenit. Hic mihi stultam aliquam & indoctam fabulam, ex speculo opinor historiali, aut gestis Romanorum in medium adferunt, & eandem interpretantur allegoricè, tropologice,

1 Qui præ metu crepitum ventris emisit. Vid. Horatium.

2 *Nec terram nec æthera tangentem.*

gice, & anagogice. Atque ad hunc quidem modum Chimæram suam absolvunt, qualem nec Horatius unquam assequi potuit cum scriberet: *Humano capiti*, &c. Sed audierunt à nescio quibus, ingressum orationis sedatum, minimeque clamosum esse oportere. Itaque principio sic exordiuntur, ut nec ipsi vocem propriam exaudiant, quasi referat dici, quod nullus intelligat. Audierunt nonnunquam ad concitandos affectus exclamationibus utendum esse. Proinde presse alioqui loquentes, subinde repente vocem tollunt furioso plane clamore etiam cum nihil opus. Jures elleboro homini opus esse, perinde quasi nihil referat, ubi clames. Præterea quoniam audierunt oportere sermonem in progressu fervescere, in singulis partibus principiis utcunque sane recitatis, mox mira vocis contentione utuntur, etiamsi res sit frigidissima, atque ita denique desinunt, ut spiritu defectos credas. Postremo didicerunt, apud Rhetores de risu fieri mentionem, eoque student & ipsi jocos quosdam aspergere, (1) ὦ φίλη ἀφροδίτη, quam plenos gratiarum, quanque in loco, ut plane (2) ὄνος πρὸς τὴν λύραν esse dicas. Mordent quoque nonnunquam, sed ita, ut titillent magis quam vulnerent. Nec unquam verius adulantur, quam cum maxime (3) παῤῥησιάζεσθαι videri student. Denique tota actio est ejusmodi, ut jures eos à fori circulatoribus didicisse, à quibus longe vincuntur. Quanquam utrique alteris usque adeo sunt similes, ut nemo dubitet, quam aut hi ab illis, aut illi ab his Rhetoricen suam didicerint. Et tamen inveniunt hi quoque mea nimirum opera, qui cum hos audiunt, Demosthenes meros, ac Cicerones audire se putant. Quod genus sunt præcipue mercatores ac mulierculæ: quorum auribus unice placere student, quod illi nonnullam prædæ portiunculam de rebus male partis soleant impertiri, si commode fuerint palpati: illæ cum aliis multis de causis huic ordini favent, tum præcipue quod in horum sinus soleant effundere, si quid in maritos stomachantur. Videtis opinor, quantopere mihi debeat hoc hominum genus, qui cum ceremoniolis, & nugis deridiculis,

1 *ô Amica Venus.*
2 *Asinum ad lyram*, i. inceptum.
3 *Liberè loqui.*

clamoribusque tyrannidem quandam inter mortales exerceant Paulos atque Antonios sese credunt.

Principum Stultitia.

Verum ego istos histriones tam ingratos beneficiorum meorum dissimulatores, quam improbos simulatores pietatis libenter relinquo. Jamdudum enim juvat de regibus ac Principibus aulicis à quibus simplicissime color, & ut dignum est, ingenuis ingenuè nonnihil attingere. Qui quidem si vel semunciam sani cordis haberent, quid esset horum vita tristius, aut æque fugiendum? Neque enim existimabit vel perjurio parricidioque parandum imperium, quisquis secum perpenderit, quam ingens onus sustineat humeris, qui verè Principem agere velit: eum qui rerum gubernacula susceperit, publicum non privatum negocium gerere, nihil nisi de commodis publicis oportere cogitare: à legibus, quarum ipse & auctor & exactor est, nec latum digitum discedere: officialium omnium & magistratuum integritatem sibi præstandam esse: sese esse unum omnium oculis expositum, qui vel ceu sidus salutare, morum innocentia, maximam rebus humanis salutem possit adferre, vel veluti cometa letalis, summam perniciem invehere. Aliorum vitia neque perinde sentiri, neque tam late manare. Principem eo loco esse, ut si quid vel leviter ab honesto deflexerit, gravis protinus ad quam plurimos homines vitæ pestis serpat. Tum quod multa secum adferat principum fortuna, quæ soleant à recto deducere, quod genus, deliciæ, libertas, adulatio, luxus, hoc acrius enitendum, ac sollicitius advigilandum, necubi vel deceptus cesset in officio. Postremo, ut insidias, odia cæteraque vel pericula, vel metus omittam, capiti imminere, verum illum regem, qui paulo post ab eo sit etiam de minimo quoque commisso rationem exacturus, idque tanto severius, quanto præstantius gessit imperium. Hæc inquam, atque hujusmodi plurima, si princeps secum perpenderet, perpenderet autem si saperet, is nec sonum, nec cibum opinor jucunde capere posset. At nunc meo munere, has omneis curas diis permittunt, ipsi se molliter curant, neque quenquam ad aurem admittunt, nisi qui jucunda loqui norit, ne quid animo solicitudinis oboriatur. Se probe Principis partes omneis implesse credunt, si venentur assidue, si bellos

alant

alant caballos, si suo comodo vendiderint magistratus ac præfecturas, si quotidie novæ rationes excogitentur, quibus civium opes attenuent & in suum convertant fiscum, verùm id appositè repertis titulis, ut etiamsi sit iniquissimum aliquam tamen æquitatis speciem præ se ferat. Addunt data opera nonnihil adulationis, quo populares animos, utcunque sibi devinciant. Fingite mihi nunc, quales sunt nonnunquam, hominem legum ignarum, publicorum commodorum penè hostem, privatis intentum commoditatibus, addictum voluptatibus, osorem eruditionis, osorem libertatis ac veri, nihil minus quam de Reipublicæ salute cogitantem, sed omnia sua libidine, suisque utilitatibus metientem. Deinde addite huic torquem auream, omnium virtutum cohærentium consensum indicantem, tum coronam gemmis insignitam, quæ quidem admoneat eum heroicis omnibus virtutibus oportere cæteris antecellere: præterea sceptrum, justitiæ, & undecunque incorrupti pectoris symbolum, postremo purpuram eximiæ cujusdam in Rempublicam charitatis indicium. Hæc gestamina si princeps cum sua vita conferret, equidem futurum arbitror, ut plane pudescat ornatus sui, vereaturque, ne quis nasutus interpres, totum hunc tragicum cultum, in risum jocumque vertat.

Jam quid de proceribus aulicis commemorem? quorum plerisque cum nihil sit addictius, servilius, insulsius, abjectius, tamen omnium rerum primos sese videri volunt. Hac una in re tamen modestissimi, quod contenti, aurum, gemmas, purpuram, reliquaque virtutum sapientiæ insignia corpore circumferre, rerum ipsarum studium omne concedunt aliis. Hoc abunde felices sibi videntur, quod Regem herum vocare liceat, quod tribus verbis salutare didicerint, quod norint civiles titulos subinde inculcare, serenitatem, dominationem, & magnificentiam: quod egregie perfricuerint faciem, quod festiviter adulentur. Nam hæ sunt artes, quæ vere nobilem & aulicum deceant. Cæterum si vitæ rationem omnem propius inspicias, nimirum meros (1) Phæacas invenies, sponsos Penelopes, reliquum carmen agnoscitis, quod Echo vobis melius referet quam ego. Dormitur in me-

Aulicorum stultitia.

1 Ignavos & inertes homines, de quibus Homerus in Odyss.

dios dies, ibi ſacrificulus mercenarius ad lectum paratus, qui propemodum cubantibus adhuc ſacrum expedite peragat. Mox ad jentaculum, quo vix peracto, jam interpellat prandium. Sub id alea, latrunculi, ſortes, ſcurræ, moriones, ſcorta, luſus, inficetiæ. Interim una aut altera merenda. Rurſum cœna, poſt hanc repotia, non una per Jovem. Atque ad hunc modum, citra ullum vitæ tædium elabuntur horæ, dies, menſes, anni, ſecula. Ipſa nonnunquam ſaginatior abeo, ſi quando viderint illos (1) μεγαλοῤῥοῦντας, dum inter nymphas una quæque hoc ſibi videtur diis propior, quo caudam longiorem trahit, dum procerum alius alium cubito protrudit, quo Jovi vicinior eſſe videatur, dum ſibi quisque hoc magis placet, quo graviorem catenam collo bajulat, ut robur etiam, non opes tantum oſtentet.

Epiſcopi ſtulti.

Ac Principum quidem inſtitutum, ſum̃i Pontifices, Cardinales, & Epiſcopi, jam pridem gnaviter æmulantur, ac prope ſuperant. Porro ſi quis perpendat, quid linea veſtis admoneat, niveo candore inſignis, nempe vitam undiquaque inculpatam. Quid ſibi velit mitra bicornis, utrumque faſtigium eodem cohibente nodo, puta novi pariter ac veteris inſtrumenti abſolutam ſcientiam. Quid manus chirothecis communitæ, duram & ab omni rerum humanarum contagio immunam ſacramentorum adminiſtrationem. Quid pedum, nimirem crediti gregis vigilantiſſimam curam. Quid prælata crux, videlicet omnium humanorum affectuum victoriam. Hæc, inquam, atque id genus alia multa, ſi quis perpendat, nonne triſtem ac ſollicitam vitam egerit? Ac nunc belle faciunt, cum ſeſe paſcunt. Cæterùm ovium curam aut ipſi Chriſto mandant, aut in fratres, quos vocant, ac vicarios rejiciunt. Neque vel nominis ſui recordantur, quid ſonet Epiſcopi vocabulum, nempe laborem, curam, ſollicitudinem. Verum in irretiendis pecuniis, plane Epiſcopos agunt, (2) οὐδ' ἀλαοσκοπιή.

Cardinales ſtulti.

Ad eundum modum Cardinales ſi cogitent ſeſe in Apoſtolorum locum ſucceſſiſſe, eadem ab ipſis requiri, quæ illi præſtiterunt, deinde non dominos eſſe, ſed adminiſtratores ſpiritualium dotium, de quibus omnibus

1 *Oſtentantes ſe*
2 *Neque cæca Speculatio.* Hemiſt. Homericum.

mnibus sint paulo post exactissime reddituri rationem. Imo si vel in cultu paulipser philosophentur, atque ita secum cogitent, quid sibi vult hic vestitus candor? Nonne summam & eximiam vitæ innocentiam? Quid interior purpura? nonne flagrantissimum in Deum amorem? Quid rursus exterior sinuosa capacitate diffluens, ac totam etiam reverendissimi complectens mulam, quanquam una vel camelo contegendo suffecerit? Nonne charitatem latissime sese pandentem ad subveniendum omnibus, hoc est, ad docendum, exhortandum, consolandum, increpandum, admonendum, componenda bella, resistendum improbis principibus, & vel sanguinem libenter impendendum gregi Christiano, non solum opes. Quanquam quorsum omnino opes pauperum Apostolorum vicem gerentibus? Hæc si perpenderent, inquam, nec eum locum ambirent & libenter relinquerent; aut certe vitam plane laboriosam, atque sollicitam agerent, cujusmodi veteres illi vixerunt Apostoli.

Jam summi Pontifices, qui Christi vices gerunt, si conentur ejusdem vitam æmulari, nempe paupertatem, labores, doctrinam, crucem, vitæ contemptum, si vel Papæ, id est, patris nomen, vel sanctissimi cognomen cogitent, quid erit in terris afflictius? aut quis eum locum omnibus emat facultatibus: emptum, gladio, veneno, omnique vi tueatur? Quantum his abstulerit commoditatum, si semel incessiverit sapientia? Sapientia dixi? Imo vel mica salis illius, cujus meminit Christus. Tantum opum, tantum honorum, tantum victoriarum, tot officia, tot dispensationes, tot vectigalia, tot indulgentias, tantum equorum, mulorum, satellitum, tantum voluptatum. Videtis quantas nundinas, quantam messem, quantum bonorum pelagus paucis sim complexa. In quorum locum inducet vigilias, jejunia, lachrymas, orationes, conciones, studia, suspiria, milleque id genus miseros labores. Neque vero negligendum illud, futurum ut tot scriptores, tot copistæ, tot notarii, tot advocati, tot promotores, tot secretarii, tot mulotribæ, tot equisones, tot mensarii, tot lenones, pene mollius quiddam addideram, sed vereor ne durius sit auribus; in summa, tam ingens hominum turba, quæ Romanam sedem onerat, lapsa sum, honorat sentiebam, ad famem adigatur. Inhu-

Papæ stulti.

manum quidem hoc, & abominandum facinus, at multo magis detestandum, ipsos etiam summos Ecclesiæ principes, ac vera mundi lumina ad peram & baculum revocari. At nunc fere, si quid laboris est, id Petro & Paulo relinquunt, quibus abunde satis est ocii. Porro si quid splendoris, aut voluptatis, id sibi sumunt. Atque ita fit mea quidem opera, ut nullum pene hominum genus vivat mollius, minusque sollicitum, ut qui abunde Christo satis factum existiment, si mystico ac pene scenico ornatu, cæremoniis, beatitudinum, reverentiarum, sanctitatum titulis, & benedictionibus, ac maledictionibus Episcopos agant. Priscum & obsoletum, nec horum omnino temporum, miracula edere: docere populum, laboriosum: sacras interpretari literas, scholasticum: orare, ociosum: lachrymas fundere, miserum ac muliebre: egere, sordidum: vinci, turpe, parumque dignum eo, qui vix Reges etiam summos, ad pedum beatorum admittit oscula: denique mori, inamabile: tolli in crucem, infame. Restant sola hæc arma ac benedictiones dulces, quarum meminit Paulus: atque harum quidem sunt sane quam benigni, interdictiones, suspensiones, aggravationes, redaggravationes, anathematizationes, ultrices picturæ, ac fulmen illud terrificum, quo solo nutu mortalium animas vel ultra tartara mittunt. Quod ipsum tamen sanctissimi in Christo patres, & Christi vicarii, in nullos torquent acrius, quam in eos, qui instigante diabolo, patrimonia Petri minuere atque arrodere conantur. Cujus cum hæc vox sit in Evangelio: *Reliquimus omnia, & sequuti sumus te*, tamen hujus patrimonium appellant agros, oppida, vectigalia, portoria, ditiones. Pro quibus dum zelo Christi accensi, ferro ignique dimicant, non absque plurimo Christiani sanguinis dispendio, tum demum Ecclesiam Christi sponsam sese credunt Apostolice defendere, fortiter profligatis, ut vocant, hostibus. Quasi vero ulli sint hostes Ecclesiæ perniciosiores, quam impii Pontifices qui & silentio Christum sinunt abolescere & quæstuariis legibus alligant, & coactis interpretationibus adulterant, & pestilente vita jugulant. Porro cum Christiana Ecclesia sanguine sit condita, sanguine confirmata, sanguine aucta, nunc perinde quasi Christus perierit, qui more suo tueatur suos, ita ferro

rem

rem gerunt. Cumque bellum res sit adeo immanis, ut feras non homines deceat, adeo insana, ut poëtæ quoque fingant à furiis immitti, adeo pestilens, ut universam morum luem simul invehat, adeo injusta, ut à pessimis latronibus optime soleat administrari, adeo impia, ut nihil cohæreat cum Christo, tamen omnibus omissis, hoc tantum agunt. Hic videas etiam decrepitos senes, juvenilis animi robur præstare, nec offendi sumptibus, nec fatigari laboribus, nec deterreri quicquam, si leges, si religionem, si pacem, si res humanas omneis sursum ac deorsum misceant. Neque desunt adulatores eruditi, qui istam manifestariam insaniam, zelum, pietatem, fortitudinem appellant, excogitata via, qua fieri possit, ut quis letale ferrum stringat, adigatque in fratris sui viscera, manente nihilominus charitate illa summa, quam ex Christi præcepto, debet proximo Christianus.

Episcopi Germaniæ quam insani, & vulgus etiam sacerdotum.

Equidem incerta sum adhuc utrum his rebus exemplum dederint, an potius hinc sumpserint Episcopi quidam Germanorum, qui simplicius, etiam omisso cultu, omissis benedictionibus, aliisque id genus cæremoniis, plane satrapas agunt, adeo, ut propemodum ignavum, parumque decorum Episcopo putent alibi, quam in acie, fortem animam DEO reddere. Jam vero vulgus sacerdotum, nefas esse ducens, à præsulum suorum sanctimonia degenerare, euge quam militariter pro jure decimarum, ensibus, jaculis, saxis, omnique armorum vi belligerantur, quam hic oculati, si quid ex veterum literis possint elicere, quo plebeculam territent, & plusquam decimas deberi convincant. At interim non venit in mentem, quam multa passim legantur de officio, quod illi vicissim præstare, populo debeant. Nec saltem admonet eos vertex rasus, sacerdotem omnibus hujus mundi cupiditatibus liberum esse oportere, neque quicquam nisi cœlestia meditari. Sed homines suaves, se suo officio probe perfunctos ajunt, si preculas illas suas utcunque permurmurarint, quas mehercle demiror, si quis Deus vel audiat, vel intelligat, cum ipsi fere nec audiant, nec intelligant, tum cum eas ore perstrepunt. Verum hoc quidem sacerdotibus est cum prophanis commune, ut ad emolumenti messem vigilent omnes, neque quisquam ibi leges ignoret. Cæterum si quid sarci-

næ, id prudenter in alienos humeros ejiciunt, & aliis alii tanquam pilam per manus tradunt. Siquidem laici quoque Principes, quemadmodum partes administrandi regni vicariis delegant, & vicarius item vicario tradit, ita pietatis studium omne plebi modestiæ causa relinquunt. Plebs in eos rejicit, quos Ecclesiasticos vocant, perinde quasi ipsis cum Ecclesia nihil omnino sit commercii, quasi baptismi votis nihil prorsus sit actum. Rursus sacerdotes, qui sese vocant seculares, quasi mundo initiati, non Christo, in regulares onus hoc devolvunt, regulares in monachos, monachi laxiores in arctiores, omnes simul in mendicantes, mendicantes in Carthusienses, apud quos solos sepulta latet pietas, & adeo latet ut vix unquam liceat conspicere. Pontifices in messe pecuniaria diligentissimi, labores illos nimium Apostolicos, in Episcopos relegant, Episcopi in pastores, pastores in vicarios, vicarii in fratres mendicantes. Hi rursum in eos retrudunt, à quibus ovium lana tondetur. Verum non est hujus instituti, Pontificum ac Sacerdotum vitam excutere, ne cui videar satyram texere, non encomium recitare, neve quis existimet bonos Principes à me taxari, dum malos laudo. Sed hæc ideo paucis attigi, quo palam fieret, nullum esse mortalem, qui suaviter vivere possit, nisi meis initiatus sit sacris, meque propitiam habeat.

Stultis fortuna favet.

Nam id quo pacto fieri queat, cum ipsa etiam Rhamnusia, rerum humanarum fortunatrix, mecum adeo consentiat, ut sapientibus istis semper fuerit inimicissima, contra stultis etiam dormientibus omnia commoda adduxerit? Agnoscitis Timotheum illum, cui hinc etiam cognomen & proverbium (1) ὁ εὕδοντος κύτος ἀιρεῖ. Rursum aliud (2) γλαῦξ ἵπταται. Contra in sapientes quadrat illa, (3) ἐν τετράδι γεννηθέντες, & equum habet Sejanum, & aurum Tolosanum. Sed desino (4) παροιμιάζεσθαι, ne videar Erasmi mei commentaria suppilasse. Ergo ut ad rem. Amat fortuna parum cordatos, amat audaciores, & quibus illud placet

1 *Dormientis rete capit.* De felicibus absque labore.

2 *Noctua volat.* Prov. de quo Chiliad. vid.

3 *Quartâ Lunâ nati.* Prov. de iis, qui summis laboribus aliis multum prosunt, sibi nihil. Vid. Chiliad. ut & de sequentibus.

4 *Proverbiis uti.*

cet (1) πᾶς ἐρρίφθω κύβος. At sapientia timidulos reddit, ideoque vulgo videtis sapientibus istis cum paupertate, cum fame, cum fumo rem esse: neglectos, inglorios, invisos vivere: stultos affluere nummis, admoveri Reipublicæ gubernaculis, breviter, florere modis omnibus. Etenim si quis beatum existimet principibus placuisse viris, & inter aureos illos, ac gemmeos Deos versari, quid inutilius sapientia, imo quid apud hoc hominum genus damnatius? Si divitiæ parandæ sunt, quid tandem lucri facturus est negociator, si, sapientiam secutus, perjurio offendetur, si in mendacio deprehensus erubescet, si anxios illos de furtis, atque usuris sapientum scrupulos, vel tantuli faciet? Porro si quis honores, atque opes ambiat Ecclesiasticas, ad eas vel asinus, vel bubulus citius penetrabit, quam sapiens. Si voluptate ducaris, puellæ maxima hujus fabulæ pars, stultis toto pectore sunt addictæ, sapientem haud secus ac scorpium horrent, fugiuntque. Denique quicunque paulo festivius ac lætius vivere parant, sapientem inprimis excludunt, ac quodvis animal potius admittunt. Breviter, quoquo te vertas, apud Pontifices, principes, judices, magistratus, amicos, hostes, maximos, minimos, omnia præsentibus nummis parantur: quos uti contemnit sapiens, ita illum sedulo fugere consueverunt. Sed cum laudum mearum nullus sit modus, neque finis, tamen oratio aliquando finem habeat necesse est. Itaque desinam dicere, sed si prius ostendero paucis, non deesse magnos auctores, qui me literis suis pariter ac factis illustrarint, ne cui forte stulte mihi soli videar placere, neve legulei calumnientur, me nihil allegare. Ad ipsorum igitur exemplum allegabimus, hoc est, (2) οὐδὲν πρὸς ἔπος.

Principio illud omnibus vel notissimo proverbio persuasum est, ubi res abest, ibi simulationem esse optimam. Eoque recte statim traditur hic versus pueris: *Stultitiam simulare loco sapientiæ summa est.* Vos jam ipsi conjicite quam ingens sit bonum stultitia, cujus etiam fallax umbra, & imitatio sola tantum laudis meretur à doctis. Sed multo candidius pinguis ille ac nitidus Epicuri de grege porcus, miscere stultitiam

Laus stultitiæ ex auctoribus.

1 *Jacta est alea.* In audaces dicitur.

2 *Nihil ad rem.*

tiam consiliis jubet, tametsi brevem non admodum scite addidit. Item alibi; *Dulce est desipere in loco.* Rursum alio in loco mavult *delirus, inersque videri, quam sapere, & ringi.* Jam apud Homerum Telemachus, quem modis omnibus laudat poëta, subinde, φίλιος appellatur, atque eodem prænomine tanquam felicis ominis libenter pueros & adolescentes vocare solent tragici. Quid autem sacrum Iliadis carmen, nisi stultorum regum & populorum continet æstus? Porro quam absoluta laus illa Ciceronis? *Stultorum plena sunt omnia.* Quis enim ignorat, unum quodque bonum, quo latius patet, hoc esse præstantius?

Ex scriptura. Atqui fortassis apud Christianos horum levis auctoritas: proinde sacrarum quoque literarum testimoniis, si videtur, laudes nostras fulciamus, sive, ut docti solent, fundemus, principio veniam à Theologis præfatæ, ut nobis fas esse velint, deinde quoniam arduam rem aggredimur, & fortassis improbum fuerit, denuo Musas ex Helicone, ad tantum itineris revocare, præsertim cum res sit alienior, fortasse magis conveniet optare, ut interim dum Theologum ago, perque has spinas ingredior, Scoti anima paulisper ex sua Sorbona in meum pectus demigret, quovis histrice atque erinaceo spinosior, moxque remigret lubebit, vel (1) εἰς κόρακας. Utinam & vultum alium liceat sumere, & ornatus adsit Theologicus. Verùm illud interim vereor, ne quis me furti ream agat; quasi clanculum magistrorum nostrorum scrinia compilaverim, quæ tantum rei Theologicæ teneam. Sed non adeo mirum videri debet, si tam diutina, quæ mihi arctissima est, cum Theologis consuetudine nonnihil arripui, cum siculnus etiam ille Deus Priapus, nonnullas Græcas voces, legente domino, subnotarit tenueritque. Et Gallus Lucianicus longo hominum convictu sermonem humanum expedite calluerit. Sed jam ad rem bonis avibus. Scripsit Ecclesiasticus capite primo: *stultorum infinitus est numerus.* Cum numerum prædicat infinitum, nonne mortales universos complecti videtur, præter pauculos aliquot, quos haud scio, an cuiquam videre contigerit? Sed magis ingenuè confitetur hoc Hieremia capite

1 *Ad corvos*, i. e. malam crucem.

pite decimo: *Stultus*, inquiens, *factus est omnis homo à sapientia sua*. Soli Deo tribuit sapientiam, universis hominibus stultitiam relinquens. Ac rursum paulo superius: *Ne glorietur homo in sapientia sua*. Cur non vis hominem in sua sapientia gloriari optime Hieremia? Nimirum, inquiet, ob id, quia non habet sapientiam. Sed ad Ecclesiastem redeo. Hunc cum exclamat: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas*, quid aliud sensisse creditis, nisi, quemadmodum diximus vitam humanam nihil aliud quam stultitiæ ludicrum esse? nimirum Ciceronianæ laudi album addit calculum, cujus optimo jure celebratur illud quod modo retulimus: *Stultorum plena sunt omnia*. Rursum sapiens ille Ecclesiasticus, qui dixit: *Stultus mutatur ut luna, sapiens permanet ut sol*, quid aliud innuit, nisi mortale genus omne stultum esse, soli Deo sapientis nomen competere? Siquidem lunam, humanam naturam interpretantur, solem omnis luminis fontem, Deum. Huic astipulatur quod ipse Christus in Evangelio negat, quenquam appellandum bonum, nisi Deum unum. Porro si stultus est, quisquis sapiens non est, & quisquis bonus, idem sapiens, auctoribus Stoicis, nimirum mortales omneis stultitia complectatur necessum esse. Iterum Salomon capite decimo quinto: *Stultitia*, inquit, *gaudium stulto*, videlicet manifeste confitens, sine stultitia nihil in vita suave esse. Eodem pertinet illud quoque: *Qui apponit scientiam, apponit dolorem, & in multo sensu multa indignatio*. An non idem palam confitetur egregius ille concionator, capite septimo? *Cor sapientum, ubi tristitia est, & cor stultorum, ubi lætitia*. Eoque non satis habuit sapientiam perdiscere, nisi nostri quoque cognitionem addidisset. Quod si mihi parum habetur fidei, ipsius accipite verba, quæ scripsit capite primo: *Dedique cor meum ut scirem prudentiam atque doctrinam, erroresque & stultitiam*. Quo quidem loco illud animadvertendum, ad stultitiæ laudem pertinere, quod eam posteriore posuit loco. Ecclesiastes scripsit, & hunc scitis esse ordinem Ecclesiasticum, ut qui dignitate primus sit, is locum obtineat extremum, vel hic certe memor Evangelici præcepti. Sed stultitiam præstantiorem esse sapientia, & Ecclesiasticus ille, quisquis fuit, liquido testatur, capite quadragesimo quarto, cu-

jus

jus mehercle verba non prius proferam, quam (1) εἰσαγωγὴν meam, commoda responsione adjuveritis, ut faciunt apud Platonem hi, qui cum Socrate disputant. Ultra magis convenit recondere, quæ rara sunt & preciosa, an quæ vulgata viliaque? Quid tacetis? Etiam si vos dissimuletis, proverbium illud Græcorum pro vobis respondet (2) τὴν ἐπὶ θύραις ὑδρίαν, quod ne quis impie rejiciat, refert Aristoteles, magistrorum nostrorum Deus. An quisquam vestrum tam stultus est, ut gemmas & aurum in via relinquat? non hercle opinor. In abditissimis penetralibus, nec id satis, in munitissimorum scriniorum secretissimis angulis, ista reponitis, cœnum in propatulo relinquitis. Ergo si quod preciosius est, reconditur, quod vilius, exponitur, nonne palam est, sapientiam quam vetat abscondi, viliorem esse stultitia quam recondi jubet? Jam ipsius testimonii verba accipite. *Melior est homo qui abscondit stultitiam suam, quam homo qui abscondit sapientiam suam.* Quid quod animi quoque candorem divinæ literæ stulto tribuunt, cum sapiens interim neminem sui similem putet? Sic enim intelligo id, quod scribit Ecclesiastes capite decimo: *Sed & in via stultus ambulans, cum ipse insipiens sit, omneis stultos existimat.* An non illud eximii cujusdam candoris est; omnes æquare tibi ipsi, cumque nemo non magnificè de se sentiat, omnibus tamen tuas communicare laudes? Proinde nec puduit tantum regem hujus cognominis, cum ait capite trigesimo: *Stultissimus sum virorum.* Neque Paulus ille magnus gentium doctor, Corinthiis scribens, stulti cognomen illibenter agnoscit. *Ut insipiens*, inquit, *dico: Plus ego.* Perinde quasi turpe sit vinci stultitia. Sed interim obstrepunt mihi Græculi quidam, qui tot hujus temporis Theologorum, ceu cornicum oculos studeant configere, dum annotationes suas, veluti fumos quosdam aliis offundunt, cujus gregis si non Alpha, certe Beta meus est Erasmus, quem ego sæpius honoris causa nomino. O vere stultam, inquiunt, & ipsa dignam Moria citationem. Longe diversa mens Apostoli, quam tu somnias. Nec enim hoc agit his verbis, ut cæteris stultior habere-

1 *Inductionem.*
2 *In ostia Hydriam.* De rebus vilibus dicitur. V. Chil.

haberetur, verum cùm dixisset Ministri Christi sunt, & ego, seque veluti jactabundus in hac quoque parte æquasset cæteris, per correctionem adjecit, *Plus ego*, sentiens se non modo parem reliquis Apostolis in Evangeli ministerio, verum etiam aliquanto superiorem. Idque cum ita verum videri vellet, ne tamen ut arrogantius dictum offenderet aures, præmuniit stultitiæ prætextu: Ut minus sapiens dico, propterea quod sciret esse stultorum privilegium, ut soli verum citra offensam proloquantur. Verum quid Paulus senserit cum hæc scriberet, ipsis disputandum relinquo. Ego magnos, pingues, crassos, & vulgo probatissimos Theologos sequor, cum quibus magna pars doctorum errare, (1) μὰ τὸν Δία malit, quam cum istis trilinguibus bene sentire. Neque quisquam illorum Græculos istos pluris facit, quam graculos: præsertim cum quidam glorioſus Theologus, cujus ego nomen prudens supprimo, ne graculi nostri continuo Græcum in illum scomma jaciant ὄνος λύρας: magistraliter & theologaliter hunc passum enarrans, ab hoc loco. *Ut minus sapiens dico, plus ego*, novum facit caput, & quod absque summa dialectica non poterat, novam addit lectionem, ad hunc interpretans modum. Adducam enim ipsius verba, non solum in forma, verum etiam in materia. *Ut minus sapiens dico*, id est, si videor vobis insipiens me pseudapostolis adæquando, adhuc videbor vobis minus sapiens, me eis præferendo. Quamquam idem paulo post, velut oblitus sui, alio delabitur.

Theologi quàm fatue scripturam interpretentur.

Sed cur anxie me unius exemplo tueor? cum hoc publicum jus sit Theologorum, cœlum, hoc est, divinam scripturam, ceu pellem extendere: cum apud divum Paulum pugnent divinæ scripturæ verba, quæ suo loco non pugnant, si qua fides illi (2) πενταγλώττῳ Hieronymo, cum Athenis forte conspectum aræ titulum torqueret in argumentum fidei Christianæ, ac cæteris omissis, quæ causæ fuerant offectura, duo tantum extrema verba decerpserit, nempe hæc, *ignoto Deo*, atque hæc quoque nonnihil immutata; siquidem integer titulus sic habebat, *diis Asiæ, Europæ, & Africæ, diis ignotis, & peregrinis.* Ad

1 *Per Jovem.* 2 *Qui quinque linguas norat.*

Ad hujus, opinor exemplum passim jam (1) οἱ τῶν θεολόγων παῖδες, hinc atque hinc revulsa quatuor aut quinque verbula, & si quid opus est etiam depravata, ad suam accommodant utilitatem, licet ea quæ præcedunt & consequuntur, aut nihil omnino faciant ad rem, aut reclament quoque. Quod quidem faciunt tam felici impudentia, ut sæpenumero Theologis invideant jurisconsulti. Quid enim illis jam non succedat, posteaquam magnus ille, pene nomen effutiveram, sed rursus metuo Græcum proverbium, ex Lucæ verbis sententiam expresserit, tam consentaneam animo Christi, quam igni cum aqua convenit. Etenim cum immineret extremum periculum, quo tempore solent boni clientes maxime suis adesse patronis, & quanta valent ope (2) συμμαχεῖν, Christus hoc agens ut omnem hujusmodi præsidiorum fiduciam eximeret ex animis suorum, percontatus est eos, num quid rei defuisset usquam, cum illos emisisset, adeo non instructos viatico, ut nec calceis muniret adversus spinarum & saxorum injuriam, nec peram adderet, adversus famem. Ubi negassent defuisse quicquam, adjecit: *Sed nunc*, inquit, *qui habet sacculum tollat, similiter & peram: & qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium.* Cum tota Christi doctrina, nihil aliud inculcet, quam mansuetudinem, tolerantiam, vitæ contemptum, cui non perspicuum, quid hoc loco sentiat? nempe ut magis etiam exarmet suos legatos, ut non tantum calceos negligant, & peram, verum & tunicam insuper abjiciant, nudique prorsus expediti, munus Evangelicum aggrediantur, nihil sibi parent, nisi gladium; non istum quo grassantur latrones, & parricidæ, sed gladium spiritus, in intimos quoque pectoris sinus penetrantem, qui semel affectus omneis sic amputat, ut nihil jam illis cordi sit, præter pietatem. At videte, quæso, quorsum hæc torqueat celebris ille Theologus. Gladium interpretatur defensionem adversus persecutionem, sacculum sufficientem commeatus provisionem, perinde quasi Christus commutata in diversum sententia, quod oratores suos parum

1 *Theologorum filii*, Theologi. | 2 *Una pugnare*, i. e. jurare.

rum (1) βασιλικῶς instructos emisisse videretur, superioris institutionis palinodiam canat. Aut velut oblitus quod dixerat beatos fore, cum probris, contumeliis & suppliciis afficerentur, prohibens ne quando resisterent malo, mites enim beatos esse, non feroces, oblitus quod illos ad passerum & liliorum exemplum vocarit, nunc adeo noluerit eos absque gladio proficisci, ut eum vel tunica divendita jubeat emi, malitque nudos ire, quam non accinctos ferro. Ad hæc quemadmodum gladii nomine contineri putat, quicquid ad depellendam vim pertinet, ita marsupii titulo complectitur, quicquid ad vitæ pertinet necessitatem. Atque ita divinæ mentis interpres Apostolos lanceis, balistis, fundis & bombardis instructos educit ad prædicationem crucifixi. Loculis item, vidulis, & sarcinis onerat, ne forte non liceat illis è diversorio discedere, nisi impransis. Nec vel illud commovit hominem, quod ensem quem tantopere jusserat emi, mox idem objurgans jubeat recondi, quodque nunquam fando sit auditum, Apostolos ensibus aut clypeis usos adversus vim ethnicorum, utique usuros, si Christus hoc sensisset, quod hic interpretatur. Est alius, quem honoris causa non nomino, haudquaquam postremi nominis, qui è tentoriis, quorum meminit Habacuc, *Turbabuntur pelles terræ Madian*, pellem fecerit Bartholomæi excoriati. Ipsa nuper interfui dissertationi Theologicæ, nam id facio frequenter. Ibi cum quispiam exigeret, quæ tandem esset divinarum literarum auctoritas, quæ juberet hæreticos incendio vinci, magis quam disputatione revinci, Senex quidam severus, & vel supercilio teste, Theologus, magno stomacho respondit, hanc legem tulisse Paulum Apostolum, qui dixerit: *Hæreticum hominem post unam & alteram correptionem devita.* Cumque ea verba identidem intonaret, & plerique demirarentur quid accidisset homini, tandem explanavit, de vita tollendum hæreticum. Risere quidam, nec deerant tamen quibus hoc cōmentum plane Theologicū videretur. Cæterum reclamantibus etiamnum nonnullis successit (2) τενέδιος, quod ajunt, συνήθορος & auctor irrefragabilis, Accipite rem, inquit, Scriptum est maleficum ne patiaris vivere; omnis hæreticus maleficus;

1 *Regiè.* 2 *Tenedius Patronus, i.* paucis causam agens.

ergo, &c. Mirati quotquot aderant hominis ingenium, & in eam sententiam itum est pedibus, & quidem peronatis. Neque cuiquam venit in mentem legem eam ad fortilegos & incantatores, ac magos attinere, quos Hebræi sua lingua vocant *Mechasephim* alioqui fornicationem & ebrietatem capite punire oportuit.

Ex Scriptura iterum laudes stultitiæ de promuntur.

Verum hæc stultè persequor, tam innumera, ut nec Chrysippi, nec Didymi voluminibus omnia comprehendi possint. Illud duntaxat admonitos volebam, cum hæc divinis illis magistris licuerint, mihi quoque plane (1) συνίνη θεολόγῳ, par est dare veniam, si minus omnia ad amussim citavero. Nunc tandem ad Paulum redeo: *libenter*, inquit, *fertis insipientes*, de se loquens. Et rursum: *Velut insipientem accipite me, & non loquor secundum Deum, sed quasi in insipientia.* Rursus alibi: *Nos*, inquit, *stulti propter Christum.* Audistis à quanto auctore quanta stultitiæ præconia. Quid, quod idem palam stultitiam præcipit, ut rem inprimis necessariam & oppido salutarem. *Quid videtur esse sapiens inter vos, stultus fiat, ut sit sapiens.* Et apud Lucam, duos discipulos, quibus se junxerat in via Jesus, *stultos* appellat. Illud haud scio, an mirum videatur, cum Deo quoque nonnihil stultitiæ tribuit divinus ille Paulus: *Quod stultum*, est, inquit, *Dei, sapientius est hominibus.* Porro Origenes interpres obstitit, quo minus hanc stultitiam ad hominum opinionem possis referre: quod genus est illud, verbum crucis pereuntibus quidem stultitiam. Sed quid ego frustra anxia, tot testimoniis hæc docere pergo, cum in psalmis mysticis palam ipse Christus loquatur patri: *Tu scis insipientiam meam:* Neque vero temere est, quod Deo stulti tam impense placuerunt: opinor propterea, quod quemadmodum suũi principes nimium cordatos suspectos habent, & invisos, ut Julius Brutum & Cassium, cum ebrium Antonium nihil metueret, utque Nero Senecam, Dionysius Platonem, contra crassioribus ac Simplicioribus ingeniis delectantur, itidem Christus σοφὺς istos, suæque nitentes prudentiæ semper detestatur, ac damnat: testatur id Paulus haudquaquam obscurè, cum ait: *Quæ stulta sunt mundi, elegit Deus:* cumque ait, *Deo visum esse, ut per stultitiam servaret mundum, quandoquidem per sapientiam restitui non poterat.* Quin ipse idem satis indicat, cla-

1 *Siculno Theologo.*

mans

mans per os Prophetæ: *Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo.* Rursum cum agit gratias, quod salutis mysterium celasset sapientes, parvulis autem, hoc est stultis, aperuisset. Nam græcè pro parvulis est νηπίοις, quos opposuit σοφοῖς. Huc pertinet quod passim in Evangelio Pharisæos & scribas, ac legum doctores incessit, vulgus indoctum sedulo tuetur. Quid enim aliud est, *Væ vobis Scribæ & Pharisæi*, quam væ vobis sapientes? At parvulis, mulieribus, ac piscatoribus potissimum delectatus esse videtur. Quin & ex animantium brutorum genere, ea potissimum placent Christo, quæ à vulpina prudentia quam longissime absunt. Eoque asino maluit insidere, cum ille, si libuisset, vel leonis tergum impunè potuisset premere. Ac spiritus ille sacer in columbæ specie delapsus est, non aquilæ aut milvi. Præterea cervorum, hinnulorum, agnorum crebra passim in divinis literis mentio. Adde quod suos ad immortalem vitam destinatos, oves appellat. Quo quidem animante non est aliud insipientius: vel Aristotelico proverbio teste, (1) πρωβάτων ἦθος quod quidem admonet, ab ejus pecudis stoliditate sumptum, in stupidos & bardos convicii loco dici solere. Atqui hujus gregis Christus se pastorem profitetur, quin etiam ipsi agni nomine delectatus est, indicante eum Joanne, *ecce Agnus Dei:* cujus multa fit & in Apocalypsi mentio. Hæc quid aliud clamitant, nisi mortales omneis stultos esse, etiam pios? ipsum quoque Christum, quo stultitiæ mortalium subveniret, cum esset sapientia patris, tamen quodammodo stultum esse factum, cum hominis assumpta natura, habitu inventus est ut homo: quemadmodum & peccatum factus est, ut peccatis mederetur. Neque alia ratione mederi voluit, quam per stultitiam crucis, per Apostolos idiotas, ac pingues: quibus sedulo stultitiam præcipit, à sapientia deterrens, cum eos ad puerorum, liliorum, sinapis, & passerculorum exemplum provocat, rerum stupidarum ac sensu carentium, soloque naturæ ductu, nulla arte, nulla solicitudine, vitam agentium. Præterea cum vetat esse solicitos, qua essent apud præsides oratione usuri, cumque interdicit, ne scrutentur tempora vel momenta temporum, videlicet, ne quid fiderent suæ prudentiæ, sed totis animis ex ipso penderent. Eodem pertinet, quod

1 Ovium mos.

Deus ille orbis architectus interminatur, ne quid de arbore scientiæ degustarent, perinde quasi scientia felicitatis sit venenum. Quamquam Paulus aperte scientiam veluti inflantem & pernicioſam improbat. Quem divus Bernardus, opinor, ſequutus, montem eum in quo lucifer ſedem ſtatuerat, Scientiæ montem interpretatur. Fortaſſe nec illud omittendum videatur argumentum, gratioſam eſſe apud ſuperos ſtultitiam, quod huic ſoli datur erratorum venia, ſapienti non ignoſcitur, unde qui veniam orant, etiamſi prudentes peccaverint, tamen ſtultitiæ prætextu patrocinioque utuntur. Nam ſic Aaron ſororis pœnam deprecatur in Numerorum, ſi ſatis commemini, libris. *Obſecro Domine mi ne imponas nobis hoc peccatum, quod ſtulte commiſimus.* Sic & Saul apud David culpam deprecatur, *Apparet enim* inquiens, *quod ſtultè egerim.* Rurſum ipſe David ita blanditur Domino: *Sed precor Domine, ut transferas iniquitatem ſervi tui quia ſtultè egimus:* perinde quaſi non impetraturus veniam, niſi ſtultitiam & inſcitiam obtenderet. Sed illud acrius urget, quod Chriſtus in cruce, cum oraret pro ſuis inimicis: *Pater ignoſce illis:* non aliam prætextuit excuſationem, quam imprudentiæ, *Quia neſciunt*, inquit, *quid faciant.* Ad eundem modum Paulus ſcribens ad Timotheum: *Sed ideo miſericordiam Dei conſecutus ſum, quia ignorans feci in incredulitate.* Quid eſt, *ignorans feci*, niſi per ſtultitiam feci, non maliciam? Quid eſt, *ideo miſericordiam conſecutus ſum*, niſi non conſecuturus, ni ſtultitiæ patrocinio commendatus? Pro nobis facit & myſticus ille Pſalmographus, qui ſuo loco non veniebat in mentem, *Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris.* Audiſtis quæ duo prætexat, nimirum ætatem, cui ſemper comes eſſe ſoleo, & ignorantias, idque numero multitudinis, ut ingentem ſtultitiæ vim intelligeremus.

Chriſtianam religionem ſtultitiam præ ſe ferre.

At ne, quæ ſunt infinita, perſequar, utque ſummatim dicam, videtur omnino Chriſtiana religio quandam habere cum aliqua ſtultitia cognationem, minimeque cum ſapientia convenire. Cujus rei ſi deſideratis argumenta, primum illud animadvertite, pueros, ſenes, mulieres, ac fatuos ſacris ac religioſis rebus præter cæteros gaudere, eoque ſemper altaribus eſſe proximos, ſolo nimirum naturæ impulſu. Præterea videtis

primos

primos illos religionis auctores, mire simplicitatem amplexos, acerrimos literarum hostes fuisse. Postremo nulli moriones magis desipere videntur, quam hi, quos Christianæ pietatis ardor semel totus arripuit: adeo sua profundunt, injurias negligunt, falli sese patiuntur, inter amicos & inimicos nullum discrimen, voluptatem horrent, inedia, vigilia, lachrymis, laboribus, contumeliis saginantur, vitam fastidiunt, mortem unice optant, breviter ad omnem sensum communem prorsus obstupuisse videntur, perinde, quasi alibi vivat animus, non in suo corpore. Quod quidem quid aliud est quam insanire? Quo minus mirum videri debet, si Apostoli musto temulenti sunt visi, si Paulus judici Festo visus est insanire. Sed posteaquam semel τὸ λεοντῆν induimus, age doceamus & illud, felicitatem Christianorum, quam tot laboribus expetunt, nihil aliud esse, quam insaniæ stultitiæque genus quoddam: absit invidia verbis, rem ipsam potius expendite. Jam primum illud propemodum Christianis convenit cum Platonicis, animum immersum alligatumque esse corporeis vinculis, hujusque crassitudine præpediri, quo minus ea quæ vera sunt, contemplari, fruique possit. Proinde philosophiam definit esse mortis meditationem, quod ea mentem à rebus visibilibus, ac corporeis abducat, quod idem utique mors facit. Itaque quam diu animus corporis organis probe utitur, tam diu sanus appellatur. Verum ubi ruptis jam vinculis, conatur in libertatem asserere sese, quasique fugam ex eo carcere meditatur, tum insaniam vocant. Id si fortè contingit morbo, vitioque organorum, prorsus omnium consensu insania est. Et tamen hoc quoque genus hominum videmus futura prædicere, scire linguas, ac literas, quas ante nunquam didicerant, & omnino divinum quiddam præ se ferre. Neque dubiũ est id inde accidere, quod mens à contagio corporis paulo liberior, incipit nativam sui vim exerere. Idem arbitror esse in causa, cur laborantibus vicina morte simile quiddam soleat accidere, ut tanquam afflati prodigiosa quædam loquantur. Rursum si id eveniat studio pietatis, fortasse non est idem insaniæ genus, sed tamen adeo confine, ut magna pars hominum meram insaniam esse judicet, præsertim cum pauculi homunciones ab universo mortalium cœtu,

tota vita dissentiant. Itaque solet iis usu venire, quod juxta Platonicum figmentum opinor accidere iis, qui in specu vincti rerum umbras mirantur, & fugitivo illi, qui reversus in antrum, veras res vidisse se prædicat, illos longe falli, qui præter miseras umbras nihil aliud esse credant. Etenim sapiens hic commiseratur, ac deplorat illorum insaniam, qui tanto errore teneantur. Illi vicissim illum veluti delirantem rident, atque ejiciunt. Itidem vulgus hominum ea quæ maximè corporea sunt maxime miratur, eaque prope sola putat esse. Contra pii, quo quidque propius accedit ad corpus, hoc magis negligunt, totique ad invisibilium rerum contemplationem rapiuntur. Nam isti primas partes tribuunt divitiis, proximas corporis commodis, postremas animo relinquunt: quem tamen plerique nec esse credunt, quia non cernitur oculis. E diverso illi primum in ipsum Deum, rerum omnium simplicissimum toti nituntur: secundum hunc, & tamen in hoc quod ad illum quam proxime accedit, nempe animum: corporis curam negligunt, pecunias ceu putamina prorsus aspernantur ac fugitant. Aut si quid hujusmodi rerum tractare coguntur, gravatim ac fastidienter id faciunt, habent tanquam non habentes, possident tanquam non possidentes. Sunt & in singulis rebus gradus multum inter istos diversi. Principio sensus tametsi omnes cum corpore cognationem habent, tamen quidam sunt ex his crassiores, ut tactus, auditus, visus, olfactus, gustus: Quidam magis à corpore semoti, veluti memoria, intellectus, voluntas. Igitur, ubi se intenderit animus, ibi valet. Pii quoniam omnis animi vis ad ea contendit, quæ sunt à crassioribus alieniissima, in his velut obbrutescunt, atque obstupescunt. Contra vulgus in his plurimum valet, in illis quàm minimum. Inde est, quod audimus nonnullis divinis viris accidisse, ut oleum vini loco biberint. Rursum in affectibus animi quidam plus habent cum pingui corpore commercii, veluti libido, cibi somnique appetentia, iracundia, superbia, invidia. Cum his irreconciliabile bellum piis, contra vulgus sine his vitam esse non putat. Deinde sunt quidam affectus medii, quasique naturales, ut amor patriæ, charitas in liberos, in parentes, in amicos. His vulgus nonihil tribuit. At illi hos quoque studeni ex animo

revel-

revellere, nisi quatenus ad summam illam animi partem assurgunt, ut jam parentem ament, non tanquam parentem, quid enim ille genuit, nisi corpus? quanquam hoc ipsum Deo parenti debetur, sed tanquam virum bonum, & in quo luceat imago summæ illius mentis, quam unam summum bonum vocant, & extra quam nihil nec amandum, nec expetendum esse prædicant. Hac eadem regula reliqua item omnia vitæ officia metiuntur, ut ubique id quod visibile est, si non est omnino contemnendum, tamen longe minoris faciant, quam ea quæ videri nequeunt. Ajunt autem & in sacramentis atque ipsis pietatis officiis corpus & spiritum inveniri. Velut in jejunio non magni ducunt, si quis tantum à carnibus cœnaque abstineat, id quod vulgus absolutum esse jejunium existimat, nisi simul & affectibus aliquid adimat, ut minus permittat iræ quam soleat, minus superbiæ: utque ceu minus jam onustus mole corporea, spiritus ad cœlestium bonorum gustum, fruitionemque enitatur. Similiter & in Synaxi, tametsi non est aspernandum, inquiunt, quod cæremoniis geritur, tamen id per se, aut parum est conducibile, aut etiam pernicioſum, nisi id quod est spirituale accesserit, nempe hoc quod signis illis visibilibus repræsentatur. Repræsentatur autem mors Christi, quam domitis, extinctis, quasique sepultis corporis affectibus, exprimere mortales oportet, ut in novitatem vitæ resurgant, utque unum cum illo, unum item inter sese fieri queant. Hæc igitur agit, hæc meditatur ille pius. Contra vulgus sacrificium nihil aliud esse credit, quam adesse altaribus, idque proxime, audire vocum strepitum, aliasque id genus ceremoniolas spectare. Nec in his tantum, quæ duntaxat exempli gratia proposuimus, sed simpliciter in omni vita refugit pius ab his, quæ corpori cognata sunt, ad æterna, ad invisibilia, ad spiritualia rapitur. Proinde cum summa sit inter hos & illos omnibus de rebus dissensio, fit ut utrique alteris insanire videantur. Quanquam id vocabuli rectius in pios competit, quam in vulgus, mea quidem sententia.

Summa felicitas insaniæ quædam.

Quod quidem magis perspicuum fiet, si quemadmodum pollicita sum, paucis demonstraro, summum illud præmium nihil aliud esse quam insaniam quandam. Primum igitur existimate Platonem tale quiddam jam tum somniasse, cum amantium furorem omnium felicissimum esse scriberet. Etenim qui vehementer amat, jam non in se vivit, sed in eo quod amat, quoque longius à se ipso digreditur, & in illud demigrat, hoc magis ac magis gaudet. Atque cum animus à corpore peregrinari meditatur, neque probe suis utitur organis, istud haud

haud dubie furorem recte dixeris. Alioqui quid tibi vult, quod vulgo etiam dicunt; Non est apud se, & ad te redi, & sibi redditus est? Porro quo amor est absolutior, hoc furor est major, ac felicior. Ergo quænam futura est illa cœlitum vita ad quam piæ mentes tanto studio suspirant? Nempe spiritus absorbebit corpus, utpote victor ac fortior. Idque hoc faciet facilius, partim quod jam olim in vita corpus ad hujusmodi transformationem repurgarit, atque extenuarit. Deinde spiritus à mente illa summa mirè absorbebitur, quippe infinitis partibus potentiore. Ita ut jam totus homo extra se futurus sit, nec alia ratione felix futurus, nisi quod extra sese positus patietur quiddam ineffabile a summo illo bono, omnia in se rapiente. Jam hæc felicitas quamquam tum demum perfecta contingit, cum animi recepti pristinis corporibus immortalitate donabuntur, tamen quoniam piorum vita nihil aliud est, quam illius vitæ meditatio, ac velut umbra quædam, fit ut præmii quoque illius aliquando gustum aut odorem aliquem sentiant. Id tametsi minutissima quædam stillula est ad fontem illum æternæ felicitatis, tamen longe superat, universas corporis voluptates, etiamsi omnes omnium mortalium deliciæ in unum conferantur, usque adeo præstant spiritualia corporalibus, invisibilia visibilibus. Hoc nimirum est quod pollicetur propheta: *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparavit Deus diligentibus se.* Atque hæc est Moriæ pars, quæ non auferetur commutatione vitæ, sed perficitur. Hoc igitur quibus sentire licuit, contingit autem perpaucis, ii paruntur quiddam dementiæ simillimum, loquuntur quædam non satis cohærentia, nec humano more, sed dant sine mente sonum, deinde subinde totam oris speciem vertunt. Nunc alacres, nunc dejecti, nunc lachrymant, nunc rident, nunc suspirant, in summa, verè toti extra se sunt. Mox ubi ad sese redierint, negant se scire ubi fuerint, utrum in corpore, an extra corpus, vigilantes, an dormientes quid audierint, quid viderint, quid dixerint, quid fecerint, non meminerunt, nisi tanquam per nebulam, ac somnium, tantum hoc sciunt se felicissimos fuisse, dum ita desiperent. Itaque plorant sese repuisse, nihilque omnium malint, quam hoc insaniæ genus perpetuo insanire. Atque hæc est futuræ felicitatis tenuis quædam degustatiuncula.

Epilogus. Verum ego jamdudum oblita mei (1) ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα πηδῶ. Quanquam si quid petulantius aut loquacius à me dictum videbitur, cogitate & stultitiam, & mulierem dixisse. Sed interim tamen memineritis illiu Græcanici proverbii (2) πολλάκι τοι καὶ μωρὸς ἀνὴρ κατακαίριον εἶπεν. nisi forte putatis hoc ad mulieres nihil attinere. Video vos epilogum expectare, sed nimium desipitis, siquidem arbitramini me quid dixerim etiamnum meminisse, cum tantam verborum farraginem effuderim. Vetus illud, (3) μισῶ μνάμονα συμπότην. Novum hoc, (4) μισῶ μνάμονα ἀκροατήν. Quare valete, plaudite, vivite, bibite, Moriæ celeberrimi Mystæ.

1 *Ultra limites salio.* In digressiones.
2 *Sæpe & stultus opportunè loquitur.*
3 *Odi memorem convivam.*
4 *Odi memorem auditorem.*

ΤΕΛΟΣ.

Cl 2169 b

ULB Halle
3
005 425 794

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-448389-p1003-4

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-448389-p1004-0

DESIDERII ERASMI
ROTERODAMI

COLLOQUIA FAMILIARIA,

Ex Recenſione & cum Notis perpetuis
PETRI RABI, Roterod.

Accedunt
Ejusdem Eraſmi Conflictus Thaliæ & Barbariei, Apologia & Utilitas Colloquiorum, nec non Laus Morias.

1881 g 288

ULMÆ,
Sumptibus Danielis Bartholomæi, & Filii,
Litteris Chriſtiani Ulrici Wagneri,
M DCC XLVII.